REUERENDISSIMI PATRIS FRANCISCI BORDONI... MANUALE...

Francesco Bordoni, Carlo Flori, Francesco Pistelli, ...

Li 1. Feb.º 1696. in [illegible] di Bologna per [illegible] Dodi

1741
Can: Renitin: Faven:

REVERENDISSIMI PATRIS

FRANCISCI BORDONI

Parmensis S. T. D. Collegiati, Sanctæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatoris, Tertii Ordinis Sancti Francisci Ex-Generalis

MANUALE CONSULTORUM

In Causis S. Officii contra Hæreticam pravitatem refertum, quamplurimis dubiis novis, & veteribus resolutis

CUI ACCESSIT DISCURSUS

DE CONCURSU ET EXAMINE CLERICORUM AD BENEFITIA VACANTIA.

Opera Posthuma, undequaque absolutissima, nùnc primùm edita.

PARMÆ, Sumptibus Iosephi ab Oleo per Hippolytum, & Fratres de Rosatis.

Anno MDCXCIII. Superiorum permissu, & Privilegiis.

INNOCENTIO
DVODECIMO:

BEatiſsimo Orthodoxum Patri
Viro
inter Summos Maximo, inter Maximos Summo;
PETRI
in Pontificatu Succeſſori
digniſsimo;
CHRISTI
in terris Vicario zelantiſsimo;
Vtriuſque
quantum fas eſt Viatori
ad inferiorum normam
Exemplari;

Qui
Nominis Menſuram
apoſtolico implens in Solio
INNOCENTIAM
duodenario calculo auream
ferreo alioqui ſeculo
reſeruat,
& apoſtolicæ diſcipulus Moderationis
non quæ ſua, ſed quæ Chriſti ſunt
in pauperibus curare
cunctis ſtupendo mentibus

†† docet

docet
Magisterio;
Cuius
Progeniem secundum Melchisedech
nec caro reuelat, nec sanguis
Prudentiam plus, quàm Serpentis
nullæ dementant ex aduerso versutiæ
Simplicitatem plus, quàm Columbæ
nullæ seducunt vafri seculi sagacitates
Prouidentiam plus, quàm paternam
nullæ distrahunt Inferorum Potentiæ;
Cui
Lateranense

tùm	tùm
Geronthocomium	Ptochotrophium
Senibus	Mendicis

Alendis,
vtrumque
Romæ
ornandæ simul, & iuuandæ
Cæsareis augustius Capitolijs,
& sola dignum
INNOCENTII
Munificentià,
nunquam interiturum statuit
Christianæ Beneficentiæ
Monimentum;

Quem

Quem
ex hominibus aſſumptum tamquam Aaron
ad
totius
Orbis erectionem
Belli deiectionem
ad
Pacis vniuerſæ
ſtabilitatem
ad
Optatum de Infidelitate Triumphum
exaudiendum pro ſuà Reuerentià
ſuſpiciunt Fideles;
A'Quo
Vrbis, & Orbis
Magiſtro
Magnificentiam Principes,
Moderationem Eccleſiaſtici,
Sanctimoniam
diſcant vniuerſi.
Hoc
qualecumque Munus
ſanè
nullis indignum omnibus debitum
Titulis
tamquam ſummo læſæ Religionis
Vindici

Auc:

Auctoris Pronepos
&
Hæres Obseruantiæ
Religionis tertij Ordinis S. P. Francisci,
Bononiensis eiusdem Prouinciæ,
Parmensis Monasterij,
proprià demùm ductus Deuotione
post osculum Pedis
humillimè
D. D. D.

F. Hermenegildus Bordonus Parmensis.

APPROBATIONES OPERIS.

FRater Joannes Dominicus Guidotti à Mutinà S. T. D. àc publicus Philosophiæ Lector in Patrià Religionis Tertii Ord.S.Francisci Examinator Generalis, & in Mutinensi Episcopali Curià Synodalis, àc Bononiensis Provinciæ Commissarius Provincialis.

Facultate mihi à Reverendissimo Patre Jacobo Guidotti de Bononià nostræ Religionis Ministro Generali commisà præsens Opus inscriptum *Manuale Consultorum in Causis S. Officii* à fœlicis recordationis Reverendissimo P. Francisco Bordono Parmensi nostræ ejusdem Religionis quondam Ministro Generali post se relictum, non sine magnà Animi mei consolatione, diligenter perlegi, nihilquæ reperi non sanà doctrinà refertum, non firmà authoritate stabilitum; imò illius Sacri Tribunalis Assessoribus utilissimum fore judicans, ne dùm Typis dignum censeo, sed ut quàm primùm imprimatur exopto ad nostri Ordinis Decus, & Authoris de Literis benemeriti Gloriam. Datum Mutinæ in nostro Conventu S. Mariæ Gratiarum die 15. Julii 1692.

F. Ioannes Dominicus Guidotti qui suprà.

FRater Petrus Paulus Manzanus à Parmà S. T. D. Collegiatus in Patrià; Religionis Tertii Ordinis S. P. Francisci Examinator Generalis, & in Episcopali Parmensi Curià Synodalis; S. Officii Consultor in Bononiensi Provincià Definitor Provincialis, & Studiorum Regens.

Jussu Reverendissimi Patris Jacobi Guidotti à Bononià nostræ Religionis Minister Generalis, *Manuale hoc Consultorum in Causis S. Fidei, &c.* à Reverendissimo P. S. T. D. & Sacrorum Canonum Professore Francisco Bordono Parmen. compositum attentè legi, & cum omnia Ortodoxæ Fidei, Sacris Canonibus, ac Summorum Pontificum sanctionibus consonà repreſim; Typis dignum censeo Datum Parmæ in nostro Conventu S. Mariæ Quarterii hac die 20. Augusti 1692.

Fr. Petrus Paulus Manzanus qui suprà.

NOs Frates Jacobus Guidotti à Bononià totius Tertii Ordinis Sancti Francisci Regularis Observantiæ Minister Generalis, & Servus.

Manuale Consultorum in Causis S. Officii, &c. à Reverendissimo P. Magistro Francisco Bordono nostro quondam Prędecessore conscriptum, ex nostrà Commissione revisum, & Typis dignum judicatum, ut in lucem prodeat, quantùm ad Nos spectat præsentibus licentiam impartimur. Datum Bononiæ die 12. Septembris 1692.

Fr. JACOBUS GUIDOTTUS GENERALIS.

Frater Bernardinus Thesauri Romanus
S. T. D. Secretari Generalis.

Manuale

M*Anuale Consultorum in Causis S. Officii à Reverendiss. P. Mag. Francisco Bordono Parmensi, &c. elaboratum*, mandante Reverendissimo P. Inquisitore perlegi accuratissimè, cumque consona Catholicæ Fidei nedùm sint omnia in eo conscripta, verùm etiam ad Fidei defensionem sint maximè perutilia, Immò Sanctissimæ Inquisitionis Ministris methodus facilis pro inveniendis materiis sit, ac solida doctrina; Idcircò præsens *Manuale* bonis moribus consonum Prælo committi posse ad publicam utilitatem, comune gaudium, Auctoris ac suæ Religionis necnon Patriæ decus, censeo

Ego Franciscus Bonvicinus I V. L. Sanctiss. Inquisitionis Consultor, Iudex Synodalis, & Examinator, Visitator, Pœnitentiarius; In Parmensi Gymnasio, ac in Ducali Nobilium Collegio Iuris Civilis Publicus Interpres Ordinarius.

Datum Parmæ ex Ædibus nostris die 19. *Septembris* 1692.

Attenta supradicta attestatione

IMPRIMATVR

Fr. Jo: Carolus Falconi Inquisitor S. O. Parmæ, Burgi S. Donini, &c.

IMPRIMATVR

Julius dalla Rosa Vicarius Generalis Parmæ.

Vidit Nicellus Præses Cameræ.

INDEX
SECTIONVM, ET QVÆSTIONVM
Manualis Consultorum S. Officij.

SECTIO I.
De Fide Diuina.

SECTIO II.
De Infidelitate.

SECTIO III.
De Apostasia à Fide.

SECTIO IV.

De Apostasiâ ab Ordine, & Religione.

SECTIO V.

De Schismate, & Schismaticis.

SECTIO VI.

De Hæresi, & Hæreticis.

19 *An*

SECTIO VII.

De Hæreticis Relapsis.

SECTIO VIII.

De Excommunicatione Hæreticorum.

SECTIO IX.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione latâ contra Hæreticos?

SECTIO X.

De alijs pœnis ecclesiasticis Hæreticorum.

SECTIO XI.

De Sacramentis respectu Hæreticorum.

SEC-

SECTIO XII.

De Pœnis temporalibus Hæreticorum.

SECTIO XIII.

De Confiscatione bonorum Hæreticorum.

26 An

SECTIO XIV.

De Pœnis corporalibus contra Hæreticos.

SECTIO XV.

De Fautoribus Hæreticorum.

SECTIO XVI.

De Suspicione in causis Hæresis.

SEC-

SECTIO XVII.

De Abiuratione Hæresis.

1 *Quid sit abiuratio.*
2 *Quotuplex sit abiuratio.*
3 *An abiuratio prærequirat probationem delicti.*
4 *In quo conueniant, & differant species abiurationis.*
5 *An omnes Hæretici, seu de Hæresi suspecti cogantur ad abiurandum.*
6 *An abiuratio fiat semper coram vtroq. Iudice.*
7 *An abiuratio sequatur cum absolutione sententiam.*
8 *An abiuratio negetur aliquibus quantumuis parati ad abiurandum.*
9 *Quid agendum cum nolente abiurare.*
10 *An conuictus per solos Testes singulares cogatur abiurare.*
11 *An Hæreticus purè mentalis abiuret.*
12 *An, & quo Iure abiuratus iuret se denuntiaturum Hæreticos, & suspectos.*
13 *An Catecumenus, & Iudæus abiurent.*
14 *An abiuratio defectuosa sit reiteranda.*
15 *Quid agendum cum moriente ante abiurationem.*
16 *An abiuratio fieri possit verbis obscuris, & conditionalibus.*
17 *Quos effectus gratiosos producat abiuratio.*
18 *Et quos effectus onerosos.*
19 *An abiuratio quandoq; fiat solùm generaliter.*

SECTIO XVIII.

De Denuntiatione Hæreticorum, & suspectorum de Hæresi.

1 *An correctio fraterna necessariò præmittatur Denuntiationi.*
2 *An leuiter suspectus sit denuntiandus.*
3 *Qualis cognitio requiratur, vt quis possit denuntiare.*
4 *An Suspicio delicti sufficiat ad denuntiandum.*
5 *An non solùm Hæreticus suspectusue de Hæresi, sed etiam diffamatus.*
6 *An occultissimus sit denuntiandus.*
7 *An quilibet cuiuscunq; status, & conditionis sit denuntiandus.*
8 *An pariter denuntiare quilibet debeat.*
9 *An personalis debeat esse, & non per tertium.*
10 *An habens ex secreto etiam iurato teneatur denuntiare.*
11 *An denuntiandus Hæreticus cognitus tantùm ex sacramentali confessione.*
12 *An viatores, & aduenæ denuntient vbi vident, vel audiunt hæreticalia.*
13 *Cuinam Superiori facienda est Denuntiatio.*
14 *An idem denuntiator sit etiam simul Testis.*
15 *An denuntiatus ab vno debeat ab alio reuelari.*
16 *An socius complicem denuntiet.*
17 *An quis seipsum cogatur denuntiare.*
18 *An striga, seu malefica denuntietur.*
19 *An Pater denuntiet Filium hæreticum? Et è contra?*
20 *An Frater Fratrem.*
21 *An Vxor Maritum.*
22 *An amicus amicum.*
23 *An affinis affinem.*

24 *An*

24 An supradicti denuntient etiam coniunctum solum suspectum de Haeresi.
25 An timens sibi graue damnum.
26 Voglio rinegar la Fede, e farmi Turco: An denuntiandus.
27 An statim paenitens, & emendatus sit denuntiandus.
28 Quantum tempus detur ad denuntiandum.
29 An tempus sit appositum ad solicitandam, vel extinguendam obligationem.
30 An tempus referatur ad publicationem Edicti, vel ad alia.
31 An mortui sint denuntiandi.
32 Etiam solùm suspecti.
33 An detur praescriptio in Denuntiatione.
34 An, & qualiter suspectus negligens Denuntiationem.
35 An is sit denuntiandus.
36 An ex omissione fiat Fautor Haereticorum.
37 An obligatio denuntiandi sit personalis.
38 An auocans à Denuntiatione sit suspectus, & Fautor.
39 An negligens Denuntiationem sit excommunicatus.
40 An promittens denuntiare possit absolui ante executionem.
41 An negligens incurrat etiam Excommunicationem Bullae.
42 An obligatio denuntiandi habeat aliquando adiunctum Iuramentum.
43 An leuiter suspectus de Haeresi sit denuntiandus.
44 An semel committens delictum spectans ad S. Officium sit denuntiandus.
45 An denuntians, & denuntiandus debeant esse ambo in eodem loco Inquisitoris.

SECTIO XIX.
De Offendentibus S. Officium.

1 An Bulla Si de protegendis sit odiosa.
2 Quaenam Personae S. Officij non sint offendendae.
3 Quinam prohibeātur offendere illas
4 An comprehendantur Imperator, Reges, & Respublicae.
5 An Ecclesiastici comprehendantur.
6 An Cardinales.
7 Quid requiratur, vt offendens sit Reus huius Bullae.
8 Quid praesumendum in dubio, an offensio sit facta ex causa Fidei, an ex priuato odio.
9 Ad quem spectet probare praesumptionem ex causa Fidei, seu ex priuato odio.
10 Quid illa verba: Aut Testem in causà Fidei &c.
11 An offendens Macellarium, Calzolarium &c. Inquisitoris sit reus huius Bullae.
12 Quaenam actiones prohibeantur offendentibus Officiales.
13 An ad incurrendas paenas debeat esse secutus effectus.
14 An offendens Officiales, antequam exequantur suum Officiū, sit Reus.
15 Quaenam sint res S. Officij non auferendae.
16 Quid sit prohibitum quò ad carceres, & carceratos.
17 An pro qualibet actione incurrantur paenae.
18 An mandans quamlibet actionem ex numeratis sit Reus paenarum.
19 Qualis conatus requiratur ad incursum paenarum.
20 An iussio, auxilium, consilium, & fauor principaliter prohibeantur.
21 An praedic. reuocans effugiat paenas.
22 An non obuians, si possit, fiat Reus Bullae.
23 An ratum habens aliquid ex prohibitis incurrat paenas.

24 *An offendeſ. Inquiſitorem, vel alium ab Officio abſolutum ſubdatur pœnis.*
25 *An offendens Miniſtrum electum ante preſentationem literarum.*
26 *An prohibens res, & perſonas S. Officij ſeruari, & defendi ſit Reus.*
27 *An omittens denuntiare.*
28 *An lacerans, vel deturpans Edictum, & alias ſcripturas.*
29 *An iniurians, vel obloquens de Officio, & eius Miniſtris.*
30 *Numquid fur ſurripiens res S. Officij.*
31 *An vſurpans Officium huius Tribunalis.*
32 *An ſe fingens Hæreticum pro vero Hæretico ſaluando, ſit* Reus *huius Bullæ.*
33 *An credendum Birruarijs aſſerentibus ſibi ereptum captum per eos.*
34 *An Nolens Iudex ſecularis caſtigare Hæreticum ſibi traditum incurrat pœnas.*
35 *An offendens ex ſolà causà ſolius ſuſpicionis ſit Reus pœnarum.*
36 *Quænam ſint iſtæ pœnæ.*
37 *An violatores Bullæ ſint ſuſpecti de Fide.*
38 *An offẽſores ſint torquendi negãtes. delictum, & prauam intentionem*
39 *An cogantur ad abiurandum.*
40 *An ignorantia excuſet.*
41 *An minor ætas excuſet.*

SECTIO XX.
De Abuſu Sacramentorum imprimentium caracterem.

1 *An reiteratio horum Sacramentorum aliàs validè collatorum inducat ſuſpicionem Hæreſis tàm in dante, quàm in recipiente, & tenentibus.*
2 *An Baptizans, confirmans, ſeu ordinans rem incapacem ſit ſuſpectus de Hæreſi.*
3 *An faciens baptizare &c. per Hæreticum extra caſum neceſſitatis, & baptizatus &c. ſit ſuſpectus de Hæreſi.*
4 *An nolens, quòd Filius, vel alter recipiat Bapti[illegible] ſit ſuſpectus de Hæreſi.*
5 *An imponens Filio ſuo nomen Hæretici, vt Caluini &c. ſit ſuſpectus de Hæreſi.*
6 *Quomodo probetur reiteratio horum Sacramentorum.*
7 *Quibus pœnis afficiantur reiterantes, & recipientes Baptiſmum*
8 *Quibus pœnis afficiantur Baptizantes rem incapacem.*
9 *Quibus pœnis plectantur reiterãtes & recipiẽtes alia duo Sacramẽta*
10 *An dilatio Baptiſmi inducat ſuſpicionem Hæreſis.*
11 *An abuſus rerum pertinentium ad Baptiſmum inducat ſuſpicionem.*
12 *Idem quæritur de rebus pertinentibus ad Confirmationem.*
13 *Idem de rebus pertinentibus ad Ordinem.*

SECTIO XXI.
De Sacerdote abutente Sacramento Euchariſtiæ.

1 *An Sacerdos degradatus celebrans ſit ſuſpectus de Hæreſi.*
2 *An plures celebrans eodem die.*
3 *An celebrans ſine conſecratione.*
4 *An celebrans ſuper re inaptà ad conſecrationem ſit ſuſpectus.*
5 *An celebrans ad malum finem, vt e g. quis citò moriatur.*
6 *An inueniens, vel vtens nouis Cerimonijs ſit ſuſpectus.*
7 *An non communicans in Paſchate ſit ſuſpectus.*
8 *An quotidie celebrans non viſus confiteri ſit ſuſpectus.*
9 *An ſeipſum communicans non Sacerdos ſit ſuſpectus.*
10 *An abutens rebus pertinentibus ad Sacrificium ſit ſuſpectus.*

SEC-

SECTIO XXII.

De non Sacerdote Missam celebrante.

SECTIO XXIII.

De non Sacerdote audiente Confessiones Sacramentales.

SECTIO XXIV.

De Vsu, & non Vsu peccaminoso in Pœnitentiâ.

SECTIO XXV.

De Solicitatione in Confessione Sacramentali.

SECTIO XXVI.

De Abusu Sacramenti Extremæ Vnctionis.

SECTIO XXVII.

De Abusu Sacramenti Matrimonij.

1 *An contrahens cum Infideli sit suspectus de Haresi?*
2 *An contrahens cum Iudaa.*
3 *An contrahens cum Haretica.*
4 *An Fœmina fidelis perdat dotem nubens Haretico.*
5 *An habens solemne votum fiat suspectus contrahendo Matrimonium.*
6 *An sit Hareticus asserens copulam coniugalem esse peccatum.*
7 *An suspicio Haresis in pracedentibus sit vehementes.*
8 *An detur abusus in annulo sponsalitio.*
9 *An contrahens masculus cum puero sit suspectus de Haresi.*
10 *An maritus recipiens Subdiaconatum sit suspectus.*
11 *An professus vota biennij ducendo vxorem sit suspectus de Haresi.*

SECTIO XXVIII.

De Abusu Matrimonij per Poligamiam.

1 *Quo Iure Poligamia sit prohibita.*
2 *An Papa possit dispensare in pluralitate Vxorum.*
3 *An sit Hareticus asserens licere pluralitatem Vxorum.*
4 *An Poligamus sit suspectus de Haresi, & qualiter.*
5 *An ad incurrendam Bigamiam sit necessarium, vt Matrimonium sit contractum ad formam Tridentini.*
6 *An credens primum Matrimonium esse nullum, fiat* Poligamus *ducendo secundam Vxorem.*
7 *An necessarium sit, vt primum Matrimonium sit validum ad incurrendam Poligamiam, ducendo secundam Vxorem.*
8 *An secundum Matrimonium nullum ex defectu consensus, & non ex alio capite, inducat Poligamiam.*
9 *An vxoratus contrahens Sponsalia fiat Poligamus.*
10 *An persona libera contrahens bina sponsalia fiat* Poligamus.
11 *An vxoratus tractans de Matrimonio, Dote &c. fiat* Poligamus.
12 *An ad Poligamiam requiratur copula in secundo Matrimonio.*
13 *An cooperantes ad Poligamiam sint suspecti.*
14 *De Tortura* Poligamorum.
15 *De abiuratione in causa* Poligamiæ.
16 *An detur* Poligamia *in habentibus votum solemne, si ducant Vxorem.*
17 *Quibus pœnis puniantur* Poligami *& eorum cooperatores.*
18 *An Vxor, quam duxit* Poligamus, *nolens redire ad verum Maritum puniatur, & à quo.*
19 *An* Poligamiæ *delictum sit mixti Fori.*
20 *De probatione* Poligamiæ.
21 *Quibus modis probatur.*
22 *Quomodo probatur superuiuentia Vxoris.*
23 *Numquid sufficiat vnus Testis probans viuere Vxorem.*
24 *Quomodo* Poligamus *potest se defendere.*
25 *De discordia Testium inter ipsos, & Notarium super Morte Vxoris.*
26 *Deponens falsum in S. Officio contra vxoratum, an sit suspectus de Haresi.*
27 *An defendens Poligamum ex opinione sit suspectus de Haresi.*
28 *An contingat* Poligamia *in conuer-*

so

so ad Fidem, si ducat Uxorem, viuente priore eius Uxore.

29 *An confessus se habere Uxorem, & quam habet esse Concubinam, admittatur talis confessio qualificata, si Fiscus non probat secundum Matrimonium.*

SECTIO XXIX.

De Abusu Rerum Sacrarum in Sortilegijs sine quaestionibus.

SECTIO XXX.

De Superstitione sine Questionibus.

SECTIO XXXI.

De Sortilegijs in genere.

1 *Quid sit Sortilegium.*
2 *Quotuplex sit Sortilegium.*
3 *An omne Sortilegium includat suspicionem Haeresis.*
4 *An fumigans cadauer, vel eius ossa fiat sortilegus qualificatus.*
5 *An baptizans rem incapacem fiat sortilegus qualificatus.*
6 *An pariter talis sit habens Daemonem alligatum in anulo.*
7 *An suspectus de vsu Sortilegij sit torquendus.*
8 *An, & qualiter sortilegus sit de Haeresi suspectus.*
9 *An sortilegus sit torquendus negans prauam Intentionem.*
10 *An, & qualiter debeat abiurare.*
11 *An inuentus in exercitio torquendus sit super absolutione Sortilegij.*
12 *An retentio cartae, seu Libri sortilegi arguat eius vsum.*

SECTIO XXXII.

De Potestate Daemonis in Sortilegijs.

1 *An Daemon possit facere, quae eius vires excedunt.*
2 *An faciat mirabilia, & miracula.*
3 *An possit cogere animam rationalem, & eius potentias.*
4 *An cognoscat secreta cordium.*
5 *An possit transferre quodcunq. corpus à loco ad locum.*
6 *An transformare corpus de vnà formà ad aliam.*
7 *An generare, vel immittere semen.*
8 *An Thesauros manifestare.*
9 *An homo possit Daemonem alligare.*
10 *An cogi Daemon possit ad restituendum chirographum.*
11 *An media ad Sortilegium virtutem in se habeant.*
12 *In dubio an effectus sit à causà naturali, an à Daemone.*
13 *Quid dicendum, si causae naturali sit adiunctum quid impertinens.*
14 *Quomodo cognoscatur actum esse superstitiosum.*
15 *An pactum inter amicos comparendi post Mortem sit licitum.*

SECTIO XXXIII.

De Inuocatione Daemonis, & eius Pactis in Sortilegijs.

1 *Quid sit inuocatio Daemonis in Sortilegijs.*
2 *Quotuplex sit inuocatio Daemonis.*
3 *An inuocatio deprecatiua, & imperatiua sit idem in re.*
4 *An simplex inuocatio Daemonis sit cultus illi exhibitus.*
5 *Quid sit inuocatio Daemonis, ex indigna-*

SECTIO IV.

De Apostasiâ ab Ordine, & Religione.

SECTIO V.

De Schismate, & Schismaticis.

SECTIO VI.

De Hæresi, & Hæreticis.

SECTIO VII.

De Hæreticis Relapsis.

SECTIO VIII.

De Excommunicatione Hæreticorum.

SECTIO IX.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione latà contra Hæreticos?

SECTIO X.

De alijs pœnis ecclesiasticis Hæreticorum.

SECTIO XI.

De Sacramentis respectu Hæreticorum.

SEC-

SECTIO XII.

De Pœnis temporalibus Hæreticorum.

SECTIO XIII.

De Confiscatione bonorum Hæreticorum.

26 An

SECTIO XIV.

De Pœnis corporalibus contra Hæreticos.

ton-

SECTIO XV.

De Fautoribus Hæreticorum.

SECTIO XVI.

De Suspicione in causis Hæresis.

SEC-

SECTIO XVII.

De Abiuratione Hæresis.

1 *Quid sit abiuratio.*
2 *Quotuplex sit abiuratio.*
3 An *abiuratio prærequirat probationem delicti.*
4 *In quo conueniant, & differant species abiurationis.*
5 *An omnes* Hæretici, *seu de Hæresi suspecti cogantur ad abiurandum.*
6 *An abiuratio fiat semper coram vtroq. Iudice.*
7 *An abiuratio sequatur cum absolutione sententiam.*
8 *An abiuratio negetur aliquibus quantumuis parati ad abiurandum.*
9 *Quid agendum cum nolente abiurare.*
10 *An conuictus per solos Testes singulares cogatur abiurare.*
11 *An Hæreticus purè mentalis abiuret.*
12 *An, & quo Iure abiuratus iuret se denuntiaturum Hæreticos, & suspectos.*
13 *An Catecumenus, & Iudæus abiurent.*
14 *An abiuratio defectuosa sit reiteranda.*
15 *Quid agendum cum moriente ante abiurationem.*
16 *An abiuratio fieri possit verbis obscuris, & conditionalibus.*
17 *Quos effectus gratiosos producat abiuratio.*
18 *Et quos effectus onerosos.*
19 *An abiuratio quandoq; fiat solùm generaliter.*

SECTIO XVIII.

De Denuntiatione Hæreticorum, & suspectorum de Hæresi.

1 *An correctio fraterna necessariò præmittatur Denuntiationi.*
2 *An leuiter suspectus sit denuntiandus.*
3 *Qualis cognitio requiratur, vt quis possit denuntiare.*
4 *An Suspicio delicti sufficiat ad denuntiandum.*
5 *An non solùm Hæreticus suspectusue de Hæresi, sed etiam diffamatus.*
6 *An occultissimus sit denuntiandus.*
7 *An quilibet cuiuscunq; status, & conditionis sit denuntiandus.*
8 *An pariter denuntiare quilibet debeat.*
9 *An personalis debeat esse, & non per tertium.*
10 *An habens ex secreto etiam iurato teneatur denuntiare.*
11 *An denuntiandus Hæreticus cognitus tantùm ex sacramentali confessione.*
12 *An viatores, & aduenæ denuntient vbi vident, vel audiunt hæreticalia.*
13 *Cuinam Superiori facienda est Denuntiatio.*
14 *An idem denuntiator sit etiam simul Testis.*
15 *An denuntiatus ab vno debeat ab alio reuelari.*
16 *An socius complicem denuntiet.*
17 *An quis seipsum cogatur denuntiare.*
18 *An striga, seu malefica denuntietur.*
19 *An Pater denuntiet Filium hæreticum? Et è contrà?*
20 *An Frater Fratrem.*
21 *An Vxor Maritum.*
22 *An amicus amicum.*
23 *An affinis affinem.*

SECTIO XIX.

De Offendentibus S. Officium.

SECTIO XX.
De Abusu Sacramentorum imprimentium caracterem.

SECTIO XXI.
De Sacerdote abutente Sacramento Eucharistiæ.

SEC-

SECTIO XXII.

De non Sacerdote Missam celebrante.

SECTIO XXIII.

De non Sacerdote audiente Confessiones Sacramentales.

SECTIO XXIV.

De Vsu, & non Vsu peccaminoso in Pœnitentià.

SECTIO XXV.

De Solicitatione in Confessione Sacramentali.

38 *An*

SECTIO XXVI.

De Abusu Sacramenti Extremæ Vnctionis.

SECTIO XXIX.

De Abusu Rerum Sacrarum in Sortilegijs sine quæstionibus.

SECTIO XXX.

De Superstitione sine Questionibus.

SECTIO XXXI.

De Sortilegijs in genere.

SECTIO XXXII.

De Potestate Dæmonis in Sortilegijs.

SECTIO XXXII.

De Inuocatione Dæmonis, & eius Pactis in Sortilegijs.

SECTIO XXXIV.

De Sortilegijs pro Salute Corporis.

29 *Quibus*

SECTIO XXXV.

De Sortilegijs ex inuentione Rerum caret Quæstionibus.

SECTIO XXXVI.

De Sortilegijs ex Magià rerum mirabilium. Caret Quæstionibus.

SECTIO XXXVII.

De Arte Notorià, & Cabalà. Caret Quæstionibus.

SECTIO XXXVIII.

De Diuinatione ex Bullis Sixti V. & Vrbani VIII.

SECTIO XXXIX.

De Diuinatione per signa Sublunaria. Sine Quæstionibus.

SECTIO XXXX.

De Diuinatione per Somnia.

SECTIO XXXXI.

De Diuinatione per Sortes.

SECTIO XXXXII.

De Maleficijs Superstitiosis.

SECTIO XXXXIII.

De Probatione Maleficij.

SEC-

SECTIO XXXXIV.

De Maleficiorum Destructione.

SECTIO XXXXV.

De Blasphemià.

SECTIO XXXXVI.

De Impressione Librorum.

SECTIO XXXXVII.

De impressione Librorum mortuorum cum famâ Sanctitatis.

SECTIO XXXXVIII.

De Prohibitione Librorum.

Cen-

Censuram, & suspicionem Hæresis.

14 *An non consignans Libros sit Reus Excommunicationis, & aliarum pœnarum.*

15 *An comburens quandoq; sit Reus alicuius pena.*

16 *An habentes Libros prohibitos sint denuntiandi.*

17 *An citari possint Auctores prohibiti ad fauorem.*

SECTIO XXXXIX.

De Pœnis contra legentes, & retinentes Libros prohibitos.

1 *Quid contineat Bulla* Pij *IV. contra istos.*

2 *Quid requiratur ad incurrendam Excommunicationem* Pij *IV. & Bulla Cœna.*

3 *An in Indice adsit aliqua Excommunicatio vltra prædictas.*

4 *An Astrologi, & diuinatores sint* Rei *harum Excommunicationum.*

5 *An legentes res lasciuas sint Rei.*

6 *An alios Libros ex alijs causis, quàm Hæresis prohibitos legentes sint Rei.*

7 *An legentes, & retinentes hos Libros sint suspecti, de Fide.*

8 *An tortura locum habeat in causa Librorum.*

9 *An legens Libros ex aliâ causâ prohibitos, quam Hæresis sit suspectus de Hæresi.*

10 *Quis sit Iudex in hac causâ.*

11 *Quibus pœnis temporalibus sunt expediendi.*

12 *An defendens Librum hæreticum sit excommunicatus in Bullâ.*

SECTIO L.

De Licentia legendi Libros prohibitos.

1 *An, & a quo petenda sit licentia legendi Libros prohibitos.*

2 *An Cardinales, Episcopi, & Inquisitores dent hanc Licentiam.*

3 *An Magister sacri* Palatij.

4 *An saltem dent Licentiam legendi Libros suspensos.*

5 *An habens licentiam vbiq; terrarum legere illos possit.*

6 *An habens licentiam per triennium retineat, seu legat vsq. ad renouationem.*

7 *An licentia se extendat ad prohibitos postmodum.*

8 *An faciat coram se legere hominem idiotam.*

9 *An moraliter certus, se non casurum possit legere sine licentiâ.*

10 *An in trasportatione Librorum non prohibitorum de loco ad locum sine licentiâ incurratur aliqua Censurâ.*

SECTIO LI.

De conuersatione prohibita Catolicis cum Hæreticis.

1 *An catolicus cum solâ licentia verbali Ordinarij, vel Inquisitoris vadat habitare inter Hæreticos; an verò simul ab vtroq; puniatur transgressor.*

2 *An sufficiat hoc vni illorum significare, non obtentâ Licentiâ.*

3 *An vadens ad negotia nolens contrahere habitationem subdatur Bulla Clementis VIII.*

4 *An, & quomodo infirmus vtatur Medico hæretico.*

5 *An, & quando sit suspectus de Hæresi vadens habitare inter Hæreticos.*

6 An

SECTIO LII.

De Iudæis, & Paganis subiectis S. Officio.

SECTIO LIII.

De Edentibus carnes diebus prohibitis.

SECTIO LIV.

De Insordescentia in Excommunicatione.

SECTIO LV.

De Regularibus in causis S. Officij.

SECTIO LVI.

De Immaculata Conceptione Mariæ Virginis sine Quæstionibus.

SECTIO LVII.

De Varijs Generibus Propositionum Suspectarum sine Quæstionibus.

SECTIO LVIII.

De Sponte Comparentibus.

SECTIO LIX.

De Probationibus per Indicia.

SECTIO LX.

De Probatione hæresis per Scripturas. Caret Quæstionibus.

SECTIO LXI.

De Testibus Inhabilibus in communi.

SECTIO LXII.

De Testibus culpabiliter inhabilibus. Caret Quęstionibus.

SECTIO LXIII.

De Testibus inculpabiliter inhabilibus. Caret Quæstionibus.

SECTIO LXIV.

De Infamia Testium.

SECTIO LXV.

De Testibus Singularibus.

SECTIO LXVI.

De Teste Vario, Contrario, Vacillante, & Dubio.

SECTIO LXVII.

De Teste ex auditu proprio, vel alieno.

SECTIO LXVIII.

De Testibus Negatiuis.

SECTIO LXIX.

De Teste Nocturno.

SECTIO LXX.

De Teste Falso, & Corrupto.

6 An

6 *An in causis pijs, & S. Officij probet.*
7 *Quibus pœnis afficiatur.*
8 *De Teste corrupto.*

SECTIO LXXI.

De Ratione Reddendà per Testes.

1 *An Testis in omnibus suis depositionibus debeat reddere rationem sui dicti.*
2 *An in aliquibus casibus valeat dictum, ratione non adiecta.*
3 *An magis credendum dicto cum ratione, quàm sine illa.*
4 *Per quem sensum redditur ratio.*
5 *An vicinitas sit ratio addenda dicto.*

SECTIO LXXII.

An Testis parte non citatà probet? Et de Repetitione Testium.

1 *An Testes examinati parte non citata probent.*
2 *An in S. Officio examinati probent partè non citata.*
3 *Quomodo facienda sit repetitio Testium.*
4 *An in repetitione sit contestandalis.*
5 *An detur confrontatio in S. Officio.*
6 *An detur publicatio Testium.*
7 *An Testes post publicationem processus recipi possint.*
8 *An sententiatus contumacialiter gaudeat priuilegio comparendi infra annum.*
9 *An Testis in articulo mortis probet.*

SECTIO LXXIII.

De Citatione Reorum.

1 *Quid, & quotuplex citatio.*
2 *An citatio verbalis sit de substantia Iudicij.*
3 *An vna, an plures debeant esse citationes.*
4 *Quænam sint de substantia citationis.*
5 *An in eà exprimenda sit causa.*
6 *Ad quem locum mittitur citatio.*
7 *An dies citationis exprimendus,* vt quid substantiale.
8 *An citatus die feriato teneatur comparere.*
9 *An Citatio lacerata afficiat citatum.*
10 *An, vt quis possit citari, requiratur saltem semiplena probatio delicti.*
11 *An Citatio necessaria sit in declaratorijs.*
12 *An quis citari possit sub pœnis.*
13 *An comparere possit per Procuratorem.*
14 *An condemnandus sit citandus.*
15 *An citatus eadem horà a duobus, coram quo comparere debeat.*
16 *An possit citari existens extra territorium.*

SECTIO LXXIV.

De Capturà, & Carceratione.

1 *Quæ requirantur ad iustam carcerationem.*
2 *An ad carcerandum nobilem, siue alium bonæ famæ sufficiant Indicia, quæ faciunt pro alijs.*
3 *In quo consistat semiplena Probatio.*
4 *An Inquisitor vtatur consilio Consultorum in capturà.*

SECTIO LXXV.

De Confessione Reorum.

SECTIO LXXVI.

De Tortura Reorum.

24 *An destruat Indicia, & probationes.*

SECTIO LXXVII.

De Defensione Reorum.

1 *An Defensiones dentur Hæretico pœnitenti conuicto, & confesso.*
2 *Quid si sit conuictus, sed non confessus.*
3 *An dentur solùm semiplenè indiciato.*
4 *An relapso.*
5 *In quibus casibus negentur defensiones.*
6 *An Iudex debeat offerre Reo defensiones non petenti.*
7 *An Reus illis renuntiare possit.*
8 *An Reus, qui verè commisit delictum, sine peccato, petat Defensiones.*
9 *Quid præstare debeat Iudex Reo, cui concessit Defensiones.*
10 *An aduocatus, & Procurator dandi sint Reo.*
11 *An Iudex recusari possit.*
12 *Quomodo Reus se defendere possit contra Processum.*
13 *An presumptione, vel morte Testium se defendere possit.*
14 *An, & quomodo Reus impugnet Testes, qui contra eum deposuerunt.*
15 *Qualibus Testibus vtatur pro se.*
16 *Quomodo se tueri possit contra propriam confessionem.*
17 *Quomodo quis probet se innocentem.*
18 *Quibus modis Reus se defendat ab Hæresi formaliter excepta.*
19 *An appellatione se defendat.*
20 *An Testes pro Reo deponentes, quòd sit homo boni nominis, & fama probent.*

SECTIO LXXVIII.

De condemnatione Reorum.

1 *Quid, & quotuplex sit Sententia.*
2 *Reus citandus est ad audiendam Sententiam.*
3 *An errores sint exprimendi in Sententia.*
4 *Quo tenore ferenda est Sententia absolutoria.*
5 *An Sententia transeat in iudicatum.*
6 *An ferri de nocte possit vel die festiuo.*
7 *An appellatio ab ea detur.*
8 *An Iudex per alium possit ferre Sententiam.*
9 *An feratur sedendo pro Tribunali.*
10 *An in prolatione Sententiæ debeat esse præsens Iudex laicus, cui consignandus est Reus.*
11 *An non confessus, sed tantùm conuictus damnari possit ad Mortem.*
12 *An vt Hæreticus condemnetur conuictus de facto hæreticali.*
13 *Quid sit pœna ordinaria, vel extraordinaria.*

SECTIO LXXIX.

De Consultoribus S. Officij.

1 *A quibus eliguntur Consultores.*
2 *An sint perpetui.*
3 *Quibus qualitatibus debent esse ornati.*
4 *An Pater, & Filius possint esse simul Consultores.*
5 *An eorum vota sint decisiua.*
6 *An omissà consultatione actus sint nulli.*
7 *In quibus casibus vocentur ad congregationem.*

8 *An*

SECTIO LXXX.

De Qualificatoribus S. Officij.

SECTIO

EN candide Lector promiſsis vltrò ſtamus, & obſtrictam ſoluimus Fidem; Quod precesſit tum de Legatis, tum de Conſilijs Opus poſthumum præſenti viam ſtrauit. Benignè acceptum fiduciam fecit ſequuturo; nec inæqualem ſuſpicamur ſortem eis, quæ ſuperſunt eiuſdem calami, & atramenti ſcriptis. Hoc interim fruere, & monitus eſto, quòd Sectione tertiadecima irrepſiſſe videtur error in numeris, qui tamen ſi benè aduertatur facilè tolletur, nec Tractatum interrumpit. cæteros errores vtpotè leuioris momenti tuæ relinquimus humanitati, quæ ſatis nouit eos faciliùs eſſe ab amanuenſibus poni, quàm à correctoribus tolli.

SECTIO PRIMA DE FIDE DIVINA.

SVMMARIVM.

1 *Fides, & Hæresis opponuntur.*
2 *Fides definitur.*
3 *Fides cum cæteris donis infunditur in animam baptizati.*
4 *Actualis fides est ipse actus credẽdi*
5 *Obiectum formale Fidei est Deus prima veritas reuelans.*
6 *Materiale sunt omnes propositiones à Deo reuelatæ Ecclesiæ suæ.*
7 *Cognitio fidei est certior qualibet alià cognitione.*
8 *Firmior est diuina Reuelatio qualibet naturali cognitione.*
9 *Euidentia duplex, naturalis, & moralis.*
10 *Fides, & euidentia simul stare possunt.*
11 *In vnitate fidei impossibilis est diuisio, & schisma.*
12 *Fides diuina ita necessaria est, vt nullus per aliam saluari possit.*
13 *Necessarium necessitate medij, & præcepti quid sit?*
14 *Opinio potest habere locum in Fide quò ad iudicium diuersum Theologorum.*
15 *Fides non generatur ex discursu.*
16 *Habitus Fidei, & Theologiæ inter se distinguuntur essentialiter.*
17 *Conclusio deducta ex vna naturali, & altera de fide, non est de fide.*
18 Christus est risibilis. *Non est de fide. 25.*
19 *Propositio de fide, quæ est à Deo immediatè reuelata in terminis proprijs, vel æquiualentibus.*
20 *Conclusio ex ambabus de fide, est fidelis.*
21 *Singulares sub vniuersali reuelata non sunt de fide.*
22 *Alij tenent oppositum.*
23 *Dictum de omni, & de nullo non habet locum in rebus fidei.*
24 *Genus rem dicit confusè, species distinctè.*
25 Christus est risibilis, *est solùm Theologica. 18.*
26 *Prædicata essentialia dicuntur simul reuelata in sua vniuersali.*
27 *Propositio Catolica quid sit explicatur.*
28 *Reuelata in terminis proprijs, vel æquiualentibus secundum essentiam.*
29 *A Deo immediatè ad exclusionem singularium.*
30 *Ex vniuersali inferri Reuelationem singularis probatur.*
31 *Respondetur ad argumentum.*
32 *Reuelatio fit Ecclesiæ, quia est actus publicus.*
33 *Si est obscura declaratur à Papa.*
34 *Vbi inueniantur propositiones de Fide.*
35 *Traditiones de Fide ab ore Christi procedunt.*
36 *Propositio Theologica quid sit?*
37 *Cur mixtio non inferat conclusionem de fide, sicut pura de fide?*

38 *Propositio sapiens Fidem quid?*

39 *Propositio pia quid?*

40 *Quomodo non Christianus sit Christianus?*

41 *Catecumenus quomodo est in Ecclesiâ.*

42 *Baptismata flaminis, & sanguinis quid operentur?*

43 *An sit de Fide Mariam Virginem esse cum corpore in Paradiso.*

44 *Communis consensus Patrum rem non facit de fide.*

45 *Opinio in mysterijs Fidei locum non habet.*

46 *Cum Fides sit certa veritas, qua caret opinio.*

47 *Cuius esse est incertum, & fallibile.*

48 *Opinio non veritatem, sed verisimilitudinem tantum dicit.*

49 *Dogmata fidei sunt æternæ veritatis.*

50 *Religionem Romanam consistere in probabilitate est falsum, & hæreticum.*

51 *Sola Fides est vera propter suam vnitatem.*

52 *Propositiones de fide vnius sunt tantum speciei.*

1 QVoniam opposita iuxta se posita magis elucescunt, oportet prius agere de Fide, cui opponitur Hæresis, vt cognitio vnius deducat nos in cognitionem alterius. Et quia de Fide latè egi in meo Tribunali maximè in impressione Lugdunensi, magis quàm in Romana, succinctè nonnulla dicam, propositis de more quæstionibus cum responsionibus compendiosis, ad commoditatem Consultorum, in quorum gratiam hæc scribo.

Quæritur. 1. Quid sit Fides? Duplex Habitualis, & Actualis.

2 ℞. Fides habitualis est virtus Theologica, qualitas spiritualis, & supernaturalis à Deo animæ infusa in receptione Baptismi non ponentium obicem, non solùm adultorum, sed etiam infantium, per quam Intellectus inclinatur, voluntate alliciente, vel illi imperante, vt eliciat actum credendi reuelata à Deo Ecclesiæ suæ. Fides ergo cum cæteris donis infunditur in susceptione Baptismi, cap. 7. sess. 6. nisi ponatur obex ab 3
adultis, nam Infantibus nihil obstare potest. Et id esse de fide asserunt *Suar. de Baptismo disp. 26. sect. 2 Gabriel. Carmelita Discalceatus disp. 5. q. 3. Vers. Primus. Bellarm cap. 11. Vers. quarta, Brancatus de Sacram. disp. 16. num.* 79. Alij tamen cum *Hiquao in 4. dist. 2. q. 2. n. 11. Vers. Prater*, vbi dicit quòd opposita sententia, nimirum Infantibus baptizatis non infundi fidem, tolleratur, quia non condemnatur, *Fagnan. tom. 1. ad cap. Maiores, de bapt. num.* 53. ait in Baptismo paruulorum infundi Virtutes tum cardinales, tum morales, quò ad habitum, vt opinio probabilior, *ex Clem. Vn. de summa Trinit.* Fides autem cum Gratia, & cæteris donis infunditur etiam infantibus baptizatis propter duo, & quia salus ex fide habetur, non solùm in adultis secundum habitum, & actum, sed etiam in infantibus quò ad habitum, sine fide enim impossibile est placere Deo, quia homo per fidem iustificatur, & fit gratus Deo, Trident. sess. 6. cap. 8. Alterum est, quia actus credendi debeat esse supernaturales, vnde necesse est, quòd homo volens elicere actum credendi, per fidem infusam eleuetur tamquam principium supernaturale ad producendos actus credendi supernaturales, siue tales sint quò ad substantiam secundum Thomistas, seu quò ad modum secundum Scotistas. De his vide *de Lugo disput. 9 per totam, & Ioannem Poncium in 3. dist. 25. num.* 54. vbi explicat, quid sit esse supernaturale secundum substantiam, & nu. 57. quid tale secundum modum. Sed hæc non faciunt ad præsens institutum, ideo omitto.

Actualis Fides est ipsum credere, seu actus, 4
quo homo assentitur rebus reuelatis à Deo Ecclesiæ. Fides ergo actualis est cognitio, & assensus super res à Deo reuelatas. Hæc autem cognitio supernaturalis est prouemens à fide infusà vti supernaturali, in qua actus fidei habet suam vniuocationem supernaturalitatis. Hæc autem cognitio potissimùm spectat ad secundam operationem intellectus, supponens appræhensionem terminorum, intellectus enim iudicare non potest, nisi pernoscat terminos, an possint coniungi simul, an debeant remanere disiuncti, iudicium enim duplex est, affirmatiuum e.g. *Deus est iustus*, negatiuum e.g. *Deus non est capax peccati.* Vtitur quoq; discursu, qui credere vult, dum infert vnũ ex alio, de quo infra.

Quæres 2. De obiecto formali Fidei, in quo consistat?

℞. Est Deus prima veritas reuelans. In 5
quo tria potissimum spectantur. Veritas, Sapientia, & Bonitas. Veritas denotat, quod in fide non potest esse falsitas, cum falsitas omnino

omnino opponatur veritati; cum ergo hæc sit intrinseca Fidei, impossibile est, quod illi insit falsitas. Sapientia connotat nobis, Deum à nullo posse decipi, & ipsum perfectissimè scire, ea, quæ reuelat, esse talia, qualia repræsentantur Ecclesiæ, & non posse aliter se habere. Bonitas demùm indicat, Deum neminem posse decipere in reuelatis, aliter non esset summè bonus.

Quæritur 3. Quid sit obiectum materiale Fidei?

6 ℞. Sunt omnes propositiones à Deo reuelatæ suæ Ecclesiæ. Aliæ autem propositiones reperiuntur scriptæ, vt quæ sunt in sacrâ Bibliâ à Deo reuelatæ, ac proinde ab omnibus credendæ, etiamsi sint parui momenti, & ea scire non spectet ad salutem, vt quòd Tobias habuerit canem, 6.1. Aliæ etiam habentur in Decretis Pontificijs, & Conciliorum approbatorum à Pontifice, cuius est tantùm definire controuersias Fidei, adhibitis peritorum consultationibus. Aliæ sunt propositiones de Fide, quæ non erant scriptę ab initio, relictæ tamen à Christo suis Apostolis, vt eas promulgarent Ecclesię, vt factum fuit, & hæ paris sunt credulitatis, & obligationis cum scriptis, vt definiuit Tridentinum sess. 4. sunt enim, & hæ reuelatæ à Deo. De his traditionibus nuncupatis dixi plura cap. 7. in sacro Tribunali, & nonnulla exempla scripsi num. 17. Articuli fidei idem in re sunt, ac propositiones de fide. in eo differunt, quòd articuli fidei sunt duodecim ab Apostolis promulgati continentes principaliora misteria immediatè conducentia ad salutem; Propositiones verò alia præter articulos compręhendunt expressa in Biblia, Decretis, & Traditionibus.

Quæritur 4. An Fides sit cognitio non solùm certa, sed etiam certior alijs cognitionibus tum naturalibus, tum moralibus, & probabilibus?

7 ℞. Affirmatiuè, de positiua certitudine constat ex D. Paulo 2. ad Thimotheum I. *Scio cui credidi, & certus sum*. Tobiæ 3. *Pro certò habeat omnis, qui credit in te*. Ratio est, quia certitudo est firma adhæsio circa aliquod obiectum verum, sed fides est de obiecto vero, cum Deus in dicendo, & reuelando sit ipsa veritas, ergo includit essentialiter, & infallibiliter certitudinem. De comparatiuà probatur 2. Petri cap. 1. 19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem*. Lucæ 21. 33. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Ricardus de S. Victore I. de Trinit. cap. 2. inquit: *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus,*
8 *quam quod fide tenemus*. Ratio est, quia firmior est diuina reuelatio qualibet naturali cognitione, fides enim taliter firma est, vt excludat omnem formidinem, dubitationem, & periculum falsitatis, quæ exclusio in nulla alia cognitione inuenitur, cum aliç certitudines non omnino sint capaces talis perfectionis, nam visus, & auditus, & alij sensus subduntur quandoq; deceptionibus, & falsitatibus, quibus nullatenus subesse potest cognitio, & assensus fidei. Et ista certitudo adeo stabilis, & firma est, vt fideles potius subeant mortem, quàm credant oppositum eius, quod fides docet. De hac certitudine multa Scholasticè tradit *de Lugo disp. 6. Ioannes Poncius in 3. Scoti dist. 25. q. 2. Principal. à num. 106. Mastrius Meldul. in 3. disp. 6. num.* 147.

Quæritur 5. An Fides simul stare possit cũ euidentia? Duplex est euidentia, naturalis, & moralis. Naturalis est illa, quæ procedit 9
à principo intrinseco, vel ab eius effectu necessario ab eo dependente. Moralis vero, quæ oritur à principio extrinseco, vel ab eius effectu necessariò ab eo dependente, ita efficaciter mouentibus hominem edoctum ad credendum, vt reputet valde imprudentem illum qui velit sentire, & credere oppositum.

℞. Affirmatiuè, in eo sensu, quod fidei 10
misteria sunt euidenter credibilia, non autem euidenter vera, ita quòd euidẽtia cadat super credibilitatem Misteriorum fidei, non super eorum veritatem. Probatur ex Psalmo 92. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. idest, valde, multùm, & abundanter, ergo & euidenter, propter ipsum Deum testificantem, & eius effectus, qui sunt prophetiæ, miracula, constantia martyrum in perferendis tormentis; ipsius Domini prędicatio misteriorum fidei tot signis, & miraculis confirmatorum, & Apostolorum, cum cæteris christianę religionis, tot Pontificibus, & alijs sãctis Patribus in vnitate fidei cõformibus. Quis audebit negare hanc euidentiam credibilitatis in propositionibus fidei? Hæc vnitas ita firmata est à Deo, vt impossi- 11
bilis sit diuisio, & schisma in ea, quia portæ inferi, hoc est, pessimorum hominum eam scindere non poterunt, cum eius scissio sit impossibilis; latrare ergo poterunt, sed non lacerare, nec mordere, quia in sua veritate est indiuisibilis. Probatur ratione, quia euidentia veritatis oritur à causâ intrinsecâ, vel ab eius effectu necessario ab eâ dependente; fides autem quò ad veritatem caret causâ intrinsecâ, & habet solùm extrinsecum principium, Deum ipsum reuelantem propositiones fidei obscurè, ergo ab eo habetur solùm euidentia credibilitatis, veritas vero cum sit obscure reuelata, iuxta illud Apostoli, ad Hebr. 11. *Argumentum non apparentium*, in suo obiecto, ab eo non potest habere euidentiam; restat ergo, quòd ab eodem obiecto vt credibili habeat euidentiam; dignus est enim Fide reuelans, & testificans Deus per tot signa, vt in eo præstetur euidentia, res ergo fi-

dei in se non habent euidentiam, licet earum credulitas sit manifestè euidens ex tot effectibus euidentissimis, & clarè cognitis. Vide *Scotum in 3 dist. 24. q. vn. Medul. disp. 6. ibidem à num. 282. de Lugo disp. 5. Auersam q. 1. de fide sect. 23. Pasqual. de sacra morali doctrina disp. 33. sect. 1. num. 6. & disp. 34. sect. 1. Pitigianum in dist. 24. Scoti art. 8.*

Quæres 6. An fides catolica ita sit necessaria ad salutem, vt nullus saluari possit in alia fide diuersa, aut contraria huic, quam catolici profitentur sub Romano Pontifice?

12 ℞. Affirmatiuè tam infantibus, quibus sufficit habitualis infusa in receptione baptismi, quam adultis etiam actualis. Est de fide, Habacuc cap. 2. 4. *Iustus ex fide viuit.* Repetitur Rom. 1. 17. ad Galat. 3. 11. ad Hebræos 10. 38. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Ad Galat. 2. 16. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, remunerator.* Ad Hebr. 11. 6. Priora verba indicant fidem habitualem receptam per baptismum; posteriora ostendunt necessitatem fidei actualis, quæ consistit in credere misteria fidei, in adultis. Hæc autem necessitas duplex est,
13 medij scilicet, & præcepti: illud autem dicitur necessarium necessitate medij, ex cuius omissione etiam inculpabili non obtinetur salus, vnde infans moriens ante baptismi susceptionem non saluatur, quia baptismus, & fides habitualis ad illum consequens sunt necessarij necessitate medij etiam inculpabiliter omissi. Illud vero dicitur necessarium necessitate præcepti, quod inculpabiliter omissum non impedit consecutionem salutis, vt si quis moriatur sine sacra communione, vel extrema vnctione, quas inculpabiliter omisit, eo quod petitas non potuit obtinere. Quod autem non est sub nostra potestate non cadit sub præcepto, quamuis cadat sub necessitate medij, vt patet ex dictis.

Colligitur ex his, nullum saluari posse, nisi hanc fidem teneat, quam profitetur Ecclesia sub Romano Pontifice, hæc enim est vna, indiuisibilis, quæ non patitur diuisionem in suis misterijs, & dogmatibus, omnino aliena ab erroribus, & opinionibus extraneorum, de qua ad Ephes. 4. 5. dicitur. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Qui autem sunt extra Ecclesiam Romanam fidem diuidunt, ac proinde veram fidem negant, non enim fieri potest diuisio hæc nisi cum negatione veræ fidei, vt faciunt omnes Hæretici; sicut autem vna est fides, ita vna Ecclesia, quæ est vniuersalis Romana, extra quam non datur salus, vt definitur in Concil. Later. cap. 1. de Summa Trinit. his verbis: *Vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.*

Quæres 7. An detur opinio in propositionibus de fide? Id potest habere duplicem sensum, vel quo ad assensum, & respectu huius non datur opinio, quia assensus fidei debet esse certus, & firmus sine vlla dubitatione, seu formidine; vel quo ad denominationem, quando scilicet controuertitur, an aliqua propositio sit de fide, nec ne, & sub hoc sensu.

℞. Affirmatiuè, nam Theologi in multis 14
propositionibus discrepant, alijs negantibus de fide, alijs affirmantibus. Produco in primis exemplum, quod in infantibus non infundatur gratia informans, & virtutes, alijs probabilius affirmantibus, vt videri potest Clem. de Summa Trinit. Nonnulli Theologi tenent affirmatiuam esse de fide, alij non, quos retuli suprà sub num. 3. alijs negantibus; sed illa est probabilior, quod scilicet sit de fide. Hæc propositio Christus est risibilis, secundum aliquos est de fide, secundum alios non, vnde nec hæreticus formalis est negans risibilitatem in Christo, licet sit vehementissimè de illa suspectus. Vide *Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 33. citans Doctores pro vtraq. parte, Cordubam, & Aragonam* asserentes non esse hæreticum negantem risibilitatem à Christo, alijs affirmantibus, ac proinde affirmantes tenent propositionem esse de fide, alij vero non. Pariter controuertitur, an hæc propositio: *Papa non potest errare in Canonizatione Sāctorū* sit de fide, alijs asserentibus esse de fide, vt verius dicitur; alijs negantibus, quos citaui cap. 5. Tribunal. nu. 85. Vers. Quamuis; Felix Contelorius Theologus in Curia Romana olim Aduocatus de Canon. Sanct. cap. 10. num. 11. Patet ergo ex his opinionem locum habere in propositionibus controuersis de fide.

Quæres 8. An fides generetur ex discursu?

℞. Negatiuè, si nomen discursus accipiatur pro illatione vnius ex principijs intrinsecis, & proprijs, ac proinde pro deductione ignoti ex noto, præmissæ enim sunt notiores ipsa conclusione, quæ ab illis recipit esse notum. Certum autem est, quod in rebus fidei tam notum est misterium reuelatum, quam ipsa reuelatio; cum ergo illatio fiat de ignoto per notius, & non ex noto notum, fides non potest generari ex discursu ex proprijs. Ita Layman de fide cap. 4. plures citans, quem cum alijs allegaui in sacro Tribunali cap. 8. q. 18. num. 75. Propositio ergo de fide talis non fit per discursum, sed iam talis facta per diuinam reuelationem deducitur, tum ex principijs proprijs, tum ex auctoritate Dei reuelantis. Exemplum sit ex proprijs. *Omne ens à se est Deus, sed Pater est ens à se; ergo Pater est Deus.* Est conclusio, vt aiunt, Theologica prouenìens ex propositionibus de fide, & ipsa conclusio in se spectata est etiam dè fide, quia reuelata à Deo, reuelatio

ergo

ergo diuina est medius terminus, quo cognoscitur, deductam esse de fide.

Quæritur 9. An conclusio deducta ex vna naturali, & alia de fide, sit de fide, an tantùm
16 Theologica? Suppono, habitum fidei, & habitum Theologiæ inter se distingui essentialiter, cum procedant ex diuersis formalibus motiuis inter se essentialiter diuersis, nam assensus conclusionis Theologicę infertur ex illatione syllogistica, assensus vero fidei ex reuelatione diuina; medium illatiuum est mixtum, fidei vero est purum, & simplex. Assensus conclusionis est naturalis, cum lumine naturali conclusio nobis fiat cognita, non reuelatione, cum hæc non spectetur in conclusione, quæ sequitur debiliorem partem, quæ est præmissa naturalis respectu reuelatæ, quę longe verior, & certior est, quam naturalis, ex qua potest inferri falsa conclusio. Vide *Scotum in 3. dist. 24. Vers. Si loquamur, num. 16. ex eo Meldul. disp. 6. n.* 342.

17 ℞. Non est de fide, sed tantùm Theologica. Probatur, quia medium productiuum conclusionis, quæ sit de fide, debet esse simplex, & purum, nempe diuina reuelatio; sed medium syllogisticum non est tale, cum non sit purum, sed mixtum ex naturali, & reuelatione, ergo non potest conclusio deducta esse de fide, sed tantùm Thologica. Confirmatur per regulam syllogisticam, quod conclusio sequitur debiliorem partem, est autem debilior Theologica, cui subesse potest falsũ, ergo erit Theologica, non fidelis. Rem hanc fusiùs probaui in S. Trib. cap. 41. q. 24. num. 73. ita docent *Meldul. disp. 6. in 3 sent. num. 333. respondens obiectis, Auersa q. 1. de fide sect. 7.* referens hoc exem-
18 plum. *Omnis homo est visibilis; Christus est Homo, ergo Christus est visibilis.* Hæc conclusio deducta cognoscitur esse de fide, non tamen generatur ex hac illatione, sed supponitur in se esse de fide, vt pluribus in locis Sacræ Scripturæ legitur Christum esse visum a suis Discipulis, & alijs. Meldul. cir. num. 342. format syllogismum hunc multis familiare. *Omnis homo est risibilis; Christus est Homo; ergo Christus est risibilis. De Lugo disp. 1. sect. 13. §. 1. num. 258. & 261.* Alios citaui in. S. Tribun. cap. 9. sect. 3. num. 77. vbi talem propositionem negatiue proferentem omnes ferè dicunt, non esse formaliter hæreticum, sed tantùm de hæresi vehementer suspectum, cum quibus est dictus Meldul. & cum eo *Smisinch. in Proem. q. 4. num. 166.* Affert Meldul. sub num. 337. has esse de fide, quod Christus est homo, habet animam, & corpus, quia exprimuntur in Sacra Scriptura, quod vero sit animal rationale non exprimitur, ideo hæc est tantùm Theologica, non fidelis, esto enim eadem res significetur in definito, & definitione, & sola diuersitas videatur esse in modo concipiendi, quia definitio clarè indicat, quod definitum confusè continet, tamen ea claritas, & confusio non stat tantùm in vocibus, nec se tenet solùm ex parte intellectus, sed etiam ex parte rei intellectæ, & obiecti, vnde cum sint idem, ex parte quoque obiecti, vno reuelato, aliud non dicitur ex eo reuelatum.

Ego in S. Trib. cap. 41. q. 21. & 22. num. 19
70. & 71. dixi, illam propositionem esse de Fide, quæ à Deo immediatè reuelata est in terminis proprijs, vel æquiualentibus, quia idem essentialiter sunt, vnde vno ex reuelatis in proprijs terminis sequitur aliud esse reuelatum in terminis æquiualentibus, propter essentialem connexionem inter se; cuiusmodi sunt genera, & differentiæ, nam qui reuelauit Christum esse hominem, reuelauit quoque immediatè, ipsum esse ens, corpus, animal, & rationalem, cum homo hæc sit essentialiter.

Quæres 10. An Conclusio deducta ex præmissis ambabus de Fide, sit & ipsa de Fide?

℞. Affirmatiuè, attentâ etiam vi illatiuâ, 20
quia medium formaliter acceptum, vt est totum de Fide, non potest non influere in conclusionem formalitatem reuelationis. Confirmatur, quia extrema Conclusionis eandem veritatem, & certitudinem habent, quam habet medium cum eisdem extremis in præmissis, nullà enim alià ratione extrema coniunguntur in Conclusione, quam illà ratione, quà copulantur cum medio in præmissis, sed extrema cum medio copulantur veritate, & certitudine supernaturali Fidei, ergo eodem nexu extrema inter se coniunguntur in Conclusione, & sic supernaturali reuelatione Fidei. Et idem comprobatur exemplis istis. *Omne ens à se est Deus; Pater est ens à se ergo est Deus. Ordo est Sacramentum; Diaconatus est Ordo, ergo Sacramentum. Omne Sacramentum confert gratiam, Baptismus est Sacramentum, ergo confert gratiam.* Hanc docui *cap. 41. q. 23. num. 72. & ex Scoto tenet Meldul. in 3 disp 6 num.* 326. In dictis ergo exemplis patet reuelatio in Conclusionibus in se, & ex motiuo omnino supernaturali, communicato Conclusioni.

Quæritur 11. An sub reuelatione propositionis vniuersalis sint reuelatæ propositiones singulares? Exempla sint. *Omnes paruuli ritè baptizati sunt in gratia. Per peccatum mortale amittitur gratia. Omnis homo in Adam peccauit.* An conclusiones deductæ credantur de Fide. Idem dic de ista *Christus est Homo ergo risibilis. Matthæus est Apostolus, ergo recepit Spiritum Sanctum, ex de Lugo cit. & sub num. 298. Meldul. disp. 6. num. 336.*

℞. Negatiuè, sed sunt solùm Theologicæ. 21
Probatur, quia non inueniuntur expressæ in Sacra Scriptura; propositiones enim singu-

singulares sunt infinitæ, quæ proinde si essent credendæ de Fide, generarent potiùs confusionem, quàm distinctionem in credente, ergo non sunt de Fide. Confirmatur, Tum quia est de Fide, quod omnes in Adam peccauerunt, & tamen hodie ab omnibus sine peccato affirmatur, quod Maria Virgo in eo non peccauit. Item de Fide est hæc: Omnis homo mendax, & tamen verum est, quod Maria Virgo, nec Ioannes fuerunt mendaces, quia nunquam actu peccarunt, nec mortaliter, nec venialiter, ergo propositiones singulares reuelatæ non sunt in vniuersalibus. Demùm in propositionibus vniuersalibus de Fide, licet in se sint verissimæ, & certissimæ, tamen latere potest falsitas in earum singularibus, quia in genere moris necessariam, & essentialem non habent connexionem cum prædicatis moralibus propositionis vniuersalis, vt patet in exemplis allatis; & docuit S. August. lib. 6. contra Iulianum cap. 12. *Omnes pro multis, & multi pro omnibus frequenter in sacris ponuntur*. Ita *D. Thomas* 2.2. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. *ex eo Corduba lib.* 1. *q.* 17. §. *Tertium dictum*, *Viguerius de Fide cap.* 10. §. 3. *Suar. disp.* 3. *de Fide cap.* 11. *num.* 7.

22 Alij affirmant cum Pitigiano in 3. dist. 24. art. 16. vbi exemplificat in singularibus Hostijs ritè consecratis, esse de Fide in illis contineri Corpus Christi, & sic propositiones singulares esse reuelatas in vniuersali, ità quòd reuelatio vniuersalis sufficiat ad assensum Fidei circa obiectum singulare, inquit *de Lugo disp.* 1. *sect.* 13. §. 3. *num.* 299. distinguendo, id verum non esse assensum Fidei, sed solùm assensum Theologicum prout terminatur ad obiectum conclusionis; esse verò assensum Fidei, sub num. 300. & posse actum Fidei terminari ad illud obiectum non per discursum ex vniuersali reuelata, sed immediatè per diuinum testimonium, tamquam aliquod immediatè, & formaliter reuelatum à Deo, & ibi probat suum intentum prolixè, & respondet obiectis. Sed quia hæc merè speculationes sunt, & non pertinent ad nostrum institutum, relinquo alijs speculanda.

Obijciunt Logicorum regulam *Dictum de omni, & de nullo*, & quòd omnia singularia continentur in sua specie, quæ illis communicat quicquid habet, non solùm secundùm naturam; quilibet enim homo habet prædicata suæ speciei, vnde singuli sunt animal, viuens, corpus, substantia, & ens, item rationalis, sensitiuus, &c. sed etiam secundùm mores, vt tradunt Legistæ, nam genus includit omnes species, & in illis verè, & propriè repræsentatur, & quæ prædicantur de genere, debent prædicari etiam de singulis eius speciebus *ex allegatis à Barb. Axiom.* 107. *num.* 29. & 30. Genus autem apud illos est species, & hæ singularia sunt, vt loquamur consequenter.

Regula Logica locum habet in naturalibus ex essentiali connexione, non in moralibus supernaturalibus, quo ad veritatem reuelationis, vtique quo ad veritatem Theologicam, hæc enim contingit ex illatione, illa ex solo Dei reuelantis testimonio, de quo, quando non constat, propositio non potest dici de Fide, sed tantùm Theologica. Nec verum est, quòd species communicet omnia sua prædicata singularibus, cum non communicet prædicata secundæ intentionis, non enim Petrus est vniuersale, nec species, sicut est homo. Sic pari ratione: Omnis homo in Adam peccauit; hæc communicatur, & prædicatur de omni homine singulari non exempto, non tamen communicatur illa specialis ratio, quòd sit de Fide, & prædicetur de omnibus singularibus, cum sit quasi quoddam prædicatum secundæ intentionis non excedens ipsum vniuersale. Habet Genus, seu Species aliqua specialia, quibus carent inferiora, & hæc alia, quæ non habent superiora; nam ad positionem speciei sequitur positio generis, non è contra *l. Si quid* 45. *ff. de Legat.* 3. Genus rem dicit confusè, species distinctè, *l. ita Fidei ff. de iure Fisci*, *Fagn. part* 4. *ad cap. cum secundum de præbend. num.* 13. dicit, quod genus comprehendit species, sed non infert, species verò infert genus, sed illud non has. Quare cum genus habeat aliqua, quibus caret species, & species alia, quæ non communicat generi, mirum non est, quòd vniuersalis sit de Fide, non autem singularis, cum non constet, quòd Deus dederit singularibus hoc prædicatum reuelationis, sed solùm vniuersalibus. Quoniam verò ex formà syllogisticà infertur veritas Conclusionis, ex præmissà de Fide & alia naturali, sequitur, quòd Conclusio habeat solùm veritatem Theologicam, non veritatem reuelatam, quia reuelationis prædicatum non deducitur, sed tantùm creditur diuino testimonio, quod in hac re non inuenitur, nec Ecclesia quicquam statuit, parum enim refert, quod sit de Fide Petrum credendum esse conceptum in originali, cum id probet argumentum Theologicum, & aliter sentientem esse imprudentem, & suspectum de Fide, vt infra dicam. 23 24

Hæc propositio *Christus est risibilis* est tantùm Theologica, ità quòd non est reuelata in terminis proprijs; neque æquiualentibus, quia non est essentiale prædicatum, sed accidentale, & quidem proprium, sed separabile ab homine, saltem per diuinam potentiam, cum sit extra essentiam hominis; ac proinde potest Deus creare hominem sine hac proprietate, vt docent *Ferrariensis, Sotus, & Bannes apud Meldul. disp.* 4 *de Vniuersal. q.* 4. *n.* 175. impugnati ab ipso, & ab alijs Scotistis. 25

Ex

26 Ex hactenus dictis. Quæ dixi cap. 5. sacri Tribun. num. 85. quod singularis intelligitur reuelata in suà vniuersali reuoco; dicendo prædicata tantùm essentialia definitionis, & definiti esse omnia simul reuelata à Deo, vt supra probaui, non autem singularia, quia essentialiter diuersa sunt, & Deus vni potest gratiam conferre, & non alteri ex arbitrio suæ voluntatis, quod non aduersatur Propositioni vniuersali de Fide, cum non à singularibus veritatem Reuelationis accipiat, sed à diuino testimonio, quod non variat obiectum Fidei æternæ veritatis.

Quæritur 12. Quid sit propositio Catolica? Quadruplex, de Fide, Theologica, Sapiens Fidem, & Pia?

27 ℞. Primò, Propositio de Fide est illa, quæ in proprijs terminis, vel æquiualentibus secundùm essentiam est à Deo immediatè reuelata Ecclesiæ, à cuius Pastore Pontifice Romano est talis declarata pro salute totius Ecclesiæ.

28 Dixi primò, *in terminis proprijs, vel equiualentibus secundùm essentiam*, e. g. qui reuelauit, quòd Christus est homo, reuelauit, etiam, quòd est animal rationale, & quòd constat anima, & corpore, nam definitum, & definitio est idem secundum essentiam, & conuertuntur secundum eandem. *In terminis proprijs* reuelauit, quòd habeat corpus, & animam; per *æquiualentes* verò, quòd est animal, sensitiuum, corpus, substantia, & ens; hæc enim prædicata sunt illi essentialia, & patet ex dictis.

29 Dixi secundò *A Deo immediatè* reuelata ad excludenda singularia, quæ non sunt reuelata in suo vniuersali, in quo non numerantur, cum termini sint valde diuersi inter se secundum essentiam. Dixi, *in quo non numerantur*, nam de Fide est; quòd omnes Apostoli receperunt Spiritum Sanctum in die Pentecostes, non solùm in specie, sed etiam in singulari, quia numerantur cap. 1. Act. proprijs nominibus, & cap. 2. dicuntur omnes, & sic in vniuersali accepisse Spiritum Sanctum. Formetur argumentum sic: *Omnes Apostoli receperunt Spiritum Sanctum in die Pentecostes. cap. 2. Act. Matthæus erat Apostolus, ibid. cap. 1. & Lucæ 6. num. 13. Ergò Matthæus recepit Spiritum Sanctum*, & hæc est de Fide, cum Spiritus Sanctus super ipsum descenderit, vt colligitur ex cap. 1. & 2. Act. & Lucæ cap. fin. num. 49. Christus enim singulis audientibus loquebatur, & super singulos cecidit Spiritus Sanctus. Hæc ergo conclusio, vt talis deducitur ex medio puro, & toto de Fide.

30 Quòd si quis opponat, etiam ex vniuersali inferri reuelationem singularium sic: Omnes in Adam peccarunt, ergo, & Petrus, qui est homo, ergo deducta est de Fide, sicut eius vniuersalis; non enim maior ratio, quòd sit de Fide, Matthæum recepisse Spiritum Sanctum, cum sit sub specie Apostolorum, & non Petrum de Fide peccasse in Adam, cum vtraque singularis contineatur sub sua specie:

Respõdeo, quòd Cõclusio de Matthæo fine tali deductione erat iam de Fide ex numeratione, Conclusio verò de Petro deducitur tantùm Theologicè, & non est de Fide, cum non sit expressè nominata in Sacra Scriptura, nisi in confuso, & sic cum non fuerit, numeratus Petrus, non est de Fide ea Conclusio, sed tantùm Theologica. 31

Dixi tertiò *Ecclesiæ reuelata*, quia hic sermo est de Fide ex publica reuelatione, non priuata, cum hæc non pertineat ad salutem communitatis, nec ad præsens institutum. 32

Dixi quartò *declarata*, quia in Sacra Scriptura sunt propositiones difficiles, quæ plures sensus habere possunt, Petri 2. cap. 3. 16. ideò opus est interprete, qui est solus Pontifex, qui vt Vicarius Christi, & Successor Petri non potest errare, cum de ipso dicta sint illa verba: *Rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua*. Dixi solus Pontifex Romanus, non excludendo Concilium Generale, quod tamen dependet ab auctoritate Papæ, vnde subditur: *Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos*. Ne errent scilicet: nihil ergo valent definita in Concilijs, nisi accedat auctoritas, & Confirmatio Papæ, vt multis probaui cap. 5. & 6. in S. Trib. 33

Colligitur ex dictis, propositiones de Fide inueniri *primò* in Sacra Biblia: *secundò*, eas esse tales, quas definit, & declarat esse tales Papa in Concilijs generalibus, vel extra, contentas, obscurè in Sacra Scriptura, exemplum do in processione Spiritus Sancti ab vtroque, est enim in Euangelio subobscurè contenta Ioan. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritū veritatis, qui à Patre procedit*. Et cap. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Pontifex illa verba satis obscura declarauit de Processione Spiritus Sancti à Filio per illa verba, *quem ego mittam*, missione scilicet Processionis; & pariter per eà, *De meo accipiet* scilicet spiratione actiuà diuinam Essentiam, quam ei communicaui simul cum Patre. *Tertiò* in traditionibus Christi propositis ab Apostolis Fidelibus, vt dicitur Sess. 34

4. his verbis: *Et sine scripto Traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt*. A Christo ergo, vel ab Apostolis edoctis à Spiritu Sancto emanant Traditiones de Fide credendæ. Scio plures Regulas cognoscendi Propositiones de Fide assignari à Theologis videndas apud *Direct. part. 2. q. 2. & ibi Pegna com. 27.* quæ tamen benè considerata reducuntur ad tres à nobis assignatas. 35

ras. De eisdem *Albertinus q. 5. Locatus V. Credibilia à num. 8.*

36 ℞. 2. Propositio Theologica, quæ licet respiciat Fidem, non est tamen de Fide, est illa, quæ non reuelata deducitur ex reuelatà, & non reuelatà. Colligo hanc definitionem ex *Corduba lib. 1. q. 17. §. 2. vers. Secundo modo*. Vbi eam appellat hoc nomine *Sapiens Fidem*, & meritò, quia respicit Fidem, ex qua deducitur; illum sequitur ad verbum *Franciscus Pitigianus in 3. dist. 25. q. 2. art. 5. vers. Secundò*. Qui volunt etiam deductam ex duabus de Fide sapere Fidem, & sic non esse de Fide. Exemplificant sic: *In Hostià Altaris est Christus. Hostia eleuata à Sacerdote est adoranda*. Vtraque sapit Fidem. *In Hostià ritè consecratà est Christus, & est adoranda*; Vtraque est de Fide. Nec istæ, nec illæ sunt negandæ cum non adsit ratio cogens ad negandum, qui posteriores negat, est hæreticus, priores verò negans reddit se suspectum de Hæresi, cum præsumatur negare id, quod est de Fide, nempè Hostiam ritè consecratam continere Corpus Christi, seu non dari Sacramentum Eucharistiæ, quod est Hæresis.

Non placet tamen, quod illi dicunt, negantem Propositionem deductam ex duabus de Fide, sapere Hæresim cum alijs, quos sequitur *Dal Bene in nouissimo opere, de Officio S. Inquis. part. 1. dub. 13. sect. 9.* Nam. q. 10. probaui, eam esse de Fide.

37 Quòd si dicas, non est maior ratio, quòd Conclusio ex ambabus de Fide sit de Fide, & non quæ deducitur ex alterà reuelatà, & alterà non reuelatà, seu naturali. Respondetur, patère differentiam ex medio termino, qui cum sit medium mixtum, & sic quodammodo mutet Suppositionem non potest inferre Conclusionem de Fide, cum formale obiectum Fidei non misceatur, sed debeat esse purum, & simplex; non enim Natura, sed solùm Dei testimonium generat Fidem.

38 ℞. 3. Propositionem sapientem Fidem eam esse, quæ non est reuelata, neque deducta, sed recepta communiter ab Ecclesia, vt, *Maria Virgo recepta est in Cœlum cum Corpore. Est immunis ab originali. Abstinendum est ab vsu carnium, & lacticiniorum in totà Quadragesimà*. Dixi cap. 41. q. 32. num. 83.

39 ℞. 4. Propositionem Piam eam esse, quæ non reuelata, non deducta, non solemnizata, fouet Religionem, Fidem, Charitatem, & Deuotionem, e.g. quòd Angeli Custodes, & Sancti Aduocati nobis adsint in extremo vitæ periculo; quòd Angeli comitentur Animas ad Cœlum; quòd Maria Virgo in hac vità viderit Essentiam Diuinam, ex Cordubà lib. 1. q. 17. §. Quintò de quibus dixi Latius cap. 41. q. 33. num. 84.

Hæ sunt quatuor species, seu gradus Propositionis Catolicæ, quæ suam certitudinem graduatim habent, nam Fidelis habet infallibilem certitudinem in summo de sua veritate; Theologica habet certitudinem naturalem ex consequentià Logicà. Sapiens Fidem habet suam certitudinem ex communi sensu Ecclesiæ. Pia verò ex pietate erga proximum. Itaque primus gradus constituitur ex reuelatis, secundus ex deductis, tertius ex solemnizatis, quartus ex pijs operibus.

Quæritur 13. Quid requiratur, vt Homo de non Christiano fiat Christianus? seu vt dicatur Fidelis à Fide?

℞. Requiritur professio Fidei facta in susceptione Baptismatis; Homo enim per Baptismum fit membrum Ecclesiæ cum obligatione Legis Euangelicæ seruandæ, & de non Christiano, fit Christianus. Confirmatur, quia Fides propriè profitetur in Baptismate; baptizandus enim siue Paruulus, per Patrinos, siue Adultus per se ipsum respondet: *Peto Fidem*, ergo ab hac professione Fidei incipit esse Fidelis, & completo Baptismo ab ea recedere non potest, cum ad eam se obligauerit susceptione Baptismi, per quem recipit Caracterem; signum, quo distinguitur à non Fidelibus carentibus illo signo. Ita *Scotus in 4. dist. 4. q. 6. num. 2. D. Thom. part. 3. q. 69. art. 6.* vbi quòd in Baptizato infunditur Fides cum reliquis Virtutibus. 40

Dices Catecumenus est in Ecclesià, vt docent multi apud Ricciullum lib. 3. cap. 5. quos tamen impugnat ibidem, ideo obiectio nihil probat, immo D. Chrisost. Homil. 24. in Ioann. inquit *Catecumenum alienum esse à Fideli, & nihil habere commune cum eo*, ergo Fidelis non est, cum non sit professus Fidem in faciem Ecclesiæ. Est enim sicut Nouitius, qui est in vià, & disponitur, vt sit Religiosus; tamen non est, cum talis fiat per Professionem regularem; Catecumenus ergo dicitur in vià, dum instruitur, fit verò fidelis, dum Fidem in Baptismate profitetur. 41

Quòd si dicas, Catecumenus si contritus decedit, ingreditur vitam æternam, sicut si Martir pro Fide Christi moritur, vt docent omnes, ergo, vt quis fiat Fidelis, sufficit Baptismus *Flaminis, & Sanguinis*, & sic non erit necessarius aquæ Baptismus ad constituendum quem Fidelem.

Respondetur, non conducere ad vitam illa duo Baptismata, nisi adiunctum habeant votum Baptismi aquæ, quod propriè vocatur Lauacrum regenerationis, per quod homo baptizatus renouatur ad Vitam Spiritualem; cum ergo non possit excludi Baptismus fluminis, signum euidens, quòd per hunc quis euadit membrum Ecclesiæ militantis, per alia duo Ecclesiæ triumphantis. 42

Quæres 14. An sit de Fide credendum, quòd

quòd Maria Virgo sit cum corpore viuens in Paradiso? Quòd pariter sit concepta sine peccato originali?

43 R. Neutra est de Fide, quia hactenùs nihil horum fuit definitum; in terminis de Conceptione sunt Bullæ Pontificiæ declarantes hanc rem nondùm esse definitam; restat ergo, quòd hæc sit propositio sapiens Fidem, quia ex communi sensu Ecclesiæ veneratur immaculata Conceptio Mariæ Virginis, ex Bulla Gregorij XV. sicut celebratur Festum Assumptionis eiusdem; quod aliqui tenent de Fide, eius corpus cum animà viuere in cœlis, meliùs id sapere Fidem, *Corduba lib. 1. q. 17. §. 2. vers.* Propositio. *Pitigianus in 3 dist. 25. q. 2. art. 5. vers. Secundo.* Confirmatur, quia Albertinus *q. 17. de agnosc. assert. Catol.* oppositas Assertiones non dicit hæreticas, sed tantùm Scandalosas, ergo nostræ non sunt de Fide, quia oppositæ essent hæreticæ, reliquum est, vt sint sapientes Fidem, & non de Fide.

44 Et ex his deducitur, non esse de Fide, quod vniuersaliter ab omnibus tenetur, vt patet in allatis exemplis; communis enim consensus Patrum, aut piorum populorum, & catholicorum, non facit rem de Fide, nec talem declarat, cum id sit solius Pontificis Romani, vti omnium Pastoris; nec enim Deus, nec Christus alicui Homini, aut Communitati dedit hanc potestatem decidendi controuersias in materia Fidei, sed soli Petro, & eius Successoribus in Apostolatu.

Quæres 15. An opinio possit habere locum in mysterijs Fidei? Dixi sub q. 7. quòd quamuis Theologi dicant probabiliter, aliquas propositiones catolicas esse de Fide, de quibus tamen nondùm clarè constat, quòd sint definitæ; alijs negantibus probabiliter, & sic Opinio in hoc sensu locum habere potest; non autem respectu earum, quæ iam sunt definitæ, cum sint æternæ Veritatis, & infallibilis certitudinis, cum exclusione omnis formidinis, & dubitationis, atque Opinionis, quæ radicat sibi formidinem. Huius tamen Quæstionis proponendæ occasionem mihi dedit quidam Luteranus nomine Basanomenus impugnans hoc dilemma Valeriani Magni Capuccini: *Aut veniendum esse ad Romanam Ecclesiam. Aut recedendum à Christo,* Sic discurrit apud Caramuelem lib. 2. Theolog. Fundam. num. 1362. fol. 10.

45 *Christianismus probabilissima Religio est, & sub ipso dantur secta antiquiores, iuniores, seueriores, benigniores, vniuersaliores, minus vniuersales, & præcipuè Romana, Luterana, Caluiniana, quæ sunt verè probabiles; ergo mihi Luterano non est necessariò redeundum ad Romanam Ecclesiam, aut secedendum à Christo; nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Luterana est Christiana, & probabilis, & multò Romanà benignor.* Confirmat hæc ex doctrinà Aristotelis; inquit enim, quòd *doctrina Aristotelis prout hodie traditur* in Academijs, probabilissima est, nec contra eam militat *mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas,* hi enim, & similes errores iam sunt expuncti. Scola autem Aristotelis in tres Sectas diuiditur, Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem, omnes celebres, & probabiles. Dicant Dominicani, *nostra Schola est Aristotelica, & antiquior Nominali, & Scoticà; ergo redeundum est ad ipsam, vel secedendum ab Aristotele?* Quid indè nam à Franciscanis ridebuntur; quod æquo iure reponent: *Vel admittendam Scoti Scolam, vel relinquendum* Peripatum, Tunc enim Argumentatio vrgeret, cum vel vna sub Christo Religio, vel vna sub Aristotele Schola demonstrationes produceret, nam si vna secta demonstraretur esse vera, reliquæ demonstrarentur esse falsæ. At in nostro casu ait Basanomenus, omnes has religiones Romanam, Luteranam, Caluinianam esse Christianas, & probabiles iudico; & omnes has Scholas Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem esse Aristotelicas, & probabiles censeo; & hanc ob rem ratiocinatione illà disiunctiuà, *vel redeundum est ad Romanam Ecclesiam, vel secedendum est à Christo,* conuinci, aut vrgeri non possum.

Nec antiquitatem ipse, & Concilia generalia morabitur, hæc enim, vt ait, probabilia argumenta, & non euidentia ministrant; quoniam Schola Aristotelis Christi Religione multò Antiquior; & Academiæ Peripateticæ multò numerosiores Magistros habent, quàm Generalia Concilia, & si licet P. Magno doctrinam Paripateticorum de errore, & tyranide arguere, cur non licebit Basanomeno esse, & cautiori? Cur non dicere, Romanam quidem Ecclesiam esse probabilissimam, adeoq; in foro interno esse securissimam; & tamen hoc ipso non obstante Luteranam, quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atq; æque Christianam, & securam; immò securiorem omninò, quoniam minus probabilis sententia, si benignior, etiam securior est? Cur non licebit addere, se esse inquietà conscientià apud Luterum; adeoq; nec teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec à Christi religione secedere! Hæc ille. Respondet ibidem Caram. Sectas omnes esse omnino improbabiles, & Romanam Ecclesiam esse vnicam, & veram argumentis moraliter euidētibus, & indubitatis probatā.

R. Fidem Christi esse certam veritatem excludentē à se quālibet opinionis probabilitatem, & in eà consistere veram Religionem, cui nulla opinio, nulla probabilitas miscetur, cum omnia eius dogmata Fidei sint æternæ Veritatis, à Deo reuelata, qui non potest fallere, neq: falli. 46

B Nam

47 Nam Religio & Fides vera, quæ hominem certò, & infallibiliter ducit ad salutem animæ, debet esse secura, non incerta, continens in se talem veritatem, cui non possit subesse falsum ad decipiendum animas, opus enim Dei est in Fide veritatis, *ad Ephes.* 2.12. & veritas Domini manet in æternum *Psal.* 116.2. quia sermo Domini est veritas *Ioan.* 17. 17. & verbum Domini manet in æternum, *I.Petri* 1.25. Itaq. Religio Christiana, & eius Fides stabiliuntur super æternà, & infallibili veritate; sed Christianismus sub quo pretendit militare Secta Luterana, & Caluiniana, quatenus Christi est, à quo sic denominatus est, talis esse non potest, cum Basanomenus constituat illum in gradu probabilitatis licet superlatiuo; probabilitas enim in quouis gradu spectata non potest esse simpliciter Veritas, & multò minus æterna, si simpliciter non est in probabilitate, quæ veritatem non dicit, sed tantùm verisimilitudi-
48 nem. secundùm *Arist.* 1 *Rethor.cap. fin. vnde* 2.*Reth.cap.* 22.*loco* 22. dicit, quod non est probabile, neque verisimile, verisimilitudo ergo stat cum probabilitate, non cum Veritate; obscuritas enim non manet cum luce. *D. August.tom.* 1. *lib.* 2 *&* 3. *contra Academ.* sæpius dicit, probabile idem esse, quod verisimile, excludendo Veritatem ab eo. Videat ergo Basanomenus in quo sit posita eius Secta, an per eam saluari possit, cum careat Veritate; ac proinde sequatur, esse plenam falsitate, quæ eum saluare non potest, cum Fides sit posita in Virtute 2.ad Thessal. 1. 11. & non in Vitio, quod saluare non potest, in falsitate.

49 Vlterius, certum est, quòd Dogmata veræ Religionis, & Fidei non sunt posita in opinione, cum res Fidei catolicæ sint in sua veritate æternæ & stabiles, ex dictis. Probabile autem id est, quod positum est in Opinione *ex Cicer.de Inuent. Arist. lib.* 1. *Top. cap.* 1. & Opinio est circa ea, quæ aliter se habere possunt, 6.*Ethic.cap.*5.*fine* Quare Basanomenus confundit veritatem, & certam cognitionem cum fallibili, & variabili Opinione; fluctuat ergo eius Fides, quæ proinde vt infirma, mendax, & falsa non potest ducere ad Vitam æternam.

50 Deinde discursus Basanomeni soluitur ex dictis, dum supponit, Religionem Romanam consistere in probabilitate, id enim omninò falsum esse iam probatum est, cum doctrina Christi, quam Romani Christiani profitentur, Opinio non sit, nec probabilitas, sed certa, & infalibilis cognitio ab ipso reuelata Ecclesiæ Romanæ, non Lutero, qui spiritu Dei caruit, & erat Persona priuata, cui Deus non donauit sensum sacrarum Scripturarum, qui donatur summo Pontifici Romano, & Patribus de eius auctoritate congregatis in Concilijs.

Demùm ex vnitate Fidei colligitur, Luteranam Sectam, neq; Caluiniam contineri sub verà Religione, quæ vnicam profitetur Fidem veram, nullam in se patientem diuisionem, nec Opinionum contrarietatem, aliter vna non est, si diuidi potest, vt fecit Luterus, & Caluinus, qui defecerunt à verà Fide, extra quam positi salui facti non sunt, quia vna semper fuit, & erit Fides communis omnibus ad salutem, vt dicit S. Ioannes Chrysostomus tom. 2. in cap. 2. ad Corinth. Homil. 9 fol. 320. D. his verbis. *In Fide pares omnes esse oportet, quoniam vna est Fides, in vita autem virtute nos omnes eosdem esse requiritur, si quidem Fides altera non est alterà maior, sed eadem in omnibus, qui verè credunt.* Fides ergo Catolica non patitur diuisionem, nec contrarietatem, nec comparationem, quia in omnibus debet seruare vnitatem eiusdem Veritatis, & sensus, cum sit à Deo, qui non diuisus, nec sibi contrarius, nec cuiquam comparandus est. 51

Quæres 16. An possit dari ignorantia in misterijs Fidei? Vide sect. 2. quæst. 3.

Queritur 17. An Articuli, & Propositiones de Fide sint vnius tantùm speciei?

℞. Affirmatiuè, quia omnes specificantur ab vnà formali ratione, quæ est ipsamet diuina Reuelatio qualificans omnes Articulos, seu Propositiones, & res Fidei, quæ sunt materiale obiectum specificatum sub vnitate diuinæ Reuelationis. Ita *Suares disp.6. de Fide sect.* 3.*n.*11. *Coninch.disp.*16.*num.* 18. contra alios apud *de Lugo disp.*8.*de Fide num.*5. 52

SECTIO SECVNDA

De Infidelitate.

SVMMARIVM.

1 *Infidelitas dicit negationem Fidei in Subiecto apto eam recipere.*

2 *Est vitium oppositum Fidei, cui in omnibus repugnat, adeoq; quod affirmat Fides, Infidelitas negat. duplex verò est.*

3 *Negatiua in eo, qui nunquam audiuit de Fide.*

4 *Positiua est in illis, qui sufficienter auditam nolunt recipere, vel receptam abijciunt.*

5 *Negatiua non est Peccatum, sed pœna Peccati.*

6 *Scilicet originalis, & etiam actualis.*

7 *Cornelius Centurio erat Infidelis negatiuè.*

8 *Po-*

8 *Positiua est Peccatum, quia agnita non reijcitur.*
9 Qui non credit, iam iudicatus est. *Ioan.* 3.18.
10 *Infidelitas positiua est Peccatum commissioins, & omissionis.*
11 *Ignorantia quid, & quotuplex?*
12 *Inuincibilis excusat à peccato Infidelitatis illos, quibus Fides non fuit sufficienter proposita.*
13 *In Foro externo non excusat, quia non præsumitur, sed probanda est.*
14 *Datur in his.* Pater est prior, est maior filio.
15 *In rudibus, & mulierculis.*
16 *Credentibus Trinitatem esse feminam quamdam.*
17 *Quænam explicitè sint credenda?*
18 *Ignorantia vincibilis in neutro Foro excusat.*
19 *Habetur enim pro scientià, sicut Crassa, & Affectata.*
20 *Dubius non distat ab ignorante.*
21 *Pertinacia in Foro externo stat cum Ignorantia crassà, & affectatà.*
22 *Infidelitatis tres species. Paganismus, Iudaismus, & Hæresis; adduntur eis.*
23 *Schisma, & Apostasia.*
24 *Probantur istę quinq; species ex quinq; modis, quibus reijcitur Fides.*
25 *Fides perditur per Infidelitatem acceptatam,*
26 *Opponuntur enim priuatiuè.*
27 *Fides autem perditur ab Apostatis, Hæreticis, & Schismaticis.*
28 *Priuatio supponit habitum,*
29 *Perdere nemo dicitur, quod non habet.*
30 *Sermo est de Fide infusà, quæ perditur per Infidelitatem, quæ non destruit aquisitam, cum hæc possit remanere saltem in Memorià.*

OPposita iuxta se posita, vt dixi initio præcedentis sectionis, magis elucescunt, ideo hic agendum est de Infidelitate, vt ex eius cognitione magis illucescat notitia Fidei. Infidelitas autem ex vi dictionis compositæ respectu prioris partis dicit negationem Fidei in subiecto apto eā recipere, dictio
enim *In* in cópositione importat negationem 1
non, vt notat *Graffius de casib. reseru. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. e. g. infamia .i. sine Fama, eadem *In* extra compositionem significat *contra* iuncta casui accusatiuo, iuxta illud Ioan. 14. 30. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam* in idest contra me, idem *Graff. cit. ex l.* 4. *C. de haret.* ibi *In eos* idest contra eos, Cicer. apud Nizol. vers. Contra sub dict. in. Siue ergo importet *Non*, siue *Contra* facit ad rem, quia Infidelis non est Fidelis, sed contra Fidem, vel priuatiuè, vel contrariè, vel negatiuè tantùm. Pro quorum intelligentia.

Quæritur 1. Quid sit Infidelitas, & quotuplex?

℞. Est vitium oppositum virtuti Fidei, 2
cui in omnibus repugnat, adeoque quod Fides affirmat, Infidelitas negat. Diuiditur in Negatiuam, & Positiuam. Negatiua est in
co, qui nunquam audiuit de Fide, sic dicta 3
quia nunquam fuit in homine apto illam recipere, ex quo nunquam audiuit eam, iuxta illud Pauli ad Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante?* Infans ergo nondum baptizatus caret Fide actuali, & habituali, hac, quia nondum est baptizatus, illà, quia nondum est capax auditus, nec vsus Rationis. Neque Adultus carens Baptismate, esto habeat vsum Rationis, & auditus, si nunquam audiuit aliquid de Fide Fidelis est, sed Infidelis negatiuè, quia nunquam habuit Fidem habitualem infusam defectu Baptismatis, nec actualem, cum eam ab alio non audierit nec didicerit.

Positiua Infidelitas est illa, quæ reperitur 4
in ijs, quibus Fides catolica sufficienter proposita fuit, sed ei nolunt credere, vel contemnunt, de eà non curantes. Respectu Incredulitatis appellatur contraria Fidei, respectu contemptus vocatur priuatiua, secundùm Ignatium Lupum Bergomatem Reformat. S. Francisci in suo opere instr. *Noua lux in Edictum S. Inquisitionis lib.* 11. *dist.* 4. *Art.* 1. *diff.* 2. *Vers. Hac Infidelitas.* De Infidelitate hac negatiuà, & positiua, seu contrarià *D. Tom.* 22. *q.* 10. *art.* 1. *q* 34 *art.* 2. *ad* 2. *Becanus de Fide cap.* 13 *q.* 1. *de Lugo disp.* 18. *sect.* 1. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 2 *p.* 1. *Angelus V. Infidelitas, ibidem Siluester*, & alij communiter, *Alberghinus cap.* 9.

Quæritur 2. An vtraque sit peccatum.

℞. Negatiua non est peccatum, sed pœ- 5
na peccati in eo, qui nunquam audiuit de Fide; positiua verò est peccatum mortale ex diametro oppositum Fidei, cui aduersatur.

Prima pars, quòd non sit peccatum, probatur, quia peccatum est voluntaria Legis transgressio; sed Infidelitas negatiua in su-

biecto non est voluntaria transgressio Legis, dum inuincibiliter ignoratur; voluntarium enim est id, quod est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, in sententia omnium, Infidelis autem negatiuus non cognoscit, ergo in eo talis Infidelitas non est peccatum. Confirmatur auctoritate Domini nostri Iesu Christi id dicentis Ioan. 15. 12. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Est communis cum D. Thoma cit. & præcitatis.

6 Secunda pars, quòd Infidelitas negatiua sit pœna peccati, probatur, quia procedit à peccatis originali, & actualibus; cum enim Fides omnibus hominibus de necessitate medij sit necessaria ad salutem consequendam, & facienti quod in se est, Deus non deneget gratiam, nec neget Fidem, quantùm est ex parte suà; si Infideles negatiui non illuminantur, hoc non prouenit, quia Deus deneget eis media necessaria ad salutem, inter quæ est Fides, sed quia non fecerunt, quod debebant facere, ac proindè Infidelitas est eis pœna, dum non illuminan-
7 tur ad Fidem; hac ratione Cornelius Centurio, quia licet gentilis nunquam audisset de Fide, & sic erat Infidelis negatiuè, tamen quia erat Vir iustus, ac timens Deum, vt dicitur Act. 10. num. 1. & 22. ad Fidem vocatus fuit. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *& D. Aug. Epist.* 109. *ad Sixtum. Becan. num.* 8.

8 Tertia pars, quòd Infidelitas positiua sit peccatum, probatur ex eo, quia hæc Infidelitas vitiosa est, per se Fidei destructiua per hominem scientem se opponere misterijs Fidei, & illis contradicere. Confirmatur auctoritate Christi, qui in Euangelio Ioann. 3.
9 18. dicit: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Idest peccato mortali grauissimo. Est communis, & de Fide. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *&* 3. *Castropal. Tract.* 4. *disp.* 2. *p.* 1.
10 *num.* 1. *de Lugo disp.* 18. *num.* 2. vbi, quòd peccatum hoc non solùm est commissionis, sed etiam omissionis, quatenus Infidelis sufficienter instructus non vult Fidem recipere.

Quæritur 3. hac occasione, an possit dari
11 ignorantia inuincibilis in misterijs Fidei? Ignorantia est quadruplex Inuincibilis, Vincibilis, ex qua oritur Crassa, & Affectata. Inuincibilis est illa, quæ vinci, nec superari potest. Vel quæ sine culpa priuat cognitione. Solet etiam appellari Probabilis, quam sic explicaui Resol. 35. & in Sacro Tribun. cap. 9. sect. 3. num. 34. Est illa, qua quis nescit ea, quæ scire non tenetur, aut si tenetur, nulla præcessit in eo aduertentia, cogitatio, aut dubitatio, & si aliqua præcessit, adhibuit sufficienter diligentiam, inquirendo diligenter per se, si est Litteratus, vel per aliorum consilia veritatem rei, & non potuit eam scire, nec dubium superare *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 62. Vbi seductum à Viro dici inuincibiliter ignorare.

Vincibilis ignorantia, quæ vinci potest, sed non vincitur ex negligentià, & ideo est peccaminosa, quæ subdiuiditur in Crassam, & Affectatam. Crassa est illa, quæ procedit ex magnà negligentià non addiscendi præuisà, quæ cæteri suæ conditionis sciunt, vt si quis in plebe ignoret, Christum mortuum, vel resurrexisse, ex eodem Carena. Affectata, quà quis ex industrià, & studiosè non vult addiscere, vt liberiùs peccet, vel quia parui pendet ea, quæ scire tenetur. Iuxta illud Psal. 35. 4. *Noluit intelligere, vt bene ageret*. Est doctrina communis apud Sectatores *S. Thomæ*, 1. 2. *q.* 74. 1. *ad* 2. *art.* 5. *ad* 1. *q.* 76. *art.* 3. *&* 4. *&* 2. 2. *q.* 59. *art.* 4. *ad* 1. Cum Scoto in 2. dist. 22. Faber *de Pœnit. disp.* 7. *cap.* 2. *à num.* 27. *Corduba lib.* 2. per totum latissimè, in terminis nostris. *Carena part.* 2. *tit.* 1. §. 11. *à num.* 60. *ad* 70. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 7.

℞. Ignorantia inuincibilis excusat respe- 12
ctu quorumcunq; Articulorum, siue sint directè de Fide, vt quòd Deus sit Vnus, & Trinus &c. vt in duodecim articulis Fidei, siue indirectè, vt quòd Tobias canem habuerit, vel quòd Salomon sit filius Dauid, &c. tam in genere, quàm in specie, excusat inquam, à peccato Infidelitatis. Probatur, quia obiectum Fidei est quid supernaturale, quod viribus naturæ cognosci non potest tàm in genere, quàm in singulis eius speciebus, nisi proponatur sufficienter homini ignoranti, vt per instructionem vincat ignorantiam, ergo illis, quibus Fides non fuit proposita sufficienter ad vincendam ignorantiam, non imputatur ad peccatum Infidelitatis. Ita docent omnes *cum D. Thoma* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 3 *num.* 20. *Pegna part.* 1 *com.* 22. *vers. Sit quinta*. *Farin. q.* 179. *num.* 26. *Becanus cap.* 13. *de Fide q.* 1. *num.* 6. *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 63. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 2. *Salelles lib.* 1. *Reg.* 70. *num.* 154. *Alberghinus cap.* 10. *num.* 3. Confirmatur ex auctoritate Christi adducta q. 2. Vers. Prima pars; consequenter Infideles negatiuè, vt ibi dixi, excusantur à peccato Infidelitatis, quia nunquam eis Fides proposita fuit.

Quamuis Ignorantia inuincibilis in foro 13
conscientiæ excuset, tamen quia in foro externo non præsumitur; ideo ab allegante probanda est in ijs articulis, quos quilibet Fidelis scire tenetur expressè, in his enim Ignorantia non præsumitur, sed cognitio eorum ex huiusmodi obligatione addiscendi. Ita *Menoch. consil.* 82. *num.* 175. *Farin. q.* 179. *num.* 27. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 7. *Alphonsus de Castro lib.* 1. *cap.* 9. *Vers. Aut Vulgaris homo*, *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 64.

Qui

Qui num. 65. subiungit admitti posse Ignorantiam in casibus ex naturali iure excusabilibus, vt si quis diceret, Patrem esse maio-
14 rem Filio, *ex Farinac. q. 179. num 1.* Adde si diceret Patrem esse priorem Filio. Nam in his ratio naturalis id dictat in homine, & alijs animalibus generantibus; deindè illæ Propositiones duplicem habent sensum, nam Pater in ordine ad Filium secundam personam ab æterno genitam non est prior tempore, nec naturâ, cum ambo sint ab æterno, est verò prior prioritate originis, cum ab eo Filius procedat; si verò spectetur Pater in ordine ad Filium genitum ex Maria Virgine Obumbratione Spiritus Sancti, in hoc sensu Pater est prior tempore, & maior Filio, qui spectatur vt homo. Vnde propositiones huius generis, quæ bonum, & malum sensum habere possunt, explicatæ in bonum saluant eas proferentem, quòd non sit Hære-
15 ticus, in quo etiam sensu ignorantia præsumetur in hominibus ignaris, qui misteria Fidei speculatiuè non didicerunt, sed tantùm ruditer iuxta vulgarem captum, sicut illa Vetula, quæ credebat Trinitatem esse vnam Fœminam, quia exprimitur genere fœmi-
16 nino, vt referunt *Carena, & Farinac. ex Angelica V. Fides num. 6.* Ex quibus deducitur excusari personas simplices, & idiotas, quæ res Fidei subtiliter intelligere non possunt, vt docti intelligunt, qui eas didicerunt in Scholis; simplicitas ergo istas excusat, ita *Farinac. q. 179. à num. 8.*

17 Quænam autem explicitè sint credenda tradunt *Bonac disp. 3. super decal. q. 2. p. 2. num. 6. Becan. cap. 12. q. 2. num. 2. Farinac. q. 179. num. 70. Ioannes Poncius in 3. Scoti dist. 25. q. 1. num. 58. Castropal. disp. 1. p. 9. num. 7.* Asserentes explicitè esse credendam Vnitatem Dei, Trinitatem Personarum, scilicet, quòd sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & Incarnationem, quòd scilicet Filius sit factus Homo, passus, mortuus, & quòd resurrexerit pro redemptione humani generis. Et hoc benè probat Scotus ibidem *sub num. 9. Vers. Præterea*, quia sicut requiritur Fides explicita vnius Creatoris, qui est Deus Vnus, & Trinus, ita & Redemptoris, & Recreatoris, qui est Christus Dominus, qui per suam passionem, mortem, & resurrectionem homines redemit, & de nouo creauit ad vitam æternam; sed explicitè credendum est esse Vnum Deum, & Trinum, Creatorem omnium, ergo & eius Filium factum hominem passum, mortuum, & resurrexisse ad redimendum genus humanum.

18 Ignorantia verò vincibilis crassa, & affectata in neutro foro excusat, sed accusat discredentem tamquam hæreticum puniendum si non se corrigat, inquiunt *Pegna part. 1. com. 22. Vers. Tertia, Paramus lib. 3. q. 3. num. 46. Farinac. q. 179. num. 29. & 30. ex illis Carena part. 2. tit. 1. num. 68. Ego cap. 9. num. 48.* alios citat *Diana part. 4. tract. 7. resol. 36. Vers. prima opinio asserit*, qui suam Opinionem *sub Vers. Dico igitur, & Vers. Notandum*, sentit cum prædictis pro foro externo, *Dal Bene part. 1. Dubit. 3. Petit 2. num. 17.* Ratio est, quia Ignorantia crassa, & affectata stant cum pertinaciâ, nam æquiparantur Scientiæ, & pro Scientiâ habetur vtraq; Ignorantia, *Tiraq. de Retract lign. §. 35. Glos. 4.* 19
num. 35 & de pœnis temper. caus. 13. num. 22. Pasqual. in Selectis q. 161. num. 3. & 162 num. 8. alijs citatis, *Glos. V. Affectata, cap. 2. de const. in 6.* Confirmatur, quia dubius in fide, est Infidelis, *cap. 1. de hæret.* Sed dubius non distat ab ignorante, *l. Manifestissimi 22. §.* 20
Si autem nesciùs c. de furt. Gama Lusit. dec. 91. num. 1. Surd. dec. 261 num. 17. ergo si dubius in Fide est Hæreticus etiam ignorans, à quo non distat dubius.

Contrarium, quòd vtraque Ignorantia excuset ab Hæresi, docent *Castro, Ricciul. Sanctar. & alij apud Carenam part. 2. tit. 1. num. 66.* Quia taliter ignorans, si sit paratus corrigi, non potest dici habere Pertinaciam, quæ ad Hæresim est necessaria, siquidem cum taliter ignorans non sit certus de articulo Fidei, directè, & scienter se illi opponer non dicitur, cum careat Pertinaciâ, ergo nec Hæreticus euadit.

Respondeo argumentum hoc facere pro 21
Foro Conscientiæ, in quo reo creditur pro se, & contra se, in Foro autem Fori, & externo cum præsumatur contra querelatum, quòd crediderit contra Fidem, illius assertæ Ignorantiæ standum non est, quam cum probare non possit, pro pertinaci in suo dicto habendus est, quia pertinacia in Foro externo stat cum Ignorantiâ crassâ, & affectatâ, cum equiparetur Scientiæ, vt suprà probatum fuit.

Quæritur 4. Quot sunt species Infidelitatis? 22

℞. D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 5. tres assignat species. Paganismum, Iudaismum, & Hæresim. Alij quinq; assignant adæquatius. Sermo autem est de Infidelitate positiuâ, non autem negatiuâ, quæ non est peccatum, sicut positiua; Infidelitas ergo positiua, & peccaminosa diuiditur in quinque species, addendo prædictis Apostasiam, & Schisma. Ostenditur autem eius sufficientia, & singulæ spe- 23
cies declarantur, sumpto argumento à quinq; modis, quibus reijci potest Fides, nam

Primò Fides proposita, & non recepta, sed 24
reiecta constituit Paganismum, quo peccat ille, qui propositam sufficienter sibi Fidem non vult acceptare, & fieri Christianus, susceptione Baptismatis; huius generis sunt omnes Catecumeni, qui instructi recedunt nolentes eam recipere.

Secundò Fides proposita aliàs recepta in figura,

figurâ, reijcitur in veritate Euangelij, & constituit Iudaismum in Iudæo nolente credere misteria Fidei de Christo incarnato; habet enim omnis Iudæus hoc infidelitatis peccatum, vt dicitur Ioan. 15. 12. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Et hoc maximè verificatur de his, qui nobiscum viuunt. Qui infecti sunt his duabus Infidelitatis speciebus, carent Baptismo, & sic nunquam habuerunt Fidem, sed eis propositam respuerunt; in sequentibus, speciebus Fidem professi sunt in Baptismo, si quidem accedentes ad Baptismum petunt Fidem adulti per se, & Infantes per Patrinum, & eam profitentur solemniter in Catechismo, quam baptizati habitualem, & infusam recipiunt, Trident. sess. 6. cap. 7.

Tertiò autem Fides accepta per Baptismum, sed reiecta postmodùm, vel in totum specificat Apostasiam, reiecta ex parte dat Hæresim; demùm reiecta in capite, quod est Romanus Pontifex constituit Schisma. De his tribus agam infra suis locis. Reiectio ergo Fidei contingit his quinq; modis, si reiectio non habet adiunctam circuncisionem vocatur Paganismus; si verò habet dicitur Iudaismus; si Baptismum appellatur Hæresis, vel Apostasia, vel Schisma.

Quæritur 5. An, & quomodo per Infidelitatem perdatur Fides?

25 ℞. Fides perditur per Infidelitatem, nam sunt duo contraria se inuicem expellentia ab eodem subiecto, eorum autem contrarietas non est inter opposita positiuè, e.g. vt, calor,
26 & frigus, qui in gradu remisso possunt stare simul in eodem subiecto, sed priuatiuè, nam Fides est forma positiua, & Infidelitas forma non est, sed priuatio formæ in subiecto, quare adueniente Infidelitate, necesse est, quòd recedat forma Fidei, cum illa huius sit destructiua, perditur ergo Fides per aduentum Infidelitatis, & hoc certum est, vt suadet adducta ratio, & hoc apertè docet Tridentinum
27 sess. 6. cap. 15. Sed difficultas est, an perdatur fides per quamlibet ex illis speciebus Infidelitatis? Dico perdi solùm ab Apostatis, Hæreticis, & Schismaticis, quia isti antequam a se illam abijciant, sunt fideles ergo illam abijcientes incipiunt esse Infideles, & sic per superuenientem Infidelitatem perdunt fidem, priuatio enim supponit habi-
28 tum, *l. Iulianus 4. ff. de diuort. & repud.* priuatio enim non sequitur, nisi præcedente habitus. *l. Decem 116. ff. de verb. signif.* Infidelitas autem Paganorum, & Iudæorum in illis non potest producere hunc effectum, quia nunquam receperunt Catolicam fidem, ergo eam perdere non possunt, ex allegatis iuribus, quia nemo dicitur perdere, quod non
29 habet, *Instit. de capitis diminut. §. Seruus.*
30 Procedit quo ad fidem infusam, quæ infunditur à Deo solis baptizatis, nam si loquamur de aquisitâ, potest remanere habitus fidei aquisitus quò ad cognitionem; non tamen simpliciter, & absolutè, sed respectu memoriæ tantùm, nam Infidelis eas propositiones, quas pro veris antecedenter habuit, positâ Infidelitate habet pro falsis, huius enim conditionis sunt Infideles vt putent falsum, quòd in se verum est, & sic quò ad bonum voluntatis affectum, & mentis veram intelli- 31
gentiam perdunt per superuenientem Infidelitatem, remanente nescio quid habitus in potentiâ Memoriæ.

SECTIO TERTIA

De Apostasia à Fide.

SVMMARIVM.

1 *Baptizatus tribus modis recedit à Fide, vel in totum eam abnegando, vt facit Apostata, vel ex parte, vt Hæreticus, vel a Capite, vt Schismaticus.*

2 *Apostasia est recessus à solemni professione Fidei facta per Baptismum, Ordinem, vel Religionem. Vnde triplex est, a Fide, ab Ordine, & a Religione.*

3 *Apostata vt quis dicatur, debet Baptizatus a tota Fide recedere.*

4 Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrinâ Christi Deum non habet, *Ioann. Epist. 2. num. 9.*

5 *Inimicus mei amici est meus Inimicus.*

6 *Egredi nemo dicitur à loco, vel statu, in quibus nunquam fuit.*

7 *Catecumenus Fidem doctus nolens recipere per Baptismum non est Apostata.*

8 *Contrarium probatur.*

9 *Catecumenus non subijcitur pœnis Ecclesiasticis.*

10 Qui crediderit, & Baptizatus fuerit saluus erit. *Marci cap. fin. num. 15.*

11 *Catecumenus est in vtero Ecclesiæ quò ad instructionem.*

12 Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. *Ioann. 3. 6.*

13 Qui

13 Qui crediderit, & baptizatus fuerit. *Marci cap. fin. num.* 15.
14 Cap. Veniens de Presbit. non baptizato. *explicatur*.
15 *Apoſtaſia alia lata, alia ſtricta reijcitur*.
16 *Quid ſi denuntiatus neget ſe baptizatum*.
17 *Id probare debet*.
18 *Baptizatus quis non præſumitur, cum ſit quid facti*.
19 *Fallit in his, quæ ſolent fieri*.
20 *Et ſic natus de Chriſtianis præſumitur baptizatus*.
21 *Apoſtata fit, quamuis non tranſeat ad aliquam Sectam*.
22 *Baptizatus educatus extra Fideles, eſt Apoſtata recedens à Fide*.
23 *Baptizatus nulliter, non eſt Apoſtata, recedens*.
24 *Nihil nullum producit effectum*.
25 *Ex nihilo nihil fit*.
26 *Nihil, & inualidum æquiparantur*.
27 *Non fieri, & eſſe inualidum paria ſunt*.
28 *Nulliter baptizatus probatur Hæreticus*.
29 *Sed contrarium ſupra probatum eſt tenendum*.
30 *Aſſerens Chriſtum eſſe ſolùm hominem non eſt Apoſtata, ſed ſolùm Hæreticus*.
31 *Baptiſmum reiterans non eſt Apoſtata*.
32 Cap. 2. de Apoſt. *declaratur*.
33 L. 1. & 2. C. Ne Sanctum Baptiſma reiter. *explicatur*.
34 *Baptizans, & baptizatus iterum ſunt vehementer ſuſpecti de Hæreſi*.
35 *Iteratum non dicitur, quod ignoratur antea factum*.
36 *Voluntas quò ad actus ſuos immanentes cogi non poteſt, cum illorum ſit domina abſoluta*.
37 *Vis abſoluta eſt illa, cuius principium eſt extra, paſſo vim non conferente, ſed reſiſtente*.
38 *Metus tres conditiones requirit*.
39 *Apoſtata non eſt, coactus vi præcisſa, nec Hæreticus*.
40 *Metus grauis excuſat ab Apoſtaſia, non à ſuſpicione Hæreſis*.
41 *Quæ cenſetur vehemens in Perſonà graui*.
42 *In alijs inducit leuem ſuſpicionem*.
43 *Colens Idola etiam ſpontè non eſt Apoſtata*.
44 *Renego Fidem ex irà non eſt Apoſtata, ſed Blaſphemus*.
45 *Crimen publicum eſt Apoſtaſia*.
46 *Iudices Criminis Apoſtaſiæ Epiſcopus, & Inquiſitor*.
47 *Pœnis eiſdem plectuntur, quibus Hæretici*.
48 *Vis, & metus in eodem caſu accidere poſſunt*.

Dictum fuit in præcedenti Sectione, 1
quòd fidem profeſſus in Baptiſmo, poteſt ab eà recedere vno ex tribus modis, vel in totum Fidem abnegando, & is vocatur Apoſtata; vel ex parte, & appellatur Hæreticus; vel à capite, & Miniſtro Fidei, & is nuncupatur Schiſmatichus. De priori hìc agendum.

Quæritur ergo 1. Quid ſit, & quotuplex Apoſtaſia?

℞. Apoſtaſia eſt receſſus à ſolemni promiſſio- 2
ne ab homine baptizato facta deo in profeſſione fidei, Ordinis, & Religionis; Ex qua definitione tres eius ſpecies oriuntur. Prima appellatur à Fide, quia homo baptizatus totam negans Fidem, & ab ea recedens committit Apoſtaſiam, & Apoſtata vocatur. De hac tantùm hic agendum eſt. Secunda dicitur ab Ordine, cum quis in Sacris conſtitutus recedit, & fit ſecularis e. g. ducendo defacto vxorem. Tertià dicitur à Religione, cum fugit, & non vult amplius eſſe Religioſus viuendo ſeculariter. Quilibet iſtorum mutando ſtatum, ſolemniter profeſſum, vel per Baptiſmum, vt colligitur *ex ſeſſ. 6. cap.* 7. vel per ſuſceptionem Subdiaconatus, vel per Profeſſionem regularem ſolemnizatam, *cap. Vn. de voto in 6.* dicitur Apoſtata. De quibus in ſequenti ſectione.

Quæritur 2. Quot conditiones requirantur, vt quis dicatur Apoſtata.

℞. Duæ. Prima, quòd ſit baptizatus; 3
Secunda, quòd totam abneget Fidem. Vtrumq; deducitur ex allatà definitione, nam receſſus à profeſſione Fidei hoc importat, ſcilicet abnegationem Fidei, hanc enim negauit Iudas, cum Chriſtum ipſum negauit traden-

tradendo in manibus Iudæorum, tunc enim abijt retro Ioan. 6 67. & apostatauit, qui actus venit sub nomine Apostasiæ, idem Ioan.
4 Epist. 2. num. 9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*, qui enim non est amicus Christi, nec ipsius Dei; inimicus enim mei amici, est meus inimicus, *cap. cum oporteat* 19. *de accu-*
5 *sat.* Necessarium quoq; est, quòd sit baptizatus, quia nullus dicitur recedere ab eo, quòd nunquam habuit, si ergo Apostasia est recessus à Fide in totùm necesse est, quòd recedens ab eâ, hanc seruare Deo promiserit, hæc autem promittitur, & profitetur in susceptione Baptismi, ex cap. 7. sess. 6. & ex Rituali Pauli V. constat; ergo solùm Apostata appellatur propriè, qui Baptismum recepit, retrocedendo. De recessu constat apud omnes ex *Alfonso de Castro lib. 1. cap. 8. dub. 3. Ricciul lib 6. cap. 3. num. 1. Farinac. q.* 183. *à num. 1. ad* 13 *Dal Bene part. 1. Dubit.* 47 *Sect. 2. Petit. 1. Carena part. 2. tit. 3. Albergh cap. 3.* Sousa lib. 1. cap. 8 *à num* 10. *Gondisaluus Villadiegus Hispanus de Haret. q. 5. Royas part. 1. num* 484. *Salelles Reg.* 107. *Ego cap. 9. sect. 9.* D. Baptismo constat ex eisdem, quia non potest recedere a Fide, qui eam non recepit in Baptismate, & quis non dicitur egredi à loco, vel statu, in quibus nunquam fuit,
6 *l. Manumissiones ff de iust. & iure, l. Decem. ff de verb. obligat.* Ita sentiunt omnes *cum Direct & Pegna part. 2. q. 49. com* 74. Expresse *cap Quidam 4 de Apost Toletus lib. 4. cap 6 D Thomas 2. 2 q. 12. art. 2. in corp.* Franciscus Siati Syracusanus ordinis Prædicatorum in Speculo Moralis Archimedis *Disquis. 12. art. 1. num.* 2.

Quæres 3 An Catecumenus instructus in Fide, nolens eam recipere, & solemnizare per Baptismum sit Apostata?

7 ℞. Negatiuè, probatur. Tum quia ille dicitur retrocedere à Fide, qui illam recepit, & professus fuit in Baptismate, vt superius probatum fuit, & colligitur ex cap. Non obseruetis 16. 26. q. 7. ibi! *Sciant se fidem Christianam & Baptismum præuaricasse, & vt Paganum, & Apostatam iaces retrò abeuntem* cap. Non potest 24. 2. q 7. ibi! *Iudæi ergo qui dudum Christiani effecti sunt, & nunc Christi Fidem præuaricati sunt.* Item clare l. 3. c. de Apostatis. Sed Catecumenus non est professus Fidem in Baptismate, ergo non dicitur retrocedere, & fieri Apostata reuersus, seu nolens suscipere Baptisma. Tum quia nondum est in Ecclesiam ingressus, qui fit per receptionem Baptismi, ergo illum non recipiens, sed recedens Apostata non est. Tum quia Catecumenus ante Baptismum nihil promittit Deo, sed tantùm instruitur in ordine ad Fidem, si velit illam recipere, ergo liberè abiens non dicitur retrocedere, neq; à Fide apostatare, cum eam obseruare non promiserit. Confirmatur, quia sicut Nouitius infrà annum Probationis reuersus domum non dicitur apostatare à Religione, quia eam nondum professus fuit, ita neq; Catecumenus vti alter Nouitius non recipiendo Baptismum, sed remanendo Paganus, vel Iudæus sicut erat ante, dicitur Apostata, cum nondum Fidem professus sit, sed tantùm didicerit. Demum probaui sect. 1. num. 39. quòd non est Christianus, neq; fidelis, ergo non potest esse Apostata, immo nec Hæreticus, vt dicam infrà sect. 6. num. 11. Et ita Arsenal. oraculo 161.

Contra est primò, quia Catecumenus est 8
in vtero Ecclesiæ in lucem per Baptismum edendus, D. August. tom. 9. de Simbolo ad Catecum. sub initium, his verbis: *Nondum quidem adhuc per Sacrum Baptismum renati estis, sed per Crucis signum in vtero Sanctæ Matris Ecclesiæ iam concepti estis.* Secundò, vt quis sit Hæreticus sufficit, quòd Fidem acceptauerit, quamuis eam non fuerit professus per Baptismum, ac proindè nondum baptizatus, vt multis citatis *docet Dal Bene part. 1. Dubit. 2. Petit. 1. num* 2. Probans. Tum quia est vnitus Christo per Fidem. Tum quia Catecumenus est in Ecclesiâ, vt docet multis Ricciul. lib. 3. cap. 4. Tum quia quis fit membrum Christi non solùm per Sacramentum, sed etiam per Fidem, *Cap. Ve-* 9
niens, de Presbit. non baptiz. Idem dal Bene probat, talem Catecumenum non subijci pœnis Ecclesiasticis, quia per solum Baptismum fit subditus Ecclesiæ, & sic sentiunt ante ipsum *Ricciul. eodem cap. 4. à num.* 24. Catecumenum non ligari Ecclesiasticis Constitutionibus, *Hurtadus, & Lorca apud de Lugo dis. 18. de Fide num. 97. citantem etiam Suarez*, qui dicit Apostasiam esse circumstantiam notabiliter aggrauantem peccatum Infidelitatis, non tamen afferre speciem malitiæ diuersam, qualem affert Apostasia in Homine baptizato. Et dicit de Lugo hanc esse quæstionem de nomine, nam reipsà certum videtur adesse in Catecumeno recedente à Fide susceptà circunstantiam aliquam, quæ non est in Infidelitate alterius, qui Fidem nunquam acceptauit, siue illa sit, siue non sit notabiliter aggrauans; erit ergo questio de vocibus. Subdit autem idem de Lugo, Apostasiam accipi dupliciter latè pro Recessione Catecumeni ante Baptismum, pressè verò post Baptismum, primo modo comparat Catecumenum cum Nouitio recedente, qui sicut non est Apostata à Religione, quia nullum Religionis statum deserit, etiamsi habuisset votum perseuerandi in Religione, ita neque Catecumenus sine Baptismo deserens Fidem; tamen quia Fides est aliquid internum, & independenter ab

ab omni Professione externâ, & acceptatione Ecclesiæ, potest aliquis esse Fidelis, & si recedat ab hoc fidelitatis statu propriè appellari potest Apostata à Fide Christianâ, seu à statu fidelitatis, licet non appelletur strictè Apostata, quia non recedit ab Ecclesiâ, in qua nondum visibiliter fuerat receptus, nec acceptatus, sed erat quasi Nouitius, & in probatione, vt suo tempore per Baptismum acceptaretur.

His tamen non obstantibus, dicendum est, Catecumenum, qui Fide imbutus, recedit nolens suscipere Baptismum, non esse propriè Apostatam, quia reuerà non retrocedit, vt probatum fuit abundè supra, esto peccet mortaliter non recipiendo Baptismum contra Fidem Christi, cap. fin. num.
10 15. Marci: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Non ideò est Apostata, sed ille ante catechizationem erat Infidelis negatiuus, post verò instructionem fit Infidelis Infidelitate positiuâ Paganismi, vel Iudaismi, nolendo recipere Baptismum.

11 Ad primum dico, Catecumenum esse in vtero Ecclesiæ Matris, quò ad instructionem, exit verò ab vtero, quando recipit Baptismum, iuxta illud Ioann. 1. 13. *Quotquot autem receperunt eum &c. Ex Deo nati sunt.* &
12 cap. 3. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Sed Catecumenus non est natus, nec renatus, quando non vult profiteri Fidem susceptione Baptismatis, ergo cum non sufficiat credere, sed necessarius illi sit Baptismus, sicut nihil illi prodest esse materialiter in vtero Matris Ecclesiæ, ita nec constituitur Apostata nolens baptizari, sed de Infideli negatiuo fit positiuus Paganus, vel Iudæus, si talis erat ante ex generatione; vnde cap. Non dubito 149. de consecr. dist. 4. dicitur: *Si etiam Spiritu Sancto iam accepto Baptizari noluisset, contempti iam Sacramenti reus fieret*. Dicit *Reus fieret*, non dicit Apostata.

Ad secundum dico, esse omnino falsum, sufficere acceptationem Fidei extra Baptismum, cum ambo omninò sint connexa ex
13 allatâ Christi Doctrinâ: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, vsus fuit copulatiuâ, non disiunctiuâ, quis autem fit Christi membrum per Baptismum, & non per solam Fidem, cap. Nulli 131. de consecr. dist. 4. ibi: *Quando in Baptismate membrum Christi efficitur*, & cap. *Ad hoc* 143. eodem *Baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, & membra eius habeantur*. Catecumeni ergo sine Baptismo non sunt membra Christi, neque proinde in Ecclesiâ, in quâ Christus est Caput, & baptizati membra eius, cum ergo nihil habeant ab Ecclesiâ, nolentes baptizari, non dicuntur retrocedere, nec apostatare, sed Sacramento facere iniuriam, & remanere Infideles positiui.

Ad cap. *Veniens*, dico textum hoc non asserere, sed referre opinionem cuiusdam; ideo Pontifex ibi concludit, eum, qui non baptizatus recepit Præsbiteratum, nulliter esse ordinatum, sed iterum ordinandum post susceptionem Baptismi, qui est ianua aliorum Sacramentorum, & illorum fundamentum, ergo per solam Fidem non erat ille vnitus Christo fundamento omnis ædificationis, licet haberet Fidem, nondum tamen eius erat membrum factum postea per Baptismum.

Ad distinctionem allatam à Cardinali de 15
Apostasiâ latè, & strictè acceptâ, dico non subsistere, quia per eius suppositionem non probatam infertur quòd est in quæstione, nempe Catecumenum recedētem ante Baptismum committere Apostasiam latè acceptam, quod non est verum, quia talis Catecumenus non habet Fidem in se, dum non vult baptizari, sed est Infidelis; spernit enim Fidem cum Baptismo, & remanet Paganus, vel Iudæus, sicut erat ante, cum peccato. Quod subiungit in comparatione Catecumeni, & Nouitij, in eo, quòd status Nouitij inductus est ab Ecclesiâ, & sic recedendo à Religione non est Apostata, quia nullum statum Religionis deserit, sicut nec, Catecumenus recedens ante Baptismum non est strictè, & propriè Apostata quia nondum acceptatus fuerat ab Ecclesiâ; in recessu ergo ab hac acceptatione ponit Apostasiam propriè acceptam, in recessu verò à Fide nondum acceptatâ ab Ecclesiâ per Baptismum, contingit Apostasia latè accepta, quia Fides est actus internus, ac independens ab omni externâ Professione, ideo verè Apostata est, sed latè. Ista distinctio non potest subsistere, quia talis Fides non est vera, sed ficta, non supernaturalis, sed naturalis, quæ non potest coniungere hominem Deo, nec Christo; restat ergò quòd sit Infidelis, qui non est capax Apostasiæ, sicut Fidelis si retrocedat.

Sed quid dicendum, si Denuntiatus ne- 16
get se Baptizatum, vt effugiat Iudicium ecclesiasticum. Ad quemnam spectat; Ad Fiscum; an ad Denuntiatum? Videtur Probatio incumbere asserenti, non neganti, *l. 2. ff. de probat. Instit. de legat. §. Non solùm*, quia negantis factum, per rerum naturam nulla est Probatio *cap. Accusator. 2. 6. q. 5. cap. Quoniam* 11. *de probat. cap. Super hoc 5. de renun. cap. Bona memoria 23. de elect. Vbi Gloss. V. Per rerum*, vbi assignatur triplex negatiua, vide ibi.

Sed quoniam Probatio incumbit ei, qui 17
fundat suam intentionem in negatiuâ, vt tradunt communiter Doctores cum *Rota*

part. 8. decis. 31. num. 1. Gratian. cap. 793. num. 9. Siue sit Iuris, siue Facti, siue Qualitatis, ipsa negatiua, idem ibidem multis citatis. Idcirco ipse Denuntiatus debet hanc qualitatem negatiuam, quòd non est baptizatus, probare, vt quòd natus est ex Paganis, vel Iudæis, seu Turcis, maximè cum
18 Baptismus non præsumatur, quia est quid Facti, ideo probando, quod descendit ab vnà ex illis nationibus, obtinebit. Quod si constat, illum esse natum in terris Catolicorum, immo, & Caluinistarum, seu Luteranorum, apud quos est vsus Baptismi, tunc non obstante, quòd receptiò Baptismi sit
19 quid Facti, nihilominus præsumitur; fallit enim ea Regula in ijs, quæ fieri solent; nam in consuetis, & communiter accidentibus, præsumuntur ea, quæ sunt Facti, *Bald. in l. incendium C. si cert. pet. in fine, Iason in l. Sciendum, ff. de verb. oblig. num. 2. ex illis Contelor. de Canoniz. in Relat. Fr. Thomæ à Villanouà fol. 466.* nunc Sancti, *& cap. 13. num. 5. & 6.* immo *cap. Venient 3. de Presbit.*
20 *non Bapt.* in fine dicitur, quod natus ex Christianis præsumitur baptizatus; adeo quòd hæc presumptio habeatur pro certitudine, nisi contrarium euidentissimis argumenmentis probetur.

Quæritur 4. An ad incurrendam Apostasiam sit necessarium, quòd baptizatus abnegando Christum cum totà eius Fide, transeat ad aliquam Sectam?

21 ℟. Negatiuè, quia Apostasia essentialiter constituitur ex negatione Fidei susceptæ in Baptismo, vt superius probatum fuit; Apostasia enim est retrocessio, non à loco, sed à professione Fidei in Baptismo, quæ loco non alligatur; qui enim recedit ab vno loco necesse est, quòd aquirat alium locum, qui verò recedit à re spirituali, immo & corporali, non est necesse aliam rem aquirere, à qua non dependet; cum recessus non habeat necessariam connexionem cum aquisitione. Confirmatur, Professus simpliciter recedendo est Apostata, ergo, & recedendo à Fide. Est communis, *Carena part. 2 tit. 3. num. 3. Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 16. Salelles Reg. 107. num. 34. Dal Bene p. 1. dub. 47. Petit. 1. num. 2. Lucius lib. 11. Art. 2.*

Quæritur 5. An Infans baptizatus siue Catolici, siue non Catolici, educatus extra gremium Ecclesiæ, factus Adultus, & instructus in Fide, sed eam omninò recusans sit Apostata?

22 ℟. Affirmatiuè, quia baptizatus siue Adultus, siue Infans dum peruenit ad vsum Rationis instructus sufficienter, si resistit Fidei, nolens credere, statim fit Apostata; retrocedit enim à Fide in Baptismo receptà cum infusione gratiæ. Confirmatur per Tridentinum sess. 7. Can. 14. vbi supponitur Paruulos per suos Patrinos pollicitos esse Fidem Catolicam, ac proinde non esse cum adoleuerint suo relinquendos arbitrio, sed cogendos ad obseruationem Fidei promissæ; ergo recedentes sunt Apostatæ, Vide *Sanch. lib. 2. cap. 1. num. 8. cum alijs Carenam part. 2. tit. 1. num. 30.* Vbi vocant hunc Hæreticum.

Quæritur 6. An nulliter Baptizatus, si transeat ad vitam Infidelium nolens baptizari, sit Apostata?

℟. Negatiuè, sed est tantum Infidelis illius sectæ, siue nulliter fuerit baptizatus in Infantià, siue in Adolescentià, vnde quò ad hoc erit vel Paganus, vel Iudæus, si ex Iudæis sit genitus, non verò Hæreticus, neq; Apostata defectu Baptismatis. Et hoc probatur, Tùm quia, quod nihil est, nullum potest producere effectum, *l. 4. §. Condemnatum ff. de sent. & re iud. cap. illud, de iurepatr.* Tùm quia ex nihilo nihil fit, *Arist. 1. Physic. tex. 34.* Nihil enim, & inualidum æquiparantur *l. Si aut 4. C. de legitimis hered.* Tùm quia paria sunt non fieri, & inualidè fieri, *l. Non putauit, §. Non quauis ff. de bonor. possess contra tab. Mar. Anton. lib. 2. resol. 11. num. 10.* Quare cum tale Baptisma habeatur pro non Baptismo; sic baptizatus reuerà non est baptizatus, ergo cum nullam in eo intulerit obligationem Fidei, non obligatur vt Christianus, nec vt Fidelis, sed remanet omnino Infidelis sub speciè, vel Paganismi, vel Iudaismi, cum non detur alia species Infidelitatis extra professionem Fidei. 23 24 25 26 27

Contrarium, quòd nulliter baptizati defectu materiæ, vel formæ, vel intentionis Ministri, sint Hæretici quò ad forum interius, si à Fide deficiant, non tamen possunt puniri ab Ecclesià, vt docent *Sanchez, Sanctar. & alij, quos pro se citat Carena part. 2. Tit. 1. num. 28 & 29.* Idem probat *Dal Bene part. 1. dubit. 2. Corollar. 1. num. 15.* Primò ex concil. Nicæno cap. 19. vbi vocantur Hæretici, & de eo capite mentionem facit D. Aug. Hæresi 49. *Secundò*, sic etiam vocantur in Synodo generali can. 5. *Tertiò* isti vocantur Hæretici à S. Augustino lib. de vnico Baptismo contra Donatistas *cap. 3. & lib. de heres. in princ. & heresi* 44. 28

Respondetur ad primum, in Nicæno nec verbum quidem *Apostasia*, aut *Heresis* mentionem fieri, sed solùm statuitur, quòd si quis ex Paulianistis confugerit ad Ecclesiam, rebaptizetur, quia Baptismus à Paulo Samosateno Collatus sine expressione diuinatum Personarum erat nullus Lege can. 19. in proprio textu, & relatum cap. Si quis 52. 19. 1. & nihil inuenies probans illorum intentum. Et licet D. August. tom. 6. in catalogo Hæresum hæresi 44. mentionem faciat de Hæresi, qua illi erant infesti, nimirum 29

Pau-

Paulus, Artemonius, & Photinus, baptizati in nomine Trinitatis, ac proinde verè Hæretici, qui dicunt Christum à Mariâ initium habuisse, & esse purum Hominem, alios verò ab illis Baptizatos extra formam Ecclesiæ esse rebaptizandos, quia primus Baptismus inualidus erat; quòd hi sint hæretici, nihil asseritur, sed tantùm quòd sunt rebaptizandi defectu formæ. Ad illud Concilium, nihil dico, quia multa sunt Concilia generalia, nec hoc ab alijs discernit. Ad D. Augustinum idem dicendum est, quòd loquatur de ipsis Hæresiarchis, qui Hæretici appellantur, quia ab infantiâ fuerant baptizati in formâ Ecclesiæ, à quâ postea defecerunt vel in parte vt Hæretici, vel in totum, vt Apostatæ.

Quæritur 7. An negans Christum fuisse ante Mariam Virginem, asserens initium habuisse à Maria, & esse solùm hominem, sit tantùm hæreticus, an etiam Apostata.

30 ℟. Est tantùm hæreticus, & non Apostata, quia non totam Fidem negat, sed tantùm hunc articulum, ex his enim differunt Hæreticus, & Apostata, & reuerà ita est, cum etiam D. August. loco citato Hæresi 44. Hæreticos appellet, non Apostatas, negantes Christum esse Deum Filium Dei.

Quæritur 8. An reiterans Baptismum sit Apostata?

31 ℟. Non est Apostata, sed tantùm de Hæresi vehementer suspectus. Primum probatur, quia non retrocedit, cum totam Fidem non neget, nec neget Baptismum, ergo non est reus Apostasiæ.

Contrarium cum alijs docet *Farinac. q. 183. num. 18. per cap. 2. de Apostatis, & l. 1. & 2. C. Ne sanctum Bapt. iteretur.*

32 Ad cap. 2. respondeo, in eo ne verbum quidem fieri de Apostasiâ, sed tantùm dicitur, quod ille Acolitus rebaptizatus sit Irregularis, vnde in titulo fit mentio de duobus, sic: *De Apostatis, & reiterantibus Baptisma* Vt obseruatur ibi à Glosatore, quòd hoc secundum caput ab aduersarijs citatum pertinet ad secundam partem tituli; reliqua verò cum primo spectant ad priorem partem, quæ est de Apostatis.

33 Ad prædictas Leges dico, ne verbum quidem in illis exprimi de Apostasiâ, sed tantùm quòd Baptismus reiteratur cum priuatione Sacerdotij eius Episcopi, qui rebaptizauerit; & in secundâ lege rebaptizans, & rebaptizatus puniuntur vltimo supplicio, si ætas id permittat. Iure verò Canonico ex citato cap. vterq; est Irregularis ex formali reiteratione, ibi Barb. de communi Doctorum. Pœna autem Excommunicationis, & Depositionis ab Officio, & Beneficio, est contra Græcos rebaptizantes Latinos rite iam Baptizatos, vt habet *cap. fin. de Baptism. Vide Directorium part. 1. com. Pegna* 11. & 12. vbi Leges referuntur.

Secundum, quòd sit tantùm de Hæresi ve-
hementer suspectus, tam Baptizans, quàm 34
Baptizatus secundâ vice; probatur, quia per hanc Reiterationem præsumitur sibi id licere ac proinde credere non esse de Fide vnitatem Baptismi non reiterandi, contra *can. 8. de Sacram. & 11. de Baptismo sess. 7. Sebast. Medices V. Baptismus Hæreti 6.* refert alios Canones. Requiritur autem, quòd Rebaptizatio respiciat priorem Baptismum collatum validè in formâ Ecclesiæ, aliter si nulliter collatum fuit, reiteratio non est prohibita, immo præcepta, vt homo verum recipiat Baptismum; quia talis baptizatio non est reiteratio Baptismi, cum ille non extiterit; idem dic cum dubitatur, vel ignoratur collatum Baptisma; iteratum enim non dicitur,
quod ignoratur antea factum, *cap. solemnita-* 35
tes 16 dist. 1. de consecr. cap. Itaq. 112. dist. 4. eod. de qua Carena *part. 2. tit. 3. num. 53. ad 60.* qui alios sequitur ibidem num. 9. & citato num. 53. quòd puniuntur vt Apostatæ, dictu vt suspecti de Hæresi, licet transeunter oppositum dixerim cap. 9. sect. 2. num. 10. in aliorum opinione.

Quæritur 9. An Fidem negans coactus sit
Apostata? Notandum est, quòd quamuis 36
Voluntas quò ad suos actus immanentes, quos à se immediatè elicere potest, si vult, quia illorum habet dominium, ac proinde eius imperio subijciuntur, cogi non possit; non solùm per metum, sed nec per vim, & violentiam præcisam, quia, excepto Deo, nulla vis in creaturis inueniri potest, per quam Voluntas immediatè cogatur, & violentetur in suis volitionibus, seu nolitionibus; aliter non esset essentialiter libera, sed necessaria potentia in operando, quod dicere est hæreticum; inquit enim *Scotus in 4. dist. 29. q. Vn. num. 6.* quòd non potest violentari, quia tunc nolens vellet, vel volens nollet. Nihilominus ab extrinseco vim pati potest, vt experientiâ patet in eo, qui ligatus cogitur remanere, & in percutiente per manum alterius arreptam, qui nolens percutit, ibidem Scotus, qui distinguit coactionem in vim, & metum secundum quid. Est ergo coactio duplex, præcisa hoc est absoluta, & ex suppositione, seu conditionalis.

Vis absoluta est illa, cuius principium est 37
extra, passo vim non conferente, *Arist. 3. Ethic. cap. 2.* apud Scotum cit. *Vim non conferente* idest non cooperante cum cogente, sed resistente, & repugnante. Definitur verò Clarius *l. 1. ff. de eo, quod metus.* Vis, est maioris rei impetus, qui repelli non potest: si enim posset repelli, non violentaretur Patiens.

Metus verò est instantis periculi, vel futuri 38
causâ mentis trepidatio. l. 1. eod. Ex quo

tres conditiones requiruntur. *Prima*, quòd malum sit graue. *Secunda*, quòd trepidans non possit facilè resistere. *Tertia*, quòd minans præsumatur executurus, quod minatur, seriò ergo debet minari. De his *Castropal. part.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *p.* 7. qui non requirit, quòd minans sit solitus exequi minas; meritò enim timentur minæ promissæ, dum seriò promittuntur; contra communem, *& Brancatum disp.* 19. *de Matrim. num.* 61. referentem textum *l. Famosi ff. ad leg. Iulia Maiest.* his verbis; *Nam & Persona spectanda est, an potuerit facere, & an ante quid fecerit*. Quæ eius intentum non probant, ea enim postrema verba referuntur ad comminationem; an eam fecerit seriò, an ad terrorem, vt obtineret intentum; in sequentibus verò ipse, & Castropal. recensent mala, quæ minata inferunt metum grauem cadentem in constantem virum, ad quæ mala fugienda patiens eligit aliud. E.g. Qui ad euitandam Mortem, vel membri mutilationem, negat Fidem, vel frangit sacram Imaginem, vel Dijs incensat. His notatis.

39 ℟. Coactus vi præcisà non est Apostata, nec Hæreticus, quia non peccat, siquidem nihil agit, sed tantùm patitur, vt habet tex. *in cap. Præsbiteros* 32. *dist.* 50 *in cap. Sacris* 5. *de ijs quæ vi*. Ita *Pegna part.* 1. *com.* 24 *Farinac. q.* 183. *num* 32. *Ricciul. lib.* 6. *cap.* 5. *num* 2. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 81. *Salelles Reg.* 107. *num.* 43. Vbi, quòd nec indè insurgit aliqua Apostasiæ, vel Hæresis præsumptio si concludenter probata sit vis præcisa in suis terminis.

40 Metu verò graui impulsus Mortis, mutilationis &c. ad negandum Fidem, vel aliquem eius Articulum, vel ad incensandum Idola, vel frangendum sacram Imaginem, præter peccatum mortale, quòd non excusat metus in ijs, quæ sunt intrinsecè mala, *Sanchez lib.*
41 1. *cap.* 18 *initio*, *Sayr. in Claui lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 50. licet illud attenuet, *cap. Sacris. cit.* esto non sit Apostata, nec Hæreticus formaliter, *Albertinus q.* 30. *num.* 6. *Pegna cum alijs citatis à Carena num.* 82. *& Salelles num.* 46. Possunt tamen puniri ab Inquisitoribus, vt tradunt allegati *à Barbosà Allegat.* 40. *num* 33. tamquam suspecti de Hæresi, vel leniter, vel vehementer iuxta conditionem Personæ, vel qualitatem metus.

Nam ex metu graui oritur suspicio leuis, *Pegna part.* 1. *com.* 24. *Vers. Sed hæc* ex Gersone, dummodò post lapsum statim redeant ad pænitentiam, probantes concludenter illatum metum, & cum illis *est Farin. q.* 183. *num.* 29. *Carena par.* 2. *tract.* 1. *num.* 85.

42 Ex metu verò leui, vt Carceris, Exilij, Fustigationis &c. oritur suspicio vehemens in Personà graui, vt in Episcopo, Clerico, Religioso, & docto quolibet. Si verò persona sit Mulier, Idiota, Puer, &c. metus leuis inducit Suspicionem leuem, eà ratione, quia quò magis quis est instructus in rebus Fidei, eò firmiùs in eà persistere debet, ergo si in Fide langueat retrocedendo ob leuem coactionem, maior insurget Suspicio contra magis doctum, quam contra rudem personam parùm instructam. Ita Salelles Reg. 107. num. 47. & 48. citans *Pegnam cit. Vers. Qui autem*, *Farinac. & Sousam lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 4 *&* 5. *& Carena cit. num.* 85. *Ego cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 16. *Dal Bene part.* 1. *dub.* 47. *Petit.* 4.

Quæritur 10. An sacrificans Idolis, seu eis thus exhibens spontè, non coactus, incurrat Apostasiam?

℟. Non est formaliter, & propriè Apostata, quia isti actus non negant totam Fidem, sed ex parte tantùm, vnde solùm præsumitur vehementissimè suspectus de Hæresi, vt dixi cap. 9. Sect. 2. num. 7. contra *Farinac. q.* 183. *num.* 17. *& ab eo citatos*, *Carenam p.* 2. *tit.* 3. *num.* 6. *Ricciul. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. citantem *D. Thomam* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. qui tamen nihil dicit spectans ad hanc quæstionem. 43

Quæritur 11. An iurando, vel iratus dicendo Renego Deum, & Fidem, si ita non est, si non vindicabo hanc iniuriam, sit Apostata?

℟. Non est Apostata quia sonant in Blasphemiam, vt docent omnes cum *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 11. *Pegna part.* 2. *com.* 66. §. *Quoniam Royas part.* 2. *num.* 170. *Castropal. part.* 3 *tract.* 17. *disp.* 2 *p.* 2. §. 3. *num.* 2. *Albergbinus cap.* 16. *num.* 3. *&* 4. *Sayr. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 20. §. *Respondeo*, ergo non in Apostasiam. Est tamen suspectus de Hæresi, vel vehementer, vel leuiter, vt dicam in sect. de Blasphem. 44

Quæres 12. An Apostasia sit publicum crimen.

℟. Sic expressè *l. Apostatarũ C. de Apostatis*, ideò cuilibet de populo competit accusatio, vt ibidem dicitur, etiam post mortem quia hoc crimen nunquam præscribitur, ita *Decian. lib.* 5. *cap.* 72. *num.* 2. *cap.* 76. *num.* 1. *cum alijs Farinac q.* 183. *num* 6. & 9. de præscriptione nunquam admittendà. 45

Quæritur 13. Quisnam sit Iudex huius delicti?

℟. Episcopus, & Inquisitor, quia sunt Iudices in causis Hæresum; Apostasia autem non inuenitur sine hæresi, immò magis se extendit in perniciem Fidei, cum hanc totam destruat in subiecto; Hæresis verò in parte, vt omnes docent. Ita *Farinac. q.* 183. *num.* 11. *&* 12. *Carena part.* 2. *tit.* 3. *num.* 13. *Diana part.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 12. *Ego cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 20. 46

Quæritur 14. Quibus pœnis afficiantur Apostatæ?

℟. Eis-

47 ℞. Eiſdem pœnis, quibus Hæretici plectuntur. *Farinac. q. 183. num. 15. Carena p. 2. tit. 3. num. 25. Barb. ad l. 1. C. de Apoſt. num. 4.* incurrunt ergo omnes pœnas Hæreticorum, & vlteriùs alias, de quibus in Legibus de Apoſtat. vt notat. *Ricciul. lib. 6. cap. 4 fine, vt dixi cap. 9. ſect. 2. num. 17. Dal Bene p. 1. Dubit. 47. Petit. 2.* vbi decem enumerat pœnas, quas dicit, eſſe extenſas ad perſuadentes hoc crimen, num. 12.

Quæritur 15. An poſſit dari vis, & metus in eodem caſu Apoſtaſiæ?

48 ℞. Affirmatiuè, vt patet in hoc; ſi Chriſtianus per vim circuncidatur, & per metum Mortis effugiendę erigat digitum, ſeu cogatur proferre verba in honorem Maumeti, iuxta Turcarum cerimonias. Hunc caſum contigit Melitinæ referente Salelles Reg. 107. num. 50. & 51. dicente, hinc exurgere Præſumptionem formalis Apoſtaſiæ; ſi ceſſante coactione non redijt; ſi ſpontè, quò ad alia externa ſe ſicut Turca geſſit. De tranſeuntibus ad Maumetanos *Pegna part. 2. com. 70.*

SECTIO QVARTA

De Apoſtaſia ab Ordine, & Religione.



SVMMARIVM.

1 *Apoſtaſia ab Ordine eſt temerarius receſſus ab Ordine ſacro, abiectis tonſura, & habitu ſine animo reuertendi.*

2 Nemo mittens manum ad aratrum *&c. Lucæ 9.*

3 *Tonſurati, & in Minoribus conſtituti non ſunt Apoſtatæ recedentes.*

4 *Receſſus iſte debet eſſe ad ſtatum laicalem.*

5 *Requirit dimiſſionem Tonſuræ, & habitus.*

6 Cap. A nobis 5. de Apoſt. *explicatur.*

7 *Beneficiatus in Minoribus exiſtens non eſt Apoſtata, recedens.*

8 *Recedens non eſt Hæreticus, nec Apoſtata.*

9 *Pœnæ contra Apoſtatas ab Ordine ſunt nullæ.*

10 *Ducens Vxorem eſt excommunicatus; caret Beneficijs.*

11 *Dicunt eſſe Infamem, Irregularem, ſed non eſt verum.*

12 *Ducens Vxorem ſit ſuſpectus vehementer de Hæreſi.*

13 *Sponſalia contrahens ſuſpectus leuiter.*

14 *Media ſequuntur naturam ſui finis.*

15 *Quibus pœnis afficiatur.*

16 *Apoſtata à Religione ille dicitur, qui eam deſerit.*

17 *Profeſſus, vel Profeſſa.*

18 *Nouitij receſſus non eſt temerarius.*

19 *Profeſsio etiam non ſolemnis ſufficit.*

20 *Nulla Profeſsio non inducit hanc Apoſtaſiam.*

21 Tamquam *notat improprietatem, & fictionem.*

22 *Religio debet eſſe approbata, vt recedens ſit Apoſtata.*

23 *Receſſus debet eſſe cum animo non reuertendi.*

24 *Dimiſsio Habitus non eſt neceſſaria ad Apoſtatandum.*

25 *Vagatio, & dimiſsio Habitus probant Apoſtaſiam.*

26 *Vbi de fugitiuis.*

27 *Apoſtaſia hæc non inducit ſuſpicionem Hæreſis.*

28 *Vnde nec eſt caſus Inquiſitionis, ſi deſerat Habitum etiam vltra annum.*

29 *Ducens vxorem eſt vehementer ſuſpectus de Hæreſi.*

30 *Torquendi ſunt, debent abiurare, & triremibus dari.*

31 *Suſpicio hæreſis magis augetur, ſi ſit Sacerdos, immo & Subdiaconus.*

32 *Vxor quoq; notatur ſuſpicione Hæreſis.*

Dictum fuit ſub initium præcedentis ſectionis, quòd Apoſtaſia eſt triplex, à Fide, quam ibi explicui, ab Ordine, & Religione, de quibus hìc agendum eſt. 1

Quæritur igitur 1. Quid ſit Apoſtaſia ab Ordine?

℞. Eſt temerarius receſſus ab Ordine Sacro ad ſtatum laicalem, cum dimiſſione tonſuræ, & habitus Clericalis, ſine animo reuertendi ad ſtatum Clericalem.

Dixi,

2 Dixi, *temerarius recessus*, qui enim hoc facit, peccat mortaliter, quia vt dicitur Lucę 9. fine: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est* Regno Dei. Quod propriè de ijs, qui profitentur sequi Christum, vt Clerici, & Religiosi, sermo est Christi, à cuius aratro obedientiæ retrocedunt, peccantes mortaliter, ex quo dicuntur inæpti regno Dei.

3 Dixi 2. *Ab Ordine Sacro*, quia tonsurati, & etiam constituti in Ordinibus minoribus redeuntes ad seculum non sunt Apostatę ab Ordine, nec peccant mortaliter, vt faciunt constituti in Sacris. Ita *Angel.* 5. *Apostata num.* 3. *Silu. num.* 7. *Toletus lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 5. vbi quòd nec peccat venialiter, ducendo etiam vxorém, illos sequitur *Dal Bene part.* 1. *Dubit.* 47. *sect.* 1. *num.*2. *alios citat Farinac.* *q.*183.*num.* 135.

4 Dixi 3. *Ad statum laicalem*, Apostasia enim ab hoc statu specificatur, dum incedit seculariter, & viuit laicaliter. Ita omnes cum Farinac. q. 183. num. 115. Quare si dimittat habitum, seu etiam tonsuram ad euitandum aliquod periculum, vel ad aliud agendum non est Apostata, quia non dicitur transisse ad statum laicalem; probatur autem in Clerico status laicalis, si ducat Vxorem, si fiat miles, si exerceat artem aliquam Clericis prohibitam, Vide Ricciul. lib. 7. cap. 1. & seq.

5 Dixi 4. *Cum dimissione Habitus, & Tonsurę*, si enim gestat vnum ex his, non est propriè Apostata, vt colligitur ex cap. 1. de Apostat. vbi est sermo Copulatiuus sic; *Praeterea Clerici, qui relicto ordine Clericali, & habitu suo*. Vbi in Gloss. per illa verba, verba *Ordine Clericali* intelligitur tonsura capitis, non Ordo receptus, quem Clericus abijcere non potest. Nec obstat, quòd in

6 cap. *A nobis* 5. *eod.* fiat mentio de solo Habitu, quia ibi sermo est de Habitu communi Clericis, & Monachis, non excludendo Tonsuram *Farinac. q.* 183. *num.* 119. *ex Angelo, & Siluestro* dicit, Clericum dimisso habitu dici Apostatam, licet retineat Tonsuram. Sed id est contrarium supradicto textui.

Dixi 5. *Sine animo reuertendi ad statum Clericalem*, quia si habet animum reuertendi, non est Apostata, quia hi duo status non se compatiuntur simul, sed vno posito, alter reijcitur.

Quæritur 2. An in minoribus constitutus aliquandò sit Apostata v. g. si habeat Beneficium ecclesiasticum, & recedat?

7 ℞. Gloss. V. *Ad secularem cap fin. dist.* 50. hunc dimissis habitu, & tonsura esse Apostatam, & deducit ex textu illis verbis extremis *Ab Ecclesia alienus habeatur* idest non ampliùs recipiatur inter Clericos ex cap. 61. eod. Nulla autem mentio fit in textu de Apostasiâ, vnde ego puto Apostatam hunc gratis nominari ab omnibus, quos pro se citat Farinac. *q.* 183. *num.* 132. Nec Sixtus V. in sua 92. incip. *Cum sacrosanctam* tales Habitum, nec Tonsuram deferentes apellat Apostatas, sed Habitum, & Tonsuram non resumentes priuat Beneficijs, ergo nonnisi impropriè sunt Apostatæ.

Quæritur 3. An Apostata ab Ordine sit Hæreticus, vel saltem suspectus de Hæresi?

℞. Neutrum contrahit, quia talis retrocessio in nullo offendit Fidem. Ita *Direct. p.* 2. *q.* 49. *num.* 2. *alijs citatis Farinac. q.* 183. *num.* 126. 8

Quæritur 4. Quasnam pœnas incurrat Apostata ab Ordine Sacro?

℞. Nullas iuris pœnas incurrit, cum non exprimantur in eo; sed cogendus est resumere Habitum, & Tonsuram per Censuras Ecclesiasticas *Cap. Tua* 3. *de Apost.* Manens enim, & viuens, vt laicus, est in statu peccati mortalis. Quòd si ducat vxorem incurrit Excommunicationem reseruatam Episcopo ex Farinac. q. 138. num. 97. Alij meliùs non esse reseruatam, *Suar. disp.* 23. *de cons. sect.* 5. *num.* 11. *Castropal. disp.* 3. *de censur. p.* 34. *num.* 8. *Bonac. disp.* 2. *in Bulla q.* 4. *p.* 1. Item à Sixto V. priuatur Beneficijs, vt dixi q. 2. 9 10

Aliqui dicunt, esse Infamem, quos citat Farinac. *q.* 183. *num.* 43. 109. & 110. & sequitur *Layman lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15 *per cap. Beatus* 3. *q.* 4 Sed reuerà nihil ibi dicitur. Idem *Farin. num.* 112. dicit, esse Irregularem, id tamen benè negat *Bonac. de Irregul. disp.* 2. 7. *q.* 3. *p.* 7. *num.* 8. ex Vgolino contra Maiolum. Ita esse excommunicatum, *sub n.* 124. Sed verum non est, nisi ducat vxorem, *Bassaus V. Apostasia num.* 3. ea enim censura extra hunc casum nullibi reperitur. 11

Quæritur 5. An ex contracto Matrimonio oriatur suspicio Hæresis, & qualis?

℞. Clericus in Sacris contrahens Matrimonium est suspectus de Hæresi, siue illud contrahat secretò, siuè palam. Omnes *cum Pegna part.* 2. *Direct. com.* 74. *Vers. Atque hæc Diaz cap.* 81. *in Praxi num.* 3. & *Ignatius Lopes in Annot. lit.* 10. *Farinac. q.* 183. *num.* 73. *Decian. lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 40. *Alberghinus cap.* 26. *num.* 1. & 2. Vbi reddit rationem huius suspicionis, quia videtur approbare Hæresim Luteri improbantis vota Religiosorum & continentiam Clericorum. Confirmatur, quia per hunc Contractum facto impugnat id, quod de Fide definit Tridentinum sess. 24. can. 9. nullum esse huiusmodi Matrimonium. Eos sequuntur alij citati à *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 5. *Salelles Reg.* 108. *num.* 73. *ad* 76. *Sousa lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 16. Non explicant qualitatem, nec gradum Suspicionis. Hispani tamen dicunt, Clericum esse suspectum tantùm de leui, si verò sit de Prouinciâ Luteranâ, est suspectus vehementer. Itali autem hunc dicunt esse vehementer suspectum, 12

tum; vrget enim huiusmodi factum, quòd reuerà credat licere Matrimonium, & ita docet *Carena par.2.tit.*17 *num.* 10. *& ego cap.* 22. *num.*53. *Albergh. num.* 5. *& 6.*

Quæritur 6. An in Sacris constitutus contrahens sponsalia sit suspectus de Hæresi?

13 ℞. Est suspectus de hæresi solùm leuiter, vt probat *Carena part.2.tit.5 num* 34. *relatiuè ad tit.*17. *num.* 11. *Ego cit. num.* 56. Quia prohibito Matrimonio censentur etiam prohibita sponsalia, per quæ peruenitur ad illud *l. Oratio ff. de sponsal* eodem enim motiuo, quo interdicitur Matrimonium, prohibentur sponsalia; vtraq; enim prohibitio ordinatur ad abusum Sacramenti huius impediendum; finis enim, & mediorum eadem est ratio, ita quòd media sequuntur naturam sui
14 finis, & ab eo regulantur, *Barb Axiom.*99. *num.*2. Tractatus verò de ducendâ vxore sine sponsalibus nullam inducit suspicionem, quia remotè se habet, *Carena ibidem Vers. Ex his*. Vide *Alberghin. cap.* 26. *num.*2.

Quæritur 7. Quibus pœnis afficiatur ducens Vxorem?

15 ℞. Maiori pœnâ afficiendus est, quàm Poligamus, qui per quinquennium damnatur ad Triremes, *Carena part.*2 *tit* 5. *num.* 61. *Diana part.*4. *tract.*4 *resol.* 5 *Vers Verum, ex Castropal. tract.*4. *disp.*8. *p.*16 *§.* 8 *fine*. Extendenda est pœna meo iudicio, quia grauius delictum apparet in Clerico, quàm in alio non prohibito ducere Vxorem?

Quæritur 8. Quid sit Apostasia à Religione?

16 ℞. Est temerarius recessus Personæ religiosæ professæ solemniter, vel simpliciter validè a Religione approbatâ à summo Pontifice, cum intentione non amplius reuertendi.

Dixi 1. *temerarius recessus*, quia non stat promissioni Deo factæ de perseuerantiâ manendi in Religione. Temerarius debet esse recessus, quia transiens legitimè ad secunda vota, vel ad dignitatem, vel manens extrà de licentiâ Superioris temerè non recedit, sed dicitur in Religione perseuerare. Et in hoc nulla difficultas.

17 Dixi 2. *Persona religiosa*, vt includerem Religiosos, & Religiosas moniales, quæ & ipsæ capaces sunt Apostasiæ, si recedant, intentione manendi in seculo. *Farinac. q.* 183. *num.*68. *Tambur. de Abbatissis disp.* 21 *q.* 5. *num.* 3. ex cap. Peruenit 15. & cap. Siculos 18. 27. q. 1. in quibus tamen non nominatur Apostasia, sed solùm coguntur redire ad claustra sua. *Dal Bene part.* 1. *dubit.* 47. *num.*9.

18 Dixi 3. *Professa*, quia Nouitij recessus non est temerarius, potest enim recedere quandocunq; voluerit, *cap. consulti* 20. *de Regul. vbi Glos. V.* Remeare, quod potest dùcere vxorem, & *cap. Statuimus* 23. *eod.* Et in hoc nulla est difficultas, quia iura clarè loquuntur.

19 Dixi 4. *Solemniter, vel simpliciter*, quia Professio priuata non facit Religiosum, sed solemnis, acceptata scilicet à Superiore, in cuius manibus fit, vel simplex legalis ei æquiualens, quam emittunt Nouitij Societatis Iesu post biennium nouitiatus, ex Bulla *Ascendente* Gregorij XIII. *Pellizar. Tract* 8. *cap* 8. *num.*51. *compend. resol.* 11 *num.* 26.

20 Dixi 5. *Validè*, quia nullâ exilte te Professione, reputatur, ac si esset Nouitius, ac proindè Apostata non est; nec obstat Trident. sess. 25. cap. 19. ibi. *Quod si anteà habitum spontè dimiserit tamquam Apostata puniatur.* Quia ibi loquitur de volentibus reclamare super nullitatẽ Professionis, qui non possunt dimittere habitum, quia in foro externo habentur pro validè Professis, ac proindè cum eo debent reclamare, aliter non audiuntur. Et quòd non sit Apostata, insinuat ea
21 dictio *tamquam*, quæ ex sui natura denotat impropriẽtatem, & fictionem, *ex allatis à Barb. hac dict* 403. *num* 1.

22 Dixi 6. *A Religione approbata*, Religio autem essentialiter construitur ex tribus votis a Papa approbata solemnibus, vel æquiualentibus, propter vota biennij, vt dictum fuit. Hinc est, quòd vota Tertiariarum S. Francisci, S. Dominici &c. non approbata sub eâ solemnitate non inducunt Religiosum propriè dictum, nec proindè Apostata dicitur ab eis recedens, licet malè faciat. Ita omnes *cum Tambur tom* 3. *disp* 8 *q* 1. *num.* 4 *qui num.* 3. dixerat, recedentem cum tribus votis simplicibus non esse Apostatam, *Compend. resol.* 11. *num* 26.

23 Dixi 7. *Cum Intentione ampliùs non reuertendi*, hoc enim importat recessus, & desertio Religionis. *Rodriq. tom* 1. *q.* 30. *art* 1. *eius Compend. resol.* 11. *num* 1 *Ego resol* 41. *num.* 9. *Tambur. cit. num.* 1. Bon.c in Bulla *disp.*3. *q* 8. *p.*11. *num.*3. *Clarus lib.*5. *q.*78 *nu.* 4. requirit ad Apostasiam vagationem, & dimissionem Habitus, quod videtur probari ex cap. 1. 3. & 5. vbi fit mentio respectu Clerici non solùm de Tonsurâ, sed etiam Habitu ab illis resumendis, & in prædicto cap. 5. fit mentio de Habitu regulari resumendo à Religioso Apostatà.

24 Sed reuerà ad constituendum quem Apostatam, non est necessaria dimissio habitus, cum sufficiat recessus animo non redeundi ampliùs ad Religionem, sicut enim Habitus non facit Monachum, *cap.* Porrectum 13. *de Regular.* ita neq; illum adijcit a statu regulari. Et ita docent omnes *cum Sanchez lib.*6. *cap.*8. *num.*4. *Compend. cit. num.* 20. *cum suo Auctore latè contra Clarum Iacintus Donatus Dominicanus de rebus Regular. Part.* 2. *tract.* 6. *q.* 2. *Tambur. tom.*3. *disp.*8. *q.* 1. *num.* 12. Pro Claro dici potest, ea duo scilicet vagationem,

seu

25 seu esse extra Monasterium, & sine habitu, esse necessaria ad probandam Apostasiam in foro externo. Apostata autem à fugitiuo differt, quia fugitiuus habet animum reuertendi, vel saltem non deserendi Religionem
26 vt sic. Vide *quæ dixi cit. resol.* 41. *à n.* 13. *ad* 20. in quibus locis discernitur fugitiuus ab Apostatà, vbi etiam à num. 26. retuli pœnas contra Religiosos Apostatas, quas hìc non recenseo, ne sim prolixus extra institutum.

Quæritur 9. An Religiosus Apostata sit suspectus de Hæresi deserendo Religionem? Et similiter ducendo vxorem? & sic ex duplici Capite?

27 ℞. Ex primò capite non est suspectus de Hæresi, quia vagatio, seu permanentia extra sine licentià non opponitur Fidei, ergo illum non reddit suspectum Hæresis. Ita *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol* 3. *ex Duardo*, *Pegnà & Bariolà*, *quos citat Pellizar. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 60. asserentes, non esse puniendos ab Inquisitoribus, ergo bene infertur, non esse suspectos de Hæresi. Vbi citat *Sanct. cap.* 41. *d.* 3. *& Peyrin. const.* 9. *Pauli V. num.* 13. censentes, Inquisitorem posse procedere contra Religiosos Apostatas, si per annum negligentes perstiterint in redeundo ad Reli-
28 gionem. Sed Inquisitores non solent procedere contra Excommunicatos extra causam Fidei, vt plerique testantur apud *Farinac. q.* 192. *num.* 24. *Ventriglia in suà Praxi rerum notabil. Annot.* 2. *§.* 5. *num.* 18. *& seq. Annot.* latè de insordescentià in Excommunicatione vltra annum, *de quà etiam Trident. sess.* 25. *cap.* 3. illis verbis: *Contra eum tamquam de Hæresi suspectum procedi possit*. Illud enim verbum *tamquam* diminuit, & denotat improprietatem, & fictionem Iuris, & ideò apud Inquisitores id non practicatur, sed Apostatæ puniuntur à suis Superioribus *cap. fin. de Regul. & in tit. de Apost.* & nouissimè in Decretis, de Eiect. & Apost.

29 Ex secundò verò capite, Religiosus Apostata ducens Vxorem siue occultè, siue palam, est vehementer suspectus de Hæresi, eo modo, quo dixi esse suspectum Clericum in sacris sub q. 5. Quia per hoc factum videtur approbare Hæresim Luteranorum, qui vota Religiosorum damnant impiè asserentes eis licere Vxorem ducere. Ita *Farinac q.* 183.
30 *num.* 71. vbi quòd torquendi sunt super Intentione, cogendi ad Abiurandum de vehementi, & condemnandi ad triremes. Quod subduntur Inquisitoribus, docent *Rodriq. tom.* 3. *q.* 1. *art.* 1. *Peyr ad const.* 9. *Pauli V. n.* 20. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 5. *Carena par.* 2. *tit.* 17. *num.* 10. *Ego cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 28.

Restant duo dubia, vnum in casu, quo ducens Vxorem sit etiam in Sacris constitutus, numquid augeatur Suspicio vehemens ex capite Professionis, & Clericatus? Alterum, an Vxor eàdem Suspicione, & pœnà sit notanda?

Ad primum respondetur affirmatiuè, quia Apostasia oritur ex duplici radice Clericatus, & Professionis, *Lezana V. Apostata num.* 14. ex quo augetur malitia Apostasiæ, ergo & suspicio Hæresis. 31

Ad secundum dico, Suspicione notari Vxorem, nisi probet, se ignorare statum regularem eius, cum quo contraxit, quia præsumitur credere sibi licere nubere Religioso, quod est Hæreticum. Consideratà tamen conditione sexus fœminini, positâ cognitione status religiosi solùm leuiter iudicari potest suspecta, si verò ignorat, nulliter censeri debet suspecta, cum Iudex, nec Consultor possint fundare suam præsumptionem in aliquo inferente Suspicionem, nisi in factum Matrimonium, quod respectu mulieris caret qualitate Sacrilegij. 32

SECTIO QVINTA

De Schismate, & Schismaticis.

SVMMARIVM.

1 *Schisma est separatio Baptizati à Romano Pontifice, quà est caput Ecclesiæ.*
2 *Rebellat enim nolens obedire Papæ vti Vicario Christi.*
3 *Nolens obedire ex alio capite non est Schismaticus.*
4 *Non est Hæreticus, de Hæresi tamen valdè suspectus.*
5 *Schisma non opponitur Fidei, sed Charitati.*
6 *Schisma vix dabile sine offensione Fidei.*
7 *Schisma est Frater Hæresis.*
8 *Torquetur super Intentione.*
9 *Abiurat de vehementi.*
10 *Præsumptio non oritur ex præsumptione.*
11 *Concilium celebrantes, vel prohibitum à Papa prosequentes sunt Schismatici.*
12 *Recedentes à legitimo Concilio sunt Schismatici.*
13 *Appellans ad futurum Concilium est Schismaticus.*
14 *Papa est super Concilium.*
15 *Appellans à Papà ad Christum est*

Schis-

Schismaticus, & Hæreticus.

16 *Papæ, de cuius Canonicâ electione constat, est obediendum.*

17 *Delictum in dubio non præsumitur.*

18 *Quid de Papis omnino dubijs in eorum Electione.*

19 *Papa non potest esse Schismaticus.*

20 *Schisma non datur Sede vacante.*

21 *Ignorantia excusat à Schismate.*

22 *Contrarium probatur ab alijs.*

23 *Non credens hunc v.g. Clementem IX. esse Papam est Hæreticus, & Schismaticus.*

24 *Qui reuelauit Petrum esse Papam, reuelauit quoq; eius successores Canonicè electos esse tales.*

25 *Dicta à Christo de* Petro *Papâ, ab eodem Christo dicta sunt de Successoribus.*

26 *Schismaticus probatur negans Clementem hunc esse Papam.*

27 *Schismatici sunt in duplici differentiâ, puri carentes Hæresi, & mixti ex vtroque.*

28 Priuatus *est ecclesiasticâ potestate.*

29 *Et licito vsu Potestatis Ordinis.*

30 Peccat *conferendo Ordines licet validè.*

31 *Licet careat potestate Iurisdictionis, eius tamen gesta sustinentur.*

32 *Ordinatus caret exercitio Ordinis suscepti.*

33 *Beneficijs omnibus est priuatus.*

34 *Inhabilitatur ad Beneficia.*

35 *Excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini.*

36 *Licet sit purus Schismaticus.*

37 Ab obedientiâ *restringitur ad Papam.*

38 *Suspectus vehementer de Hæresi.*

39 *Mortis reus est Schismaticus impenitens.*

40 *Confiscantur bona Schismaticorum.*

41 *Irregularis non est.*

1 SChisma vti Frater Hæresis, hanc præcedit, cum quâ ferè semper coniungitur, licet enim opponatur Charitati, & non Fidei, nihilominus est præuia dispositio ad Hæresim. Schisma ex dictione denotat diuisionem, Separationem, Scissuram, & Discessionem ab vnitate Capitis, qui est Romanus Pontifiex; relictis nonnullis eius acceptionibus, quæ non faciunt ad hoc institutum, de quibus dixi cap. 9. sect. 1. de illo solùm ago iuxta sequentem definitionem.

Quæritur 1. Quid sit Schisma, & Schismaticus?

℞. Schisma est dissessio, diuisio, & separatio hominis baptizati à Pontifice Romano 2
Capite Ecclesiæ, & Vicario Christi, quatenus tali, & vt administratore rerum spiritualium, quæ spectant ad Règimen animarum. Ita docent omnes cum *S. Thomâ* 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *ad* 2. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 2. *de Lugo disp.* 25. *num.* 36. *Dal* Bene *part.* 1. *Dubit.* 47. *num.* 15. *Castropal. tract.* 6. *disp.* 4. *p.* 4. *num.* 2. *&* 3. *Farinac. q.* 184. *num.* 7. *Sousa lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 4. *Salelles Reg.* 110. *num.* 104. Attenditur ergo Rebellio baptizati no- 3
lentis obedire Papæ, quatenus est Christi Vicarius in his, quæ spectant ad Fidem, & mores pro vniuersâ Ecclesiâ, spernendo eius ordinationes tendentes ad salutem animæ, & sic recedit à potestate, & Iurisdictione spirituali; ac proinde Recessus à potestate temporali, & in ijs, quæ spectant ad lites non constituit Schisma. Ita omnes *cum Sanchez cit. num.* 4. *Azorius part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *q.* 4. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *p.* 5. *Vers. Septimo. Lupus super Edictum* S. *Officij lib.* 11. *art.* 2. *diffic.* 2. *Salelles Reg.* 110. *num.* 106. *Castropal. num.* 7. *&* 8. *de Lugo num.* 36. *Ricciul. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 12. *& seq. Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 29. *fine.* Nolens ergo obedire ex alio capite, vel causâ, quæ non tangit summam eius Potestatem in spiritualibus; vel si tangit, non tamen est inobediens ex eo; sed quia odio habet eius Personam, 4
vel quia res præcepta est difficilis obseruatu; vnde Regulares non obseruantes Constitutiones Clementis VIII. & etiam quas non acceptarunt, per hanc inobedientiam non sunt Schismatici, quia non rebellarunt in odium potestatis, sed eas non acceptarunt propter earum difficultatem, quam experti sunt.

Quæritur 2. An talis Schismaticus sit Hæreticus, an saltem suspectus de Hæresi, & qualiter?

℞. Non est Hæreticus, tamen de Hæresi 5
est valdè, & vehementer suspectus, vnde super Intentione torquendus, & catolicè respondens adhuc de vehementi abiurare debet, obediendo mandatis summi Pontificis.

Prima pars, quòd non sit formaliter Hæ- 6
reticus, probatur, quia Schisma non opponitur Fidei, sed Charitati, ex sententiâ omnium Theologorum cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. Charitas enim vnit, & pacem conseruat, quam disiungit Schismaticus, quò ad suam personam, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 36. *num.*

7. *D. Bonauentura in 4. dist. 13. dub. 4.*
Confirmatur, quia dari poteſt verũ Schiſ-
ma, quod ſit peccatũ ſolùm contra Charitatẽ,
ſine offenſione Fidei; ex D. Aug. de Fide, &
Simbolo cap. 10. his verbis: *Schiſmaticos eſ-
ſe, qui diſceſſionibus iniquis à fraternâ Cha-
ritate diſſiliunt, quamuis ea credant, quæ
credimus.* Vnde D. Thom. 2.2. q. 39. art. 1.
ad 3. ait, quòd omnis Hęreticus eſt Schiſ-
maticus, ſed non è conuerſo, quod etiam
dixit *Gloſſ. V. Et Schiſma, cap. Inter Hæreſim,
26.* 24 q. 3. vbi ſubiungit, quod Schiſma
pertinax tranſit in Hęreſim. Quare P. Fran-
ciſcus *à s. Auguſtino Macedo Minorita in
Vrbano Collegio Controuerſiarum de propa-
ganda Fide, Qualificator* S. *Inquiſitionis in
Vrbe, in ſuo opere inſcr. De clauibus Petri in
quatuor libros diuiſo quaſt.* Prauia art. 3.
7 *Aſſert.* 3. dicit, dari verum, & proprium
Schiſma ſolùm peccatum contra Charita-
tem, ſine offenſione Fidei, *Speculatiuè lo-
quendo.* Quia ipſe putat, & rectè in praxi
vix poſſe contingere, vt quiſquam Schiſma
committat, Fide inoffenſâ, & id probat in ſe-
quenti Aſſertione; & ego id confirmo *ex
Gloſ.* V. *Qui verò in ſummâ Cauſa 24. q. 1. fi-
ne, &* V. *Sceleratius, cap. Afferamus* 21. 24.
q. 1. Vbi, quòd Schiſma non poteſt eſſe ſine
Hæreſi, & ex definitione Schiſmatis ſupe-
rius adductâ. Ex his infertur, & probatur.
8 Secunda pars, quòd Schiſmaticus ſit ve-
hementer ſuſpectus de Hæreſi; probatur quia
Schiſma eſt Frater hæreſis, *Origenes Homil.
9. in Ezechiel.* Ad quod facit S. Cyprianus
lib. 1. Epiſt. 3. ibi. *Neque enim aliunde Hæ-
reſes ortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata quàm
inde, quòd Sacerdos Dei non obtemperatur,
nec vnus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, &
ad tempus Iudex Vice Chriſti cogitatur* Ec-
ce quomodo ex Inobedientiâ, quâ Papæ reſi-
ſtitur, oriuntur ex æquo Hæreſis, & Schiſ-
ma tamquam duæ ſorores, quæ ſe inuicem
per caudas coniungunt contra Sacerdotem
ſupremum. Et ita docent S*imanchas de catol.
Inſtit. tit.* 58. *num.* 8. *Caſtropal. tom.* 1 *tract.
6. diſp. 4. p. 6. num.* 19 *Ex illis Carena p. 2.
tit* 3. *num.* 36. *Menoch lib. 5. præſumpt. 6.
num* 24. Contrarium *cum Souſa lib. 1. cap.
10. num.* 13. tenet Diana. *part. 4. tract 7.
reſol.* 29 *verſ. hoc ſuppoſito*, tenet eſſe ſo-
lum de leui, niſi temporis diuturnitas inferat
eſſe vehementem, quibus videntur fauere
*Pegna part. 2. com. 73. verſ. ſed vlterius, &
alÿ apud Souſam loco citato, Farinac quaſt.*
184. *num.* 35. nihil determinat circa Suſpi-
cionem, ſed eam ſupponit tantùm non ex-
plicando illius gradus; ſed ſtandum eſt in
deciſis, nec Suſpicio regulanda eſt à diutur-
nitate, ſed ab eo, quòd fere ſemper habet
adiunctam Hæreſim, adeo quòd in Praxi, vt
dicebat Macedo non videtur poſſe ſtare Re-
bellio hæc ſine Hæreſi, cuius eſt Soror.

Tertia pars, quòd Schiſmaticus ſit tor- 9
quendus ſuper Intentione, patet ex eo, quòd
probato Schiſmate, Iudex habet præſump-
tionem Iuris, & de Iure quòd ſit Hæreticus,
vnde cum alio modo non poſſit ſe certificare
niſi mediante Torturâ, quæ eſt ſpecies proba-
tionis, ideo torquendus eſt. Ita *Carena part.
2. tit. 3. num.* 38. etiam ſuper complicibus,
vt ibi dicit.
Quarta pars, de Abiuratione de vehemen- 10
ti, patet, quia probatâ Suſpicione de vehe-
menti ſemper ſequitur Abiuratio ſimilis, eſt
communis, de qua *Pegna p. 2. com.* 73 *verſ.
Hoc eſt certum. Farinac. q.* 184. *num.* 35 *cum
alÿs Carena num.* 39. Formam tradunt *cap.
Quoties* 1 *q. 7. Turrecr. lib. 4. de Eccleſia
part. 1. cap.* 15.
Quid dicendum, quando Schiſmaticus 11
non eſt conuictus, nec confeſſus; numquid
contra eum oritur ſuſpicio Hæreſis? Non,
quia præſumptio non oritur ex præſumptio-
ne, ſed ex facto certo, *iuxta dicta ſect. de
Suſpicione hæreſis num.* 64. *&* 65. Ita Carena
num. 41. *referens Doctores illius axiomatis.*
Quæritur 3. An procurantes, vel celebran-
tes Concilium Generale ſine licentiâ Papæ,
vel iam ab eo reuocatum proſequentes ſint
verè, & propriè Schiſmatici?
℞. Affirmatiuè, quia per hunc actum ſe 12
ab vnitate Capitis, quatenus eſt Caput Ec-
cleſiæ ſeparant inducentes Concilium ſupra
ipſum Caput, & ſic faciunt ſciſſuram, & di-
uiſionem in Eccleſiâ Dei. Et ita docent *Ca-
iet. V. Schiſma, Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 5.
quos citaui cap. 9. ſect. 1. de Schiſm. q. 8. num.
12. de Lugo q. 25. de Fide, num. 36. in fine.*
Quæritur 4. An recedentes à Concilio le-
gitimè congregato, vel proſequentes illud
legitimè reuocatum fiant Schiſmatici?
℞. Affirmatiuè, quia id agunt ſe rebellan- 13
tes à Capite, cui nolunt vt Capiti obedire,
ergo cum ſe ſeparent ab eo, Schiſmatici ſunt.
Ita *cum Caietano 2.2. q. 39 ad art. 1. Sanchez
lib. 2. cap. 36. num. 5. Souſa lib. 1. cap. 10,
num. 6. & 7. docui dicto cap. 9. num. 15.*
Quæritur 5. An appellans ad futurum
Concilium Generale ſit Schiſmaticus.
℞. Sic; quia id eſt propriè recedere à Ca- 14
pite cum Rebellione. Confirmatur, quia
appellatio ſemper fit à minori ad maiorem,
*cap. Anteriorum 2. q. 6. cap. 2. de conſuet. in
6.* Hîc autem prouocatio fit à maiori ad mi-
nus, nam Papa eſt maior Concilio, cum ſit
ſupra Concilium, & omnes de Concilio, &
hoc de Fide, vt probaui *cap. 5. q. 7. num.* 20. 15
& cap. 6. q. 17. num. 35. dum ergo per appel-
lationem ſupponatur minor Concilio Ponti-
fex, ſequitur Schiſma, quia appellans diſce-
dit à capite cum rebellione, vt cauſa reco-
gnoſcatur à Concilio, quod talem faculta-
tem non habet, nec habere poteſt, quia Pa-
pa omnes iudicat, & à nullo iudicatur, ad
ipſum

ipsum omnes appellant, ab eo nullus, nec Imperator, vt probaui *cap. 5. q. 43. à num. 204. & q. 44. à num. 210.*

Quæritur 6. An à Papa appellans ad Christum sit Schismaticus?

16 ℞. Est Schismaticus simul, & Hæreticus, quia per talem prouocationem se separat à Capite, immo & ab ipso Christo, qui illum sibi constituit in terris Vicarium. Confirmatur, quia sic faciendo confitetur eum in vniuersum orbem non tenere primatum, nec totius Ecclesiæ esse Caput, patrem, & doctorem, contra de Fide in Concilio Florentino definita. Id esse errorem in fide docent *Aug. de Ancona, de potest. Papæ q. 6. art. 3. Iacobatius de Concil. lib. 1. art. 1. Ricciul. lib. 9. cap. 2. num. 13.* vbi de Schismaticis, *quos pro se citat Paulus Rubeus ad decis. 2. Rota part. 3. Recent. num. 69.* vbi fusè in sequentibus probat, Papam à Christo habere in toto orbe terrarum vniuersalem Iurisdictionem spiritualium, & temporalium, citando Hæreticos quosdam id tenentes. Quare si Schismaticus est appellans à Papâ ad Deum, seu Christum, à fortiori si appellatio fiat ad hominem, seu Concilium, quod etiam præcitati docent.

Quæres 7. An, & quando incurratur Schisma ex pluralitate Pontificum Romanorum?

17 ℞. Si constat de legitimâ Electione vnius, illi obediendum est, quia constat de certitudine Capitis; aliter, recedens fit Schismaticus, immo, & Hæreticus ex dictis in præcedenti quæstione. Si verò omnes sunt dubij, non sunt Schismatici adhærentes vni magis, quam alteri, tum quia dubium in necessitate obediendi dat libertatem eligendi, Tum quia dubitans credendus est esse potius in
18 bonâ Fide, quàm in malâ, *Ioan. Baptista à Costa in tract. de facti scient. & ignor. part. 1. inspect 82. num 15.* quia in dubio delictum non præsumitur *l. Merito ff pro socio, apud Carolum Grassum, de Effect. Cler. Eff. 1. num. 434 & 435.* Tum quia dum ex æquo ignoratur quis ex electis sit caput, nullius scinditur caput. Si verò inter eos vnus præ alijs reputatur probabiliter Papa, hic sequendus, aliter inducitur Schisma, cùm sufficienter constet de Capite; ergo hic sequendus, aliter sic Scissio, dum caput sic probabiliter cognitum separatur à suis membris, cum quibus per electionem probabilem fuit vt caput vnitum. Sic ergo posita distinctio videtur sufficiens pro subditis ad euitandum Schisma. Vide nihilominus *Sanchez l. 2. cap. 36. num. 3. Castropal. de Charitate tract 6. disp. 4. p. 5. num. 9. Dal Bene par. 1. dub. 47. sect. 2. num. 5.* asserentes, subtrahentem se ab obedientia eius, quem probabiliter putat non esse Papam, non fieri Schismaticum, quia nemo tenetur obedire incerto Superiori; immo qui se subijcit incerto Papæ, fouet Schisma.

Idem omninò dicendum est de ipsis Papis inter se dubijs, si agant contra legitimè electum, quia constat de capite, à quo rebellarunt; similiter idem dicendum de dubijs agentibus contra Papam pro vero probabiliter putato, quia dubij, ac proinde subditi discedunt à Capite probabiliter certo eorum superiore. Demùm ex æquo omnes dubij Schismatici non sunt, quia non rebellant se à certo, nec probabili capite, sed contendunt inter se circa primatum, & si bono fine agunt vt medeatur vnitati, vel vt occurratur huic malo, per eorum renuntiationem, quod facere debent, & electionem legitimam veri capitis, excusantur à Schismate. Aut dic, omnes esse Schismaticos, quia constat de pluralitate capitum secundum prætensionem facti, vt notaui cap. 5. quæst. *61.* num. 258. 19

Quæritur 8. An Papa possit incidere in Schisma, & esse Schismaticus?

℞. Negatiuè, quia nemo potest discedere à seipso; Papa autem cum Ecclesiâ vnum quid morale constituit, cuius materia sunt subditi baptizati Fideles, forma ipse Pontifex caput Ecclesiæ, nosq; membra eius; sed nemo potest seipsum deserere, cum nullus seipsum odio habeat, nec propriam carnem, *Ad Ephes. cap. 5. num. 29.* Ergo Pontifex non potest incidere in Schisma, dum non potest se separare à seipso. Ita *ex Valentiâ, & Coninch. Macedo in 4. dubio Ego cap. 5. num. 256.* 20

Quæritur 9. An sede Papali vacante dari possit in aliquo Schisma?

℞. Negatiuè, quia non est Papa, à quo quis possit recedere, & sic inducere Schisma contra Castrumpalaum *tract 6. disp. 4. p. 5. num. 4. Valentiam, & Macedonem V. Tertium,* quia ad Schisma sufficit separatio ab vnitate, quam Fideles habent inter se, & cum Christo capite. Sed id verum non est, quia Schisma oritur ex pluralitate Capitum, 1. Corinth. cap. 1. num. 10. *Non sint in vobis Schismata,* siquidem vt dicitur sub num. 12. *Quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisq; vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: Ego vero Cephæ: Ego autem Christi. Diuisus est Christus?* Seu sede vacante cum nullum extet caput, nemo potest dicere: Ego sum huius, vel alterius, ergo nec esse Schismaticus, & hoc patet ex allatâ definitione sub quæstione primâ. Confirmatur, quia de ratione Schismatis est rebellio, vt omnes docent, sed sede vacante non est caput à quo sit rebellandum, ergo tunc non est dabile Schisma, licet dari posset Hæresis. 21

Quæritur 10. An Ignorantia excuset à Schismate?

℞. Sic, quando sunt plures simul Papæ dubij, vt dixi sub. q. 7. quia dubius non dis- 22

tat ab ignorante, *l. Manifestissimi* 22. §. *Sin autem nescitis* C. *de furt. Gama Lusitan. dec.* 91.*num.*1.*Surdus decis.* 26. *num.* 17. Sed dubius excusatur ex cit. quæst.ergo & ignorans.

23 Layman lib.2.tract.3.cap.11.num.5.& ex eo Macedo in fine præuiæ quest.dicunt non requiri Ignorantiam, nec proinde pertinaciam, consequenter ex Ignorantiâ crassâ, & supinâ, ne dum affectatâ committi Schisma, quia Schisma est prauus affectus Voluntatis non includens præcisè actum erroris Intellectus, sed opere externo separationis consumari sicut alia peccata, quæ in mente non consumantur. Et in his Ignorantia se habet vt conditio, non vti circunstantia ex parte obiecti, atq; ideo quicquid sufficit ad rationem Voluntatis, etiam indirectè sufficit ad rationem peccati.

Qui intelligendi sunt de rebellantibus à vero, & legitimo Pontifice, quos Ignorantia nulla potest excusare, cum Schisma sit vitium Voluntatis nolentis obedire, non mentis, cuius est solùm dirigere, non autem rebellare.

Quæritur 11. An non credens hunc numero, Pontificem non esse v.g. Clementem Nonum sit non solùm Hæreticus, sed etiam Schismaticus? Ratio dubitandi est, quia Schisma est actus Voluntatis, non Intellectus pertinacis.

24 ℞. Non solùm est Hereticus discredens Clementem v. g. esse Papam nunc regnantem, ab omnibus pro tali recognitum, sed etiam Schismaticus verbis, vel facto nolens illum recognoscere caput Ecclesiæ.

25 Primum multis probaui cap. 5.q.52. num. 236.quia qui reuelauit Petrum primum esse Papam, reuelauit quoq; eius veros successores esse tales, sicut Petrus erat, nempè Papas, Pontifices Romanos, Pastores, & caput totius vniuersalis Ecclesiæ Romanæ. Quæ enim dixit Christus de Petro Pastore, similiter dixit de eius successoribus, vt notant Sancti Patres, quos citaui q. 27. num. 122. Et vrget valde quod legitur in Bulla. 1. Martini V. super interrogationibus faciendis Schismaticis, & Hæreticis reconciliandis,
26 suis interrog. 24. his verbis: *Vtrum credat, quòd Papa Canonicè electus qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso sit Successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei.* Credere autem refertur ad diuinam Fidem, ergo de Fide est, quòd v.g. Clemens IX. est Papa. Est communis Doctorum ibidem citatorum, *cum quibus est Lupus lib.* 11.*art.*2.*dissic.* 3. *Carena part.* 1.*tit.*1.§. 4 *à num.*44. *Diana in fine part.*11. *in tract.de infallib. Decretor. Rom. Pontificis tract.* 2.*resol.* 6. *vbi sub vers. Illam*; recenset pluquam viginti huius sententiæ, vbi citat me in Sacro Tribun.cap. 5. q.6.num. 16.edit. Romanæ, edit.vero Lugdun.sub q.52. num. 236.

Secundum, quòd sit Schismaticus probatur, quia se separat à vero capite, dum non vult illi subesse, & obedire. Et id patet ex supradictis; non enim datur Papa in specie, & vniuersali Platonico, sed in indiuiduâ Personâ, quæ pro Pontifice vero recognoscitur sine vlla contradictione, vel à maiori parte pro tali habito, scilicet à Cardinalibus electoribus, qui talis canonicam eius electionem nouerunt. 27

Quæritur 12. Quibus pœnis puniantur Schismatici? Sunt autem in duplici differentiâ, vt notant communiter Doctores, alij sunt puri, & simplices, qui scilicet non habent adiunctam formaliter Hæresim, sed solùm eius suspicionem, iuxta superiùs dicta præsertim sub q. 2. Alij dicuntur mixti ex Scissurâ, & formali Hæresi, ex hoc posteriori capite Schismatici, quatenus formales Hæretici incurrunt omnes pœnas Hæreticorum qua sunt tales, de quibus infra suo loco. Quare hic referendæ sunt pœnæ Schismaticorum tantùm simplicium. 28

℞. Pœnæ sunt sequentes. Priuatio ecclesiasticæ potestatis. Priuatio omnium Beneficiorum. Inhabilitas ad illa. Excommunicatio. Suspicio vehementis Hæresis. Mors contra impenitentes. Confiscatio bonorum. Demùm Irregularitas secundùm aliquos. De singulis aliquid. 29

Schismaticus ipso iure est priuatus licito vsu potestatis Ordinis, non Charactere, sed Iurisdictione ecclesiasticâ; gesta tamen per eum valent, quousq; sit declaratus illâ priuatur; si enim post huiusmodi declarationem agat, gesta per ipsum non subsistunt, sed nullius sunt valoris, exceptis Ordinibus validè collatis, sed Ordinatus sic remanet suspensus ab Ordinis executione suscepti scienter ab Episcopo Schismatico. 30

Prima pars de priuatione liciti vsus potestatis Ordinis, scilicet, quòd peccet mortaliter Ordines conferendo, patet *ex D. Thom.* 2.2.*q.*39.*art* 3.& 4.*cap.Didicimus* 31.24 *q.*1. *& tit.de Schism etiam in* 6. *& in extrauag. Castropal.tract.*6.*disp.*4 *p.*6 *num.* 1.*de Lugo disp.*25 *num.* 39. 31

Secunda pars de priuatione potestatis Iurisdictionis probatur *ex cit. cap. Didicimus*, *& ex tit.pracitatis.* Tamen sustinentur gesta per eum ante denuntiationem, Ita *Toletus lib.*1.*cap.*13.*num.*2. *Bonac.in* Bullà *disp.* 1.*q.* 2.*p.*5.*num.*9.*Carena part.*2.*tit.*3.*num.* 43.*dal Bene part.*1.*dub* 48.*sect.*2.*num.*10. *Thesaurus V.eod.cap.*1.*vers. item Schismaticus, de Lugo disp.*25 *num.*39.*attento num.*148.*disp.*23.*Ego cap.*9.*sect.*1.*q.*18.*num.*24. Qui omnes docent denuntiatione positâ, eorum non valere gesta à Iurisdictione dependentia, cum eâ careant post denuntiationem. 32

Tertia,

33 Tertia, quòd ab eis Ordinatus careat exercitio Ordinis suscepti, probatur *ex cap. 1. de Schism. Sanch. lib. 1. cap. 36. num.* 20. intelligunt multi, si Episcopus iam denuntiatus ordinauit, *Suarez disp. 31. de cens. sect. 1. num. 64. cum alijs Thesaurus cit. cap.* 2.

34 Secunda pœna est Priuatio omnium Beneficiorum obtentorum ante Schisma *ex Rebuffo, Parisio, & Farinac. q.* 184. *num.* 42. Contrarium tenent *Bonac. Sanchez & alij cum Castropal cit. num.* 15. quia *cap. Quia diligentia 5. de elect. & cap. Nos consuetudinem dist.* 13. non loquuntur de Beneficijs anteà obtentis, & cap. Vn. de Schism. loquitur in casu speciali, quo postpositâ Electione canonicâ alicuius Pontificis, alius eligitur, & ita Schismaticum non Hæreticum non esse priuatum Beneficijs antea obtentis, hos sequitur *Dal Bene part. 1. Dubit.* 48 *sect.* 4. *n.* 9.

35 Tertia pœna est Inhabilitatis ad Beneficia in posterum aquirenda *ex cap. Quia diligentia 5. de elect.* quæ afficit solum publicos, & manifestos Schismaticos, vt colligitur *ex citato cap. & docent Garz. part.* 11. *de benef. cap.* 10. *num.* 162. *Castropal. num.* 14. *Thesaurus in Praxi de pænit. eccles. part.* 2. *cap.* 2. *de Schism. Dal Bene part.* 1. *dubit.* 48. *sect.* 4. *nu.* 8. *de Lugo disp.* 25. *de Fide num.* 41. Qui omnes docent hanc inhabilitatem non desinere esse per pænitentiam Schismatici, sed remanere, super quâ solus Papa dispensat; Reconciliatio enim refertur ad detestationem, & abiurationem Schismatis, ergo non tollitur Inhabilitas, quæ culpa non est, sed pœna. Ita Pegna part. 2. q. 48. com. 73. Farinac. q. 184. num. 36. Suarez disp. 43. de censur. sect. 2. num. 7. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 18. Tenentes autem hanc pœnam incurri solùm à Schismatico denuntiato; non dispensabit Episcopus, qui solùm id facere potest in occultis ex sess. 24. cap. 6. Vide Castropal. num. 15.

36 Quarta pœna est Excommunicatio ex Bullâ Cœnæ illis verbis. *Anatematizamus Schismaticos, & eos, qui se à nostrâ, & à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Alias excomunicationes refert Thesaurus Iesuita V. Schismaticus cap. 1. De quibus infrà sect. 15. num. 78.

Procedit contra Schismaticum purum suspectum de Hæresi, licet hanc formaliter coniunctam non habeat, quia antecedenter excommunicantur omnes Hęretici cum omnibus suis fautoribus, ergo in sequenti periodo excommunicantur solùm puri Schismatici, cum sufficienter Hæretici iam puniti sint. Et ita docent *Duardus, Sanchez, Suarez, & cum eis Carena part.* 2. *tit.* 3. *num.* 47. *vers. At Duardus. Castropal. num.* 5.

37 *multis citatis*. Cum quibus non conuenio in omnibus, dum excludo particulam *Etiam,* in quantùm opus non est, quòd Schismaticus mixtus comprehendatur sub Excommunicatione Hæreticorum, & Schismaticorum simul, cum Schismatici puri tantùm afficiantur posteriori; & quà habent coniunctam Hæresim, solùm priori, cum tunc spectentur vt Hęretici.

Nota illud verbum *ab Obedientia* restringi Ad Papam, vt Christi Vicarium, adeo quòd inobediens in odium Personæ, vel quia incommodum est obedire, non dicitur se subtrahere ab Obedientiâ Papæ, quatenus Vicarius est Christi. Ita *Bonac. in Bullâ disp.* 1. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 9. *vers. Obserua*, multis citatis, verba enim sequentia *Et eos qui &c.* magis explicant, quid sit Shismaticum esse, quicquid dicant *Castropal num.* 6. *Vers. affirmat. de Lugo disp.* 25. *num.* 37. contra quos benè *Dal Bene part.* 1. *Dubit.* 48. *sect.* 2. *num.* 3. *Petit.* 2. Vt enim quis ex inobedientia fiat Schismaticus necesse est, vt se subtrahat eâ ratione, qua non vult eum recognoscere vt Vicarium Christi, quòd si eum habeat pro capite Ecclesiæ, sed resistat non obediendo ex aliâ causâ, reuerà non est Schismaticus. 38

Quinta pœna est, quòd Schismaticus est de Hæresi vehementer suspectus, quia ex rebellione nolendo obedire, præsumitur id facere, quia non recognoscit eum vt Christi Vicarium, vt patet de hac suspicione sub q. 2. Vbi Doctores citaui, quibus addo *Duardum Menochium, quos cum alijs citat Dal Bene cit. sect.* 5. *num.* 10. *Castropal. num.* 19. *de Lugo disp.* 25. *de Fide num.* 43. 39

Sexta pœna est Mors impænitentibus danda, *Farinac. q.* 184. *num.* 51. *&* 52. *Castropal. cit. fine, Carena part.* 2. *tit.* 3. *num* 49. & tradendus curiæ seculari non degradatur, *ex Farinac. & Marta de Iurisd. part.* 2. *cap.* 38. 40

Septima est Confiscatio bonorum, *ex cap.* 1. *de Schism. in* 6. *Farinac. q.* 184. *num.* 47. Sed reuerà hoc cap. loquitur tantùm de Columnensibus. Vide plura *apud Decianum lib.* 5. *cap.* 67. *cum Carenâ num.* 49. *&* 50. 41

Demùm ex meliori sententiâ Schismaticus non est irregularis ex vi Schismatis, quia nullibi exprimitur hæc Irregularitatis species. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 20. *fine, Bonac. in Bulla cit. num.* 13. *Castropal. cit. num.* 16. alijs citatis *Barb. in cap.* 1. *de Schism. num.* 5. Si hoc delictum est notorium, tunc erit Schismaticus & Irregularis ex infamiâ, vt docent præcitati; cum *Dal Bene Dubit.* 48. *sect.* 5. *num.* 1. 42

SEC-

SECTIO SEXTA

De Hæresi, & Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis est species Infidelitatis.*
2 *Error Intellectus ex parte contrarius Fidei.*
3 *Errare est vnum pro alio putare.*
4 *Fides affirmat, quod Hæresis negat.*
5 *Error debet esse voluntarius, vt sit Hæresis.*
6 *Pertinax qui scit se dicere, quod est contrarium Fidei.*
7 *Pertinacia est circa malum, & opponitur Perseuerantiæ.*
8 *Momento quis fit pertinax negando esse de Fide, quod scit esse de Fide.*
9 *Infans, & carens vsu Rationis non est Hæreticus.*
10 *Hæreticus non est, nisi sit Baptizatus aquà.*
11 *Catecumenus non est Hæreticus discredens res Fidei.*
12 *Catecumenus recedens nunquam fuit verus Fidelis.*
13 *Baptizatus inualidè Hæreticus esse non potest.*
14 *Hæreticus ergo ille est, qui iam baptizatus, & instructus in Fide pertinaciter discredit, quæ de Fide credenda sunt iam definita.*
15 *Hæreticus dicitur multipliciter, vt infrà.*
16 *Materialis Hæreticus quis dicatur?*
17 *Materialis dicitur ignorans res Fidei.*
18 *In articulis Fidei non præsumitur Ignorantia.*
19 *Ignorantia in Foro externo non excusat.*
20 *Aliter nullus puniretur, quia omnes se excusarent.*
21 *Pertinacia reperitur etiam in Ignorante crassè, & affectatè.*
22 *Cur non excuset in Foro externo.*
23 *Nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ.*
24 *Formalis Hæreticus est ille, qui discredit, quod scit esse contra Fidem diuinam.*
25 *Hæreticus non est, discredens obiectum, quod est sub opinione Peritorum.*
26 *Pertinacia non requirit præuiam admonitionem.*
27 *Indocti, rustici, ac rudes excusantur.*
28 *Montalis tantùm Hæreticus est ille, qui Hæresim exteriùs non manifestauit.*
29 *Ecclesia non iudicat de Occultis.*
30 *Externus Hæreticus, qui suam Hæresim manifestam.*
31 *Mentalis an omissione manifestet suam Hæresim.*
32 *Ebrius, & dormiens dicuntur suam Hæresim formaliter manifestare.*
33 *Occulti, alij manifesti.*
34 *Manifestum dicitur factum coram sex personis. 37.*
35 *Librorum compositor manifestus Hæreticus.*
36 *Occultus Hæreticus, cuius hæresis nondum est manifestata.*
37 *Manifestus Hæreticus, qui coram sex personis errauit. 111.*
38 *Occulti Hæretici error supponitur expressus ore, vel facto coram pluribus infrà sex personas.*
39 *Occulti tria distinguit genera Barbosa, cui addo quartum.*
40 *Affirmatiuus est ille, qui verbo, vel facto ostendit hæresim mentalem.*
41 *Negatiuus, qui constanter negat Hæresim, super qua est conuictus.*
42 *Obliuio in antiquis post decennium præsumitur 48.*
43 *Pænitens, qui suum errorem fatetur ante sententiam, paratus corrigi.*

44 Pæ-

44 *Pænitentia post Sententiam non admittitur, quia non præsumitur ex corde.*

45 *Reconciliatis condonantur Mors, & Bona confiscata.*

46 *Impœnitens, qui conuictus suum errorem obstinatè defendit, estq; negatiuus.*

47 *Impænitens diminutus, qui non fuit confessus omnes suos errores.*

48 *Obliuio præsumitur post longum tempus* 42.

49 *Curiæ non traditur nisi post plures monitiones remanens talis.*

50 Sinite ea crescere simul cum tritico *dictum Matth.* 13. 30. *de Hæreticis.*

51 *Non absoluendus impænitens, nisi fateatur Iudici errorem.*

52 *Vtique si fateatur publicè delictum absente Iudice.*

53 *Scandalum esse imaginarium audientibus, reos nolle fateri veritatem.*

54 *Inquisitor non est Iudex pro Foro sacramentali.*

55 *Nec post traditionem Curiæ vlterius se ingerit, dando Confessarium.*

56 *Perseuerare in Hæresi quis præsumitur.*

57 *Dubius in Fide est Hæreticus.*

58 *Conclusionem ex ambabus de Fide negans est Hæreticus.*

59 *Conclusionem ex mixtis negans non est Hæreticus.*

60 *Christum esse risibilem nullibi in sacrà Scripturà legitur.* 66.

61 *Conclusio sequitur debiliorem partem.*

62 Propositiones *singulares non sunt reuelatæ in suà vniuersali.*

63 *Negans risibilitatem in Christo est vehementer suspectus de Hæresi.*

64 *Alij tenent esse formaliter Hæreticum.*

65 *Reuelationis vnicus modus in proprijs terminis secundùm rei essentiam.*

66 Christus est risibilis *non est de Fide.* 60.

67 *Prædicata essentialia negans in Christo est Hæreticus.*

68 *Definitio, & definitum idem in re.*

69 Propo*sitio respiciens Hæresim est oratio falsa, contra Fidem diuinam directè, vel indirectè reddens suspectum de Fide obloquentem. Eius quatuor species.*

70 *Hæretica est falsa oratio directè, & immediatè destructiua propositionis de Fide.*

71 *Erronea, quæ conclusioni Theologicæ opponitur.*

72 *Sapiens Hæresim, quæ aduersatur non reuelatæ, non deductæ, sed receptæ tantùm ex communi consensu Ecclesiæ.*

73 *Impia, quæ opponitur piæ non deductæ, non solemnizatæ, nec reuelatæ, quæ tamen fouet Fidem, Religionem, & Deuotionem, quam impia labefactat.*

74 *Dictarum quatuor specierum specificatio refertur.*

75 *Alij dantur gradus Propositionum censurabilium, reducibilium ad vnum ex prædictis.*

76 *Assentiens opinatiuè alicui articulo non est Hæreticus.*

77 *Contrarium multi sentiunt.*

78 *Respondet Castropalaus.*

79 *Cardinalis de Lugo, eos opinari cum actuali formidine.*

80 Fortè *est dictio dubitatiua.*

81 *Respondetur rationi Castropalai.*

82 *Assensus opinatiuus est ipsamet ratio probabilis.*

83 *Hæreticus non est, qui se exponit periculo errandi, quando actu non errat.*

84 *Inuincibiliter putans errorem esse, quod tamen Fides tenet, non est Hæreticus.*

85 *Docens aliquid esse de Fide, quod non est, Hæreticus non est.*

86 *Pertinacia hæreticalis directè, &* imme-

EXplicatis iam quatuor Infidelitatis speciebus; reliquum est, vt accedamus ad expositionem Hæresis, quæ secundùm D. Thomam est tertia species Infidelitatis; secundùm alios quinta, quam præcedit Apostasia à Fide, & Schisma de quibus dictum est. 1

Quæritur autem primò, quid sit Hæresis?

℞. Est error Intellectus ex parte contrarius Fidei, voluntariè, & pertinaciter assertus ab Homine vsum rationis habente, validè baptizato aqua fluminis. Singulæ particulæ breuiter sunt explicandæ, latius declaratæ sub cap. 9. sub initium. 2

Dixi 1. quòd Hæresis est *error Intellectus*, errat enim Intellectus, dum putat esse verum, quod reuera falsum est, quia errare est vnum pro alio putare, *ex D. Aug. relato cap. In quibus 6. 22. q. 2.* Error ergo huius generis consistit in discredere ea, quæ docet diuina Fides. 3

Dixi 2. *Ex parte contrarius* Fidei, quia destruit propositiones de Fide, dum sentit Intellectus peruersus oppositum; quod enim Fides affirmat, hoc Hæresis negat, ex hoc enim opponûtur, & aduersantur sibi inuicem. *Ex parte*, hæc particula distinguit Hæresim ab Apostasiâ; hæc enim negat omnia Fidei dogmata, Heresis verò solùm vnum, vel plura, vnde Hæreticus dicit se non recedere à Fide, licet reuerà recedat, non tamen dicitur Apostata, quia non fit Paganus, neque Iudæus, peior autem est Apostata Hæretico, quia ille est Hereticus, & à tota Fide recedit, quod non facit Hæreticus, *Ioannes Royas part. 1. de hæret. num. 484. Farinac. q. 183. de Lugo disp. 20. sect. 1. fine.* 4

Dixi 3. *Voluntariè* error assertus, quia peccatum non est, vbi abest Voluntatis consensus, 5

sus, consentit enim dum Intellectui imperat, vt actum eliciat falsum pro vero, quem putat nihilominus esse verum, Hęreticus enim credit sine dubitatione dogmata sua esse vera, & nostra in re vera, esse falsa, vt docet Ioannes Poncius Hibernus *in 3. sent. Scoti dist. 25. q. 2. Laterali num.* 141. *Vers. Confirmatur.*

6 Dixi 4. *Pertinaciter*, ille autem dicitur Pertinax in suo Dogmate, qui scit, & actu aduertit, dum illud asserit, esse contrarium definitis de Fide ab Ecclesiâ Romanâ. Pertinacia ergo est assensus Intellectus, & Voluntatis consensus in aliquid, quod cognoscitur actu, & aduertenter esse contra Fidem Romanã. Hęresis ergo non cõtingit sine Pertinaciâ cum hæc illi sit essentialis, vt docent omnes *cum S. Aug. relato cap. Dixit* 29. 24. *q.* 3. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. *Sayr. lib.* 3. *de censur. cap.* 4 *num.* 10. *Sanchez. lib.* 2. *cap.* 7. *Carena part.* 2. *§.* 2. Portellus *V. Hæresis, Corduba lib.* 1. *q.* 17. *§.* 7. *Royas part.* 1. *de haret. num.* 35. *&* 42. *& singul.* 73. *num.* 2. *Ioannes Alberghinus in suo manuali Qualificatorum cap.* 1. *num.* 7. *&* 8. vbi rem clarè explicat in eo, quòd Pertinacia habet esse ab Intellectu cognoscente se contrariare definitis de Fide, & à voluntate, quæ ab Intellectu male edocta, vult nihilominus persistere in suo errore, & resistere determinatis ab Ecclesiâ, cuius auctoritati non vult se subij-
7 cere *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 2. dicit, pertinaciam versari circa malum, & opponi Perseuerantiæ, quæ habet pro obiecto bonum. Ad hoc autem vt quis fiat formaliter Hæreticus non est necesse, quòd diù perseueret in errore; sed sufficit, quòd per momentum scienter dis-
8 credat alicui propositioni de Fide; eo enim ipso consumauit in corde suo suam Hęresim, assensus enim, & consensus in momento recipiunt esse, *Filliuc. part.* 2. *tract.* 32. *cap.* 6. *num.* 135. *Molfesius tract.* 11 *cap.* 2. *num.* 41. *Carena part.* 2 *num.* 12. *Bellonus Papien. lib.* 1. *de his quæ fiunt incontin. cap.* 193. *num.* 4.

9 Dixi 5. *Assertus ab homine vsum Rationis habente*, Infans enim, furiosus, amens, & stultus asserentes contraria Fidei, non sunt Hæretici, quia non errant voluntariè, voluntarium enim est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, vt docet Arist. sed prædicti nihil cognoscunt, vt omnes docent, ergo in nullo Foro habendi sunt Hæretici.

10 Dixi 6. *ab Homine validè baptizato Baptismo fluminis*, nam is propriè est capax Hæresis, qui in Baptismo professus fuit Fidem, vt docui prima sectione quæst. 13. num. 38. Vbi probaui, illum esse fidelem, qui Fidem per Baptismum aquæ professus est, ergo ille est Hæreticus, qui Fidei professæ aduersatur, non verò, qui eam nunquam fuit professus; valet enim argumentum à contrarijs. Ita communior, & verior Sententia excludens Catecumenum, quem non esse Hæreticum discredentem, quę didicit, probaui ibidem, S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 5. ibi: *In manifestatione Veritatis*, Fides enim veritate manifestatur per Baptismum fluminis, ergo illi aduersans est homo Baptizatus. Ita docent *Abbas in cap. Firmissimè de Haret. Sanch. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 34. *Sayrus lib.* 3. *de cons. cap.* 4. *num.* 11. Contra Suares, Sanctarellum, & alios, quos videtur sequi Carena part. 2. tit. 1. num. 25. dum non reprobat eorum rationem, quę est, ex quo enim Catecumenus iam credidit in Christum, Infidelis est si discredat; at non est Iudęus, neque Paganus, ergo est Hęreticus, cum tres tantùm sint species Infidelitatis. 11

Carena ergo hac ratione motus, sequitur illos, subdendo tamen non esse puniendos ab Ecclesia, si nolunt amplius credere. Sed respondetur, Catecumenum recedentem nunquam fuisse verum fidelem, sed fictum, ac proinde semper fuisse Iudæum, vel Paganum, ea proinde sẽper fuisse sub illis speciebus Infidelitatis; nunquam habuisse Fidem habitualem infusam, quę propriè Christianũ, & verũ fidelẽ cõstituit cui opponitur Hæreticus. Istos sequitur nouissimè DalBene de s. Offic. dub. 2. Petit. 1. num. 2. quia propriè Hæreticus est, qui sub nomine Christiano, retinendo Christi confessionem, falsa dogmata sequitur; sed Catecumenus potest sub nomine Christiano eius confessionem retinendo, in eius Fide sequi falsa dogmata. Dico, Catecumenum neutram habere verè, & propriè, sed tantùm fictè, qui enim negat vnicum etiam Fidei articulum, non habet confessionem Christi, immo negat ipsum Christum, & facit eum mendacem, & fallacem, dum pro falso habet dogma Christi; non est Christianus, nec Fidelis, qui Christum facit mendacem, sed Infidelis ex cap. 15. sess. 6. Docet Arsenal. oraculo 161. 12

Dixi 7. *Validè Baptizato*, nullus enim Baptismus, nihil confert, nec Gratiam, nec Fidem infundit; ideo probatâ nullitate Baptismi ex defectu materiæ, vel formæ probatur nondum Fidelis, si male dogmatizat, errat adhuc vt Paganus, vel vt Iudæus *Arsen. oraculo* 163. *&* 164. *limitatur*. Nec S. Aug. à Carena cit. num. 28. dicit, nonnullos Hæreticos esse denuò in Ecclesiâ recipiendos sine nouo Baptismate, nonnullos verò esse denuò Baptizandos, & vtrosque esse veros Hæreticos. Cum distinguat inter Iudæos, Schismaticos, & Hæreticos his verbis. *Loquor de Iudais & Schismaticis, vel Hareticis sub Christi vtcunque nomine errantibus*; & antecedenter loquebatur de ritè baptizatis non baptizandis. 13

Quæritur 2. Quis dicatur Hæreticus?

E R. Qui

14 ℞. Qui iam babtizatus, & instructus in Fide pertinaciter discredit ea, quæ de Fide sunt definita. Id totum patet ex hactenus dictis.

Quæritur 3. Quotupliciter dicatur Hæreticus?

15 ℞. Multipliciter. Nam alius dicitur tantùm materialiter Hæreticus, alius formaliter, & huius plures sunt species; nam Hæreticorum formalium alij sunt mentales, alij externi; externorum alij sunt manifesti, alij secreti; alij affirmatiui, alij negatiui; alij pœnitentes, alij impœnitentes; alij relapsi, alij non relapsi. De singulis aliquid dicendum in sequentibus.

Quæritur 4. Quis dicatur Hæreticus materialis, seu non Hæreticus, & formalis Hæreticus?

16 ℞. Hæreticus materialis dicitur ille, qui licet baptizatus ab infantiâ, quia tamen à nullo fuit vnquam instructus in rudimentis Fidei; vt quia nutritus fuit in terris Paganorum, vel Hæreticorum, cum quibus non sunt mixti catolici, apud quos nec Catolica Fides colitur, nec prædicatur Euangelium, nec docentur rudimenta Fidei, excusatur à crimine Hæresis, si non credit, quia in eo Fides infusa nihil operatur quò ad hoc, nisi per instructionem, ad cuius probationem facit illud Pauli ad Roman. cap. 10. num. 14. *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Non est ergo talis Hæreticus, nisi materialiter; Quòd si instruatur, & nolit credere, tunc fit Hæreticus formalis, quia incipit esse pertinax, cum non velit aquiescere rudimentis Fidei. Ita *Alphonsus de Castro lib.* 1. *cap.* 8. *Simancb. de Catol. inst. tit.* 51. *num.* 4. 7. *&* 10. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. *ex illis Carena part.* 2. *num.* 30. excusatur etiam titulo Ignorantiæ inuincibilis, habet enim carentiam Scientiæ eorum, quæ ad Fidem pertinent, dum à nullo fuit instructus.

17 Sub hoc genere Hæretici materialis comprehendi potest ignorans quædam ad Fidem pertinentia non solum indirectè, sed etiam directè, vt si quis inuincibiliter credat Patrem esse maiorem Filio, quia in humanis res ita se habet; vt si quis rudis credat Trinitatem esse fœminam, quia profertur sono fœmineo, quæ duo exempla refert *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 65. primum *ex Farin. q.* 179. *num.* 1. secundum, *ex Clauatio V. Fides num.* 6. In articulis autem Fidei non præsu-

18 mitur ignorantia, quia eos quisque scire debet, & hæc Fidei rudimenta quotidie in Scholis, & in Ecclesijs diebus festis docentur fideles, & ideo in eis non potest præsumi ignorantia eos excusans, vnde reus eam allegans probare tenetur, ita omnes *Farinac. q.* 179. *num.* 27. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 7. *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 64. Probat quis, dum deponit ita edoctum fuisse à suo Parocho, vel ab alio viro, si citati affirment se ita docuisse, excusatur ab Hæresi, aliter non.

Ignorantia vincibilis, grassa, nec affectata, licet in Foro conscientiæ excusent, vt communis docet opinio excusans à peccato, & censuris Hæreticum habitum pro materiali, cum careat in hoc Foro pertinaciâ, in eo, qui edoctus paratus est corrigi, vt docent *Alphonsus de Castro lib.* 1. *cap.* 9. *& lib.* 2. *cap.* 17. *Ricciull. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 10. *Sanctar. de Hæresi cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 20. *&* 21. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 66 *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 36. *vers. Secunda opinio, Salelles Reg.* 98. *num.* 74. Non tamen excusat pro Foro externo, sed Hæreticus pro formali habetur, & pertinaci, quia aliter nullus in S. Officio puniretur, & omnes se excusarent, neque enim regulariter dabilis est talis Ignorantia præsertim contra articulos Fidei, & alia Misteria, quæ quilibet scire debet ad salutem. Ita *Pegna p.* 2. *Direct. com.* 22. *vbi vers. Sit prima regula*, dicit, quòd in articulis Fidei in Simbolo non potest allegari Ignorantia, multò minus grassa, & affectata, in sequentibus regulis, *Farinac. q.* 176. *num.* 29. *&* 30. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 36. *Vers. Notandum, vbi alios citat cum Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 68. 19 20 21

Quod si dicas, sicut quælibet Ignorantia culpabilis, vt vincibilis, crassa, & affectata excusat, ne quis dicatur formalis, & vere Hæreticus in Foro conscientiæ, ita excusare debet etiam pro Foro externo, cùm eadem Pertinaciæ ratio in vtroque casu militet, cum enim Pertinacia sit de essentia Hæresis, vt omnes tenent, *ex supradictis vers. Dixi* 4. *Salelles part.* 1. *Reg.* 98. *num.* 63. & pertinacia includat cognitionem obiecti reuelati; sequitur, quòd vbi est Ignorantia licet culpabilis, non potest esse Pertinacia; neque proinde Hæresis, ergo neque in vtroque casu Fori interioris, & exterioris diuersimode concludendum est.

Respondeo, hæc est disparitas, nam Ignorantia in Foro conscientiæ allegata admittitur, quia eam alleganti pro se, vel contra se in eo Foro creditur, *cap. Significasti* 18. *de homicid. ibi Gloss. V. credendum sit*, quia nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *ex cap. Sanctimus* 26. 1. *q.* 7. in Foro verò externo non creditur, nisi probetur, id autem probari non potest, nisi Iuramento, cum in mente lateat, an ignorauerit nec ne, *Glos. V. Si est ita cap. Significasti* 16. *de homic.* quod in casu nostro, cum iuramento præsumptio iuris tolli non possit, ideo pro ignorante non habetur, sed pro sciente, & pertinaci. Ex his deducitur quid sit formalis Hæreticus. 22 23

Formalis Hæreticus est ille, qui discredit aliquid, quod expresse, & explicitè scit esse contra Fidem ab Ecclesia Romana declaratum. 24

sum. In hac enim Scientia consistit Pertinacia constituens Hæreticum formalem. Et in hoc omnes conueniunt nullo contradicente. De hac Pertinaciâ in Hæretico formali mentionem facit textus *in Clem. de summa Trinit. D. August. relatus cap. Dixit 29. 24. q. 3. & cum eo D. Thomas 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. cum Diana part. 4. tract. 7. resol. 36.* Eum non esse Hæreticum, qui sententiam suam quamuis falsam non defendit pertinaci animositate, sed paratus est se corrigere. Vide cap. 10. vbi latius de formali Hæretico.

Quæritur 5. An sit Hæreticus formalis, qui discredit aliquod Fidei obiectum existens adhuc sub lite opinionum? Vide præced. sect. q. 7. num. 14.

25 ℞. Nullo modo est Hæreticus, quia obiectum sic discreditum nondum est sub genere obiectorum ab Ecclesia definitorum, & id expresse docet S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. ibi: *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad Fidem, vtrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad Fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent auctoritate vniuersalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, Hæreticus censeretur, quæ quidem auctoritas principaliter residet in summo Pontifice.* Negans ergo ea, quæ nondum sunt à Papa definita titulo Fidei, nullatenus est Hæreticus. Et si hinc inde sint opiniones, sequens modo vnam, modo aliam neque etiam peccat, quia eius assensus est verus, & prudens ex obiecto moraliter intellecto.

Quæritur 6. An ad Pertinaciam requiratur præuia monitio, qua male sentiens admoneatur se sentire contra Fidem, & nihilominus in sua Opinione persistens incipiat tunc esse pertinax, & formalis Hæreticus?

26 ℞. Nullam requiri monitionem, sed esse Hæreticum formaliter hoc ipso, quòd asserit aliquid pro vero, quod scit esse contra Fidem, in hoc enim formaliter consistit Pertinacia, quæ non datur sine Scientiâ illius obiecti, contra quod est ipsa Pertinacia, quæ includit Scientiam, ergo frustra præmonetur, qui scit se scire illud, cui aduersatur; monitio enim fit ignorantibus, non scientibus. Confirmatur, quia aliter nullus puniretur in S. Officio; si necessaria esset talis admonitio, quia quilibet eam acceptaret, & sic nullus esset Hæreticus, vt docet *Diana part. 4. tract. 7. resol. 36. vers. Tertia*, vbi pro hac sententiâ communissimâ, & omnino certa citat sub vers. Prima, septemdecim Doctores, quibus infra adiungit alios, & ego addo *Lugum disp. 20. num. 157.* Dixi *cap. 9. sect. 3. num. 54.*

Requirunt ad Hæreticum pertinacem præmonitionem *Alciatus in l. 2. C. de summa Trinit. num. 3. Menoch. Vol. 2. cons. 149. num. 49.* & alij, sed non video Argumentum id persuadens. Quare vel errant, si sic sentiunt, vel interpretandi sunt, quòd loquantur respectu rudium personarum, & indoctorum, qui iusta, & probabili Ignorantiâ laborant, qui admoniti resipiscentes non sunt Hæretici, vt dixit D. Aug. relatus *cap. Qui in Ecclesia 31. 24. q. 3.* & melius *praced. cap. 29.* vbi ignorantes male sentientes correcti vtiliter, non sunt dicendi Hæretici. Id tamen non procedit in articulis Fidei, & præceptis Decalogi, quæ omnes debent scire, ac proinde præsumuntur scire, *ex Simancha tit. 28. num. 13.* Diana *vers. Ex his*. Vbi cum *Pegna part. 2. com. 1.* & alijs excusat simplices, laicos 27
indoctos, & rudes, & rusticos, qui non sunt censendi formaliter Heretici, sed tantùm leuiter, vel vehementer suspecti de Hæresi, attentis conditione Personæ, & circumstantijs, immo quandoq; nec suspecti, vt si Pater credatur maior Filio, & Trinitas quædam mulier, vt dixi supra sub q. 4. num. 17.

Quæritur 7. Quid sit Hæreticus formalis mentalis, & vocalis, seu externus?

℞. Hæreticus pure mentalis est ille, qui 28
Hæresim, quam scienter habet in mente sufficienter exterius non manifestat, verbo, nec scripto, nec alio signo, ex quibus probari possit Hæresis; eo quòd dictum, scriptum, aut signum, aut omissio adeo sunt æquiuoca, obscura, & imperfecta, vt ex illis non possit prudenter inferri Hæresis mentalis. E.g. Credens licere sibi Fornicationem, fornicatur, ex hoc actu non infertur Hæresis, sed solùm expletio libidinis. Non credens Christum Hominem, proferens præcise hæc verba. *Non est homo*; vel caracteribus ignotis, vel ambiguis Hæresim hanc pallians sic C.N.E.H. adhuc dicitur Hæreticus mentalis quia prædicta non sufficienter indicant hanc Hæresim. Remanet quoq; Hæresis mentalis, si petit consilium super eam, vt illam relinquat; similiter si dictà dicat, vel aliquid faciat iam reuocata, non vt eam denuo amplectatur, sed vt pœnitus eam detestetur, vel magis abhorreat; nec quando confitetur etiam in Confessione inualida, quia tales externi actus non ordinantur ad eam fouendam, vel manifestandam, dum ab alio fine procedunt Vide super his Doctores citatos à *Bonacina super Bullam Cœnæ disp. 1. q. 2. p. 2. à Basso Capucino V. Hæresis num. 6. Castropal. de hæresi p. 3.* Et de hac satis, quia non spectat ad S. Officium, cuius Officiales solùm externam Hæresim iudicant. Ecclesia enim de occultis non iudicat, dum illa ignorat, Ric- 29
ciul. lib. 5. cap. 10. refert omnes textus, qui dicunt Ecclesiam non iudicare de occultis. Ex dictis deducitur quid sit Hæreticus externus.

Externus ergo hæreticus est ille, qui mani- 30
festat

E 2

festat expressè suam Hæresim, aut verbo, vel scripto, aut alio signo eam indicante; vnum enim contrarium cognoscitur per contrarias rationes alterius, *Alberghin. cap. 2.num.8.*

Difficultas est, an Hæreticus mentalis omittens actionem adorationis Sacræ Imaginis, aut quando eleuatur consecrata Hostia, aut Calix, vel cum est expositum Sacrosanctum Sacramentum, vel defertur Viaticum Infirmo, vel fit processio Sacramenti in casu, quo discredit adorationem Sacrarum Imaginum, vel non credit in Sacramento Altaris fiat externus Hæreticus?

31 R. Non manifestatur nisi in casu eleuationis Hostiæ, seu calicis, tunc enim illius hæresis concipitur ab astantibus, vnde & præsumitur Hæreticus. Ita docent *Azorius, Sanchez, Sayrus, cum alijs Bonac. q. 2. p. 2. num.4 ex illis Bassaus Capucinus V. Hæresis num.6.* Sed cur in hoc casu tantùm manifestatur Hæresis interna, & non in alijs? Puto eam rationem esse, quia in cæteris casibus ita rigorosa non est obligatio sicut in Missâ, nam Imagines vbiq; non sunt adorandæ, nec semper, sed loco decenti, & tempore debito, licet vbiq; possint venerari. Hostia consecrata exposita publicè, vel dum defertur ad Infirmum, adoratur quidem semper, sed non ad semper, nec pro semper, quia non est determinata obligatio; nam videns Hostiam expositam non tenetur ingredi Ecclesiam, sed pertransire potest, sicut cum videt Sacerdotem Viaticum deferentem ad Infirmum potest aliò diuertere, & transeuntem Sacerdotem non respicere, nec adorare, licet enim tales omissiones irreuerentiam arguant, non tamen manifestant Hæresim, vt facit omissio adorationis Hostiæ eleuatæ, is enim actus est ita specificus, & singularis, vt eius omissio inducat suspicionem hæresis, nisi omittens aliquam adducat rationabilem causam non genuflectendi in eleuatione Hostiæ, seu Calicis, qualis est, si persona occupata est in aliquo actu honesto, vt si Sacerdos audiat confessiones, Pictor pingat in Ecclesiâ pro ipsâ, vel Sacerdos solemniter celebrans sedeat, vel faciat absolutionem super tumulum defunctorum, in his casibus non adorans Hostiam, dum eleuatur, non manifestat Hæresim mentalem, nec fit suspectus de Hæresi, nam Gauantus *in tit. 13. de omitt. in missis Defunct.* dicit clerum cum celebrante non teneri genuflectere in eleuatione, dum faciunt absolutionem pro defunctis, quia sunt occupati in eâ functione, & per hoc nō dicuntur contemnere Sacratam Hostiam, sed munus suum prosequi.

32 Proferens suam Hæresim in ebrietate, vel in somno non dicitur illam manifestare formaliter, & ex intentione, sed tantùm materialiter. Ita *Sanchez lib.2. cap. 8.num. 24. Duardus lib.2.in can. 1. q. 24. Bonac. q.2.p.2. num.7.* Contra aliquos dicentes, talem manifestationem esse malam in causâ, cum proueniat ex hæresi mentali, hoc non sufficit, cum actus manifestationis debeat esse more humano, & ex intentione factus.

Quæritur 8. Quinam sint Hæretici manifesti, & occulti?

R. Innocentius 3. cap. super 26. de verb. signif. his verbis; *Illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra Fidem catolicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errorem, vel qui coram Prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate* Hinc deducitur duplex notorium facti scilicet, & Iuris, illud consistit in prioribus verbis prædicationis, professionis, seu defensionis, Hæreticus ergo, qui vnum ex prædictis fecit coram ad minus sex personis, dicitur manifestus, *vt ex Repertorio Inquisit. V. Hæreticus, Farinac. q.185.num.85.* qui num. 83. dixit, compositorem Librorum de Hæresi esse manifestum, *ex Menoch. lib.5. præsumpt.6.num. 13.* Quod deducitur ex verbis illis *profitentur, seu defendunt*; Scribens enim propriè dicitur profiteri, & defendere Hæresim; Liber tamen debet deuenire ad manus aliquorum, vt incipiat esse auctor manifestus Hæreticus ad minus sex personarum. Dixi *cap. 9. sect. 3. q.26. à num. 90. ad 97.* de hac diuisione, de qua *Pegna part. 2. com. 58. Carena part. 2. tit. 1. num.41. ad.45.* dicens cum alijs, Hæreticum manifestum esse eundem cum deprehenso in facto hæretico. 33 34 35

Occultus verò hæreticus, licet externus, est ille, cuius Hæresis nondum est notificata prædicatione, aut professione, aut defensione, conuictione, nec confessione, aut sententiâ, vnum enim oppositorum cognoscitur per negationem alterius; Alberghinus *cap.2. num. 5. ex Fagundez in primum præceptum Decalogi lib.1. cap. 11. num.5. Vers. 2. Quæstio est,* dicit, quòd hæreticus occultus ille est, qui hæresim ita occultè commisit, vt nullus hominum possit esse testis eius. Non placet, quia occultus etiam dicitur ille, cuius error notus est etiam quinq; personis, ex quo manifestus vt quis dicatur, requiruntur ad minus sex personæ, quæ audierint prædicationem, &c. Deinde occultus fit manifestus, si duobus legitimis testibus conuictus sit, ergo occultus dicitur, cuius error probari potest testibus. *Eymericus in Direct. par. 2. q.33.* dicit, illum esse hæreticum occultum, qui habet errorem in mente cum pertinaciâ in voluntate, sed tamen verbo, vel facto exteriùs non ostendit. Hæc definitio est propria hæretici purè mentalis, vt patet ex definitione allata in præcedenti quæstione, non hæretici occulti, seu secreti, cuius error supponitur expressus ore, vel facto, sed coram paucis 36 37 38

non

non constituentibus notorium, seu manifestum.

39 Barbosa Allegat. 4. in ordine ad Excommunicationem contra hæreticos, in sententia omnium distinguit triplex genus occulti hæretici. Primò quis dicitur occultus hæreticus, qui suum errorem in corde retinet illum exterius non prodendo. Secundò illum prodendo voce, vel facto nullis audientibus, nec videntibus. Tertiò, illum prodendo coram vno, vel testibus singularibus, ita quòd plenè probari non potest. Hoc tertio modo occultum spectat ad nostrum Tribunal, quia potest transire in manifestum, & tandiù remanet sub ratione occulti, quandiù non est notorium Iuris, vel Facti coram paucis, vt supra dictum fuit, scilicet minus, quam sex Personis; vnde pro hoc Foro additur quartum genus occulti consistens in hæresi dictâ coram quinq; aut paucioribus Personis. Sed de his satis, quia hæc diuisio non multùm consideratur in hoc Iudicio, sed solùm respectu Excommunicationis.

Quæritur 9. Quid sit Hæreticus affirmatiuus?

40 ℞. Est ille, qui coram iudice interrogatus fatetur suam Hæresim, quam tenuit, vel factum, seu dictum, ex quibus præsumi potest Hæresis de iure. Communiter verò sic definiunt cum Direct. part. 2. q. 34. quod Hæreticus affirmatiuus sit ille, qui habet errorem Fidei in mente, & verbo, vel facto illum ostendit, *Pegna ibi*, *Farinac. q.* 178. *num.* 19. *Sousa lib.* 1. *cap.* 16. *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 46. *Castropal de hæres. p.* 3. *num.* 5. *Albergh. cap.* 2. *num.* 6. Hæc definitio manca est, defectu verbi *Fatetur*, nam talis Hæreticus consideratur coram Iudice, sicut negatiuus ei ex diametro oppositus, & ideò apponendum erat illud verbum *Fatetur*, vt expresserunt *Farinac. Sousa, Albergh. illud tacuit Locatus, & Carena, cum Directorio*; currit ergo eorum definitio præscindendo à Iudice, sed quoniam, vt dixi, ea distinctio refertur ad Iudicem, ideò congruentius exprimitur actus confessionis factæ coram Iudice; Sed quia Hæreticus affirmatiuus confitendo suum errorem meretur misericordiam facti pænitens, non priuatur bonis, nec Curiæ seculari traditur, solùm alijs pœnis subijcitur, carceris, fustigationis, aut triremium.

Quæritur 10. Quid sit Hæreticus negatiuus? Vide sect. 3. q. 5. Vers. Octauo. in sacro Tribun.

41 ℞. Est ille, qui coram Iudice constanter negat Hæresim, seu dictum, aut factum Hęreticum, de quibus est legitimè conuictus, protestando se credere omnia, quę credit sancta Mater Ecclesia, & in specie ea, quæ Obijciuntur contra Fidem, credere, & semper credidisse in contrarium. Talis autem vti Hęreticus formalis traditur curię seculari vltimo supplicio perimendus, concurrentibus tamen quinq; condicionibus. *Primò*, quòd testes deponant, reum asseruisse, se suam hęresim credidisse. *Secundò*, quòd sit conuictus de verâ, & formali Hęresi in terminis, vnde non sufficit vehementissima, suspicio. *Tertiò*, vt testes conuincentes sint omni exceptione maiores. *Quartò*, quòd verba, vel facta ita clarè Hęresim indicent, vt nullam inuoluant ambiguitatem. *Quintò* demum, quòd delictum, super quod conuictus fuit, sit recens, non antiquum, ita vt verisimiliter credatur oblitus illius. De his *Pegna part.* 3. *com.* 48. *Carena par.* 2. *tit.* 1. *n.* 47. *Castropal. p.* 3. *num.* 5. *Alberghin. cap.* 2. *num.* 7. *Farinac. q.* 178. *num.* 22. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 6.

Ex vltimâ conditione oritur dubium, an in dictis, seu factis antiquis pręsumatur Obliuio? Vtique, post decennium, ita *Berous* 42
q. 73. *num.* 5. *Mascard. concl.* 1122. *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 32. *Decius consil.* 440. *ex illis Mar. Anton. lib.* 2. *resol.* 11. *num.* 39. *Carena* in terminis *cit. num.* 49. Item in Senibus, Infirmis, & occupatis in multis negotijs, *ex Menoch. cit. num.* 47. *Mascard. num.* 20. *Paris. lib.* 3. *de Resign. q.* 6. *num.* 58. Vide etiã Pegnam *part.* 2. *com.* 39. *Vers. In his ego*, rem hanc de obliuione tractantem, dubium relinquendo arbitrio iudicis. Dixi q. 30. à num. 124. cap. 9. sect. 3.

Quæritur 11. Quid sit Hæreticus Pænitens, & Impænitens?

℞. Pænitens est ille, qui in quacunq; parte Iudicij, antè sententiam suum fatetur errorem, paratus corrigi, & abiurare illum. 43
Ita omnes *cum Zanchino de Hæret. cap.* 16. *num.* 7. *ibi Campegius*, *Farinac. q.* 193. *num.* 41. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 4. Et multò magis, si spontè compareat, antequam citetur, Mater enim Ecclesia quoscunq; verè pænitentes recipit, & ex parte parcet eis etiam quasdam pænas præsertim Mortis, & confiscationis bonorum. Pænitentes enim recipiendi sunt, vt multis probatur cap. Conuenientibus 4. 1. q. 7. an pęnas euadant, dicam infrà sect. 12. q. 1. Vers. Dubitatur.

Dixi, *antè Sententiam*, quia Pænitentia 44
post Sententiam non pręsumitur prouenire ex corde, sed ex metu pęnarum, hac enim ratione omnes fingerent conuersionem ad pęnas fugiendas, & sic nullus puniretur, vndè frustra essent pœnę Mortis, & confiscationis bonorum, habent enim diuturnum tempus vsq; ad Sententiam ad Conuersionem, adeò quòd si infra illud non redeant ad cor Hęresim abiurantes, habeantur pro perpetuò obstinati in suo errore; vnde textus *in cap. Ad abolendam* 9. *de Hæret.* dicit, quòd deprehensi in errorem, si continuò, & confestim non abiurauerint Hęresim, relinquantur Curię seculari debitam vltionem recepturi; abiu-

abiuratio autem fit in actu ipsius Sententiæ, cui coniungitur, præmissâ Heresis Rettactatione per Abiurationem demum faciendam. *Farin. q. 193. num. 62.* dicit cum nonnullis, Penitentes etiam post traditionem factam Curiæ seculari, posse admitti ad Misericordiam, sed id non practicatur, nec potest apud Inquisitores inferiores, quia id videtur esse contra dictum cap. Ad abolendum, cum vix quandoq; admittantur ad pęnitentiam in ipso actu Sententię, & in tabulato existentes, vt *ex allegatis docet Diana part. 4. tract. 7. resol. 24. Vers. Sed restat*. Per hanc autem
45 Reconciliationem illis condonatur Mors, & bona confiscata restituuntur, remanentibus alijs pœnis, quibus sunt puniendi; licet bona de iure non essent restituenda; tamen de consuetudine illis relaxantur *ex Claro §. Heresis num. 7. Surdo cons. 386. num. 26. Farin. q. 190. num. 131. Carena part. 2. tit. 2. num. 9.* Vide meliùs infra sect. 12. q. 1.

46 Impęnitens Hæreticus est ille, qui legitimè conuictus suum errorem obstinatè defendit, nolendo se corrigere, & redire ad vnionem Ecclesię, abiurando Hęresim. *Primò* talis est Hęreticus negatiuus, *de quo dixi in praeced. quaest.* Farin. q. 196. *num 16. Carena part. 2. tit. 2. num. 12. Secundò*, de se confessus, & Ecclesię reconciliatus, si probatur non confessus omnes errores, & quòd non reuelauit omnes complices, reputatur Hęreticus, *Pegna p. 2. com. 19. Vers. Ex his possumus. Royas part. 1. num. 195. Carena n. 13. Diana part. 4. tract. 7. resol. 25. Vers. Sed affirmatiuam. Tertiò*, nolens abiurare de formali, vel de vehementi, ad quod fuit condemnatus, est impænitens, *Massin. part. 10. Assert. 83.* In secundo casu impenitens appellatur *Hæreticus diminutus*, qui non confitetur omnes errores, sed aliquem tantùm, nec omnes complices reuelauit, tradendus est Curiæ seculari, modo non præsumatur obliuio, *iuxta dicta sub q. 10. vers. Ex vlti-*
47 *ma*, & diminutio sit plenè probata, *Simanchas de Catol. tit. 48. num. 37. Royas part 2. num. 235. Pegna com. 59. vers. Ex his, Farinac. q. 196. num. 17. ex illis Sousa lib. 2. cap. 48. num. 11.* Si verò diminutio non sit plenè probata, & sit considerabilis, danda est reo Tortura iuxta qualitatem probationis, *Cantera in quaest. crim. in Rubr. de Haeret. cap. 1. num. 57. Farinac. q. 185. num. 133. Ex eis Sousa cit. num. 12.*

Sed illud mihi videtur durum, quòd non reuelans Complices sit tradendus Curię; cum magis dicatur Fautor Hęreticorum, quàm formaliter Hæreticus, Fautor autem non ita rigorosè punitur, & id referre *Castropal. tract. 4. disp. 6. p. 2. num. 5.* asserit Diana *part. 4. tract. 7. resol. 25. prope finem*, sed ego nihil inueni loco citato de Complicibus, nec quòd non reuelans Complices sit tantum Fautor Hæreticorum, qualem credo esse.

Diminutus quoque dicitur non confitens omnes qualitates, quæ respiciunt Hæresim formatam. Item non confitens tempus errorum, quando obliuio nullo modo presumitur, sed potius malitia, *Simanch. tit. 48. num. 28. Farinac. q. 185. num. 17. & 18. ex eis Sousa lib. 2. cap. 48. num. 13.* Circa tem- 48
pus præsumi potest obliuio, & Reum esse oblitum Complicum, si remoti sunt, & si cum illis semel, vel rarò conuersabatur, presertim si confitetur de consanguineis, & propinquis. Item si confiteatur precipuos errores, aut circunstantias, & qualitates illorum, & minores taceat, in his omnibus potest presumi obliuio. Ita *Pegna com. 59. vers. ex his, Royas part. 2. Assert. 22. num. 240 Decian. lib. 5. cap. 55. num. 10. & 16. Farin. q. 185. num. 18. ex illis Sousa lib. 2. cap. 48. nu. 14. Diana cit. ex Sousa.*

Non est autem tradendus Curię seculari 49
impęnitẽs, nisi prius detineatur in carceribus, sæpius monitus, vt confiteatur, & conuertatur recedẽdo ab obstinatione, aliter perseuerans in sua Pertinaciâ, tunc tradatur, quia reuera est Impænitens. Ita *Pegna part. 2. com. 65. Vers. in his, Farinac. q. 195. num. 25. & q. 196. num. 33. Carena part. 2. tit. 2. num. 15.* Et id colligitur ex verbis Domini apud Matthæum 13. num. 30. de Zizania, quæ crescit
simul cum tritico vsque ad messem, & alligata in fasciculos traditur ad comburendum; 50
datur ergo tempus Hæretico diminuto in occultatione suorum errorum, vt possit crescere redeundo ad vnitatem Fidei, vt possit cum bono tritico congregari in horreum Ecclesiæ, quod si crescit in suâ Pertinaciâ traditur ad comburendum, quia noluit crescere in virtute Pænitentiæ.

Oritur hinc grauis difficultas, an Confessarius Hæreticum impænitentem traditum Curiæ seculari associans ad Mortem possit illum absoluere ab Hæresi, & alijs dependentibus ab eius inobedientiâ, & Pertinaciâ, si detestetur suos errores, & pæniteat?

Cardinalis de Lugo disp. 40. de Iust. num. 51
19. dicit, Hæreticum negatiuum esse obligandum à Confessario fateri suum crimen Iudici, quia ille præsumitur decedere in Hęresi, quandiu non confitetur, quia non censetur absolutus à Censurà, dum reijcit oblatam Reconciliationem, & Absolutionem; & quia cum sit conuictus, vt Hæreticus non vult satisfacere Ecclesiæ publicâ satisfactione pro culpâ illâ publicâ, quare censetur perseuerare in eodem errore, vt docet *Suar. disp. 23. de Fide sect. 3. num. 5.* Ad tollendum igitur hoc scandalum cogendi sunt confiteri iudiciali confessione, aliter non possunt absolui sacramentaliter à Confessario, qui talem facultatem non habet ab Inquisitore, vt ipse

ipsemet de Lugo dicit *disp. 23. de Fide num. 94. & 96 ex Sanchez lib. 3. cap. 7. num. 11. in fine, & Suar. cit.* non esse hunc admittendum ad Confessionem sacramentalem, nisi prius publicâ Confessione iudiciali suum fateatur errorem, quia hic & nunc est indispositus ad Sacramentum recipiendum. Probant primò, quia ad tollendum scandalū debet fateri Hæresim, dum enim est conuictus censetur in eâ perseuerare. Probant secundò, quia ait, *disput. 18. de Pœnit. num. 24.* communem esse Sententiam, moribundum in articulo mortis non posse absolui à Reseruatis à simplici confessario, si adsit, vel adiri possit habens facultatem absoluendi ab illis; in casu nostro adest Inquisitor, ergo ab hoc absoluitur tantùm.

52 Ego autem cum Portello *in summâ dub. Regul V. Correctio Fratrum sub V. Reus num.* 5. dico posse absolui, cum hac conditione, quam ego addo, nempe, si prius clarâ voce coram multis fateatur suum errorem etiam Inquisitore absente, & nihil sciente, in hoc enim casu apparet bene dispositus adeo quòd illi non est denegandum Sacramentum Pœnitentiæ, nec Sacrum Viaticum, cum notum sit ipsum esse ad Deum conuersum. Satis deinde vrget argumentum Portelli, immò & Sanchez citati; si enim reus existens negatiuus in alijs delictis, est capax Sacramentorum, cur & non in hoc Hæresis, in his enim omnibus Iudex dicitur officio suo functus, itaut vlterius non habeat ius super delinquentem maxime iam traditum Curiæ alteri puniendum.

53 Et ex his patet ad primum argumentum de Scandalo sublato per eam confessionem publicam extraiudicialem. Vel dic scandalum hic dari imaginarium cum notum sit apud omnes Reos solere negare veritatem, & ex parte Iudicis semper præsumi pro illo contra Reum, non video proinde hic rationem scandali. *Ad secundum*, licet opinio, quæ docet, vocandum esse habentem facultatem absoluendi à Reseruatis, sit communior; non tamen sua probabilitate caret asserens absolui posse moribundum à reseruatis
54 per simplicem Sacerdotem, vt docent septemdecim *apud Barbosam ad cap 7. sess. 14. num. 12 & Allegat. 25. num. 78. & seq.* Vnde non est opus adire, seu vocare Inquisitorem, qui pro Sacramentorum administratione non habet maiorem facultatem, quam habeat simplex Confessarius, cum in tali casu
55 non possit procedere vt Iudex fori externi, cum in eâ causâ functus sit officio suo, & reputetur persona priuata, *l. Iudex 55. ff. de re iudicatâ*. Vnde nec solent relaxatis assignare Confessarium, nec confortatorem, id enim munus est Societatis confortantis ad bene moriendum. Et pro prædictis facit textus *in cap. cum non ab homine 10. de iudicijs*, vbi ita scribitur ad propositum: *Postmodum verò, si in profundum malorum veniens contempserit: cum Ecclesia non habeat vltra quid faciat, ne possit esse vltra perditio plurimorum, per secularem comprimendus est Potestatem &c.* Non est dubium, quòd Hæreticus negatiuus deuenit in profundum malorum, & Inquisitor non habet vltra quid faciat, dum tradit eum Potestati seculari, ergo ad eum amplius non pertinet.

Quæritur 12. An quis præsumatur perseuerare in Hæresi?

℞. Affirmatiuè ex illâ communi Regulâ, 56
quòd semel malus semper præsumitur talis in eodem genere mali. Ita *alijs citatis Sanchez lib. 2. cap. 14. num. 11.*

Quæres 13. An dubius in Fide sit Infidelis, & Hæreticus?

℞. Affirmatiuè, *cap. 1. de Hæret.* ratio est 57
quia Fides excludit à se omnem dubitationem, quę destructiua est, nam S. Bernardus lib. 5. de consider. cap. 2. inquit: *Fides ambiguum non habet, & si habet, fides non est.* Est communis, *Farinac. q. 178. §. 4. per totum Carena part. 2. tit. 1. num. 17. de Lugo disp. 20. num. 17. Royas part. 1. num. 272.* Qui enim perseuerat in dubitatione pertinaciter asserendo, seu tenendo rem, quæ de Fide est certa, esse dubiam; procul dubio Hæreticus est. Vide, quæ dixi cap. 9. sect. 3. q. 20. num. 74. Alberghin cap. 5. obiectis aduersariorum respondi loco citato.

Quæritur 14. An negans conclusionem deductam ex ambabus de Fide sit Hereticus?

℞. Affirmatiuè, quia talis est etiam in se, 58
& ex medio puro de Fide, vt probaui sect. 1. q. 10. num. 20. ac proinde est actus Fidei. Ita docent *Scotus, Ocham. cum multis alijs de Lugo disp. 1 sect. 13 §. 2. num. 279.* Non enim negari potest conclusio, nisi negatâ alterâ præmissarum, quod est Hæreticum. Affert exemplum S. Matthæi, hoc modo: *Omnes Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum; S. Matthæus erat Apostolus, ergo recepit Spiritū sanctum.* Non solùm præmissæ, sed etiam Conclusio est de Fide, non solùm ex deductione medij totius Fidei, sed etiam in seipsâ reuelatâ, vt probaui *sect. 1. num. 29. Meldul. in 3. disp. 6. num. 326. ex Scoto dist. 3.*

Contrarium tenent Molina, Valentia, Lorca cum alijs, quos contra se citat idem Cardinalis, qui satisfacit eorum argumentis.

Quæritur 15. An negans Conclusionem deductam ex vna reuelatâ, & alterâ non reuelatâ, seu naturali sit Hæreticus? Ponunt exemplum in hac: *Christus est risibilis* deducta ex his præmissis: *Omnis homo est risibilis; Christus est homo, ergo Christus est risibilis.* Item *Omnis homo est visibilis, Christus est homo, ergo Christus est visibilis.* Item; *Omnis Hostia consecrata est adoranda;* hæc

hac est consecrata, ergo adoranda. Item, *Omnis Homo peccauit in Adam; Petrus est Homo, ergo Petrus peccauit in Adam*. Dubitatur ergo, an negans prædictas conclusiones, & similes sit Hæreticus, an saltem suspectus de Hæresi?

59 ℞. Non est Hęreticus nisi negando secundam *Christus est visibilis*, alias negans solùm est suspectus de Hæresi, & quidem vehementer, vt probatur in sequentibus.

60 Prima pars, quòd non sit Hæreticus, probatur, quia nullibi illæ conclusiones inueniuntur definitæ de Fide, non in Sacrâ Scripturâ, quia nullibi fit mentio de risibilitate, nec quòd Christus riserit, sed sæpius, quod fleuerit, non enim risus laudatur, dum Eccles. 2. 2. dicitur: *Risum reputaui errorem*. Quare puto verum; Christum nunquam risisse; credo verò ipsum esse risibilem; est enim passio hominis cuiuslibet; ideo id negans est suspectus de Hæresi, eo quòd ad huius negationem sequitur negatio Hominis; præsumitur enim negans risibilitatem non credere Christum esse verum Hominem. Talis præsumptio locum habet in negantibus reliquas conclusiones, exceptâ secundâ; ideo enim censentur eas negare, quia præsumuntur negare vniuersalem de Fide, in qua continetur conclusio, sed quia medius terminus non est purus, sed mixtus ex naturali, & reuelatâ, quæ est maior in prędictis exemplis; ideo ex
61 illa mixtione non potest deduci conclusio de Fide, cum hæc sit fortior, & Conclusio sequatur debiliorem partem; infertur solùm conclusio Theologica, quæ cum non sit de Fide, non potest inferre crimen Hæresis in negantem illam.

62 Confirmatur, quia singulares propositiones non sunt reuelatæ in vniuersalibus suis, nisi tales sint etiam in suis terminis; quæ tamen non sunt, quia illarum reuelatio non est necessaria, nisi in certis indiuiduis ideo expressis in Sacrâ Scripturâ, iuxta quod dixi sect. 1. q. 11. num. 21. & seq.

63 Quòd negans risibilitatem in Christo non sit Hæreticus, sed tantùm vehementer suspectus docent *Corduba lib*. 1. *q*. 17. §. 7. *dub*. 3. *notat*. 3. *Aragona* 2. 2. *q*. 11. *art*. 2 *Vers. His tamen non obstantibus*, *cum eis* Sanchez *lib*. 2. *cap*. 7. *num* 33. *Castropal tract*. 4. *disp*. 3. *de Hæresi p* 2. *num*. 18. *Carena part* 2. *tit*. 1. *num*. 35. & 36. Subdens, hunc tamquam Hæreticum esse puniendum, si persistat in negatiuâ, quia negat principium Fide reuelatum, nempe, quòd Christus sit Homo; dic tu, negare virtualiter principium reuelatum. Illos sequitur de Lugo disp. 1. de Fide num. 261. & 262. Non enim potest esse de Fide, quòd non creditur, quia reuelatum à Deo, sed obiectum huius Conclusionis non dicitur à Deo, sed aliud, ex quo partialiter hoc aliud infertur, ergo non potest hoc credi ex Fide, cum non participet rationem formalem Fidei. Vide ipsum respondentem obiectis, & num. 258. recenset Doctores negantes eam esse de Fide, & alios citat *Diana part*. 4. *tract*. 8. *resol*. 79. *Meldulensis in* 3. *disp*. 6. *num*. 333. & 334. dum dicit, eam non esse de Fide, sed Theologicam.

Contrarium, quòd negans risibilitatem 64
in Christo sit Hæreticus, docent *Cano lib*. 6. *de locis cap. vlt. ad* 10. *Vega lib*. 9. *in Trident. cap*. 39. *Vasquez part*. 1. *disp*. 5. *cap*. 3. dum dicunt, eam esse de Fide, quia mediatè reuelata in principio suo, quòd Christus est Homo, ad Fidem enim sufficit virtualis Reuelatio; inferunt quoque eam negantem esse Hæreticum, quia negat propositionem de Fide. Similiter idem dicunt asserentes Theologiam non distingui à Fide infusâ, qui sunt Sotus in 3. dist. 35. & Ocham in prologo q. 3. princip. lit. G. & alij, quos contra se citat
de Lugo disp. 1. *sect*. 13. *num*. 258. Sed ho- 65
rum ratio non subsistit, consistens in eâ duplici Reuelatione, quæ parit confusionem, & multiplicat in infinitum veritates Fidei, nullâ existente necessitate; Standum ergo est in eo, quòd vnicus est reuelationis modus, vt solùm ea dicantur reuelata, quæ talia apparent in proprijs terminis, vel æquiualentibus secundum rei essentiam, iuxta dicta præced. sect. q. 12. num. 27. Dictum quoque fuit ibidem sub num. 16. Habitum Fidei, & Theologiæ inter se distingui, nam is oritur ex actibus aquisitis non reuelatis, ille verò consistit in reuelatis infusis.

Secunda pars, quòd ea conclusio, ergo 66
Christus est visibilis, sit de Fide, probaui præced. sect. num. 17. reperitur enim expressa in sacra Scripturâ, quam ibi citaui. Quare illam negans est Hæreticus cum se opponat huic Fidei auctoritati, & veritati.

Quæritur 16. An negans prædicata substantialia in Christo sit Hæreticus? Ratio dubitandi est, quia nullibi in Scripturâ reperitur, quòd Christus dicatur Animal, Corpus, sensitiuum, substantia, ens, rationalis, ergo non est Hæreticus negans illi dicta prædicata.

℞. Negantem ea prædicata esse Hæreti-
cum, quia immediatè sunt reuelata in termi- 67
nis essentialibus ipsius Christi, immo exprimuntur in Euangelio pleraque eorum. De corpore Matth. 26. 12. *Vnguentum hoc in Corpus meum*, & num. 26. *Hoc est Corpus meum*. De sensibus in pluribus locis, de Animali, de substantia, de ente, de re, nihil in his terminis, sed solùm in æquiualentibus secundum essentiam, & deducuntur ex præmissis de Fide sic. Deus est substantia, est ens, est res; sed Christus est Deus, ergo & substantia, & res, & ens. Animalitas dicitur immediatè reuelata per esse sensitiuum, quod tali Animali competit. Christus est

Doc-

Doctor Ioel 2.23. & ideo sedebat inter Doctores interrogans eos Lucæ 2.46. quod facere non potuisset, si non esset animal rationa-
68 le; idem enim omnino in re est definitum, & definitio, cum hæc declaret distinctè, quòd est illud, & sic cum sit impossibile reuelare vnum sine alio, qui reuelauit Christum esse hominem, testificatus quoque est, ipsum esse animal rationale, adde, quòd impossibilis est anima sine rationalitate, cum ambo in re sint idem. Quare negans dictas Propositiones est formaliter Hæreticus, cum in seipsis sint de Fide.

Quæritur 17. Quid, & quotuplex sit propositio respiciens Hæresim?

69 ℞. Propositio respiciens Hæresim est oratio falsa contra Fidem Catolicam directè, vel indirectè reddens suspectum obloquẽtem de Hæresi. Et sicut quatuor sunt species Propositionis catolicæ, ita non catolicæ quatuor sunt, de catolicis dixi sect. 1. num. 27. 36. & 37.

℞. Quatuor sunt species respicientes Hæresim; Hæretica; Erronea; Sapiens Hæresim; & Impia, singulæ explicantur.

70 Hæretica Propositio est falsa Oratio directè, & immediatè destructiua propositionis de Fide; vt *Deus est iniustus*. Immediatè, & directè opponitur huic *Deus est iustus*, quę est de Fide. Dixi *Directè, & immediatè*, vt eam distinguerem ab alijs propositionibus falsis, quæ indirectè, & arguitiuè opponuntur propositionibus de Fide. Hæreticales vt plurimùm exprimuntur per negationem, quæ est malignantis naturæ destruens, quod Fides ponit; fideles verò propositiones raro negatione explicantur, & fere solùm ad auferendum imperfectionem; vt, *Christus nunquam peccauit*, de quibus alia notaui cap. 41. num.77.

71 Erronea Propositio est illa, quæ conclusioni Theologicæ opponitur, vt, *Christus non est risibilis*. Hæc enim non est hæretica, sed tantùm erronea, ac proinde opponitur Fidei tantùm indirectè, & arguitiuè. Alij sic definiunt, quòd sit contra rectam rationem, vel contra Catolicam veritatem obscuram nondùm definitam, vel contra communem Patrum sententiam. Vide cap.41.num.82.vbi probaui, hanc definitionem confundere hos gradus inter se.

72 Sapiens Hæresim illa dicitur, quæ aduersatur Propositioni non reuelatæ, non deductæ, sed receptæ tantùm ex communi consensu Ecclesiæ; vt *Maria non fuit assumpta in Cælum*. Sic hæc: *Est concepta in peccato originali*, Sapit Hæresim, cum opposita sit recepta ab vniuersà Ecclesià de mandato Gregorij XV. & Alexandri VII. & in his Bullis, & allijs, solùm prohibetur ne alterutra Propositio asseratur de Fide, vel hæretica, quod longè quid diuersum est à Propositione sapiente Hæresim, vel Fidem.

Impia demùm Propositio est illa, quæ opponitur pijs Propositionibus, quæ non sunt reuelatæ, non deductę, non solemnizatæ, fouent tamen Religionẽ, Fidem, Charitatem, & Deuotionem; vt *Maria in hac vità vidit essentiam diuinam*. Huic piæ opponitur hęc impia: *Maria non vidit in hac vita essentiam Dei.* 73

Itaque Hæreticalis propositio specificatur per Oppositionem factam reuelatis. Erronea per Oppositionem factam deductis. Sapiens Hæresim per Oppositionem ad solemnizatas. Impia demum per Oppositionem ad bona pietatis opera, vel contra pietatem Religionis, & Fidei. 74

Alij dantur gradus *Propositionum censurabilium*, de quibus latiùs dixi dicto cap. 41. q. 35. à num. 87. quarum assertores redduntur suspecti de Hæresi, & reduci possunt ad vnam ex quatuor ex mox declaratis maximè ad Impiam, ex qua hominem faciunt suspectum de Hæresi. 75

Quæritur 18. An sit Hæreticus assentiens alicui articulo Fidei per actum opinatiuum.

℞. Negatiuè, si in Assensu excludat omnem actualem formidinem, neque enim per talem assensum excludit suppositum Assensum, quem habet circa obiectum reuelatum, multò, & longè certiorem, & firmiorem ipso assensu opinatiuo, possunt enim hi duo assensus ex diuersis motiuis esse simul circa idem obiectum, cum non sint contrarij, cum ergo imperfectus Opinionis assensus non neget certitudinem Fidei ab eo, sed obiecto se exhibeat fauorabilem, non potest in opinantem inducere Hæresim, licet enim imperfectè faueat Fidei, non tamen illam destruit. Et id probat *de Lugo disp.20.num.* 20. Qui enim iudicat assensu probabili obiectum, nihil iudicat de probabilitate, sed solùm de obiecto, probabilitas autem tota se tenet ex parte actus. Confirmat exemplo actus amoris imperfecti erga Deum, quia quis potest Deum diligere amore minus perfecto, & non super omnia sine peccato, quia non dicit, Deum non esse dignum maiori amore, neque excludit positiuè alium maiorem amorem, sed habet se precisiuè non exibendo per illum actum tantum affectum, quanto dignum erat obiectum. Similiter ergo Intellectus, dum aliquo assensu non credit Obiectum firmissimè, vel super omnia, non dicit obiectum non esse dignum firmiori assensu, vel esse solùm probabile, sed solùm non fertur in obiectum per illum actum tota firmitate, quam exigit, & meretur. Eiusdem Opinionis est Suarez *disp. 19 de Fide sect. 4. num. 16.* 76

F quia

quia credere Fidei obiecto ob motiuum, humanum non est peccatum, sed potius frequenter vsitatum à fidelibus, quia talis credulitas cum Fide non pugnat.

77 Multi contrarium sentiunt cum Azorio, Castro, Lorca, & Conincho, quos citat, & sequitur *Castropal. tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 2. *num.* 12. citans præter illos *D. Thomam part.* 1. *q.* 32. *art.* 4. *D. August. lib.* 8. *de Trinit. cap.* 5. ibi: *Fortè autem, de Virgine natus est Christus, nemo saluà Fide Christianà dixerit.* Probat, quia assensus opinatiuus de aliquo obiecto necessario, indicat obiectum ita esse verum, vt possit esse falsum, at talis assensus includit errorem in Fide, ergo non potest esse cum obiecto Fidei sufficienter proposito. Eos sequitur *Dal Bene de offic. S. Inquis. part.* 1. *dub.* 7.

78 Respondet Castropal. se posse assentiri misterijs Fidei sub aliquà ratione probabili; negat tamen, se tunc habere opinatiuum assensum de illo misterio absolutè; non enim iudicas absolutè illud misterium probabile esse, seu non esse omninò certum, sed iudicas in actu exercito non esse omninò certum ex vi illius Rationis, quæ actus contrarius Fidei non est, quia eius probabilitas potius circa Rationem motiuà versatur, quam circa Misterium, quod Rationi motiuæ subest.

79 Respondet de Lugo dictos Auctores loqui de opinante cum formidine actuali; qui enim assensu probabili assentitur alicui obiecto Fidei, & iudicat obiectum illud secundùm se esse probabile, sine dubio errat in Fide. Concludens omnia argumenta à Conincho congesta probare solùm, nos non posse sine peccato dicere obiectum Fidei esse probabile, quia per hoc significatur, quòd obiectum illud non debeat, certo credi; non tamen probat, quòd non possit sine peccato credi assensu probabili, non excludendo maiorem certitudinem &c.

D. Thomas in eo art. 4. solùm dicit, nos posse opinari de Notionibus, quia non sunt Articuli Fidei, & sic à Fide excludit opinionem, quæ diceret Fidei misteria reuelata esse tantùm probabilia, is enim est Hæreticus; cognoscere verò eadem etiam per assensum opinatiuum id non negat.

80 Sanctum verò Augustinum certum est loqui de eo, qui dubitaret circa illum Fidei Articulum, esse Hæreticum, quia dubius in Fide est Infidelis, clarum enim est apud omnes illud *Fortè* esse dictionem dubitatiuam, *ex allegatis à Barb. Dict.* 127. *num.* 1. & aliud esse opinari, aliud dubitare, id enim caret assensu, quo constituitur Opinio in actu suo.

81 Ad rationem Castropal. dico, assensum opinatiuum de aliquo obiecto iudicare necessariò illud ita esse verum, vt possit esse falsum, quando obiectum aliunde non habet certitudinem firmam, certum enim est, quòd obiecto scibili aduenire potest præter assensum scientificum assensum etiam opinatiuus; scio enim Ecclipsim, & deinde credo ex auditu amici illam extare, quod ignorabam. Credo firmiter Fide diuina obiectum Fidei N. & deinde illi assentior medio opinatiuo, quod non facit illud esse probabile, sed fauet obiecto reuelato, cui conformatur ille assensus opinatiuus. Confirmatur, quia euidentia credibilitatis obiecti magis corroborat in nobis Veritatem Fidei, vt dixi sect. 1. num. 10. Cur ergo assensus opinatiuus non stare poterit cum obiecto Fidei illud corroborando, & non destruendo?

Ad responsionem eiusdem dico esse idem assentiri misterijs Fidei sub aliquà ratione probabili, & habere opinatiuum assensum super illis, vt notum est ex terminis; assensus enim opinatiuus est ipsamet ratio probabilis, per quam coadiuuatur aliquo modo certitudo Fidei, dum illa non destruitur, sed magis fit credibilis, nihil ergo ratio probabilis tollit de certitudine Fidei, dum corroboratur. 82

Quæritur 19. An qui culpabiliter exponit se periculo errandi dissensu Hæretico contra Fidem, sit Hæreticus, licet postea Fidem non neget?

℞. Non est Hæreticus, quia Fidem directè non negauit, licet dispositiuè contra eam peccauerit, nec proinde illam perdidit, cum reuerà non sit per talem actum factus Infidelis; aliud enim est exponere se periculo, aliud incidere in rem periculi, iuxta illud Salomonis: *Qui amat periculum peribit in illo*. In casu præsenti agitur tantùm de amante periculum, non verò de pereunte in illo. Vide de Lugo disp. 17. num. 82. probantem, hunc non perdere Fidem, ac proinde nec esse Hæreticum. 83

Quæritur 20. An sit Hæreticus, qui credit verum articulum v. g. præsentiam Christi in Eucharistià, falsò tamen putans ex conscientià erroneà id esse contra sensum Ecclesiæ?

℞. Si ex Conscientià inuincibiliter errante putet id esse contra sensum Ecclesiæ, excusatur, si error est vincibilis peccat mortaliter contra Fidem, cum sit directè contra auctoritatem Ecclesiæ in causa Fidei, cum sit articulus Fidei, eam errare non posse, vnde & Fidem perdidit factus Infidelis. *Ex Suarez, Hurtado, & alijs, de Lugo disput.* 17. *num.* 83. Infra q. 23. 84

Quæritur 21. An sit Hæreticus, qui credit, & docet alios aliquid esse de Fide, quod tamen de Fide non est? Pono exemplum. Quis credit, & docet esse de Fide, quòd sit exprimenda copula ex libidine tantùm habita inter consanguineos in petitione dispensationis ad contrahendum matrimonium. De quo

quo extant duæ opiniones relatæ à Sanchez lib.8.disp.25. Ex quo certum est, neutram esse de Fide. Aliud exemplum notius in Misterio Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis, cuius neutra opinio est de Fide definita, nihilominus inter Hispanos aliqui sunt qui firmiter tenent, & docent, negatiuam esse de Fide, quæ tamen nondum talis est.

85 ℟. Non est Hæreticus, quia eius error non aduersatur Fidei, cum obiectum circa quod versatur non sit definitum de Fide, immo talis eius error in ipso inculpabilis, est solùm talis materialiter, immo estò esset culpabilis ex eo, quòd sciret quoq; tale obiectum nondum esse definitum de Fide; non ideo sic errando, asserendo esse de Fide facit contra Fidem, cum tunc loquatur in fauorem Fidei, cum sit definibile; probaui enim Sect. 1. num. 14. esse opiniones Doctorum probabiles alijs asserentibus talem propositionem &c. de Fide, alijs negantibus.

86 Confirmatur, quia licet sit pertinax, & obstinatus in suo dicto firmiter credens illud esse de Fide; talis tamen eius pertinacia non constituit illum Hæreticum, pertinacia enim hæreticalis directè, & immediatè opponitur obiecto Fidei; tali ex parte rei, quod obstinatus scit esse tale, vt docent omnes in materiâ Pertinaciæ, vt dixi hic supra q. 4. Vers. Formalis; in casu autem nostro nullum video extare obiectum verum Fidei, sed tantùm supponi erroneè, quod non est, vt ergo quis sit verè, & propriè Hæreticus debet negare obiectum Fidei verùm, non fictum, quod scit esse de Fide, & tamen illud negat; in casu autem nihil negat contra Fidem, ergo Hæreticus non est.

87 Lorca disput. 39. num. 11. apud de Lugo disp. 20. sect. 1. num. 22. dicit, hunc esse errorem contra Fidem, nam sicut errat contra veritatem, qui vera pro falsis, & falsa pro veris æstimat, & qui certa pro incertis, & incerta pro certis tradit; sic errat contra Fidem negans ea, quæ sunt Fidei, & ea, quæ non sunt de Fide æstimat esse Fidei. Addit, hunc errorem, si desit Pertinacia, non esse ex genere suo grauem culpam, Pertinacia autem erit, si cognoscat Ecclesiam docere illud obiectum non pertinere ad Fidem, & adhuc persistat credens esse de Fide, tunc enim contemnit Ecclesiam, & eius auctoritatem, & ideo erit Hæresis; nec mirum, cum sit error Fidei oppositus, licet ex accidenti. Et ibidem citatur *Corduba q. 17. §. 7. dub. 2. & Castro lib. 1. de iusta Haret. punit. cap. 8.*

88 Argumentum Lorcæ solùm probat, sic errantem esse mendacem, non Hæreticum, cum se nō opponat obiecto, de Fide definito, sed fauet obiecto, ac si esset definitum, quamuis ex parte rei tale non sit; falsum ergo, in Fide errare illum, qui æstimat esse de fide, quod non est, sicuti errat ille, qui negat quod est de Fide, lata enim est differentia, siquidem is directè destruit Fidem, ille verò censetur esse bene affectum erga Fidem, dum eam ampliat, ex ignorantiâ.

Additionis argumentum distinguo, si Ecclesia docuit tale dogma nondum esse definitum de Fide, & se declaret, id esse de Fide tenendum; nulli dubium esse debet, talem esse Hæreticum, quia discredit, quòd scit Ecclesiam id definisse de fide, quod nondum est de fide definitum. Quòd si Ecclesia solùm docuit tale dogma non esse definitum de Fide; de se apponendo non est Hæreticus, sed mendax, & inobediens, cum nihil dicat contra Fidem, ex quo nihil est definitum in fide, nec de fide, esto contemnat Legislatorem, non tamen Fidem, immo hanc ampliat, licet temerè id faciat. 89

Et id confirmatur per secundum exemplum de Conceptione, non enim est de fide definitum, quòd neutra pars sit definita, sed Pontifices ad euitandas discordias prohibuerunt, ne quis auderet de hac re Opiniones oppositas asserere hæreticas, cum neutram vsq; adhuc Ecclesia definierit, qui ergo tenet vnam ex his esse de fide, cum reuerà nondum sit, & sciatur etiam à viro docto, sed pertinaci, asserendo, & docendo esse de Fide Mariam sine originali esse conceptam, quamuis peccet mortaliter, & incurrat pœnas in Bullis latas, non tamen est Hæreticus, quia non opponit se alicui de Fide definito. Demum non legi Pontifices definisse in materia Fidei non esse aliquid definitum, sed solùm prohibere, vt in casu proposito de Conceptione. Et ex his patet responsum ad obiecta Cardinalis de Lugo, qui plura dicit super hac quæstione.

Quæritur 22. An detur paruitas materiæ in Hæresi excusans à peccato mortali?

℟. Discredens aliquid quamuis leuissimum, & parui momenti in se, vt quòd Tobias non habuerit canem, vel Aaron barbam quem, & quā scit illos habuisse, peccat mortaliter, quia Deum facit fallibilem, & mendacem, & ipsum fallere posse, & sic non esse primam Veritatem, quod sine dubio est grauissimum peccatum Hæresis. Ita *Sanchez. lib. 1. cap. 4. num. 1. Castropal. tract. 2. disp. 2. q. 7. num. 2. cum alijs Diana part. 5. tract. 5. resol. 28. de Lugo disp. 20. num. 19. Ego cap. 9. sect. 3 num. 73.* Contra Sayrum in Claui lib. 12. cap. 2. num 19. vbi ex leuissimo verbo sapiente Hæresim; non facit Hæreticum, ad quod necessarius est assensus contra Fidem, qui non consistit in vnico verbo. 90

Quæritur 23. Credens falsum, putans sic teneri ab Ecclesia sit hæreticus?

℟. Si credit inuincibiliter falsum esse, quod reuera non est falsum, non est Hæreticus, quia nihil sentit contra Fidem; si vero scit esse falsum, & putet Ecclesiam illud tenere pro vero est Hæreticus, quia credit Ec- 91

clesiam posse errare; & esse fallacem. Vide Farinacium q. 179. num. 1.

Quæritur 24. An tenens opinionem aliquam veram, putans illam esse contra Fidem, cum non sit, Hæreticus sit?

℟. Cap. 9. Sacri Tribun. Sect. 3. num. 63. non esse Hæreticum, quia reuerà deest hic obiectum Fidei, ac proinde cum eius nulla sit violatio fidei, Hæreticus esse non potest. Probaui ibidem alijs modis.

92 Dices est hæreticus; *Primò*, quià Veritas opinatiua cum eà relatione inficitur, & inficit obiectum Fidei in se & arguit Ecclesiam quandoque definire aliquid quod sit falsum. Ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 30. Farinac. q. 179. num. 2. Sayrus in Thesauro lib. 3. cap. 4. num. 14. cum alijs* Ricciul. *de iure person. extra lib. 5. cap. 5. Carena part. 2. tit. 1. num. 74.*

93 *Secundò*, estò credens se percutere Clericum, cum realiter percutiat laicum, non sit reus Excommunicationis, in sententiâ omnium *cum Barb. ad Caus. 17. q. 4. num. 50.* non ideo sequitur idem, quòd non sit Hæreticus putans esse de Fide, quod non est, sed sit Hæreticus tenens opinionem veram, quã putat esse contra Fidem, cum reuera non sit. Ratio disparitatis est, quia in materia Fidei inspicitur magis Fides virtualis, quam

94 Opinio *Ricciul. cit ex cap. 2. de summa Trinit. §. In nullis*. Deinde ait cum prædictis, in Excommunicatione inspici actum super quam personam cadat, non animum percutientis, ex illo enim nascitur Excommunicatio, non ex animo. In Hæresi autem inspicitur animus, ab eo enim nascitur Hæresis cum sit error in Intellectu, non in actu externo, per quem Hæresis solùm manifestatur.

95 Ad primum respondeo, eam veritatem opinatiuam non posse inficere Reuelationem cum nec Reuelationi obstet nec Fidei, ex parte rei; dum præterea credit aliquid verum nihil credit contra Fidem, cum hæc sit intrinsecè Veritas.

96 Ad secundum, ostendo paritatem in vtroque; sicut in Excommunicatione requiritur veritas facti tam ex parte percutientis, quàm passi, quòd scilicet sit apprehensio Clericatus, quale obiectum apprehensum, ita ad incurrendam Hæresim requiritur non solùm animus & falsitas in Intellectu, sed etiam error obiectiuus, qui scilicet supponat Veritatem in obiecto apprehenso, quod reuera sit de Fide, aliter Hæresis non est, quæ cum sit species cognitionis, debet fieri ex potentia & obiecto, si ergo obiectum non est tale, quale apprehenditur ex eo gigni non potest, quod non habet.

Sicut ergo actus percussionis debet specificari à qualitate passi, ita & actus Hæresis denominari à qualitate obiecti negati, ac proinde debet esse in se de Fide.

Demum, argumenta istorum probant talem personam contraxisse aliqualiter ex illo affectu malitiam erroneam Hæresis, quæ in se non est.

Queritur 25. An, qui protulit Propositiones hæreticales, habendus sit pro formali Hæretico, hoc est, quòd corde crediderit, quod ore protulit? E.g. *Non datur Purgatorium. Aaron non habebat barbam.*

℟. Non est iudicandus formalis Hæreticus, sed tantùm est suspectus de Hæresi; vnde confessus de delicto, ex quo oritur præsumptio Hæresis, cogendus est ad torturam subeundam super intentione; quòd si conuictus legitimè, & nihilominus neget delictum, verbum, seu factum, habendus est pro Hæretico formali. 97

Prima pars, quòd non sit iudicandus Hæreticus formalis, probatur, quia ad incurrendam Hæresim formalem subiectam punitioni Ecclesiæ, duo in primis sunt necessaria; vnum, quòd delictum, seu dictum, vel factum sit exterius legitimè probatum; alterum, quòd probetur, ipsum delinquentem habuisse errorem in Intellectu, quòd scilicet discredat oppositum eius, quod dixit, vel facit, ac proinde credat verum esse, quod dixit, nimirùm non esse Purgatorium, & falsum esse, quòd sit Purgatorium, in materiâ enim Fidei, & Hæresis, vnum destruit aliud, cum ex diametro opponantur; sed per solam probationem delicti, non probatur error in Intellectu; non enim sunt idem, sed diuersa requirentia distinctas probationes, quare ex probatione delicti non ostenditur certò error in Intellectus, sed tantùm præsumitur. 98

Secunda pars, quòd de Hæresi sit suspectus, & quandocunq; delictum est probatum inferre suspicionem Hæresis, patet, quia delictum talem suspicionem habet adiunctam, quasi ex naturà rei moralis, & dispositione Iuris, ergo probato delicto, cui de iure est adiuncta Hæresis suspicio, manet probata ipsa suspicio. Sed de hæresis suspicione infra suo loco latius dicam sect. 76. q. 12. 99

Tertia pars, quòd probato delicto suspicionem inferente, reus super intentione sit torquendus, probatur, quia Iudex aliud medium non habet ad se certificandum, an sit Hæreticus, nec ne. Et de Torturà huius modi dicam infra suo loco. 100

Quarta pars; conuictus de delicto inferente suspicionem Hæresis, si negat delictum, super quo fuit conuictus, habendus est pro formali Hæretico, patet ex dictis hic q. 10. Si concurrant conditiones contrà eum ibi recensitæ. 101

Quæritur 26. Quid sit Hæresiarcha, & Dogmatista?

℟. Hæresiarcha est ille, qui proprias Hæreses à se inuentas, vel ab alijs, docet discipulos 102

pulos, eas defendendo scripto, vel verbo, publicè, aut occultè. Ita omnes colligunt *ex cap. Qui aliorum 32. 24. q. 3. Pegna part. 2. q. 39. com. 64. vers. Sed illud hic. Farinac. q. 178. num. 15. Dal Bene part. 1. dub. 163. num. 1. & 2. Alberghinus cap. 4. per totum, Suar. de fide disp. 23. sect. 2. num. 11. cum quo Dal Bene, loco citato, Alberghinus, & Sousa lib. 1. cap. 9. num.* 4. dicunt, requiri, vt quasi ex Officio, & consuetudine doceant errores. Alij tamen id non exprimunt cum *Carena part. 2. tit. 1. num.* 184. *Ego cap. 9. sect. 3. num. 97.*

An autem Hæresiarchæ, & Dogmatici, qui scilicet aliorum Hæreses docent sint tradendi curiæ seculari vltimò supplicio afficiendi?

103 Dico, non esse tradendos, nisi tribus concurrentibus, *Primò*, eorum Pertinacià in erroribus suis perseuerantium. *Secundò*, si precibus, vel minis, seduxerint trahentes ad suos errores. *Tertiò*, si Regibus, & Principibus persuaserint suos errores contra Fi-
104 dem. Ita præcitati, cum alijs, *Diana part. 4. tract. 7. resol.* 23. vbi cum alijs dicit, his traditis Curiæ seculari dandum esse Viaticum, si sint conuersi, & pænitentes; *Dal Bene part. 1. dub. 163. num. 1. Qui praeced. n. 3. & seq.* probat, hos non esse tradendos Curiæ seculari, quia nullibi reperitur pœna Mortis eisdem conuersis illata in iure Canonico, immò contrarium insinuatur *in cap. Ad abolendam 9. de Haret.* & Berengarius hæresiarcha conuersus ab Ecclesia receptus fuit, vt refert. Cap. *Ego 42. dist. 2. de consecr.*

105 Nihilominus esto Ius Canonicum nihil disponat, de Morte istorum, tamen Ius ciuile hoc disponit l. fin. C. de iudæis: ibi: *Pœna sanguinis destinandus, qui Fidem alterius expugnauit peruersà doctrinà*. Item l. fin. C. de Apostatis: ibi: *Pœna capitis esse puniendum, qui alium peruertit*. Nec obstat responsio Dal Bene cit. Leges ciuiles non habere locum in crimine Hæresis, quod est
106 merè ecclesiasticum, si quidem vbi Ius canonicum nõ disponit, statur Iuri ciuili, quod est in subsidium illius, *cap. si in adiutorium 7. dist. 10. cap. 1. de noui oper. nunt.* etiam quò ad causas ecclesiasticas, *ibi Barb. num.* 5. Peruersio autem propriè refertur ad hos Dogmatizantes, qui falsa docent in præiudicium animarum, Lucæ 9. 41. *O generatio*
107 *infidelis, & peruersa*. Act. 20. 30. *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se*: Locis ergo citatis sermo est de peruersione Dogmatum, & Hæresum non de alijs criminibus, quicquid dicat idem ipse Dal Bene citans contra se illas Leges, duas, & alias, & notaui ego in eà l. fin. de Apost. non haberi ea verba formalia, licet alia æquiualentia. *Ad cap. Ad abolendum*, dico nõ loqui de Hæresiarchis, sed tantùm de Hæreticis docentibus aliquid, sed non ex professo. Ad locum Berengarij dico, illum ibi non asseri conuictum, nec confessum, sed tantùm de Hæresi illà numero diffamatum, quòd sub speciebus panis, & vini consecratis non erat Corpus, & Sanguis Christi.

Demum Dogmaticus conuictus, licet, ne- 108
get prauam intentionem habuisse, non est torturandus, sed hac qualitate reiectà, tradendus curiæ seculari, quia negat hanc prauam intentionem, vt eludendo Iudicem, euadat pænam, *ex Cantera, Carena part. 2.* 109
tit. 1. num. 190. vers. aut fatetur. Requirit etiam, quòd sit confessus se esse dogmatistam, sed meo iudicio, puto sufficere, quòd sit vel confessus, vel conuictus, vt constat non solùm iure humano *cap. 1. 2. q. 1 l. Qui 16. C. de pœnis*, sed etiam diuino, *Deuter. 17. 6. Matth. 18. 16. 2. Corinth. 13. 1.* maxime in casu præsenti, cum dicatur cap. 13. eiusdem libri Deuter. num. 8. & 9. *Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficies*, Et reddit textus ibi rationem: *Quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.* Id enim est proprium Hæresiarcharum, qui suis dogmatibus falsis à Deo Fideles abalienare satagunt, & sicut isti animas iugulant, ita bonus Iudex zelo Fidei illorum corpora neci tradere debet, vt spiritus saluus fiat, sed raro, quia Dogmatistæ, vt plurimum cum suis erroribus pertrahuntur in baratrum, pertinacesq; enim sunt, & nolunt conuerti.

Quæritur 27. Quis dicatur de Hæresi diffamatus, seu infamatus?

℞. Ille est de Hæresi infamatus, de quo 110
publica vox, & fama est apud omnes, vel maiorem partem loci, vel viciniæ, quòd hæresim senserit, defenderit, vel prædicauerit alijs. Ita *Direct. part. 2. q. 57. & ibi Pegna com. 82. Salelles Reg.* 102. *Farinac. q.* 187. *num.* 53.

Super qua Responsione dubitatur *primò*, quot Personæ requirantur, vt maior pars dicatur inducere publicam Famam? *Secundò*, quot Testes requirantur ad probandam publicam Famam? *Tertiò*, an Testes debeant nominari nominibus proprijs à deponente? *Quartò*, an huiusmodi Testes debeant esse integri, & omni exceptione maiores? *Quintò*, an Fama sit indicium proximum, an remotum? *Sextò*, an sola sufficiat ad Torturam? *Septimò*, an sufficiat ad condemnandum in pænam ordinariam? *Octauò*, ad abiurandum? *Nonò*, an ad indicendam purgationem canonicam? singulis respondetur.

Primò, dicit Nauar. *cap. 25. num. 73. &* 111
cap. 27. num. 255. Factum dici publicum, quod est notum maiori parti Loci e. g. Parochiæ, si ibi inhabitent saltem decem personæ, adeo quòd scientia pauciorum, quam sex,

sex, non facit notorium, neque sex, quando illi non sunt maior pars Congregationis, viciniæ &c. itaque in Loco; vbi sunt e. g. centum homines, auditio Hæresis per viginti homines hodie non facit diffamatum de Hæresi, quia non est nota Hæresis maiori
112 parti, sed quoniam *Fama volat*, potest esse, quòd altero die res nota sit non solùm maiori parti, sed etiam fere omnibus, sufficit ergo quòd Fama successiuè propagetur, transiens ab vno ore ad auditum alterius, vt dixi in Praxi crim. cap. 52. num. 2. tom. 3. impræssion. Lugdun.

113 Secundò, duo testes ad minus requiruntur ad probandam Famam, quia secundùm illud Domini: *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*. Ita *Gloss. 5. vel indicijs l. fin.* C. *Familia Ercisc.* Marsil. in *l. De minore* §. *Plurimum ff. de quæst. num. 93. Farinac. q. 47. num.* 208. In terminis nostris *Pegna part. 2. com.* 82. *Vers. Nec refert*, & *part. 3. com. 19. Vers. Ex his*, *Carena part. 3. tit.* 10. *num. 66. Salelles lib. 2. cap. 2. num.* 117. *Ego in* Tribun. *cap. 35. q.* 22.

114 Tertiò, Testes isti debent nominare personas nominibus proprijs, à quibus audierunt famam esse, quòd talis sit diffamatus de Hæresi, vt sciatur à quibusnam personis Fama ortum habuerit: à bonisne viris, an à maleuolis, vt docet Innoc. *in cap. qualiter 24. de accusat. Pegna cit. com. 19. vers. Ergo testes*. Non sufficit autem, quòd vnus tantùm audierit, vel viderit, quia legitima Fama ortum debet habere à pluribus viris Fide dignis, *ex eodem cap. qualiter*, *ex Decio cons. 37. num.* 10. *Osaschio dec.* 101. *num. 17. ex illis Paulus Rubeus ad dec.* 257. *num.* 7. *Rota part. 4. tom. 2. Ego in Tribun. cap. 35. q. 22.*

115 Quartò, Testes debent esse integri, *ex cap. Qualiter*, ibi: *Non quidem à maleuolis*, *cap. Per tuas 32. de accusat.* Quia mala Fama solet oriri à malis linguis, quibus non est credendum. Ita *Pegna 2. com. 82. vers. Nec refert*. *Carena p. 3. tit.* 10. *num. 68. Barb. ad cit. cap. num.* 10. Et id refertur magis ad Testes nominatos, quàm ad Testes nominantes, quia Fides istorum qualificatur, & firmatur depositione nominatorum.

116 Quintò, Fama est Indicium remotum, quia non attingit immediatè delictum, ita *Farinac. q. 47. num. 164. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 8. p. 9. num. 9. Carena part. 3. tit.* 10. *num. 64.* Pegna *part. 3. com. 19. Vers. Ex his*.

117 Sextò, Fama sola sine adminiculis insufficiens est ad Torturam, quia est fallax, & debile indicium; ad Torturam enim requiritur semiplena probatio, quam sola Fama non facit, etiamsi hæc quampluribus Testibus probetur, quia semper remanet indicium remotum. Ita omnes *cum Claro q. 21. vers. Fama sola. Pegna part. 3. com. 110. vers. Primum ergo melius vers. Verùm omissis*, *Farinac. q. 47. num. 17. Castropal. tract. 4. disp. 8. p. 9. num. 9. Giurba cons. 43. num. 18. & 19.* Ciarlin. *cap. 10. num. 130. Salelles lib. 2. cap. 2. num. 106. Diana part. 4. tract. 6. resol. 13. Carena part. 3. tit. 10. num. 64. Ego in Praxi cap. 52. q. 12. num. 15. & 16.* vbi num. 19. retuli adminicula, quæ sunt fuga Rei, inimicitia, testes minus idonei, dictum denuntiatoris, minæ, mala Fama in specie, cum malà in genere, *Farinac. num. 17. ad 22. Carena num. 74.*

Septimò, non sufficit ad condemnandum; 118
si enim non sufficit ad Torturandum, multò minus ad puniendum pœna ordinaria etiam cum adminiculis. Ita *ex cap.* Per tuas 32. *de simon.* Pegna *part. 2. com.* 82. *vers. Nec refert*.

Octauò, diffamatus debet abiurare, vt 119
constat ex facto Berengarij, qui suam Hæresim abiurauit, *cap. Ego 42. dist. 2. de consecr.*

Nonò, etsi Purgatio Canonica esset indi- 120
cenda diffamato, tamen cum ea sit remedium fallax, & parùm vtile, non est in vsu, vnde eius loco successit Abiuratio, quà satisfit Fidei catolicæ in eo, in quo probatur violata. Recessit ergo ad aula Teste *Farin. q. 194. num. 64. fine*; *Salelles Reg. 102. num.* 185. in Melitensi inquisitione.

Quæritur 28. An Hæreses sint vnius speciei?

℟. Affirmatiuè, quia contrariorum ea- 121
dem est disciplina, *Instit. de ijs, qui sunt sui, vel al.* Sed res Fidei ab vnicà formali ratione diuinæ Reuelationis specificantur, ex dictis sect. 1. q. 17., ergo & Hæresis, cum sit illi opposita. Confirmatur, quia omnis propositio hæretica est error ex parte contrarius Fidei; ergo ab hac formali ratione errandi contra Fidem, quæ Hæresim specificat, desumitur species Hæretum quaruncunq; materialiter acceptarum pro ipsis Propositionibus hæreticalibus.

Quæritur 29. An Hæretici sint in Ecclesia?

℟. Negatiuè, iuxta quod dicam sect. seq. 122
q. 32. à num. 46. Addo ibi dictis non solùm Hæreticum externum, sed etiam purè mentalem esse extra Ecclesiam quò ad fauores, quia non participat de Communione Fidelium, neq; de fructibus Sacramentorum, quia est sine Fide existens in peccato mortali.

Quæritur 30. An Hæresis connumeretur inter crimina, & delicta excepta;

℟. Sic; delictum enim exceptum dicitur 123
illud, quod non continetur sub dispositionibus generalibus Legum, & Constitutionum; huius generis est Hæresis, grauissimum crimen, cuius proinde probatio excipitur ab illis. Ita Farinac. *q. 18. num. 60. & q. 56. num.*
70. Vnde contra Hæreticos nullà præceden- 124
te Infamia proceditur, *cap. Excommunicamus*

mus 13. de Haret. ibidem Barb. *n*. 45. *Farin. q*. 9. *n*. 14. Quod suadetur ex obligatione, quam quisque habet denuntiandi Hæreticos etiam soli denuntianti notos, vt dico sect. 18. q. 6.

SECTIO SEPTIMA

De Hæreticis Relapsis.

SVMMARIVM.

1 *Lapsus substantiuè notat casum ab alto, adiectiuè stat pro Personà cadente in peccatum.*

2 *Relapsus ille est, qui incidit in Hæresim abiuratam.*

3 *Propriè talis, qui probatur diuersis temporibus in eandem specie Hæresim incidisse.*

4 *Relapsus primò, qui in vtroq; iudicio probatur formaliter Hæreticus, in eodem Articulo.*

5 *Relapsus secundò, qui in primo iudicio abiurauit de vehementi, sed in secundo probatur formaliter Hæreticus circa eandem Hæresim.*

6 *Relapsus tertiò, qui in primo abiurauit de leui, in secundo probatur in vtraque esse formaliter Hæreticus.*

7 *Relapsus prædictis tribus modis dicitur propriè talis.*

8 *Relapsus impropriè, qui in vno iudicio abiurat de formali, in alio de vehementi.*

9 *Primò, qui in primo iudicio abiurat de formali, in secundo de vehementi.*

10 *Secundò, qui in primo abiurauit de formali, & simul generaliter, & in secundo iudicio probatur incidisse in aliam diuersam ab abiuratà specialiter.*

11 *Tria requiruntur ad hoc.*

12 *Abiuratio generalis est detestatio omnium Hæresum nullà factà mentione de aliquà speciali.*

13 *Tertiò relapsus impropriè est ille, qui post abiuratam Hæresim de formali probatur fautor Hæreticorum.*

14 *Conuictus de Hæresi formaliter fit relapsus, si in secundo abiurat solùm de vehementi.*

15 *Abiuratio de leui non infert relapsum esse talem, si probatur deinde formalis Hæreticus.*

16 *Ex pluribus de vehementi non infertur relapsus.*

17 *Ex duabus formalibus abiurationibus non infertur relapsus, si in priori non abiurauit generaliter.*

18 *Abiuratio specialis, & generalis in primo iudicio infert relapsum in secundo, si probatur tantùm suspectus.*

19 *Fautoria siue præcedat, siue sequatur, non impedit relapsum.*

20 *Plures fautoriæ non producunt relapsum.*

21 *Relapsus non est, sponte confessus de Hæresi, non denuntiatus super illa.*

22 *Nec spontè comparens nondum denuntiatus.*

23 *Nisi reincidat probatus in secundo iudicio.*

24 *Relapsus non est, qui nunquam abiurauit.*

25 *Relapsus non est, de cuius Recidentia dubitatur.*

26 *Relapsus est, qui recidit post purgationem Canonicam.*

27 *Pænitentias non implens non est relapsus,* 50.

28 *Punitur tamen ab Inquisitore.*

29 *Iudex, datà sententia, functus est Officio suo, explicatur.*

30 *Fugitiuus non dicitur relapsus.*

31 *Aliqui tenent oppositum.*

32 *Relapsus non est, cuius delictum concludenter in omnibus non probatur.*

33 *Relapsus non abiurat in secundo iudicio.*

34 *Defensiones illis dantur.*

35 *Relapsus tradendus, non amplius*

torquendus.

36 *Torquetur tamen super complicibus.*

37 *Appellare non potest.*

38 *Relapsorum pœna.*

39 *Degradantur in Sacris constituti.*

40 *Pænitentibus relaxatis dantur Sacramenta Pænitentiæ, & Eucharistiæ.*

41 *Reconciliantur minimè ecclesiæ.*

42 *Sepulturà ecclesiasticà carent Impenitentes.*

43 *Iudex laicus non potest Processum reuidere, nec illi condonare pœnam.*

44 *Eius enim est obedire, non condonare.*

45 *Relapsus quò ad pœnas comparatur Hæretico formali impænitenti.*

46 *Extra Ecclesiam est Hæreticus non solùm vt excommunicatus, sed etiam vt Hæreticus.*

47 *Ratione Excommunicationis probatur.*

48 *Atq; ratione Hæresis.*

49 *Est in Ecclesià quo ad pœnas.*

50 *Relapsus non est non adimplens pænitentias 27.*

51 *Sub pœna Relapsi nemo potest se obligare ad pœnas.*

1 Lapsus, vox substantiuè refertur ad casum, vel eius, qui ab alto vadit sine peccato; vel ad errorem, vitium, & peccatum eius, qui labitur in culpam; adiectiuè verò sumitur pro Homine cadente desuper, vel in peccatum, in quibus posterioribus sensibus accipitur Lapsus, substantiuè pro Hæresi, adiectiuè pro Hæretico, qui si reincidit appellatur Relapsus, & in hoc sensu hic agendum.

Quæritur 1. Quis dicatur Relapsus in hæresim? Et quotupliciter.

2 ℞. Primò, ille dicitur Hæreticus relapsus, qui incidit in hæresim abiuratam, & sufficit vt constet saltem de vnà Hæresi formali, siue in primo, siue in secundo Iudicio, in quibus probatur duplex Lapsus vel certus, vel vnus præsumptus, & alter certus. Secundò, duplex est Relapsus, vnus propriè dictus, prouueniens ex duabus Hæresibus de formali probatis, alter impropriè, & per fictionem Iuris prouueniens ex vna formali, & certa Hæresi, ex alterà præsumpta, hìc ergo constat ex mixturà Hæresis, & præsumptione eius, ille verò ex mixtione duplicis formalis Hæresis, singulis plenè probatis, vt ex illis resultet Relapsus.

Quæritur 2. vnde Hæreticus relapsus verè, & propriè dicatur, & quot modis contingat Relapsus iste?

℞. Ille dicitur propriè relapsus, qui probatur diuersis temporibus incidisse in eandem specie Hæresim iam abiuratam sub primo Iudicio; Contingit autem relapsus tribus modis. 3

Primò, ille dicitur relapsus, qui in vtroq; iudicio probatur formaliter Hæreticus circa eundem Articulum e.g. credidit Deum non esse omnipotentem. Ita *cap. Ad abolendum 9. de haret. Vers. Illos quoq. Direct. part. 2. q. 58. num 2. Farinac. q. 195. n. 1. Carena part. 2. tit. 2. num. 28 Castropal. tract. 4. disp. 6. p. 2. num. 7. Ego cap. 9. sect. 3. num.* 102. Parum autem refert, quòd in vtroque Iudicio agatur de vna, vel pluribus Hæresibus, dummodo sint vtrobique eiusdem speciei. 4

Secundò ille dicitur propriè relapsus, qui in priori Iudicio abiurauit de vehementi, sed in secundo Iudicio probatur formaliter Hæreticus circa eandem Hæresim, cuius tantùm suspicio vehemens probata fuerat in priori Iudicio, defectu probationum, quæ in secundo Iudicio adsunt tam pro priori, quam pro posteriori Hæresi sub eadem specie resultante ex diuersis actibus externis. Dico *externis*, quia si Reus fatetur in secundo Iudicio, se Hæresim in mente retinuisse vsq; ad hoc tempus fatendo illam, non est relapsus, quia non constat de actu externo, nisi semel, quod non sufficit ad Relapsum. 5

Tertiò, ille propriè dicitur Hæreticus relapsus, qui licet in priori Iudicio abiurauerit solum de leui, quia tunc aliter delictum non erat probatum, nisi suspectum de leui, tamen in secundo Iudicio probatur iterum, querelatus esse Hæreticus formaliter quò ad vtranq; vicem, sine dubio est verè relapsus, quia probatur Hæresim bis dixisse diuersis tēporibus eiusdem speciei. Ita ex oraculo 238. Arsenal. his verbis: *Se alcuno doppo l'hauer abiurato come leggiermente sospetto di Heresia formale, e poscia costerà pienamente del delitto, di cui fu giudicato leggiermente sospetto, dourà come Rilasso esser punito.* Nota ea verba *Del delitto*, quæ non referuntur ad factum, seu dictum ex quibus oritur suspicio Hæresis, de quo constabat in ordine ad Abiurationem, sed ad ipsam Hæresim, de quà non constabat tunc, sed tantùm constitit in secundo Iudicio simul cum aliâ Hæresi eiusdem speciei. Et si hoc Oraculum habet locum in Abiuratione de leui, à fortiori in Abiuratione de vehementi; Suspicio enim vehemens proximius est Hæresis Indicium, quam leuis. 6

His igitur tribus modis incurritur Relapsus, & ratio est manifesta, quia in his duobus 7

bus

bus postremis casibus militat eadem ratio, quæ in primo, nam in his, sicut in illo constat iuridicè de Lapsu duarum Hæresum formalium, quod sufficit, vt quis vere dicatur Relapsus.

Quæritur 3. Quid sit Relapsus impropriè, & per fictionem Iuris dictus?

8 ℞. Ille dicitur impropriè Relapsus, qui in duobus Iudicijs probatur formalis Hæreticus in vno, & de Hæresi vehementer suspectus in alio. Et contingit tribus modis.

9 Primò, ille dicitur relapsus fictione Iuris, qui in secundo Iudicio probatur reincidisse in Hæresim formalem, quam in priori Iudicio abiurauerat de vehementi; expressè *cap. Accusatus* 8. *§.* 1. *de haeret. in* 6. *Direct. par.* 2. *quaest.* 58. *num.* 3. *Farinac. q.* 195. *num.* 10. *Castropal tract.* 4. *disp.* 6. *p.* 8. *Mascard. concl.* 863. *num.* 3. *dal Bene part.* 1. *Dubit.* 161. *num.* 1. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 29. *Ego cap.* 9. *sect.* 3. *num.* 104. Vbi sic legendum est: Relapsus sed impropriè ille dicitur, qui probatur formaliter Hæreticus in secundo iudicio. Dele ideo ea verba. *Qui abiurauit formaliter Haeresim.*

10 Nota autem, quòd iste casus differt à casu secundo posito sub num. 5. quia in eo Relapsus formatur ex probatione duarum Hæresum formalium in posteriori Iudicio, in casu autem præsenti miscetur ex Hæresi posterioris Iudicij, & suspicione prioris Iudicij.

11 Secundò, ille dicitur impropriè relapsus, qui in primo Iudicio abiurauit Hæresim de formali, super quam fuerat confessus, vel conuictus, & simul cum hac speciali abiuratione generaliter quoque abiurauerat quascumque Hæreses, & deinde in secundo Iudicio probatur incidisse in aliam, vel alias Hæreses diuersas à priori iudicatâ. Ita *cap. Accusatus* 8. *§. Eum verò, ibi Gloss. V. simpliciter, Farinac. q.* 195 *num.* 42. *Castropal. num.* 12. *Barb. ad hoc cap. num.* 7. *Mascard. concl.* 863. *num.* 5. *Ego num.* 106. Vbi tria requiro, primò Abiurationem de formali; secundò Abiurationem generalem sub priori Iudicio; tertiò, quòd in secundo Iudicio sit probatus incidisse in diuersam Hæresim a priori.

12 Sed qualis est hæc generalis abiuratio, de qua hîc? ℞. Est omnium Hæresum detestatio facta in communi, nullâ expressâ in specie, præter probatas non est autem de formali, non de vehementi, neque de leui, cum ad nullum referatur speciale delictum, sed remanet sub suo generalitatis vocabulo, habens hanc iuridicam vim, vt inferat Relapsum.

13 Tertiò, ille dicitur impropriè relapsus, qui Hæresi de formali abiuratâ postmodum probatur fautor Hæreticorum. *Ex eodem cap. Accusatus §. Ille quoque Bursat. lib.* 1. *cons.* 7. *num.* 36. *cum alijs Barb. hic num.* 11. *Direct. part.* 2. *q.* 58. *num.* 5. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 31. *Vers. Addit*, *Mascard. concl.* 863. *num.* 6. *Dal Bene Dubit.* 162. *num.* 12. *Castropal. citat. num.* 10. *Ego num.* 107.

Super his modis relabendi occurrunt aliæ difficultates, quæ proponendæ, & resoluendæ sunt in sequentibus.

Quæritur 4. super primo modo impropriè relabendi, quid dicendum, si in primo Iudicio conuincitur formalis Hæreticus, & in secundo solùm vehementer suspectus, numquid erit relapsus?

℞. Affirmatiuè, quia præposteratio dissimilium non mutat substantiam Iudiciorum, nec dispositionem Iuris; cum talis mutatio sit accidentalis non varians quod Iure sancitum est; ad Relapsum enim improprium sufficit mixtura Hæresis, & Suspicionis sine ordine prioris & posterioris, quæ incidenter se habent. Ita *Menoch. cons.* 82. *num* 148. *Farinac. q.* 195. *num.* 17. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 6. *p.* 2. *num.* 9. *vers. Caeterum*, *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 27. *Ego cap.* 9. *sect.* 3. *num.* 105. 14

Quæritur 5. An Abiuratio de leui inferat Relapsum in eo, qui relabitur in Hæresim formalem?

℞. Negatiuè, quia requiritur Abiuratio de vehementi miscenda cum Hæresi formali. Ità expressè cap. Accusatus cit. initio. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 83. *vers. vel post confessit*, *Farinac. q.* 195. *num.* 24. *Sousa lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 5. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 36. *Ego num.* 109. 15

Quæritur 6. An ex pluribus Suspicionibus de vehementi inferatur Relapsus?

℞. Negatiuè etiam si sint respectu eiusdem delicti, quia in Relapsu incurrendo necessarium est, quòd Reus sit probatus formalis Hæreticus in altero saltem Iudicio, debet enim formalis Hæresis misceri cum Suspicione pro relapsu improprio. Ita *Simanchas de Catol. instit. tit.* 57. *num.* 9. *Locatus V. vehemens Suspicio*, *Sanctar. cap.* 42. *num.* 11. *Carena num.* 30. *&* 35. *Farinac. q.* 195. *num.* 27. *Sousa lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 5. Ego *num.* 108. *Arsen. orat.* 208. *Dal Bene Dub.* 162. *num.* 27. 16

Quæritur 7. An ex duabus formalibus probatis in duobus Iudicijs de diuersis Articulis inferatur relapsus improprius?

℞. Negatiuè, si non abiurauit etiam generaliter, quia crimen non est idem, sed diuersum, ergo qui illa commisit non dicitur relapsus, neque *propriè*, dum refertur ad idem crimen in specie, neque *impropriè*, quia huius generis Relapsio requirit mixturam criminis, & Suspicionis, quæ in casu deest, vt patet ex modis impropriè relabendi relatis sub. q. 3. Et ita docent *Direct. part.* 2. *q.* 40. *num.* 5. *ibi Pegna com.* 65. *vers. Sane*, dicit, hanc esse veriorem, sed spectatâ 17

Hæresum naturâ, quæ habent caudas connexas, & vna trahit aliam; oppositam ait præualere; non placet tamen, quia peccata omnia ad inuicem habent connexionem quandam, quia vnum trahit ad aliud iuxta illud D. Gregorij: *Peccatum, quod per Pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit* Menoch. *lib.* 1. *conf.* 82. 156. *Suarez disp.* 23. *de Fide sect.* 2. *num.* 8. *fine*, & Plerique Canon. apud citatos. *Farinac. q.* 195. *num.* 43. & 44. ait cessare hunc casum, quia Hæretici semper abiurant etiam generaliter. Ego num. 106. vbi vers. Castropalaus respondi obiectis contrariæ opinionis. Barb. hic num. 8. alios refert pro nobis.

Quæritur 8. An qui in primo Iudicio miscuit abiurationem specialem de formali cum generali, si in secundo Iudicio probatur solùm suspectus vehementer super eadem, vel diuersa hæresi sit relapsus.

18 ℞. Est impropriè relapsus, quia miscetur Hæresis formalis cum suspicione sufficit enim vt constet de vno lapsu verè, & formali. Ita *Sanctar. cap.* 42. *num.* 2. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 31. Esto secundùm delictum inferens vehementem hæresis suspicionem, nunquam antea commiserit, quia venit relapsus ex fictione Iuris, eo quòd primò etiam generaliter abiurauerit.

Quæritur 9. Quid si fautoria præcedat hæresim numquid hæreticus dicitur relapsus, cum in textu 3. modi relabendi præponatur hæresis fautoriæ?

19 ℞. Dicitur relapsus, quia natura relapsi hoc exigit, vt de aliquo lapsu in Hæresim formalem constet, & hoc sufficit, vt dicit Pegna *part* 2. *com* 83. *Vers. Altera huic*. Et patet supra sub quæst. 4.

Quæritur 10. An ex duabus fautorijs circa idem, vel diuersum probatis Inferatur Relapsus?

20 ℞. Negatiuè, quia Relapsio semper includit Hæresim formalem, ex hactenus dictis, in casu autem hoc nulla Hæresis reperitur, sed tantùm illius suspicio, ergo in eo non datur relapsus. Ita *Castro lib.* 2 *cap.* 2. & *Simanch. de catol. instit. tit.* 57. *num.* 5. *apud Pegnam part.* 2. *com.* 83. *Vers. Altera, Decianus lib.* 5. *cap.* 56. *num.* 16. *Galderinus de heret. de pœnis recept. num.* 3. & *in Rubr. de execut. sent. num.* 6. *Dal Bene dub.* 162. *num* 30. *Arsen Orac.* 209.

Quæritur 11. An dicatur relapsus, qui sponte fatetur in Iudicio se recidisse in vnam vel plures Hæreses, de quibus nihil constabat in processu?

21 ℞. Negatiuè, quia de nullâ constat iuridicè hæreti abiuratâ, ergo non potest dici relapsus, sed tantùm lapsus; intellige si non dubitabat de querela. *Masin. in Arsen. Orac.* 131.

Quæritur 12. An sponte comparens antequam denuncietur dicatur relapsus?

22 ℞. Negatiuè, vt incurrat pœnam relapsorum, dum enim sponte comparet videtur verè pœnitens, & sic non decipere Ecclesiam, ad cuius misericordiam confugit, & sic mitiorem meretur pœnam. Ita *Farinac. q.* 193. *num.* 33. *ad* 37. *Sousa lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1. *Alberghinus cap.* 40 *num.* 11. *Vers. sed tamen Dal Bene dub.* 162 *num.* 39. *ad* 41. Est ergo relapsus quò ad culpam, neq; enim comparitio facit, vt non commiserit secundò idem delictum sed solùm operatur, ne relaxetur curiæ seculari, est enim vere Relapsus quò ad culpam vt dixi cap. 9 sect. 3. num. 45.

Quæritur 13. An qui primò abiurauit hæresim ob spontaneam comparitionem dicatur relapsus in secundo Iudicio probatus in eandem reincidisse?

23 ℞. Affirmatiuè etiam quò ad pœnam, quia in hoc casu cum non steterit promissis in Abiuratione, decepit Ecclesiam, & ex corde non abiurauit, sed ex timore comparuit ad euitandas pœnas. Intellige si abiurauit per publicam Sententiam.

Quæritur 14. An sit relapsus, qui nunquam abiurauit?

24 ℞. Qui nunquam coram Iudice abiurauit non est relapsus, & si pluries incidisset in Hæresim eandem, quia debet constare de abiuratione vel formali, vel de vehementi in priori Iudicio, quia in secundo relapsus non abiurat, ne decipiat Ecclesiam, cum habeatur pro impœnitente. Ita *Direct. part.* 2. *q.* 40. *num.* 3. & *seq.* & *q.* 58. *ibidem Pegna*, & clarius patet *in cap. Accusatus* 8. *de haret. in* 6. in quibus locis semper fit mentio de Hæresi abiuratâ. *Masin. Orac.* 207. *Dal Bene Dub.* 162. *num.* 23.

Quæritur 15. An dicatur relapsus, de cuius primo delicto abiurato constat, sed tantùm dubitatur de reincidentia, super qua non fuit conuictus, nec confessus?

25 ℞. Negatiuè, quia vt patet ex dicto cap. Accusatus, debet iuridicè constare de recidentia in delictum. *Masin. Orac.* 208. *dal Bene cit. num.* 24.

Quæritur 16. An dicatur relapsus, qui post canonicam purgationem reincidit in eandem Hæresim, vel aliam?

26 ℞. Sic, si reincidit in purgatam, de qua erat vehementer suspectus, non autem leuiter, nec in aliam, quia est primus lapsus. Ita *Pegna part.* 3. *com.* 35 & 38. *Decian. lib.* 5 *cap.* 48. *num.* 51. *Gabriel lib* 1. *conf.* 160 *num.* 23. *ex illis dal Bene dub.* 162. *num.* 31. *Massin. Orac.* 209.

Quæritur 17. An non implens penitentias sit relapsus? Iterum infra q. 31. num. 50.

27 ℞. Relapsus non est, si non adimplet afflictiuas, quia ex omissione earum nullum apparet vestigium Hæresis, nec illius suspicionis saltem vehementis, sed solùm quod ægrè fert subiectionem, afflictiones, & abstinentiam.

nentiam. Ita *omnes Clarus V. Hæresis num. 10 Simancha tit. 47. num. 77. Pegna part. 3. com. 146. vers. Quod si post. Royas part. 2. num. 235. cum alijs Diana part. 4. tract. 7. resol. 14.* qui cum Hippolito Rimin. *lib. 2. cons. 150. n. 6. 7. & 35. Menoch. lib. 1. cons. 82. num.* 102. hoc putat esse verum, etiamsi reus promisisset cum iuramento exequi pænitentias sub pœna relapsi.

Si verò non adimplet pœnitentias retractatiuas hæresis, prædicando, vel scribendo in contrarium, relapsus est, sicut & si cum hæreticis conuersetur, eos receptet &c. Ita *Pegna cit. vers. Quod si non, Rimin. lib. 2. cons. 156. num. 13. Menoch. lib. 1. cons. 82. num. 107. Treuisanus lib. 2. dec. 36. num. 2. Cantera in quæst. crim. cap. 1. de hæret. num. 60. Sousa lib. 3. cap. 29. num. 9. Locatus V. Pænitentia,* quos pro se citat Diana ibidem Vers. Notandum. Est ergo relapsus, quia prædictorum omissio reddit illum vehementer suspectum de hæresi, quam abiurauerat de formali; & pro impenitente sine dubio habendus est.

Sed numquid puniri potest ab Inquisitore non adimplens pænitentias afflictiuas? Ratio dubitandi est, quia ex illis nihil infertur contra Fidem.

28 ℞. Subijci Inquisitoribus, quia est leuiter suspectus de ficta conuersione hæresis, licet non vehementer. Et ita docent *Pegna part. 3. com. 146. Vers. Et quantum. Farinac. q. 193. num. 123. Simanch. in Enchir. tit. 61. num. 7. Diana par. 4. tract. 7. resol.* 14. initio,

29 Carena alios plures citat ad quæst. 12. Fulcedij, vbi quòd non obstat legale axioma *l. Iudex. 55. ff. de re iud.* vbi dicitur, quod data Sententia, functus est Iudex officio suo, & desinit esse Iudex, semel enim male, seu bene functus est officio suo, dicitur ibi in textu; quia axioma locum habet, vbi per omissionem non incurritur noua culpa, quæ habeat relationem ad prius crimen iam condemnatum, tunc enim Iudex functus est officio suo. In casu autem nostro incurritur noua culpa pertinens ad S. Officium, videtur enim per huiusmodi omissionem male sentire de Fide, & fouere priorem Hæresim non ex corde abiuratam. Vel dic, illud Axioma verum esse vniuersaliter, & non obstare, cum solùm dicat, Iudicem non posse corrigere suam Sententiam, in hoc enim functus est officio suo, quod est aliud diuersum à punire non adimplentem Penitentiam; nouum est enim Iudicium, à quo Iudex non impeditur, dum propriè ad eum spectat. Vel dic, quòd ea Lex non loquitur de delegato à Principe, vt dicit Angel. relatus super eam Leg. per Addentes ad Paulum de Castro super eadem Lege.

Quæritur 18. An fugiens è Carcere sit Relapsus.

30 ℞. Fugiens è carcere siue ad custodiam, siue ad pænam dato non infert Relapsionis crimen. Probatur Tum quia fugiens nullam Hæresim committit. Tum quia nullum Ius fingit fugam inducere relapsionem. Tum quia fuga dicit libertatem, quam carcer negat, *l. Quis sit fugitiuus, §. Idem rectè ff. de ædil. edict.* Ita *Simanch. de Catol. Instit. tit. 16. num. 25. Pegna part 3. com. 146. Vers. Verumtamen. Farin. q. 193. num. 135. Carena part. 2. tit. 2. num. 18. Albergh. cap. 33. num. 5. Diana part. 4. tract. 7. resol. 14. Vers. Dicendum,* alios referens.

Plerique Canonistæ tenent, fugientem è carcere esse relapsum, quia damnatus ad Pænitentiam præsumitur fictè conuersus, & in veteri errore permanere, ac proinde cum nunquam censeatur recessisse ab Hæresi abiuratâ, iudicandus est relapsus. Refert Doctores huius opinionis *Pegna part. 3. com. 146. vers. Et Archidiaconus, Farin. q. 193. num.* 134. Sed dicta ratio non vrget, cum fortior sit præsumptio libertatis captandæ ex fuga, quàm Suspicio Hæresis, & perdurationis in eâ. Itaque pro purâ fugâ tantùm puniendus est, & eo magis si comparuerit pænitentia ductus. 31

Quæritur 19. An vt quis dicatur relapsus necessarium sit, quòd duo delicta cum suis qualitatibus Hæresum sint legitimè, & concludenter probata in suis terminis?

℞. Affirmatiuè, expressè *Cap. Accusatus 8. de hæret. in 6.* ex quo deducitur ex duobus Iudicijs resultare crimen Relapsus, nam sub primo debet reus denuntiatus esse confessus, vel conuictus, secutâ Abiuratione super Hæresi de formali, vel vehementi, & in secundo pariter debet esse conuictus, vel confessus de crimine Hæresis. Ita *Tabiena V. Hæreticus num. 16. Decian. lib. 5. cap. 56. initio Farinac. q. 195. num. 37. & 14. & 48. Sousa lib. 2. cap. 45. n. 6.* Constare autē debet non solùm de delicto, sed etiam probanda est illata Abiuratio, & vehemens Suspicio, cum leuis non sufficiat; nō sufficit ergo probare actum, sed cum sua qualitate firmandus est, vt cognosci possit an reus sit relapsus. Ita *Carena part. 3. tit. 12. num. 18. & 19. Riccius part. 3. dec. 152. fine, Farinac. consil. 37. num. 2.* 32

Quæritur 20. An fiat Abiuratio relapsi in secundo Iudicio?

℞. Non admittitur ad abiurandum, quia nō præsumitur esse vere pænitens. Colligitur ex cap. Ad abolendam 9. de Hæret. ibi: *Sine vllà panitus audientià.* Ita *Carena part. 2. tit. 1. num. 127. & tit. 2. num. 43. Masin. in Arsen Orac.* 12. 33

Quæritur 21. An dandæ sint defensiones Relapsis?

℞. Affirmatiuè, quia sunt de iure naturæ, & diuino, eas enim Deus Adamo dedit, quamuis sciret eum esse verè transgressorem, nec posse aliquà tergiuersatione excusa- 34

ri; tamen eas illi dedit ad instructionem Iudicum, qui delicta ignorare possunt. Volens ergo Reus probare se non esse relapsum admittendus est, vt omnes docent *Repertorium Inquis. V.* Citatio, *Vers. Sed pro intelligentiâ, & V. Relapsus Vers. Sed circa prædicta. Decian. lib. 5. cap. 32. num. 2. Roy as sing. 23. num. 6.* Farinac. *q. 185. num. 217. Masin. Opac. 198.*

Quæritur 22. An Relapsus si neget sit torturandus antequam tradatur?

35 ℞. Si sit iam conuictus legitimè super Relapsu, non est torquendus ad eruendam veritatem, de qua iam constat Iudici, vnde cum sit negatiuus non torquetur, iuxta quod dicam infra sect. 10. de suspectis de Hæresi num. 55.

Quæritur 23. An Relapsus torquendus sit super complicibus, antequam tradatur Curiæ seculari?

36 ℞. Affirmatiuè, si iam sit confessus, vel saltem conuictus, solet enim crimen Hæresis committi cum alijs, ideò torquendus est super Complicibus, vt decreuerunt Summi Pontifices Paulus IV. & Pius V. cuius verba refert Locatus in postremo decreto, in fine sui operis, *Farinac. q. 185. num. 133. Diana part. 4. tract. fin. Dal Bene part. 2. in Decretis fol. 647.* Et licet in Decreto nulla fiat mentio de Relapsis, sed tantùm de Hereticis, tamen à fortiori idem intelligendum est de relapsis, cum hi non minus, immo magis Hæretici sunt, & in his magis vrgere potest Suspicio Complicum, quàm in eis, qui semel lapsi sunt, & in nostris terminis *Carena part. 2. tit. 2. num. 42.*

Quæritur 24. An relapsus admittatur appellans?

37 ℞. Negatiuè, quia appellatio supponit grauamen, *cap. Cum sit 5. cap. Suggestum 15. cap. Vt debitus 59. cap. Cum speciali 61. §. Porro, de appellat.* in hoc autem casu non adest grauamen, cum Iudicium sit ritè, & legitimè factum. Ita *cap. Vt Inquisitionis 18. §. Non obstantibus, de haret. in 6. ibi Barb. num. 6. Farinac. q. 185. num. 227. Carena part. 3. tit. 14. num. 1. Sousa lib. 2. cap. 35. num. 2.* In quibus locis sermo est de Hæreticis, ergo & de relapsis, vt dixi in præcedenti quæstione.

Quæritur 25. de Pœnis Relapsorum.

38 ℞. Relapsus siue verè & propriè, siue ex fictione Iuris iuxta varios modos relabendi supra explicatos, siue in eandem, siue in diuersas reinciderit Hæreses, relaxandus est Curiæ sæculari, etiamsi pœniteat, & nullo modo est audiendus, quia præsumitur eius Pænitentia ficta ad euitandam Mortis pœnam, & ideo Ecclesia ei non parcit. Ita *cap. Ad abolendam 9. de haret. vers. illos quoque cap. Super 4. eodem in 6.* in quibus locis sermo est de relapsis propriè dictis; qui scilicet reincidunt in eandem specie Hæresim semel de formali abiuratam; *in cap. Accusatus 8. de haret. in 6.* vbi de relapsis impropriè, seu fictione Iuris, quòd debeant puniri pæna relapsorum, de quà in præcitatis Iuribus; exceptis ijs, qui reinciderunt in Hæresis Suspicionem de leui abiuratam. In nostris terminis sic explicatis clarè *Pegna part. 3. com. 38. vers. Ex his, vers. Hoc tamen vers. Quod si ratione,* loquens de relapsis non solùm in eandē abiuratā, sed etiā in diuersam non abiuratam nisi generaliter. *Farinac. q. 195. num. 4. & 6.* in eandem, *num. 20. & 41.* in diuersam, *cum alijs Dal Bene Dubit. 162. num. 11.* De confiscatione dicam infra sect. 13.

Quæritur 26. An Relapsus sit degradandus?

℞. In sacris Ordinibus constitutus degradandus est, *cap. Ad abolendam q. de Haret. Direct. part. 3. num. 198. fol. 511. Dal Bene part. 1. dub. 162. Petit. 3. Farinac. q. 189. num. 12. & num. 17. ex Locato V. degradatio num. 5. ex Abbate,* quod etiam in minoribus constituti degradentur, textus cap. Ad abolendam loquitur his terminis *Totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiuâ nudetur.* 39

Quæritur 27. An relapsis relaxandis ministrentur Sacramenta?

℞. Pænitentibus ministrantur solùm Pænitentia, & Eucharistia. Expresè *cap. Super 4. de haret. in 6. Direct. p. 2. q. 58. num. 6. Barbosa hic num. 5. Castropal. tract. 4. disp. 6. part. 2. num. 14. Carena cit. num. 41.* 40

Quæritur 28. An relapsi reconcilientur Ecclesiæ si sint correcti, & emendati?

℞. Negatiuè quò ad Forum exterius, quia Ecclesia illis non credit, dum ab eis decepta fuit, sed tantùm coram Deo per receptionem illorum Sacramentorum, vnde Cantera cum alijs dicit, quòd incorporantur receptione Sacramentorum, sed non reconciliantur ob dictam rationem. Ita *Silu. V. Hæreticus num. 14. & 17. Castropal. cit. Carena part. 2. tit. 2. num. 41.* 41

Quæritur 29. An sint priuati Ecclesiasticâ Sepulturâ?

℞. Sic, *Cap. Sicut 8. de Haret. fine;* quia decedunt in peccato mortali, & ideo indigni sunt Sepulturâ Ecclesiasticâ. Ita *Pegna part. 3. com. 89. vers. Priuantur, Carena p. 2. tit. 2. num. 41. Farinac. q. 192. num. 38.* Contra Alphons. de Castro, qui tamen bene intelligi potest; quòd Hæreticus pœnitens non debet carere sepulturâ Ecclesiasticâ, quia non decedit in peccato mortali, dum recepit Sacramenta, nam tex. allatus loquitur de Hæreticis impœnitentibus, pro quibus nec orandum, nec danda Sepultura Ecclesiastica, licet nondum sint declarati ex Bulla Martini V. incip. *Inter cunctas 1.* in Bullar. §. 8. 43. & in Direct. fol. 69. 42

Quæritur 30. An Minister laicus, cui Hæreticus

reticus relaxatus fuit, poſſit reuidere proceſſum Copiâ petitâ, immo, & condonare illi pænam?

43 ℟. Neutrum facere poteſt, ſed omninò ſententiam executioni demandare debet.

Primum patet *ex cap.* Vt *Inquiſitionis* 18. *de Haret. in* 6. vbi redditur ratio, quia ſunt meri executores ſententiæ latæ à Coniudicibus eccleſiaſticis. Confirmatur, quia cauſa Hæreſis à nullo Iudice laico quauis ex cauſà, vel occaſione tractari poteſt. Ita omnes, quos longa ſerie refert *Carena part.* 2. *tit.* 3. *num.* 13. *tit.* 17. *num.* 54. *part.* 3. *tit.* 13. *num.* 11. *Barboſa hic num.* 6. *& ſeq. Farinac. q.* 186. *num.* 153. *& ſeq.*

44 Secundum patet *ex cap.* Vt *officium* 11. §. *Statuimus, de Haret. in* 6. quia tenentur obedire, non imperare, & condonare. Ita omnes *cum Farinac. q.* 186. *num.* 162. Si Iudex, vel alius ſecularis Miniſter noluerit obedire poterit Inquiſitor per cenſuras eccleſiaſticas illos cogere, immò & priuare Officijs, & contra illos procedere tamquam fautores Hæreticorum, ex præcitatis iuribus, ibidem *Farin. num.* 163. *& ſeqq.*

Quæritur 31. An relapſus in pænis comparetur Hæretico formali impœnitenti?

45 ℟. Affirmatiuè, eiſdem enim pœnis puniūtur tam lapſus, quam relapſus. Et hoc patebit in ſequenti ſectione, & ratio eſt, quia vterque ſecundùm magis, & minus eſt Hæreticus, & ſola differentia accidentalis colligitur ex Lapſione, & Relapſione.

Quæritur 32. An Hæreticus ſit extra Eccleſiam?

46 ℟. Hæreticus non ſolùm quatenus excommunicatus, ſed quà eſt Hæreticus, eſt extra Eccleſiam quò ad Beneficia ſpiritualia, & etiam Officia quæcunque etiam laicalia, eſt verò in Eccleſia quò ad ſubiectionem.

47 Primum ratione Excommunicationis patet ex vocabuli ſignificatione, nam Excommunicatio importat eſſe extra Communionem Sanctorum, quæ in ſolà Eccleſià reperitur, Excommunicati ergo ſunt extra Eccleſiam, quò ad fauores. Ita omnes *cum S. Auguſt. Epiſt.* 48. 50. *&* 63. *Cathechiſmus art.* 9. *ſect.* 9. *late Ricciul. lib.* 4. *de iure perſon. cap.* 1.

48 Secundum ratione Hæreſis probatur, quia in Eccleſià non poteſt eſſe, qui caret Fide. Id autem Sancti Patres multis argumentis probant, vt legi poteſt in Decreto Gratiani præſertim *cap. Ipſa pietas* 23. *q.* 4. *cap. Aduocauit* 24. *q.* 1. *cap. Non in vobis, diſt.* 4. *de conſecr. cap, Statutum de Haret. in* 6. *cap.* 3. *eod. extra. Ricciul. lib.* 5. *cap.* 12. rem hanc late diſcutit.

49 Tertium, quòd ſit in Eccleſià, quò ad pœnas, probatur. Tum quia vti baptizatus obligatur Legibus Eccleſiaſticis, ſicut alij, non enim debet eſſe melioris conditionis impius viro pio. Tum quia Eccleſia contra eos ſtatuit diuerſas pœnas, vt patet in titulo de Hæreticis; argumentum conuincens, quòd ſunt in Eccleſià quò ad odioſa, nón quò ad fauorabilia; & in hoc nullus bene ſentiens contradicit, ex allegatis à prædicto.

Quæritur 33. An non adimplens pœnitentias dicatur relapſus?

℟. Negatiuè, quia per hoc non dicitur relabere in eandem Hæreſim, nec in aliam, pro qua punitus fuit. Ita *Simanch. de Catol. inſt. tit.* 16. *num.* 24. *Pegna part.* 3. *com.* 146. *verſ. Veruntamen, Farinac. q.* 193. *num.* 135. Contra quoſdam, qui dixerunt fugientem è carcere habendum eſſe pro relapſo, ſed non probant. Dixi melius ſupra q. 17. num. 27. 50

Quæritur 34. An quis poſſit ſe obligare ſub pæna relapſi ad pœnitentias faciendas?

℟. Negatiuè, quia nemo poteſt ſua membra exponere Morti, cum nemo ſit dominus ſuorum membrorum, *l. Liber homo* 13. *ff ad leg. Aquil. cap. Si non licet* 8. 23. *q.* 5. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. Et ita docent *Pegna com.* 146. V. *Et quamuis. Locatus in fine ſui operis caſu* 14. *Menoch. lib.* 1. *conſ.* 82. *num.* 113. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 2. *num* 24. 51

SECTIO OCTAVA.

De Excommunicatione contra Hæreticos.

SVMMARIVM.

1 *Pæna contra Hæreticos, ſpirituales, temporales, & corporales.*

2 *Hæretici aliàs non erant excommunicati, niſi reſipiſcerent poſt monitionem.*

3 *Nunc in Bullà Cænæ Domini, iure poſitiuo; non diuino.*

4 *Quæ nunc attenditur, & ſic eſt vnica alias abſorbens.*

5 *Vnica Excommunicatio, ſi vnico actu ſimul plura diſcredit.*

6 *Sicut vnicà Blaſphemià quis ſimul inuehitur in duodecim Apoſtolos.*

7 *Hæreticus quis dicitur quinque modis.*

8 *Materialis non eſt Reus huius Cenſuræ.*

9 *Nec pure mentalis.*

10 *Eccleſia non iudicat de occultis.*

11 *Nec pure externus, niſi in Foro externo.*

12

12 *Coactus per vim absolutam non est excommunicatus.*
13 *Purè externus non est excommunicatus in Foro conscientiæ.*
14 *Eam incurrit propriè Hæreticus mixtus.*
15 *Manifestatio Hæresis quomodo fiat, vt inde inferatur Excommunicatio.*
16 *Commissione Hæresis manifestatur verbo, vel facto.*
17 *Omissione quoq; dicti, vel facti manifestatur.*
18 *Manifestatur, licet nulli sint præsentes.*
19 *Signa manifestatiua Hæresis debent esse clara Hæresim significantia.*
20 *Referuntur signa non manifestatiua Hæresis.*
21 *Manifestatio in aliquibus casibus non inducit Excommunicationem.*
22 *Non manifestatur per verba ambigua, quæ bonum, & malum sensum habere possunt.*
23 *Caracteres proprij alijs ignoti non inducunt Hæresim externam ex Sanch.*
24 *Impugnatur.*
25 *Discredens Humanitatem Christi, negando risibilitatem suam manifestat Hæresim, secundum Sanchez, impugnatur.*
26 *Hæreticus licet occultissimus est excommunicatus.*
27 *Leue signum veniale tantùm non manifestat Hæresim secundum Sanchez.*
28 *Impugnatur.*
29 *Cum ex se licet leue preseferat Hæresim.*
30 *Actus inducens Excommunicationem debet esse mortalis, quando dat esse simul peccato, & pœnæ, non autem &c.*
31 *Esus carnium modicus manifestat Hæresim.*
32 *Protestatio contraria facto non releuat protestantem.*
33 *Percussio Clerici perficitur per actum externum.*
34 *Manifestatio Hæresis excipit aduertentiam rationis, dum manifestatur.*
35 *Actus internus carens aduertentià malitiam non communicat actui externo, qua caret.*
36 *Hæreticus semper vitandus ob periculum peruersionis.*
37 *Genus inest omnibus suis speciebus, ac si hæ in eo essent expressæ.*
38 *Nondum denunciatus non est vitandus ex vi Censuræ.*
39 *Sacramenta validè conferri possunt ab Hæreticis.*

HÆretici pluribus pœnis plectuntur; inter quas aliæ sunt spirituales, vt Excommunicatio, Irregularitas, Infamia, Priuatio Beneficiorum, Officiorum, Iurisdictionis Ecclesiasticæ, & Sepulturæ; aliæ verò temporales, vt Mors, Confiscatio bonorum, exilium, carcer, triremes, & inhabilitas ad actus legitimos. In præsenti sectione agendum de Excommunicatione. 1

Hæretici ab antiquo tempore non incurrebant Excommunicationè, nisi post monitionem, si non resipiscerent: postmodum ipso iure sine alia monitione sunt excommunicati, sed sine monitione, & sine reseruatione, *cap. Ad abolendam 9 cap. Excommunicamus 13. cap. Excommunicamus 15. de hæreticis cap. Nouerint 49. de sent. excom.* Demum excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, & Excommunicatio ibidem reseruatur. Nulla autem ex his Excommunicationibus est de iure diuino à quocunque lata fuerit, sed solùm est pœna ecclesiastica, qua Hæretici puniuntur, *ex Scoto Faber. de excom. disp. 4. num. 49. Sanchez lib. 2. cap. 9. num. 2.* Super cuius intelligentia difficultates sunt proponendæ, & resoluendæ. 2 3

Quæritur 1. An vnica sit Excommunicatio tandem in ea Bulla completa, ex præcedentibus Iuribus supradictis, ita quòd absolutus vigore eiusdem Bullæ dicatur ab omnibus absolutus?

℞. Affirmatiuè, quia earum multiplicatio est solùm materialis, non autem formalis, cum omnes causentur ab vnicà formalitate vitij Hæresis, quatenus est error contra Fidem cognitus; ergo cum vnica sit ratio formalis, & multiplex materialis, vnica erit Excommunicatio ex parte obiecti, & sic absolutus ex vi Bullæ ab omnibus est absolutus 4

non

non obstante, quòd ex parte Legislatoris sint plures.

Quæritur 2. An discredens plures Fidei Articulos, tot incurrat Excommunicationes, quot sunt Hæreses?

5 ℞. Si vnica negatione discredat plures Fidei Articulos, e.g. dicendo simul, & semel non credo articulos in Simbolo Apostolorum expressos, vnicam incurrit Excommunicationem, quia vnica est actio respectu subiecti, vt patet, & vnica quoq; ex parte obiecti, cum negatio simul, & semel respiciat Hæresim præscindendo ab hoc, & ab illo speciali Articulo, consideratis omnibus tantùm sub ratione vnius. Quòd si successiuè, & diuersis actionibus negentur diuersi Articuli, hodie e.g. omnipotentia Dei, alio die, vel hora, Iustitia in Deo, in hoc casu Hæreticus tot incurrit Excommunicationes, quot sunt Hæreses, quia plures sunt actiones ex parte vtriusq. vt patet ex naturà ipsius casus. Et in hoc sensu potest intelligi *Vgolinus de cens. Pontif. reseru. part. 2. §. 4. num. 11. fol. 54. col. 2.* quam citat *Farin. q. 191. num. 9.*

6 Primus casus confirmari potest à simili de eo, qui vnico verbo blasphemat simul duodecim Apostolos, nam vnicum committeret peccatum, & vnicam incurreret excommunicationem, si lata esset pro hoc delicto, vt docent *Cornejo, & Suarez apud Dianam part. 5 tract. 9. resol. 59.* Qui tamen probabiliùs contrarium tenent, cum quibus est *Auersa de Pœnit. q. 10. sect. 14. Vers. Magis dubitari,* nisi in sententia eorum, qui volunt Blasphemiam in Deum, & sanctos non differre specie, quod sentit *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 38.* dicentes vnicum esse peccatum, & sic vnicam Censuram. Ergo in casu nostro vnica erit Excommunicatio ex vnitate vnius actus irreligiosi contra Fidem Catolicam, licet enim Articuli materialiter sint plures, tamen quia hic per modum vnius accipiuntur, ex quo omnes Hæreses vnius sunt speciei, quia vni opponuntur virtuti Fidei, sequitur, quòd vnica sit Excommunicatio.

7 Quæritur 3. Quisnam Hæreticus incurrat hanc Excommunicationem?

Ratio id quærendi ea est, quia Hæreticus dicitur quintupliciter. *Primò* quis dicitur hæreticus tantùm materialiter, qui scilicet non habet errorem in Intellectu culpabiliter, licet physicè habeat, vt cum quis inuincibiliter credit, *Filium esse minorem Patre*, hic enim est materialiter Hæreticus, hoc est, sine peccato, à quo excusatur ob inuincibilem ignorantiam; quam dari in rebus Fidei, respectu Personarum simplicium, & idiotarum dixi *Sect. 6. num. 17. ad 20. & sect. 2. à num. 11.* Item *Secundò* quis dicitur hæreticus formalis, qui scilicet scienter habet errorem in intellectu saltem præsumptiuè; & in hoc sensu tripliciter spectatur. Ac proinde *Tertiò* quis dicitur Hæreticus purè tantùm mentalis, qui errorem non manifestauit. *Quartò* Hæreticus externus tantùm, qui, si quandoq; non habet errorem in intellectu, præsumitur tamen habere ex signo exteriùs manifestato per vim, & metum. *Quintò* demùm quis dicitur Hæreticus mixtus ex actu interno, & externo, cum quis scilicet scienter errorem habet in intellectu contra Fidem, & illum exteriùs manifestat.

℞. Hæreticus materialis non est reus hu- 8
ius Excommunicationis, quia nullo modo peccat, cum excusetur ex ignorantià inculpabili, ergo non incurrit Excommunicationem, quæ semper supponit peccatum mortale in illo actu externo, qui eam inducit, *cap. Nemo 41. cap. Nullus 42. cap. Episcopi 43. 11. q. 3.* Et in hoc nullus contradicit.

℞. 2. Hæreticus purè mentalis, qui scili- 9
cet in mente omninò retinet suam Hæresim, non est reus huius Excommunicationis. Quia solus Deus iudicat interna, Homo autem, quæ exteriùs parent, iuxta illud I. Reg. 16. 7. ***Nec iuxta intuitum Hominis ego iudico, Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem cor.*** In corde autem Hæresis consumatur, ergo solo Dei iudicio peccatum mentale reseruatur. Hinc id confirmatur illo communi axiomate, quòd Ecclesia non
iudicat de occultis, quia illa ignorat, *cap.* 10
Erubescant 11. dist. 32. fine, cap. Consuluisti 18. 2. q. 5. cap. fin. 32. q. 5. cap. Sicut tuis 33. de sim. cap. Tua nos 4. vbi dicitur: *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.* Ergo & de eis tantùm Legem ferre. Et ita docent communiter fere omnes, *Ricciull. lib. 5. cap. 10. num. 10. ex D. Thoma 2. 2. q. 11. art. 3. Farinac. q. 192. num. 7. de Lugo disp. 23. de Fide num. 6. Angelus de Clauasio V. Hæreticus num. 2. Plures citat Barb. ad cap. Excommunicamus 13. de hæret. num. 2. Royas part. 1. de hæret. num. 240. Bonac. disp. 1. in Bulla q. 2. p. 2. num. 2. Faber. de excom. disp. 4. num. 53. Auersa de Fide q. 11. sect. 7. vers. Cæterum Dal Bene part. 1. sect. 10. & 11. n. 3. dub. 13.* Et hæc Sententia nostris temporibus ita certa est, vt contraria opinio habeatur pro improbabili.

℞. 3. Hæreticus purè externus, qui scilicet 11
non habet errorem in Intellectu; tamen quia cogitur agere aliquid contra Fidem, vt blasphemare Deum, vel incensare Idolis, præsumitur credere sibi licere, quod facit, ideo in foro externo habetur pro excommunicato, non verò in foro conscientiæ.

Primum, si coactus fuit per vim absolutam 12
ipso scilicet nihil coagente cum cogente, non incurrit Censuram eo, quòd nec peccat, vt dixi *sect. 3. num. 39. Farinac. q. 183. num. 31.* Vtriq; vero præsumitur Excommunicatus, si per se operatur ad Mortem euitandam; tamen probatis vi, aut metu concludenter di-

ditur

ditur Suspicio, & excommunicatus non est in hoc Foro, cum per probationem sublata sit causa, quæ hanc pœnam inducebat. Ita *Diana part. 3. tract. 4. resol. 143. de Lugo disp. 23. num. 7. Pegna part. 2. com. 66. vers. Sed hac; Royas part. 1. num. 48.* de Marcellino Papa, qui metu Mortis incensauit Idola, firmus tamen in Fide; Hæresis reus non fuit, *Albertinus q. 30. num. 6. & 7. Carena part. 2. tit. 1. num. 79. & seq.* Intellige hæc, si post talem excessum restitutus Libertati, quamprimùm compareat coram Iudice Catolicæ Fidei, vt docent præcitati, *cum Farinac. q. 183. num. 28.* Non tamen excusatur à peccato mortali, vt docent omnes.

13 Secundum, quòd in Foro Conscientiæ non sit excommunicatus, probatur, quia metus cadens in constantem virum excusat à pœna Excommunicationis; Ecclesia enim non intendit obligare ad hanc pœnam grauissimam, Ratio specialis est, quia talis non est propriè Hæreticus, cum non habeat errorem in Intellectu; quæ ratio suadet idem pro Foro externo, probato concludenter metu. Et ita docent *D. Anton. part. 2. tit. 12. cap. 5. §. 1. Siluester V. Apost. q. 1. num. 4. & V. Hæresis 1. q. 6. num. 9. Diana part 4. tract. 4 resol. 240. cum alijs Barb. Alleg. 41. num. 32.* alios citaui *sect. 3. num. 40. & 41. de Lugo disp. 23. num. 7.*

14 ℞. 4. Hanc Excommunicationem propriè incurrunt, qui dicuntur Hæretici mixti, qui scilicet errorem contra Fidem in mente habentes scienter extrà manifestant. Est communis, *Sayr. lib. 3. cap. 4. num. 10. Castropal. de cens. disp. 3. p. 2. num. 2. & de Fide disp. 4. p. 1. num. 1.* Et in hoc nulla difficultas, si enim in præcedentibus casibus excluditur Excommunicatio, necesse est, quòd locum habeat in hoc, ne dicamus inutilem latam huiusmodi Sententiam per sacros Canones. Tota verò difficultas sita est in cognitione manifestationis Hæresis, sine quà non incurritur Censura.

Quæritur 4. Qualis manifestatio Hæreticum mentalem faciat externum, & sic mixtum, ad incurrendam excommunicationem?

15 ℞. Tunc Hæreticus mentalis euadit externus, cum aliquid dicit, scribit, vel facit, ex quo quilibet prudens potest deducere sic facientem notari posse crimine Hæresis, iuxta quod dixi sect. 6. q. 7. à num. 28. ad 32. Manifestatio autem hæc contingere potest *Primò* non solùm commissione, scilicet, faciendo, dicendo, scribendo, & alia signa faciendo, quæ ex natura rei indicent Hæresim, sed etiam omittendo eos actus, qui referuntur ad cultum diuinum, ex quorum omissione possit argui proditio Hæresis, vt retuli ibidem num. 30. & 31. *Secundò*, vel nullis præsentibus in actu manifestationis, vel præsentibus, & videntibus, vel audientibus. *Tertiò*, signa debent esse clara, & vniuoca, non autem dubia, ambigua, & æquiuoca.

Prima pars de *Commissione* in eo consistit, quòd signa, verba scilicet, seu scripta, vel facti sint expressiua Hæresis, vel ex se, vel ex circunstantijs apta significare, & repræsentare Hæresim, cum opus est, vt probaui loco citato. Et ita docent omnes cum *Bonac. in Bulla q. 2. p. 2. num. 3. vers. dixi, Auersa de Fide q. 11. vers. Itaque de Lugo disp. 23. de Fide num. 11. Dal Bene part. 1. sect. 10. num. 1.* 16

Secunda pars de *Omissione* in eo consistit, vt cesset dicere, vel facere actus reuerentiæ e.g. aperire caput, genuflectere &c. quia credit Deo, & Sanctis eius non conuenire actus adorationis, iuxta quod dixi sect. 6. num. 31. Et ita de Omissione *Auersa cit. vers. ex alia, de Lugo disp. 23 num. 11. Bonac. cit. num. 4.* Non esse Hæreticum externum, qui mente reuoluit suam Hæresim, non aperit caput imagini, vel non genuflectit adorando Corpus Christi, contra *Sanch. lib. 2. cap. 8. num. 16.* 17

Tertia pars de manifestatione Hæresis, siue aliqui sint præsentes siue non, hoc parum refert, modò signa externa de se significent Hæresim, nam Hæresis sufficienter est exteriùs manifestata, non enim ad id necessarium est, quòd probetur signum manifestatiuum, cum in hoc casu non possit probari; non ex eo, quòd actus de se nó sit probabilis, sed quia nullus reperitur Homo, qui illum viderit, vel audierit suis auribus. Ita *Bonac. num. 8. vers. dixi, Auersa vers. Ex alia parte, Dal Bene cit. num. 8.* 18

Quarta pars de signis claris, & perfectis Hæresim significantibus patet ex eo, quòd si non est clarum, & perfectum, non potest repræsentare, nec indicare Hæresim, ergo adhuc remanet in mente. 19

Quare non est externus Hæreticus, nec Excommunicatus, qui dum mente reuoluit Hæresim, profert hæc verba imperfecta. *Ita est; sic est illud est verum*, vel manibus plaudit, vel signum dat lætitiæ. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 8. de Lugo disp. 23. num. 18* vbi exemplificat in Virgine, de cuius Virginitate malè sentit dicendo *non est virgo*, dicit, non esse Hæreticum externum; de his imperfectis locutionibus agunt etiam *Castropal. disp. 3. de Fide p. 3. num. 3. Suarez disp. 21. sect. 2.* Similes ergo locutiones imperfectæ, & dubiæ non manifestant Hæreses, cum sint insufficientes, nec proinde ab Ecclesiâ iudicari possint inferre Hæresim, vt docent *Bonac. p. 2. num. 4. Lessius lib. 2. cap. 12. num. 128. Sayr. lib. 3. de cons. cap. 4. num. 26 Castropal. disp. 3 p. 2. num. 3. Dal Bene Dub. 13. sect. 16. num. 1.* 20

Quandoque Hæresis mentalis exteriùs manifestata etiam in suis terminis, non fa- 21

cit

cit Hæreticum mixtum, neque proinde subiectum Excommunicationi. *Primò* quando eam confitetur, vel consilium petit ad illius destructionem, talis enim manifestatio non fouet Hæresim, sed eam destruit, ita *de Lugo disp. 14. sect. 1. & disp. 23. num 12. Dal Bene Dub. 13. sect. 17. num. 12. Sanch. lib. 2. cap. 8. num. 24. Castrop. disp. 3. p. 3. num. 3. fine*, vbi quòd suam referens Hæresim, aut eam rescribens etiam in mente habens non est mixtus, seu externus Hæreticus. Neutrum mihi placet. Primum de referentia, si non petit consilium, & secundum de scripto inferunt Excommunicationem externam, quia hæc duo signa sunt de se expressiua mentalis Hæresis. *Secundò* si inaduertenter Hæresim proferat, quia sicut non peccat, ita nec Hæresim facit externam. *Tertiò* iocosè proferens Hæresim, & non assertiuè, quia non intendit eam firmare exterius *Dal Bene dub. 13. sect. 17 num. 13.* Id non probo; quia cum talis actus sit peccaminosus, non enim licet iocosè loqui de misterijs Fidei, sequitur hoc signum sufficienter extrahere actum mentalem ad se, & facere mixturam inducit enim suspicionem Hæresis. Hæc refert *Diana ex Iacobo Granado part. 4. tract. 4. resol. 240* *Quartò*, Ebrius, vel dormiens suam Hæresim proferens non euadit Hæreticus externus, quia non est manifestatio humana defectu aduertentiæ, nec proinde peccaminosa. Ita *Suar. num. 12. Sanch. num. 24. Pegna part. 3. com. 17. cum eis Castropal. num. 3. fine, de Lugo num. 33.* licet præuiderit, contra Bonacinam.

22 Ex verbis, quæ duplicem sensum habere possunt, catolicum scilicet, & Hæreticum, non infertur Hæresis externa, ergo nec Excommunicatio, quia verba semper trahuntur in bonum sensum. Ita *Farinac. q. 187. à num. 11. Royas part. 1. de Haret. num. 203. Castropal. disp. 3. p. 3. num. 3.* Sed Ego cum de Lugo, Suarez, & Sanchez disp. 23. num. 21. Teneo talia verba proferentem fieri Hæreticum externum, quia sufficienter exprimunt Hæresim in mente retentam, dum talium verborum significatio communis est vtrique sensui Catolico scilicet, & hæretico, vnde *Farinac. cit. num. 12.* ait in Foro Conscientiæ pro Hæresi in dubio præsumendum esse. Quare doctrina allata à Farinac. eo num. 11. facit pro Foro externo, in quo non præsumitur delictum, nisi probetur, & ideo eo non probato, verba dubia accipiuntur in bonum sensum, & sic excluditur Hæresis externa, non tamen Suspicio. Hæresis saltem leuiter. *Et de Lugo num. 24.* obiectioni huic, non est Excommunicatus proferens verba imperfecta, ex quibus audientes non possunt iudicare de qua Hæresi loquatur, ergo nec proferens verba habentia duplicem sensum est Hæreticus externus, quia audientes iudicare non possunt, in quo sensu loquatur. Respondet eam esse differentiam, quia in primo casu deest significatio perfecta, cum sit incompleta, in secundo verò casu oratio est perfecta, & sic manifestatiua Hæresis pro Foro Conscientiæ.

Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 10. ait Caracteres notos soli Hæretico, quia à se inuentos, non inducere Hæresim externam, nec proinde Censuram, quia illa signa ab aliquo intelligi non possunt, & vocantur *Cifra*, vtique verò si adsit *Contracifra*, inquit *de Lugo disp. 23. num. 13.* quia tunc sunt intelligibilia etiam ab alio; subdens eum incidere, si Cifram conseruat, & rescribat illius notis Hæresim, quia iam non est per se occulta, sed tantùm per accidens, quia nullus eam hactenus vidit, potest tamen eam videre. Addit aliam subtilitatem, & resoluit, vide ipsum. Hos sequitur *Dal Bene dub. 13. sect. 16. num. 2.* 23

Non placet hoc eo quòd ambo firmant suam Opinionem ad producendam Hæresim externam in Cifra, cuius significatio Hæresis sit intelligibilis non solùm ab eius auctore, sed etiam ab aliquo alio, ita non videtur sufficiens Hæresis manifestatio si solus auctor sciat vim significandi Cifræ. Nam talis manifestatio possibilis magis refertur ad illius probationem in foro externo, quàm ad productionem Hæresis externæ, quæ supponitur ad probationem, ortæ iam ex Cifra, cui auctor imposuit completam, & perfectam significationem, positâ autem causâ in actu statim ponitur eius effectus; ergo positâ Cifrâ in actu, posita quoque est Hæresis externa, ad quam sequi potest aliena intellectio; sufficit ergo propria intelligentia Auctoris, vt statim ipse dicatur Hæreticus externus. 24

Discredens mentaliter Humanitatem Christi secundum Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 12. suam manifestat Hæresim negando risibilitatem in Christo, quia præsumitur eam negare non ex principio naturali, sed de Fide, quòd Christus sit homo; pro qua re vide citatos *à Diana part. 4. tract. 8. resol. 79. de Lugo disp. 20. num. 70.* Dico, talem suam Hæresim non manifestasse, cum ex illa propositione *Christus non est risibilis* solùm colligatur Suspicio Hæresis, ergo non manifestatur Hæreticus formalis externus. Confirmatur, quia sicut Blasphemia nó hæreticalis prolata non manifestat Hæresim mẽtalẽ, *Sãch. num. 14.* ita neque propositio non hæreticalis manifestat hæreticalem. Item credens solùm mentaliter fornicationem non esse peccatum, Fornicando non fit externus Hæreticus, quia talis actus non est de se expressiuus Hæresis huius, sed libidinis tantùm expletiuus, vt dixi *cap. 12. num. 21. Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 14. de Lugo disp. 23. num. 40.* Reliqua vide apud præcitatos. 25

H Quæ-

Quæritur 5. An Hæreticus occultissimus sit excommunicatus, qui scilicet suam Hæresim dixit, & voce eam protulit, nullis audientibus, vel eam scripsit talem, qualem in mente habuit.

26 ℟. Affirmatiuè, quia exterius eam prodidit, quod sufficit, vt dicatur Hæreticus externus, & mixtus ex actu mentali, & externo indicante Hæresim mentalem. Est communis, *Auersa q. 11. sect. 7. vers. Ex alia parte Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 6. Diana part. 6. tract. 6. resol. 51. ex illis de Lugo disp. 23. num. 9.*

27 Quæritur 6. An signum leue sufficienter manifestet Hæresim inducens Excommunicationem? Quod est etiam quærere, an actus externus veniale peccatum reputatus manifestet Hæresim? *Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 7. & 17.* dicit, non sufficere, sed necessarium esse, quòd actus externus de se sit mortalis non solùm per relationem ad actum mentalem, sed etiam secundum operis externi quantitatem. *De Lugo autem disp. 23. num. 27.* probat, quia esus carnium in eà paruà quantitate non est aptus ad significandam Hæresim internam, cum etiam ob gulam, vel curiositatem Catolici id sæpe faciant. Alios in hanc opinionem refert *Dal Bene Dub. 13. sect. 17. à num. 15.* Cui tamen hæc opinio non placet, refellendo eam sub num. 20. hoc exemplo. Proponatur inter alios cibos caro, hac expressà intentione, vt Luterani à Catolicis discernantur; in quo casu occultus Hæreticus, si sine contrarià protestatione, vel modicum carnis comedat, quamuis peccet solùm venialiter ex Intemperantià, peccat tamen mortaliter, & incurrit Excommunicationem, quatenus Hæresim suam sufficienter explicat, & profitetur; ponit autem discrimen inter peccatum externum percussionis, & Hæresis, quòd illud in executione praui propositi, hoc verò in Hæresis internæ completæ manifestatione consistit, contra Aduersarios, qui dicunt, sicut ex leui percussione Clerici non incurritur Excommunicatio, esto talis leuis percussio venialis in se, mortalis vero respectu praui actus interni, ita neque ex veniali &c.

28 ℟. Ego cap. 12. Sacri Tribun. n. 25. leue signum, etiam in se tantùm veniale sufficere ad manifestationem Hæresis mentalis, & id ibidem probaui, in cuius confirmationem addo hæc; nam in comestione carnis duo spectari possunt, vitium gulæ, ex gustu; & hoc in casu nostro non consideratur, nec secundum esse phisicum, nec secundum esse morale; ideo secundò spectari potest vt signum inductiuum Hæresis, certum enim est apud Iudices Sanctæ Fidei, comedentes carnes diebus prohibitis esse suspectos de Hæresi, *Farinac. q. 178. num. 80.* leuiter quidem *Carena p. 2. tit. 15.* vehementer verò positis nonnullis circunstantijs, simpliciter verò de vehementi *Genuens. cap. 18. num. 11. vers. Comedentes, Pegna com. 80. part. 2. vers. Et ob hanc præsumptionem*, quos pro se citat *Albergbinus cap. 22. num. 3. & 4.* sequendo opinionem prædictorum. Ac proinde positâ qualibet comestione, necessariò ponitur Hæresis per eam manifestata, quia leuis comestio, adhuc est essentialiter comestio, ergo inductiua suspicionis Hæresis, sicut enim magis, & minus non variant essentiam rei, ita neque auferunt qualitatem ei intrinsecam, siue in genere phisico, siue morali, certum autem est in genere moris comestionem vt sic prohibitam esse etiam in modico, quia præceptum negatiuum simpliciter negat omnem actum positiuum, siue magnum, siue paruum, quod nec Aduersarij negant, dum in modicà comestione supponunt veniale; negatiua enim nullum casum excipit, quia talis est eius natura, quòd tollit quicquid inuenit post se, *Marcus Anton. lib. 1. resol. 20. num. 7. Surd. decis. 243. num. 7.* 29

Ad argumentum Sanchez dico, tunc actum externum ad inducendam Excommunicationem debere esse de se mortalem, quando dat esse peccato simul, & pœnæ, non autem si peccato iam in suo esse completè constituto recipientem tribuit solùm pœnam esse per actum externum manifestatiuum interni, à quo sumit Hæresis specificationem, si ad eam ordinatur; cum ergo actus externus quà talis ex se non sit peccatum, sed solùm quatenus ordinatur manifestatiuus Hæresis, à qua proinde recipit malitiam omnem, quam recipere potest; sequitur talem actum sufficienter manifestare Hæresim, & inducere pœnam Hæresis, quamuis in se non sit peccatum mortale. 30

Ad rationem de Lugo dico, esum carnium etiam in paruà quantitate, vt supra fuit probatum, in genere moris, manifestare Hæresim magis, quam si spectetur illa manducatio in genere naturæ, quia gula, & curiositas abesse possunt, cum accidant illi, Suspicio autem Hæresis necessariam habet connexionem moralem, & legalem cum esu carnium prohibito etiam leui. 31

Ad exemplum Dal Bene respondeo, reiectà eà Intentione, & protestatione, adhuc Catolicus mentalis Hæreticus comedendo cum Luterano planè manifestat suam Hæresim, cum actus comestionis carnis diebus prohibitis manifestet suspicionem hæresis in sententià omnium, ex supra probatis. Nec intentio proponentis cibos, vt discernat Catolicum a Luterano est causa hæresis manifestatiua, sed tantùm adminiculum probandi Hæresim cum actu comestionis. Neque hæreticum Protestatio releuat, cum factum ipsum comestionis illum arguat, & non releuet ab hæresi, ex ea Reg. Protestatio contraria facto 32

facto non releuat protestantem, quia postea per factum tollitur, *Mascard. concl.* 1249. *num.*3. facta enim derogant verbis, cum sint
33 potiora illis, *l. De pupillo* 5. §. *Meminisse ff. de noui oper. nunt.* Protestatio enim contraria facto non releuat protestantem, in ijs, quæ non pendent à nostra voluntate, *Sperell. decis.*75. *num.*52. *Lezana consultat.* 47. *num.* 47. demùm Protestatio non impedit, quod venit ex legis dispositione *l. Et si quis §. Plerique, ff de relig. & sumptib. fun. l. Alimenta C. de negot. gest. Gratian. cap.*244. *n.* 37. Hæresis autem huiusmodi, & eius Suspicio à lege procedit, ergo in eis Protestatio non prodest contra Hæreticum comedentem carnis etiam tantillum diebus prohibitis.

34 Ad exemplum de Percussione Clerici dico percussionem compleri, & perfici per actum externum, ac proinde Excommunicationem non incurri ex actu externo, nisi is sit in se talis, Hæresis autem cum in mente iam perfecta sit, inducit Excommunicationem per quemcunq; actum etiam leuissimum ad se ordinatum, cum Hæresis non compleatur in ratione peccati per actum extrinsecum, sicut percussio. Dic vlterius quòd Percussio leuis materialiter accepta non inducit Excommunicationem; vtique formaliter accepta pro mortali distincta à graui, & enormi percussione.

Quæritur 7. An huiusmodi actus Hæresis internæ manifestatiuus debeat esse factus cum aduertentià ad ipsam hæresim?

35 ℞. Sic, quia manifestatio debet ostendere Hæresim in mente retentam, quod esse non potest, nisi manifestatio cum aduertentia fiat ad actum mentalem, qui suam malitiam communicare possit actui externo.

36 Confirmatur, quia si abest aduertentia, iam actus internus non dicitur extendere suam malitiam ad actum externum cum ea careat; præterquam quòd sequeretur, ebrium dormientem, & carentem vsu Rationis profe-rentem Hæresim, suam manifestasse hæresim, ac proinde incurrisse Censuram, quod tamen falsum est, in Sententià omnium ex supradictis, & hoc non nisi, quia deest aduertentia, ergo hæc necessaria est ad moralem manifestationem.

Quæritur 8. An Hæretici sint vitandi etiam ante denuntiationem, sicut vitantur percussores Clericorum notorij?

37 ℞. Hæreticus cognitus, à quocunq; vitandus est siue declaratus, siue non; quando timetur peruersio ex eius conuersatione, exclusà semper fautorià, de qua infra, suo loco dicam pro qua re extant Bullæ Clementis VIII. incip. *Cum sicut non* 42. & Gregorij XV. incip. *Romani Pontificis* 28. extensæ etiam *à Dal Bene part.*2. *fol.* 626. *Diana part.* 4. *fol.*275. *&* 276. Ex vi verò Censuræ ad euitandam Excommunicationem minorem inductam ex participatione cum excommunicato vitando, *Castropal. de censuris disp.* 2. *p.* 21. *num.* 1. *Sayr. lib.*2. *cap.* 23. *num.* 4. Sufficit, quod Hæreticus sit condemnatus, esto non fiat expressa mentio Excommunicationis, sed tantùm in sententià dicatur *Sententiamus tefuisse Hæreticum, & consequenter te incurrisse in omnes censuras, & pœnas à sacris canonibus &c.* Et quoniam si pœnitens est, statim absoluitur, quilibet licitè cum alloquitur. Quare vitandus est ex hoc capite, qui absens condemnatur. Quòd autem dicatur ex vi talis Sententiæ denuntiatus, & declaratus nominatim excommunicatus, sine expressione formali huius vocis Excommunicationis, non est dubitandum, cum genus *Censura* insit omnibus suis speciebus, *Auth.* 38
Hoc Sacramentum C. de iureiur. l. semper 190. *ff. de reg. iur.* ac proinde expressio generis continentis species operatur perinde, ac si singulæ species essent expressæ, *l. Si chorus ff. de legat.*3 *cum alijs Ricciull. lib.* 2. *de personis cap.*15. *num.*9. *Pasqualig. in centur. q.* 130. *nu.* 4. Et ita tenet *de Lugo disp.* 22. *num.* 7. qui num. 8 cum Sanchez dicit, non esse obligationem vitandi Hæreticum, nisi verbum Censuræ sit expressum in Sententià Hæretici damnati, quia extrauag. Martini illud requirit, vt patet illis verbis: *Nisi Censura huiusmodi fuerit in, vel contra Personam certam à Iudice publicata, vel denuntiata, specialiter, & expressè.* Et sequenti num. 9. asserit esse probabiles Opiniones Sanchez, & Suarez, nempe, ex illo non esse vitandum Hæreticum in cuius Sententià sit solùm mentio de pœnis, non de Censuris, cum extrauagans requirat expræssionem Censuræ, vt patet supra; vtique ex hoc, quia & Censuræ sunt pœnæ, sed hoc genus est satis remotum, ideo puto opinionem Sanchez esse veriorem. Ad rationem dubitandi, quòd sit vetitum communicare cum notorio Clerici percussore, dico id esse speciale in hoc casu excepto, & non in alijs, ergo non valet inferre ad alium casum.

Quæritur 9. An Hæreticus; in sacris, & spiritualibus nondum denuntiatus, vitandus sit? De conuersatione ciuili actum est in præcedenti questione.

℞. Non est vitandus, quia Extrauagans 39
tàm in diuinis, quàm in humanis prohibet communicationem Fidelibus solùm post denuntiationem Excommunicationis, & ipsis excommunicatis nihil indulget, sed ab ipso actu incursionis Excommunicationis debet abstinere deinceps. Quare Fideles non tenentur hereticos vitare ante denuntiationem illorum, sed possunt cum illis audire Missam, & assistere diuinis Officijs, non tamen communicare in ritibus proprijs ipsorum Hæreticorum. Ita *Sanchez lib.*2. *cap.* 9. *num.*7. *Suarez disp.*9. *sect.*3. *num.*5. cum alijs de Lu-

go disp. 22. num. 10. contra Basilium Pontium nullam afferentem rationem.

Quæritur 10. An Catolicus possit recipere Sacramenta ab Hæreticis nondùm denuntiatis?

40 ℞. Sic quia extrauagans id non prohibet Catolicis, nisi post denuntiationem, ea enim indulget Cõmunionem illis etiam in sacris; licet Hæreticis prohibeat, vnde nulla est difficultas maximè si catolicus accedat vel in casu necessitatis, vel ad eum iam paratum, ne cooperetur eius peccato. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 9. num. 10. Suar. cit. num. 5. cum eis de Lugo disp. 22. num.* 11. contra *Azor. part. 1. lib. 8. cap. 11. q. 7. & cap. 13. q. 7.*

SECTIO NONA

Quis absoluere possit ab excommunicatione lata contra Hæreticos?

SVMMARIVM.

1 *Mixtus Hæreticus à solo* Papa *absoluitur.*
2 *Inquisitor iudicialiter absoluit quos iudicat, nullatenus in foro Conscientiæ.*
3 *De iudiciali Absolutione Fori externi omnes.*
4 *Licet nullus præcesserit Processus, vt cum sponte fatetur Reus.*
5 *Nec obstat Bulla Cœnæ Domini.*
6 *Non absoluit Inquisitor in foro sacramentali.*
7 *Contrarium tenent aliqui.*
8 *Dicta de Inquisitore locum habent in Episcopo vt Iudice huius Tribunalis.*
9 *Nec in Foro Conscientiæ absoluere potest Episcopus.*
10 *Contrarium alij docent.*
11 *Correctio Iurium vitanda.*
12 *Bulla Cœnæ derogat Tridentino cap. 6. sess. 24.*
13 *Et alijs Priuilegijs etiam in casibus occultis.*
14 *Generi per speciem derogatur.*
15 *Cruciata est sublata.*
16 *Bulla derogat Tridentino, vt patet ex Responso S. Congr.*
17 *Hurtadi opinio, & responsio.*
18 *Cardinalis de Lugo.*
19 *Bulla Pij V. Romani Pontificis. 132. Rodriquez explicatur.*
20 *Cardinalis explicat cap. 6. sess. 24.*
21 *Vicarius Generalis absoluit sicut Episcopus in causis S. Officij.*
22 *Capitulum quoq; Sede vacante idem facit.*
23 *Procedens etiam contra exemptos.*
24 *Contraria opinio est improbabilis.*
25 *Delegatio duplex ab Homine, vel à Lege, hæc comparatur ordinariæ, & perpetuæ.*
26 *Delegatio facta Dignitati transit ad Successorem.*
27 *Capitulum per suum Vicarium absoluit sicut Episcopus, & Inquisitor.*
28 *Non autem in Foro animæ, sicut nec illi.*
29 *Superiores Regulares nec suos absoluere possunt.*
30 *Decretum Vrbani VIII. quò ad hoc.*
31 *A casibus Bullæ Cœnæ Domini.*
32 Etiam *exprimit casum magis dubitabilem.*
33 *Superiores Regulares suos subditos in neutro foro possunt absoluere ab Hæresi.*
34 *Alex. VII. Censura Propositionis refertur.*
35 *Contraria opinio habet adhuc suos fautores.*
36 *Probant diuersis medijs.*
37 *Bulla Pij V. incip.* Dum ad Congregationem 129. *pro Cassinensibus. Et Sixti V. incip.* Æquum 4. *pro Somaschis.*
38 *Reuocata fuerunt Priuilegia in eis expressa.*
39 *Reijcitur responsio Rodriquez, & Suarez.*
40 *Bulla Cœnæ tollit omnia* Priuilegia.
41 *Bulla Iulij II. incip.* Exponi nobis fecisti. 14.
42 *Bulla Sixti IV.* Regimini.

43

1 CErtum est Hæreticos mixtos, qui scilicet errorem contra Fidem habent, & illum extra manifestant ipso iure esse excommunicatos, & à nullo absolui posse auctoritate propria nisi à solo Pontifice Romano, excepto mortis articulo, in quo nulla est Reseruatio, vt expresè fit eius Reseruatio in Bullà Cænæ Domini. Modò super hac re proponendæ sunt quæstiones resoluendæ, incipiendo ab Inquisitore.

Quæritur 1. An, & quomodo Inquisitor absoluat ab Excommunicatione Hæreticos?

2 ℞. Inquisitor absoluit Hæreticos in foro externo iudicialiter, & extraiudicialiter, in foro verò Conscientiæ, & sacramentali non potest absoluere.

3 Prima pars de Iudiciali Absolutione ab omnibus probatur, quia absolutio ab Excommunicatione per Hæresim contracta est semper coniuncta, aliter Iudicij complementum esset imperfectum, illud enim complætur per huiusmodi Absolutionem, ergo deneganda non est Inquisitori, ne in suo Officio dicatur procedere imperfectè. Ita docent omnes *ex cap. vt officium* 11. *de hæret. in* 6. *Direct. part.* 3. *q.* 92. *ibidem Pegna* Farinac. 7. 192. *num.* 54. *Castropal. tract* 4. *disp.* 4. *p.* 3. §. 2. *num.* 1. *de Lugo disp.* 23. *num.* 83. & absolutio prodest in vtroque Foro, dum datur pro foro externo, vt docet etiam Barbosa *in citatum cap. cum alijs num.* 4.

Secunda pars de extraiudiciali Absolutione extra Sacramentalem probatur expresè per Bullam Clem. VII. incip. *Cum sicut* 26. in B. N. §. 2. his verbis. *Vobis etiam, ac Vicarijs vestris extraiudicialiter Luteranos occultos, & non inquisitos per Ordinarium, siue alios Iudices, aut alios quoscunq; Hæreticos, Fautores, credentes &c. si ad cor reuersi pænitentes id humiliter petierint, postquam Hæresim abiurauerint, medio iuramento promisserint de cætero ab huiusmodi Hæresi pænitus abstinere, absoluendi &c.* Quæ verba bene considerata referuntur ad Hæreticos spontè comparentes, & non ad denuntiatos, contra quos non agitur extraiudicialiter. Hanc Bullam nonnulli referunt ad Forum Conscientiæ *cum Pegna part.* 3. *com.* 141. *vers. Quæ verò.* Eis obstat *de Lugo disp.* 23. *num.* 85. *& Castropal. cit. num.* 3. qui pro nobis sunt. 4

Dices, in Bullà Cœnæ Domini Papa sibi soli reseruat Absolutionem omnium Excommunicationum ibi expressarum, & hanc potissimum contra Hæreticos illis verbis: *Cæterum à prædictis Sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in Mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit etiam prætextu quarumuis Facultatum, & Indultorum quibusuis personis Ecclesiasticis secularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsisq; ordinibus, monasterijs &c.* Ergo Inquisitoribus sublata est hæc facultas concessa in prædictis cap. *Vt officium*, & Bulla Clementis VII. 5

℞. Bullam Cœnæ non derogare huic Facultati, quasi annexæ Officio Inquisitorum, cum ne verbum quidem dicatur de Iudicibus S. Inquisitionis, sed tantùm de personis priuilegiatis, quibus ex Officio non competit talis Absolutio. 6

Tertia pars, quòd Inquisitor non possit absoluere Hæreticos in Foro sacramentali, probatur, quia in hoc comparatur Confessarijs, qui nullum habent modò Priuilegium absoluendi; immo non expedit, eos esse Confessarios, vt bene docet *Direct. part.* 3. 7

num.

num. 59. vbi Pegna com. 12. Et ita docent Sanch lib. 2. cap. 12. num. 3. Barbosa alleg. 40. num. 28. Castropal. disp. 4. p. 3. §. 2. num. 3. de Lugo disp. 23. num. 87. Dal Bene Dubit. 57. num. 11.

8 Contrariam Opinionem non minus communem, quàm præcedens tenent plerique quos citat contra se de Lugo num. 83. pro se vero Diana part. 1. tract. 5. resol. 3. & 4. part. tract. 8. resol. 35. Aliud non habent fundamentum, nisi præcitatam Bullam Clementis VII. quæ tamen loquitur tantùm de Absolutione extraiudiciali. Quòd si quis pro his dicat, si Inquisitores non possunt absoluere in Foro Conscientię Hereticos penitentes, redditur valde difficilis eorum Conuersio, si extra Sacramentum debent se manifestare. Respondetur, id non esse difficile, immo facile, sponte enim comparentes benignè, & secreto admittuntur cum Pænitentijs salutaribus in occulto peragendis; cui quoque obiectioni occurrit ex alijs Castropal. num. 4. adeo quòd non amplius punitur super tale delictum, vt ab eis dicitur.

Quæritur 2. An Episcopo vti Iudici in causis Fidei liceat iudicialiter, & extraiudicialiter absoluere Hæreticos ab Excommunicatione?

9 ℞. Affirmatiuè, quia in hoc genere Iudicij non est inferioris conditionis Inquisitore, sed pares sunt, ex cap. Per hoc 17. de haret. ergo eodem modo Absolutionem impertire potest, quò eam confert Inquisitor. Ita omnes apud Castropal disp. 4. p. 3. §. 1. num. 23.

Quæritur 3. An in Foro Conscientiæ possit Episcopus suos subditos absoluere Hæreticos? Attento Tridentino sess. 24. cap. 6. potest, ibi extremis hisce verbis: Idem & in Haresis crimine in eodem Foro Conscientia eis tantùm, non eorum Vicarijs, sit permissum. Per quæ verba videtur tolli præcedens responsio; si enim in Foro Conscientiæ tantùm absoluere potest ab Hæresi, ergo iudicialiter non poterit absoluere. Non tollitur tamen; quia Episcopus in Tridentino non spectatur vt Iudex, sed vt Episcopus pro Foro conscientiæ, non vt Iudex in causis S. Fidei, sed vt Pastor suorum subditorum.

Sola difficultas in eo consistit, an Episcopis pro Foro Conscientiæ sublata sit facultas eis data à Concilio absoluendi ab Hæresi, per Bullam Cœnæ?

10 ℞. Affirmatiuè, nam id clarè colligitur ex verbis Bullæ supra allatis: Etiam pratextu quarumcunq; Facultatum, aut Indultorum quibusuis etiam Episcopali, vel aliâ maiori dignitate praditis. Confirmatur, quia Papa potuit reuocare illam facultatem Episcopis concessam in Tridentino, cum sit supra Concilium, præterquam quod cap. 21. sess. 25. dicitur salua semper auctoritas Papæ in omnibus Decretis Conciliaribus, & de facto reuocauit, vt patet ex allatis verbis. Et ita tenet communior, ac proinde verior Sententia plusquam 40. Doctorum apud de Lugo disp. 23. num. 45. Castropal. tract. 4. disp. 4. p. 3 §. 1. num. 22. Barbosa Alleg. 40. num. 25. & ad hoc cap. 6. sess. 24. num. 52. vbi refert plusquam quinquaginta Doctores; addo Laurentium Brancatum Minor. Conuent. publicum Lectorem in Sapientià, de Pœnit. disp. 11
19. num. 344. Dal Bene Dubit. 55. num. 16.

Contraria opinio quamplurium relatorum à prædictis præsertim Barbosa asserit posse adhuc Episcopos absoluere ab hac Excommunicatione & cæteris eiusdem Bullæ, quia non est derogatum Indultum hoc à Tridentino concessum Episcopis. Probant primò, quia iurium correctio vitanda est, quantùm fieri potest, cap. Cum expediat 29. de elect. in 6. l. Pracipimus 32. C. de appellat. Sed supradicta clausula reuocatoria expressa in Bulla stare potest sine derogatione Tridentini, ergo dicta clausula non derogat facultati à Tridentino concessæ Episcopis. Minor probatur, quia Episcopus non absoluit virtute Priuilegij, sed prætextu auctoritatis à Domino sibi datæ. Secundò, Bulla reuocat Priuilegia absoluendi in Foro externo, non autem in Foro Conscientiæ, de quo Concilium tantùm loquitur. Tertiò, Lex generalis præcipue correctoria, licet sit posterior ex speciali antecedenti est limitanda, ergo lex Bullæ generalis limitanda est per specialem Tridentini. Quartò, Priuilegium Cruciatæ manet illæsum, ergo & Tridentini. Quintò non est euidens Bullam reuocare prædictam facultatem, ergo Episcopus non debet se reputare spoliatum, nisi sibi clarè constet de Reuocatione illum spoliante. Referuntur à Castropal. cit. num. 21. respondente illis sub num. 22.

Ad primum dico, verum quidem esse Iurium correctionem esse vitandam, neq; enim credendum est, quòd Romanus Pontifex, qui iura tuetur, id quod aliàs excogitatum multis vigilijs, & laboribus velit vno verbo Subuertere, vt dicitur in fine cap. Ecclesia vestra 57. de elect. Id tamen procedit, quando correctio est dubia, & vnum ius cum alio conciliari potest, in his enim vitanda est Correctio, quia de ea non constat, l. Si quando C. de inoff. testam. M. Anton lib. 1. resol. 18. num. 12. Bulla autem clarè loquitur, 13
& directè aduersatur Tridentino, de quo fit in ipsa mentio ibi: Cuiusuis Concilij decreta, illud enim pronomen Cuiusuis est generale nullum excludens Concilium, Barbosa dict. 325. & in casu nostro propriè reuocatur Tridentinum, cum nullum aliud Concilium præter ipsum indulserit Episcopis absolutionem ab Hæresi, & alijs Bullæ Censuris. Ad minorem dico, Episcopum potestate Ordinis absoluere auctoritate Domini, potestate ve-
qua

rò Iurisdictionis sibi traditâ à Concilijs, sine qua illa non habet executionem.

14 Ad secundum dico, illud argumentum niti falsa opinione, quam his verbis: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere Absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est anno 1629. 18. Iunij in Consistorio Sacra Congregationis Emin. Cardin. visa, & tolerata est.* Expressam damnauit Alexander VII. anno 1665. die 24. Septembris cum multis alijs. Bulla reuera prohibet expressè Absolutionem etiam pro Foro Conscientiæ, vt apertè colligitur, non solùm, ex illis verbis: *Nisi in mortis articulo constitutus,* quæ referuntur etiam ad Forum Conscientiæ; sed etiam ex alijs sub Vers. Cæterum ibi: *Cæteriq curam animarum exercentes, ac Presbiteri sæculares, & quorumuis Ordinum Regulares ad audiendas confessiones peccatorum, quauis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum pœnes se habeant, easq; diligenter legere, & percipere studeant.* Non alia ratione, nisi eas edocti, non audeant absoluere ab eis.

15 Ad tertium, quod deducitur ex *l. Sed & posteriores 28. ff. de leg. & ex Reg. 34. in 6.* Generi per speciem derogatur, respondetur, Legem generalem non reuocare specialem, quando illi expressè non aduersatur, vt docent omnes *cum Nauar. in cap. Placuit, de Pænit. dist. 6. num. 148. Sanchez lib. 2. disp. 24. num 6. cum alijs Barbosa ad Auth. offeratur C. de litis contest. num. 4. Rodriq. tom. 1. q. 59. art. 2. Vers. Restat.* Constat autem ex dictis, Bullam expressè, & directè aduersari Tridentino, ergo reuocata fuit facultas ab eo concessa Episcopis per generalem Legem Bullæ.

16 Ad quartum dico falsum, Cruciatam quo ad hoc non esse sublatam, vt multis citatis docet *de Lugo disp. 23. num. 101. Castropal. disp. 4. p. 3. §. 4. num. 1. & 2.* Et expressè colligitur ex ipsa Bullâ. *Nec non laicis etiam Imperiali, Regali, &c.* ergo & Regi Hispaniæ sublata, cui, vt audio, annuit, cum sit acerrimus propugnator Fidei Catolicæ, quam semper in suis Regnis inuiolatam seruauit.

17 Ad quintum dico, constare de Reuocatione ex verbis Bullæ, & ex declaratione S. Congreg. relatâ à supradictis, ac proinde Episcopus debet se reputare spoliatum.

18 Vrget argumentum Hurtadi allatum à de Lugo disp. 23. num. 47. quod summo sic: Ante Concilium Bulla Cænæ singulis annis promulgabatur, sicut nunc cum eisdem clausulis, ergo ea clausula addita non fuit ad derogandum Concilium quo ad illud cap. 6. sess. 24. aliter Pius V. illusisset Episcopis, reuocando eodem anno Indultum hoc, quod ab eis conditum fuerat confirmatum, quod non est præsumendum, cum tunc nulla posset esse causa reuocandi illud in tam breui tempore, quod intercessit inter confirmationem, & Reuocationem. Confirmo ergo breue tempus, nam confirmatum fuit Concilium anno 1564. cæptum obseruari Romæ in fine Ianuarij; extra verò initio Maij; Bulla autem Cænæ eodem anno promulgata fuit 30. Martij Cæna Domini, quia eo anno Pascha accidit die 2. Aprilis, intermedium ergo tempus nec bimestre completum fuit, quo viguit Indultum Tridentini ab Hæresi absoluendi, immo reuocatum fuit, antequam in vsum poneretur, & sic extinctum ante vsuram lucis, quod videtur absurdum.

℞. De Lugo num. 48. Argumentum non esse contemnendum, tamen quia supponit vnum falsum, nimirum Bullam semper habuisse easdem clausulas contrarias Concilijs ante, & post promulgationem Tridentini, ideo ruit totum Argumentum, nam ante Gregorium XIII. nullus præter ipsum apposuit in Bullâ Cænæ illam clausulam *Cuiusuis Concilij decreta* derogatoriam quam postmodum sequentes Papæ secuti sunt. Idem de Lugo num. 49. respondet alteri argumento Hurtadi probantis adhuc vigere Indultum Tridentini quod a Pio V. communicatum fuit Prælatis Regularibus, ne eorum subditi viderentur deterioris conditionis Subditis Episcoporum. Respondet, inquam, communicasse illud Indultum in eo, in quo non erat reuocatum, nempe quò ad casus extra Bullam Cænæ Domini; nam addo ego ipsemet Pius V. in suâ Bullâ incip. *In Principis* 94. iam reuocauerat omnia priuilegia quibuscunq. concessa, & concedenda etiam Episcopis. 19

Bulla citata Pij V. incip. *Romani Pontificis* 132. in B. N. apud Rodriq. Bulla 13. apud confect. Bulla 10. habet hanc clausulam. *Non obstantibus præmissis, & quibusuis Apostolicis ac vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis.* Ergo derogauit Tridentino, cum sit Vniuersale concilium. Id concedi potest pro eo anno 1571. die 21. Iulij, quo illud priuilegium exiuit, mortificatum postea per Renouationem Bullæ Cænæ factam sequenti anno. 20

Vide ipsum de Lugo, qui locis citatis diligenter explicat cap. Liceat 8. sess. 24. Tridentini, quomodo Episcopus possit tali facultate vti, quod ego omitto, quia non est huius loci. 21

Quæritur 4. An Vicarius Generalis Episcopi possit absoluere ab Hæresi saltem iudicialiter, vt facit Inquisitor, esto non possit id facere in Foro Conscientiæ illi interdictum expressè in Tridentino ibi: *Non eorum Vicarijs sit permissum?*

℞. Affirmatiuè, non ex vi vicariatus, sed vt coniudex est simul cum Inquisitore, tunc enim sicut ambo ferunt Sententiam condemna- 22

demnatoriam, ita & absoluere, Inquisitore cedente à censura. Confirmatur, quia Episcopus vti Iudex ordinarius in causis Fidei potest illi subdelegare causas Fidei, quas censetur delegasse etiam per clausulam generalem huic similem *Et omnia alia, quæ nos possumus, etiamsi mandatum speciale exigerent.* Ita docent *Locatus V. Episcopus num. 6.* Repertorium *Inquis.* V. *cognoscere*, *vers. Sed an Vicarius*, *Gondisal. de haret. q. 7. num.* 14. *Castropal tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 12 §. 1. *num.* 8. *Decian lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. *cum eis* Farinac. *q.* 186. *num.* 13. *cum illis Barb. Allegat.* 54. *num.* 85. *& Dal Bene Dubit.* 195. *sect.* 19. Ergo à fortiori delegare absolutionem, cum exequatur minori indagine.

Quæritur 5. An Capitulum sede vacante succedat in hoc Ius inquisitorium, per suum Vicarium exequendum, vt poterat Episcopus, & sic absoluere judicialiter, vel extraiudicialiter?

23 ℞. Succedere, & exequi suum munus per Vicarium Capitularem Iure Ordinario contra Subditos, & delegato contra exemptos, quod expressè colligitur *ex cap. Ad abolendam* 9 *de haret. ibi Barb. num.* 22. *& ex Clem.* 1. *eod.* Ita docent communiter omnes, quos refert *Farinac. q.* 186 *num.* 177. qui tamen sub num. 182. cum multis negat Capitulum posse procedere contra exemptos, quia non succedit Episcopo nisi in Iurisdictione ordinariâ non verò in delegatâ, qualis est Episcopi in causis Fidei contra exemptos, & sequitur *Dal Bene dubit.* 195. *sect.* 18. *num.* 12. *Diana part* 4. *tract.* 8. *resol.* 33. *Castropal. cit. num.* 6.

24 Oppositum tamen puto verius *cum Monacho*, *Socino & Zabarella citatis à Farinac. Quaranta V. Capitulum, Vers. Et primò, Barb. de Canon cap.* 42. *num.* 68. apud dictum Dianam *part.* 8 *tract.* 4. *resol.* 37. *Carena part.* 1. *tit.* 6. *num.* 10. ait Cremonæ id seruari. Et id probatur, quia in Clem. 1. de Hæret. ex æquo comparantur Episcopus, & Capitulum sede vacante in modo procedendi in causis Fidei cum Inquisitoribus, vel sine istis, sed Episcopus procedit contra exemptos, ergo & Capitulum. Deinde, quandoq; Sedes vacat per vnum, vel alterum, & vltra annum, ne ergo retardetur causa Fidei contra exemptos in eius graue præiudicium, necessitas exigit, vt Capitulum procedat cum Inquisitore etiam contra exemptos. Neq; de hoc amplius dubitandum est, cum Paulus V. in sua incip. *Romanus* 26. reuocauerit Superioribus quorumcunq; Ordinum licentias cognoscendi causas hæreticales suorũ Subditorum subjiciendos illos Ordinarijs locorum, & Inquisitoribus, & Vrbanus VIII. in sua incip. *Cum sicut accepimus* 8. in Append. declarauit, quòd Constitutiones Apostolicæ Sedis in concernentibus Fidem Catolicam, & Officium S. Inquisitionis hactenus editæ, & in posterùm, comprehendant Regulares quoscunq;

Quare contraria Opinio euanuit olim fundata in Cap. *Ad abolendum*, illis verbis: *Si qui verò fuerit, qui à Lege Diœcesana Iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in his, quæ sunt contra Hæreticos instituta Episcoporum subeant Iudicium, & eis in hac parte tamquam à sede Apostolica delegatis, non obstantibus Libertatis suæ priuilegijs, obsequantur.* Quamquam hoc fundamentum bene intellectum magis facit pro nostra Opinione, nam Delegatio spectari potest dupliciter, vel vt ab homine procedit in casibus occurrentibus singulariter; vel à lege proueniens perpetuò collata Dignitati, & Officio, hæc enim comparatur, & æquiualet Ordinariæ, cum à lege originem habeat, ac proinde succedit Capitulum, vt citatis Doctoribus confirmat in casu nostro *Quaranta cit. sub initium. Vers. Et primò.* Et id deducitur *ex cap. Quoniam* 14. *de offic. deleg.* Vbi delegatio facta Dignitati non expresso nomine proprio transit ad Successorem, & ibidem Barb. num. 2. quamplures in hanc sententiam citat; si ergo id valet in delegatione ab homine, à fortiori in delegatione factà à lege, vt in casu nostro constat *ex cit. cap. Ad abolendam*, vbi clarè constat Episcopum procedere contra exemptos, ergo & Capitulum, quod ei dicitur succedere post mortem. 25 26 27

Inferendum ergo est ex his, posse Capitulum absoluere iudicialiter Hæreticum pœnitentem condemnatum eo modo, quo facit Inquisitor, cum enim sit Coniudex cum ipso, nihil prohibet, quin possit terminare Processum, cum vltimus actus eius sit absolutio à censuris. In Foro autem conscientiæ nequaquam potest, si enim Episcopus nequit, multò minus Capitulum nec per se, nec per suum Vicarium, vt docent ferè omnes cum de Lugo disp. 23. num. 55. 28 29

Quæritur 6. An Superiores regulares ad minus Generales absoluere ab Excommunicatione contracta ob Hæresim, vel ob alia delicta in Bulla Cœnæ Domini expressa? Et quid de Confessarijs eorum respectu secularium?

℞. Est negatiua tam pro Foro externo, quam pro Foro Conscientiæ, clara enim est Reuocatoria ipsius Bullæ, cuius verba retuli sub quæst. 1. Sub vers. Dices, derogatoria omnium Priuilegiorum concessorum, & concedendorum Ordinibus, vel eorum Religiosis ad instantiam cuiuscunque. Et ne quis deinceps occasionem habeat speculandi, & subterfugiendi, Vrbanus VIII. edidit Decretum Romæ 17. Nouembris 1628. per quod censuit, per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica 31 post sacrosanctum Concilium Tridentinum obtin- 30

obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia prius ab eodem concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata atq; extincta, si quæ habebant absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec Indulta absoluendi à casibus contentis in Bullâ, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, ac robur aquisiuisse ex sequentibus Priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis &c. nec intrà, nec extrà Italiam in vim Priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reseruatis. Extenditur à Passerino Dominicano *tom. 2. de statibus q. 187. art. 1. sub num. 376.* ab eo intellectum in ordine ad absolutionem secularium, cum nihil dicat respectu subditorum regularium.

32 Concludendum igitur est, non solùm Seculares pænitentes, sed nec Religiosos absolui posse à suis Superioribus à casibus in Bulla Cœnæ expressis, vt patet ex ipsa Bullà & præfato decreto, vt clarè ex illis deducitur respectu quoruncunq; Pœnitentium, licet de illis nulla fiat mentio, sed tantùm de Confessarijs, quibus cum sit sublata facultas absoluendi, sequitur necessariò, quòd neminem possint absoluere, ex quo simpliciter carent potestate non solùm pro Foro externo sed etiam pro Foro Conscientiæ, siue ex Priuilegio, siue alio titulo illis collata ex illis Bullæ verbis. *Etiam pretextu quarumuis Facultatum, & Indultorum*. Nota enim illud

33 verbum *Etiam*, quòd exprimit casum magis dubitabilem, & includit minus dubitabilem, *ex adductis à Barb. hac dict. 112. num. 1.* ac proinde excludit omnem, & quamlibet exceptionem præter Mortis Articulum; quod magis confirmatur ex illa dictione *Quarumuis*, quæ habet vim amplificandi etiam vltra naturam rei, cui adijcitur, & semper auget vim verborum, & aliquid amplius operatur, vt ex *l. 1. cum Glos. fin. & l. Quicunq. l. de seruis fugit.* docet Alterius *de censur. tom. 1. disp. 15. lib. 5. cap. 1. lit. B. apud Rotam part. 7. decis. 193. num. 2.* & comprehendit omnia cuiuscunq; conditionis sint, *Seraph. dec. 1022. num. 1.* Demum Sublatum est illud Pij V. Priuilegium, quo Superioribus regularibus concedebat facultatem absoluendi suos Subditos, quam Tridentinum cap 6. sess. 24. indulserat Episcopis absoluendi suos Subditos à reseruatis Papæ etiam ab Hæresi, de qua tetigi aliquid supra hic sub num, 18. nam Bulla Gregoriana derogatur omnibus Priuilegijs Regularibus concessis obstantibus Bullæ Cœnæ, *Suarez, & Portellus citati à Diana part. 1. tract. 5. resol. 6. Vers. sed dices*, qui tandem in fine sentit non posse ex supradicto decreto Vrbani VIII.

Non possunt ergo Superiores regulares suos Religiosos absoluere ab Hæresi, neq; in foro externo, quia non amplius sunt corũ Iudices, neq; in Foro Conscientiæ, vt probatum est. Et ita docet *Megal. cons. 21. n. 6. Nouarius in Lucerna Regul. Brancatus de Pænit. disp. 19. art. 11. num. 355. & 361. Dal Bene Dub 58. n. 13 Lezana tom. 3. V. Bullà Cœna num. 54. Diana loco citato, & resol. 72. part. 3. tract. 2. de dubijs regular. Ego resol. 3. num. 4. vers. Hanc opinionem*, & resol. 6. à q. 29. vsq. ad finem reieci opinionem Recentiorum respondens eorum argumentis, quibus probabant licere Confessarijs regularibus absoluere à reseruatis Papæ, & Episcopis in casibus occultis in Foro Conscientiæ, prout videri potest in impress. Lugdun. nam in Venetà rem exactè non tractaui contra Neotericos. 34

Prò ibi dictorum confirmatione quò ad casus occultos refero censuram Alexandri VII. qui hanc propositionem damnauit; *Prælati regulares possunt in Foro Conscientiæ absoluere quoscunq. seculares ab Hæresi occultà, & ab Excommunicatione propter eam incursà* Item & sequentem damnauit: *Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtentà ad id. Episcoporum facultate*. Quare vlteriùs dubitandum non est, & multò minus tenendæ sunt hæ Opiniones potius errores, quam opinationes. 35

Contrarium, quòd Superiores regulares suos Religiosos possint absoluere ab Excommunicatione contracta ex Hæresi, docent Bruno Chassaing ordinis Minorum in suo inscr. *Priuilegia Regularium*, prohibito tamen 4. Iunij 1661. *tract. 3. cap. 3. propos. 3. vbi pro se citat Suar. de Relig. lib. 2. cap. 21. Compend. Rodriq. resol. 3. num. 3. Peyrin. ad constit. 4. Sixti IV. §. 5. num 6. Vega tom. 1. cap. 49. num. 1. Sanchez lib. 6. cap. 17.* qui tamen num. 41. non loquitur in terminis nostris, immo lib. 2. cap. 11. extremis verbis, dum dicit hanc facultatem à Tridentino concessam Episcopis esse reuocatam, videtur insinuare eandem etiam Prælatis regularibus esse sublatam. Virginius Aluiset Ordinis S. Benedicti *de Priuileg. Regul. Sect. 4. dub. 7. num. 61.* Iacinthus Donatus Laynensis Ordinis S. Dominici *de rebus Regular. part. 3. tract. 11. q. 17.* Castropal. *tract. 4. de Hæresi p. 1. §. 3.* Pellizarius, cuius opus est prohibitum 18. Iulij 1651. *in suo Manuali tract. 8. cap. 2. num. 33.* & alij apud ipsos. 36

Probant alij Oraculis viuæ vocis, alij Priuilegijs concessis Ordinibus. Quorum huius generis probatio est inutilis, tam quò ad Oracula, cum iam omnia sint sublata ex Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. Et certè illud Alexandri VI, 37

nec vnquam exhibitum fuit Authenticum, vt videri potest *apud Compend. Minorum* V. *Absolutio ordinaria quò ad Fratres num.* 18.& ibi collector dicit esse reuocatum per Bullam Cœnæ, & hoc est verum, dum enim Bulla reuocat omnia Priuilegia, tollit etiam Oracula, quæ & ipsa sunt Priuilegia. Quam quò ad Priuilegia bullata, dum Bulla reuocat omnia ibi. *Quarumuis facultatum, & indultorum*, quæ verba superiùs explicaui sub num. 32.

38 Nihilominus inquiunt, Pius V. Cassinensibus indulsit, vt possent suos Religiosos absoluere etiam à casibus Bullæ, vt legitur in eius Bullâ 129. incip. *Dum ad Congregationem* in B. N. Sixtus V. in sua incip. *Æquum* 4. concessit Clericis regularibus de Somatchà, professuris, vt possent absolui etiam à casibus in Bulla Cœnæ Domini expressis.

39 Communis est responsio, quòd huiusmodi Priuilegia licet bullata, sint omninò reuocata, vt declarauit Vrbanus VIII. cuius verba superiùs retuli sub num. 30.

40 Nec alicuius momenti est illa responsio, quam ex Rodriq; & Suarez dat Peyrinus n. 14. ad Bullam Sixti IV. quartam, ad illa verba Bullæ Cœnę. *Nullus pratextu quarumlibet Facultatum etiam Mendicantibus concessarum absoluere audeat*. Illa Responsio, inquam, qua reuocantur Priuilegia generalia absoluendi à casibus Papalibus, vt nimirū illa non sufficiant ad absoluendum à casibus Cęnę non autem reuocantur Priuilegia expresse dictorum casuum Absolutionem concedentia, & patet ex Bulla Cœnę Sixti V. & Clem. VIII. in quibus habetur illa clausula: *Nisi in eis* scilicet Priuilegijs, *etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur*. Hanc tamen clausulam non inueni in Bulla Clementis VIII. extensa per Sayrum, quòd etiam refert compend. Rodriq. resol. 3. num. 3. vers. Addit.

41 Nullius inquam est momenti, quia reuocatio, de quâ in Bullâ Cœnæ Domini tollit absolutè, & simpliciter quæcunq; Priuilegia, quę sibi obstare possunt, aliter frustratoria esset & ideo dicta clausula, si aliàs aderat, sublata fuit, nec, vt dixi, inueni in Bullâ Clementis 8. neq; in Bulla Iulij II. sub num. 25. nec Gregorij xiij. sub num. 81. Addo vlteriùs, quòd in concessione absoluendi à casibus in Cœna Domini, non venit absolutio ab Hæresi, vt dicam infra num. 63.

42 Peyrinus loco citato sub num. 15. allegat Bullam Iulij ij. quam posteà extendit infra Bulla 14. incip. *Exponi nobis fecisti*, in qua expresse sic statuitur; *Decernimus, quòd illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint perpetuis futuris temporibus absoluere, & dispensare ab omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla in Cœna Domini non esset facta, nec fieret*. Ergo cum Bulla Cœnæ non aduersetur priuilegijs Regularium ex mente huius Pontificis; vlteriùs possunt absoluere ab omnibus casibus Bullæ; vnde illa clausula non reuocat Priuilegia omnia Regularium, sed tantùm illa, quæ concessa fuerunt singularibus Religiosis, non autem eorum Superioribus, de quibus ne verbum quidem recensetur in Bulla Cœnæ. Vrget magis hæc ratio, quàm constitutio Iulij.

Si Peyrinus, & alij legissent Bullam Sixti IV. incip. *Regimini*, quæ citatur in præfata Iulij II. inuenissent, ipsum Sixtum excepisse absolutionem ab Hæresi, vt patet ex Bullæ verbis sequentibus: *Qui sint destinandi &c.* ad Sedem Apostolicam, *persæpe reuocetur in dubium &c. declaramus Hæreticos, relapsos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos*. Constitutio ergo Iulij non comprehendit Hæreticos, aliter non declarat mentem Sixti IV. sed potius illam destruit. Ad rationem dico, sub illis verbis: *Quibuscunq; Personis Ecclesiasticis secularibus, & quorumuis Ordinum regularibus etiam Episcopali, vel aliâ maiori dignitate præditis*. Venire non solùm Confessarios, sed etiam Prælatos, & superiores, vt insinuat non solùm illa vniuersalis; *Quibuscunq; Personis ecclesiasticis*, quæ comprehendit omne genus Personarum, *ex allatis à Barb. hac dict. 317. num. 7.* Verum quoq; ipsa dictio *Etiam*, cuius natura est extendere, & implicare illud, quòd antea non erat expressum, *ex eodem Barb. hac Dict. 112. num. 8.* 43

Quod si quis dicat, textum Bullæ Sixti, non loqui simpliciter de Hæreticis, sed tantùm de Hæreticis relapsis, ac proinde Bulla Cœnæ non tollit Priuilegium absoluendi ab Hæresi Hæreticum nondùm relapsum. Respondeo, adhuc posse intelligi vt supra, quia copulatiua vltimo posita intelligitur intermediare sic *hæreticos, & relapsos, & Schismaticos* expressa, & præcedens illa verba: *Et qui litteras*, genus enim non restringitur per enumerationem specierum, *l. Pediculis 34. §. habeo ff. de auro, & arg. legato*. Nihilominus, quia non intendo litigare super *verbis*, respondeo nostris temporibus, & sub hac centuriâ, & anterius obstare Decretum Vrbani VIII. supra relatum sub num. 30. & in terminis Bullæ eiusdem Pontificis datæ 27. Februarij 1510. constat, eundem Iulium II. illam reuocasse per subsequentem Bullam Cœnæ incip. *Consueuerunt* 44

rum 25. Datam anno sequenti 1511. calendis Martij, vt legi potest sub §. 13. his verbis: *Concessarum à nobis, vel à prædictâ Sede, & quas concedi quomodolibet contigerit in futurum.* Hoc est facultatum absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ. Et ita tenet etiam Lezana super dictâ Bullâ Sixti IV. in Marimagno Ordinis Prædicatorum num. 122.

45 Idem Peyrinus ad citatam Sixti IV. Bullam 4. sub num. 11. probat ex Rodriq. & Suarez, quia sicut in concessione generali casuum ad Papam spectantium non veniunt casus Bullæ Cœnæ, sed requiritur, quòd in specie concedantur; ita in Reuocatione generali Priuilegiorum absoluendi à casibus Papæ reseruatis, non comprehenduntur ea, quæ expresse absolutionem casuum dictæ Bullæ concedunt; sed requiritur, quòd de eis fiat expressa mentio hoc pacto, videlicet: Per nullum Priuilegium possint absolui à casibus Bullæ Cœnæ, etiamsi in ijs auctoritas ad eorum absolutionem concedatur, quod hucusq; factum non est. Adducit in probationem huius Regulam Iuris vtriusq; Per easdem causas soluitur res, per quas nascitur.

46 Hoc argumentum aliud non meretur responsum, nisi quòd ad illius Auctores non spectat legem imponere Papæ, qui quibuslibet verbis reuocare potest præcedentes constitutiones, & Priuilegia à se, vel suis prædecessoribus concessa, ad derogationem enim prioris Constitutionis vt dicitur *cap. 1. de constit. in 6.* sufficit condere posteriorem contrariam illi, licet de priori non faciat mentionem, scit enim se reuocare contrarias quas omnes habet in Scrinio pectoris sui, vt ibidem dicitur. Quare dum condit Bullam Cœnæ Domini reseruando sibi Absolutionem casuum in eâ expressorum, ipso Iure reuocat quascunq; concessiones non solùm à suis Prædecessoribus, sed etiam à se ipso factas absoluendi ab huiusmodi casibus. Nihilominus ad maiorem cautelam expressè etiam huiusmodi Priuilegia reuocat, vt patet in illa, & verbis huiusmodi, *Per nos & dictam sedem, verbo, litteris, aut aliâ quacunq; scriptura in genere, & in specie concessorum & innouatorum, ac concedendorum; & innouandorum* Satis declaratur Reuocatio Priuilegiorum etiam in futurum concedendorum absoluendi à casibus Bullæ; quid plura; in Derogatoriâ enim huiusmodi tam amplâ apparet illa clausula à Peyrino relata. Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; in casu enim nostro Priuilegia conceduntur à Papa; ab eodem quoq; tolluntur, cum opus est, vel sibi placet.

47 Sub num. 12. idem probat, quia Priuilegium Absolutionis nulli præiudicat, & maximè fauorabile est, vnde largè interpretandum; conducit enim ad disciplinam regularem, & nullo autentico Testimonio constat ea esse reuocata; cum ergo Mendicantes sint in possessione &c.

48 Mendax argumentum; siquidem nocet auctoritati Papæ, dum intendit illius Reuocationi, si dicamus non esse reuocatum; falsum quoq; est, non constare de aliquo testimonio, nam ipse Peyrinus viuebat de anno 1628. quo emanauit Decretum Vrbani VIII. de Reuocatione Priuilegiorum Regularium absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ Domini.

49 Nec quicquam prodest, quòd Regularibus conceduntur Priuilegia absolutionis ad tollendas vagationes eorum. Quia esto conscij, & Rei criminis Hæresis, vel alterius Bullæ casus, non ideo recurrentes ad Sedem Apostolicam cum debitis licentijs dicuntur vagari.

50 Virginius Aluiset sect. 4. dub. 7. num. 62. probat, quia Bulla non reuocat Priuilegium Cruciatæ, ergo à fortiori, nec Priuilegia Regularium.

Neganda est consequentia, & quia est dispar ratio, tum quia conceditur Hispanis, non Regularibus, qui sunt dispersi per vniuersum Orbem, tum quia habentes Cruciatam aliquid soluunt pro expensis contra Infideles, quod non faciunt Regulares. Et quia Cruciata non concedit Absolutionem ab Hæresi, vt exprimitur clarè in ipsa Bullâ Cruciatæ, & docent *Castropal. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 4. num. 2. Diana part. 1. tract. 5. resol. 7. & part. eadem tract. 11. resol. 29. de Lugo disp. 23. num. 101.*

51 Subdit in eodem argumento, per Bullam non tolli Cruciatam, quia hæc fundatur in quodam contractu inter Papam, & recipientem Cruciatam, quo Ius aquiritur ad illam, vt non possit derogari; vnde nec reuocari Priuilegia Regularium per Bullam Cœnæ, quæ tanto pretio, & non per simplicem, sed etiam iuratum contractum aquiruntur.

52 Iam patet diuersitas Cruciatæ à Priuilegijs Regularium, ideo ab ea ad hæc non infertur in causa Reuocationis. Præterea Regulares Priuilegia obtinuerunt non ex pretio loquendo de Mendicantibus, sed ex bene meritis; ex contractu verò Ordines, non Mendicantium: nihilominus patet in Bulla Cœnæ reuocari Priuilegia etiam ex contractu concessa. Demùm falsum est, huiusmodi contractus esse iuratos, cum nullibi exprimatur hoc iuramentum, quod debebat Aduersarius notare, & probare.

53 Sub num. 63. ad 67. conatur infringere Bullam Gregorij XIII. incip. *In tantâ rerum*, quam dicit non fuisse publicatam, immo reuocatam per aliam suam incip. *Ex benignâ*, & aliam adducit sine capite.

54 Quibus respondeo, eam Bullam *In tantâ rerum* 9. in B. N. fuisse publicatam, & affixam, vt ibi exprimitur; Bulla enim hoc ipso, quod est registrata in Bullario, censetur publicata;

blicata, *Tamb. tom. 3. dec. 111. fine*. Nec Reuocatio facta per subsequentem Bullam *Ex benignâ* extensam à Confectio Bulla 7. in nullo præiudicat, quia nihil disponit nec pro, nec contra Bullam Cœnæ, quam nec nominat, sed tantùm confirmat Priuilegia concessa Minoribus de obseruantiâ non contraria Decretis Tridentini. Tertiam adducit quæ minus facit ad rem. Sed ad quid hæc, cum multo tempore post, scilicet de anno 1583. Gregorius ediderit Bullam Cœnæ Domini incip. *Consueuerunt* 81. per quam derogat omnibus Priuilegijs.

55 Sub num. 67. tangit Reuocationes Oraculorum factas ab Vrbano VIII. hæc verò fuisse per alias Constitutiones concessa, aut per posthumas confirmationes transisse in naturam Constitutionum, & ideo frustraneam remanere eorum reuocationem, vti tenent *Peyrin. in const.* 18. *eiusdem Vrbani Arbe Vitalis de Iurisd. Inquisit.* 4. *Garzia, & Samuelius, cum Ausonio* V. *Priuilegium num.* 15. Addit Vrbanum VIII. non seruasse formam præscriptam, & necessariam, secundum opinionem probabilem, ad abroganda Priuilegia Regularium. Addit secundò, quòd Constitutiones, per quas idem Vrbanus derogat Priuilegijs Regularium, non sunt propriè ipsius pro maiori parte, sed Cardinalium, de quorum efficaciâ agit sequenti dubio, dicendo non obligare, etiamsi habitum sit verbum cum Papâ sub num 6. & seq. vnde præcedenti num. 73. dixerat, declarationes Cardinalium non obligare.

56 Respondeo per prætcritas Constitutiones, aut subsequentes Oracula non transisse in Constitutiones, neque vt talia fuisse confirmata, seu vt melius loquar non reuixisse. Non transisse in naturam Constitutionis probaui Resol. 31. num. 5. & alibi, nam Vis confirmatiua non mutat naturam eius, quod confirmat; siue ei det esse, quia alias erat reuocatum; siue adijciat ei iam existenti robur, sed tale illud relinquit, quale erat ante in suâ naturâ, *Rota part. 7. dec. 209. num. 1. & 3. part. 8. dec. 210. num. 6. Merlin. dec. 901. num. 2.* Quibus satisfit Auctoribus ab eo citatis.

57 Ad quod primò addit, Vrbanum non seruasse formam in Reuocatione priuilegiorum, seu Oraculorum. Respondeo gratis id asserere, neque enim assignat formam, quam Papa debebat seruare; neque licuit id Virginio, quia Discipulus non docet Magistrum, nec subditus præscribit Legislatori formam ad Leges ferendas.

58 Ad secundum quod addit dico, Decretum, quo fuit declaratum 17. Nouembris 1628. non reuixisse Priuilegia Regularium absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ Domini, esse Pontificium; licet propositum à Sacrâ Congregatione, quia de eius mandato speciali editum fuit, & ab eo approbatum, mandatumque obseruari, his verbis: *Quam Sacra Congregationis Sententiam*, non dicit opinionem, *Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque obseruari*. Nefas ergo est cauillari hanc Sententiam, cum sit Lex papalis, & obligatoria. Alia plura dicit, quæ omitto, digna collimatione, & censurâ.

Et ex his patet Responsio ad ea, quæ adducit Hiacinthus Donatus part. 1. tract. 13. q. 17. Vbi num. 21. miror, ipsum asserere, viuæ vocis Oracula plus hodie, quàm antea vigere; prout, inquit, quòd Vrbanus VIII. in sua incip. *Alias*, declarauit, Constitutiones reuocatorias Oraculorum non comprehendere illos Officiales Sanctitatis suę, quibus ratione munerum suorum, antea de Summi Pontificis Oraculo Fides haberi solebat. Inter quos numerat Protectores Ordinum cum Peyrino. 59

Miror inquam, cum Vrbanus in suâ reuocet Oracula etiam à Cardinalibus obtenta, vt clarè patet sub initium, non ergo possunt venire sub nomine Officialium Papæ, cum non sint famuli, sed Fratres, aliter Papa in eâ Bullâ sibi contradiceret. *De his dixi consil. Manuscr.* 37. *num.* 28. *Consil.* 93. 94. & 119. Idem part. 3. tract. 11. q. 17. asserit, Prælatos Regulares absoluere suos Subditos à casib. Bullæ Cœnæ, quod tamen non probat, referendo Decreta S.Congr. sub Clem. VIII. quæ dicit reuocare Priuilegia in ordine ad seculares, non in ordine ad Regulares; sed id non facit ad rem, cum debuisset proferre aliquod Decretum derogatiuum alterius Vrbani VIII. ab eo extensi sub num. 6. contra ipsos Regulares, & nullum adducit, sed solùm in fine quæstionis num. 11. dicit ly. *Priuilegia Regularium semel sublata, & extincta per subsequentes Confirmationes nequaquam reuiuiscere*, procedere de Confirmatione facta in formâ communi, secus autem si fieret ex certâ scientiâ. Sed adhuc nullum assignauit Priuilegium ipse, nec assignari potest destructiuum, quò ad hoc Bullæ Cœnæ, quod tamen facere debuisset pro probatione suæ Conclusionis. Et quæst. seq. 18. asserit, posse absoluere in Foro animæ suos Subditos ab Hæresi etiam relapsos, ex Priuilegio Societati concesso à Gregorio XIII. anno 1588. die 18. Martij; tamen Castropalaus dicit esse Oraculm viuæ vocis, quod nunc est reuocatum, vt constat ex dictis & *Pellizar. tract. 8. cap. 2. num. 39.* Sibi objicit, Vrbanum VIII. in dicta Declaratione excepisse Hæresim. Et respondet, cęteros Romanos Pontifices non limitasse, nec per alios concessa quo ad Forum conscientiæ reuocata. Sed errat in his, dum nullum refert Papam post Vrbanum fautorem Regularium contra Bullam Cœnæ, quæ omninò remanet inconcussa ab omni reuocatione

60 (beside "venire sub nomine")
61 (beside "bat, referendo Decreta")

catione. Et de his satis.

62 De ipsis Confessarijs regularibus respectu Pœnitentium secularium, quòd non possint absoluere illos à casibus Bullæ Cœnæ, & à quinque alijs casibus extra Bullam; & à casibus, quos Episcopi sibi reseruant, satis dixi Resol. 6. à num. 44. & in subsequentibus respondi argumentis quorundam, qui in hoc tuentur Priuilegia Confessariorum regularium.

Quæritur 7. An in Concessione casuum reseruatorum Papæ veniant casus Bullæ Cœnæ, & in Concessione horum veniat casus Hæresis?

63 ℞. Non venire casus Bullæ Cœnæ, nisi exprimantur, nec in concessione casuum Bullę venire Hæresim. Probatur tum ex illa communi regulâ, quòd sub generali concessione non veniunt ea quæ Princeps non esset verisimiliter in specie concessurus, *cap.* 3. *de offic. Vicarij in 6. cap. 2. de Pœnit. in 6. & Reg.* 81. *in 6.* Absolutio autem ab Hæresi non solet concedi in Iubileis, immo ferè semper excipitur, vt videri potest in Iubileis Vrbani VIII. 1629. 1636. 1638. 1639. 1641. Innocentij X. anno 1644. & 1648. Alexander VII. 1656. 1664. tacuit tamen hanc exceptionem in anno 1663. & Paulus V. pro anno 1605. & 1617. concedendo Absolutionem a casibus Bullæ Cœnę non excepit Hæresim, nec Gregorius XV. pro anno 1620. ergo eam incluserunt in concessione. Huiusmodi ergo exceptio Hęresis expressa videtur inducta ab Vrbano VIII. ac proinde si quandoque taceatur, videtur exclusa illius absolutio, & hoc rationabiliter, quia est crimen inter alia maximi nocumenti, quo tota Fides Catololica in grauissimum discrimen cadere potest, ideo non expedit omnes Confessarios indifferenter super ea Iudicium etiam in Foro Conscientię ferre. Adde, quòd Iubileum comparandum non est in causâ Absolutionis cum Anno Sancto, in quo nulla est reseruatio. Et ita docet *Sanchez lib.* 2.

64 *cap.* 12. *num.* 10. *Barb. Allegat.* 40. *num.* 31. *Royas de Haret. part.* 2. *num.* 321. *cum alijs Castropal. tract.* 4. *disp.* 4. *p.* 3. *§.* 4. *num.* 2. *de Lugo disp.* 23. *de Fide num.* 103. videtur à prædictis variare, dum pendet ab exceptione expressâ, vel tacitâ, vt in hac liceat absoluere.

65 Contrarium, quod concessâ absolutione ab omnibus casibus Bullę Cœnę veniat etiã absolutio ab Hęresi, tenent probabiliter *Corduba in summa q.* 8. *Farinac. q.* 192. *num.* 63. *Pegna part.* 3. *com.* 25. *vers. Quod si quis dicat, & vers. Quod si quis quærat, & alij apud Castropal. citatum*, quibus addo Bossium *de Iubileo sect.* 1. *casu* 8. *num.* 3. *& Diana resol.* 1. *de Absolut. ab Hæresi* plures citat pro vtraque opinione, & probabiliorem dicit esse asserentium non posse absoluere ab Hæresi; nec argumentum istorum peruertit fundamentum Regulæ, dum dicunt, in generali Concessione venire etiam specialia, quando sunt necessaria ad finem intentum; 66
nam respondetur, tolli hanc necessitatem accedendo ad Superiorem, est enim voluntarium impedimentum, non necessitatis.

Quæritur 8. An in Concessione absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, exceptâ Hæresi, possint absolui legentes libros de Hęresi tractantes, & alij suspecti ab Excommunicatione hac ibidem fulminatâ sub primo capite; cum enim Excommunicatio ibidem expressa videatur vna, & eadem respectu Hæresis, & legentium Libros, si non potest tolli respectu Hæresis, nec respectu legentium, qui referuntur ad Hæresim.

℞. Posse absolui, quia alia est exceptio Hęresis, alia legentium, de quibus non excipitur in Concessione, ergo absolui possunt, quia in odiosis non fit extensio. Ita *de Lugo disp.* 23. *num.* 105. *ex Sanchez lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. *Diana part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 7. Et ex his patet ad rationem dubitandi, ea enim Censura est vna quò ad causam efficientem, sed respectu subiectorum, & obiectorum multiplex iuxta transgressiones. 67

Notandum denique, quod magna est efficacia Bullæ Cœnæ Domini, tollit enim omnes consuetudines etiam immemorabiles; continet enim Clausulam irritantem, & interrumpit etiam eas cœptas, vt dicitur in Bullâ incip. *Romanus Pontifex* 47. Vrbani VIII. post Apppend. *Megal. cons.* 72. *num.* 4. *Sperellus dec.* 37. *num.* 48. *dec.* 121 *num.* 78. *dec.* 133. *num.* 39. *Barb. in dec. Apostol. dec.* 595. *V. Præscriptio, fine. Gratian. cap.* 52. *num.* 6. *Ciarlin. cap.* 154. *num.* 48. *Fagnagnus Part.* 6. *ad cap. Peruenit, de adulter num.* 44. 68

SECTIO DECIMA

De alijs pœnis Ecclesiasticis Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Recensentur plures Pœnæ contra Hæreticos.*
2 *Infamia Iuris.*
3 *Pœnæ priuatiuæ non incurruntur ante declaratoriam.*
4 *Infamia Facti tollitur per Emendationem.*
5 *Ab Episcopo tollitur secundum aliquos.*
6 *Veriùs est ab eo tolli non posse.*

7 Re-

7 *Regulares suos dispensant.*
8 *Bulla Gregorij XIV.* Illius, qui pro gregis. *pro Clericis ministrantibus Infirmis.*
9 *Ibi apponitur exceptio.*
10 *Dispensatus super Infamiâ Iuris uti potest suo munere non obstante Infamiâ Facti.*
11 *Cur dispensat Superior regularis, non Episcopus.*
12 *Prohibito vno, prohibita sunt alia, per quæ perueniri potest ad illud.*
13 *Irregularis est Hæreticus.*
14 *Si sit mixtus.*
15 *Non verò pure mentalis.*
16 *Fictus Hæreticus non est irregularis.*
17 Cap. Presbiteros 32. dist. 50. *explicatur.*
18 *Hæresis vbique suum producit effectum.*
19 *Priuari non potest Hæreticus potestate Ordinis.*
20 *Baptismus ab Hæretico ritè collatus valet, & hoc est de Fide.*
21 *Eucharistiæ Sacramentum ab eodem validè conficitur.*
22 *Ecclesia est Deo subiecta.*
23 *Declaratus statim perdit potestatem Iurisdictionis.*
24 *Quatenus excommunicatus, & etiam vt Hæreticus.*
25 Ex cap. Audiuimus 4. cap. Didicimus 31. 24. q. 1.
26 *Officijs, Honoribus, & Dignitatibus est priuatus.*
27 *Inhabilis ad ea.*
28 Priuati, *& Inhabiles etiam ad Beneficia.*
29 *Verbum idem diuersificatur secundum adiecta.*
30 *Regulares priuati Officijs omnibus ex speciali decreto.*
31 *Beneficiati sunt priuati titulo Beneficij.*
32 *Fructus Beneficij facit suos vsq; ad Sententiam, quia vsq; ad illam possidet.*
33 *Titulus conditionatus, & Possessio faciunt fructus Hæretici vsq; ad Sententiam.*
34 *Etiam Hæretici in dignitate constituti sunt priuati Beneficijs Episcopalibus.*
35 *Pensione est priuatus.*
36 *Beneficij nomen in materiâ Hæresis latè sumitur.*
37 *Canonis Priuilegium perdit per Degradationem.*
38 Nudationis *verbum refertur ad Degradationem.*
39 *Immunitate Ecclesiæ non gaudet.*
40 *Sacramenta validè conferunt excepto Pænitentiæ Sacramento.*
41 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*
42 *Regulares gratiati possunt admitti à suis Superioribus ad audiendas Confessiones.*
43 *Hæreticus inhabilis ad* Papatum *actiuè, & passiuè.*
44 *Impænitentes carent Sepulturâ.*
45 *Pænitentes supradictis pœnis manent ligati.*
46 *Causa limitata producit effectum limitatum.*
47 *Irregularitas per solam dispensationem tollitur.*

IN hac Sectione agendum est de Infamiâ, 1
Irregularitate, de Priuatione Iurisdictionis ecclesiasticæ, Officiorum, & Beneficiorum ecclesiasticorum, Immunitatis, & Sepulturæ, atque Inhabilitate ad Confessiones audiendas, & ad Papatum. De singulis dicendum in sequentibus quæsitis.

Queritur 1. An Hæreticus sit infamis?

℞. Est infamis Infamia Iuris, *ex cap. Alie* 2
ni 23. 2. q. 7. cap. Infamis 17. 6. q. 1. Eam tamen Hæreticus non incurrit, nisi postquam condemnatus est de crimine Hæresis, loquendo de Infamiâ Iuris; est verò infamis Infamia Facti, quando factum est publicum, & notorium etiam ante Sententiam. Ita docent *Azor. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13 *q.* 7. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 1. *Bursatus lib.* 1. *cons.* 14. *num.* 18. *ad* 23. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *p.* 4. *num.* 4. *Farinac. q.* 189. *num.* 56. *Ego in S. Trib. cap.* 12. *num.* 69. *&* 70. *de Lugo disp.* 23. *num.* 137. qui ait posse dici; non requiri declatoriam criminis,
sed

sed sufficere notorietatem facti ad incurrendam infamiam tam Iuris, quàm Facti. Sed standum est cum prædictis, quia valdè probabilis est sententia docens, etiam in pænis priuatiuis requiri Sententiam Criminis de-
3 claratoriam, vt docent *Sotus lib. 1. de Iust. q. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. q. 6. art. 3. ad finem Molina tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 99. Sanchez lib. 2. cap. 22. num. 19. & 20. & lib. 9. disp. 30. num. 1. Castropal. tom. 1. tract. 3. disp. 2. p. 2. num.* 11. Propter hæc Castro lib. 2. de lege pænali, ait talem Hæreticum non esse inhabilem ad Beneficium, vel Officium consequendum, quia Infamia eum nondum mortificauit; id est verum ex hoc capite; tamen quia est excommunicatus, & Irregularis, est inhabilis, vt dicit *Sanch. lib. 2. cap. 26. num. 1. fine*, qui initio paucos refert sentientes Hæreticum esse infamem etiam ante declarationem criminis, quorum rationes tolluntur ex dictis.

Quæritur 2. Quis tollere possit hanc Infamiam tam Iuris, quàm Facti.

4 ℞. Infamiam Facti, in Sententiâ omnium, tolli per emendationem ipsius infamati, pænitens enim factus de sua Hæresi, eam abiurando, & perseuerando in bona Fide dicitur infamiam à se proijcere, ex cap. Si duo 4. 35. q. 6. ibi: *Infames effecti donec à facinore desinant*. Et ita docent omnes, *Angelus de Clauasio V. Infamia num. 4. Silu. num. 11. Abbas in cap. Inquisitionis; de accusat. num. 2. Garz. de Benef. part. 7. cap. 8. num. 64.* Censetur autem emendatus, & sic abolita Infamia, qui per triennium perseuerauit in
5 bonâ Fide, *Clarus q. 21. num. 2. Thesaurus de Pœnis cap. 33. vers. Secundò, Lezana tom. 3. V. Infamia num. 16.*

6 ℞. Secundò aliqui hanc Infamiam Iuris, ac proinde subsequentem eius effectum Irregularitatis ex hac infamiâ procedentem, dispensari posse ab Episcopo in vim cap. 6. sess. 24. quia sicut ibi non excipitur Hæresis, ita neque infamia ab ea proueniens; nec hìc locus habet Bulla Cœnæ, quæ loquitur tantùm de Absolutione. Sic tenet *Castropal. tract. 3. disp. 4. p. 4. num. 3.* loquens de Irregularitate, ergò idem de Infamia, quæ & ipsa est causaliter Irregularitas. Idem *ex Nauar. tenet Lezana V. Infamia nu.* 16. Sed meo
7 iudicio non videtur Episcopus in ea dispensare posse; ex quo enim Infamia non incurritur, vt probatum est, nisi per Sententiam criminis Hæresis; sequitur post dispensare non posse, quia Tridentinum excipit casus deductos ad Forum contentiosum, ante autem criminis declaratoriam dispensare non est opus, quia secundùm communem Sententiam, quam sequitur Castropalaus, dispensatio esset inutilis, immo illicita, cum dispensatio applicaretur non indigenti, dum nondum est Infamis.

Regulares verò Prælati super hac Infamiâ 8
dispensare possunt, vt colligitur ex Bullis Pij V. incip. *Dum ad Congregationem* 129. Cassinensibus circa tamen delicta ante Professio- 9
nem, siue occulta, siue publica, & Gregor. 14. incip. *Illius, qui pro gregis* 17. §. 27. Clericis Ministrantibus Infirmis contracta etiam post Professionem, præterquam Homicidij voluntarij, Bigamiæ, ac Mutilationis, &c. in Foro conscientiæ ibi; *Nec non cum eis si opus fuerit, etiam cum Rehabilitatione, & abstersione Inhabilitatis, & Infamiæ maculæ dispensare, ita tamen, quod sic absoluti, & dispensati pro tempore si ab huiusmodi Congregatione quandocunque egrediantur, eo ipso in pristinas Sententias, & Censuras, à quibus eos absolui contigerit, relabantur, & reincidant*. Intellige, si egrediantur vti Nouitij, vel nulliter Professi. Eas autem Bullas citaui Resolut. 11. num. 50. & num. 51. vbi asserui, Infamiam hanc tolli in ordine ad exercitium Ordinum, & eorum susceptionem, non verò respectu graduum, & officiorum, vt patet ex Decreto Vrbani 8. infra referendo in sect. 16. De Suspic. in causis Hæresis num. 32.

Sed quid dicendum respectu Infamiæ fac- 10
ti, sublatæ per dispensationem Infamiâ Iuris; numquid Infamia facti impedit administrationem Sacramentorum, & Celebrationem Missarum? Dic, quòd non, aliter frustratoria essent dicta Priuilegia; dispensatio ergo absorbet quoque Infamiam factu, ne priuilegia sint illusoria.

Dices, non potest Episcopus dispensare ex 11
supradictis, ergo nec Prælatus Regularis, & confirmatur id ex præcitato Decreto Vrbani, in quo prohibetur huiusmodi dispensatio, & rehabilitatio Superioribus regularibus. Ad id facit quoque illud commune axioma, quòd prohibito vno prohibentur quæcunque alia, per quæ possit perueniri ad illud, *l. Oratio 16. ff. de Nuptijs*, vbi prohibito Matrimonio, censentur vetita Sponsalia, per quæ ad illud peruenitur.

℞. Episcopus suum priuilegium habet li- 12
mitatum, dummodo delictum non sit deductum ad Forum contentiosum, non verò Regulares, vt patet ex præcitatâ Bullâ Cassinensium. Ad confirmationem, Decretum Vrbani 8. limitat Dispensationem in ordine ad gradus, & officia, non verò respectu aliorum. Quare ad axioma respondetur tunc prohiberi antecedens non simpliciter, sed respectu illius, ad quod refertur; vnde si antecedens vnicum habet consequens, hoc prohibito, & illud interdicitur; si verò plures respicit effectus, restringitur tantùm ad effectum prohibitum.

Quæritur 3. An Hæreticus sit irregularis? 13
℞. Affirmatiuè, si sit externus, habens scilicet errorem in Intellectu exteriùs manifesta-

festatum iuxta dicta sect. 8. à num. 15. licet sit occultus, non verò merè, & purè mentalis; fictus verò solùm ex Infamià fit irregularis ex notorietate, vel ex declatorià; est etiam irregularis ab Hæresi conuersus ad Fidem degens, vbi Hæresis impunè grassatur.

14 Prima pars de Hæretico mixto etiam occulto, quòd sit irregularis, colligitur *ex cap. Præsbiteros 32. dist. 50. cap. Saluberrimum* 21. 1. *q*. 7. & alibi. Ita docent *Ricciul. lib. 5. cap. 17. Bonac. q. 3. de irregul. p. 7. Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 1. Ego cap. 12 num. 58. Dal Bene Dubit. 95. num. 1. Castropal. tract. 4. disp. 4 p. 4. num. 2. Diana resol. 46. de irregular. Thesaurus* V. *Hæresis externa num.* 3. Qui requirunt notorietatem; sed explicandi sunt de Irregularitate proueniente ex Infamià non præcisè ex delicto Hæresis.

15 Secunda pars, quòd Hæreticus purè mentalis non sit irregularis, patet ex eo, quòd Ecclesia non solet punire delicta purè mentalia, vt Hæresis solà mente consumata. Ita *Nauar. cap. 27. num. 249 Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 4 Bonac. p. 7. num. 1. Sousa lib. 3. cap. 5. num. 2.*

16 Tertia pars, quòd Hæreticus fictus, qui scilicet non habet errorem in intellectu, sed cogitur facere aliquid contra Fidem, vt incensare Idola, non sit irregularis, probatur quia reuera non est Hæreticus, ergo non est Irregularis ex delicto Hæresis, vt patet expresse per *cap. Præsbyteros* 32. dist. 50. §. Qui autem fugientes ibi: *Hos veluti extra delictum constitutos à Communionis gratià non prohiberi decernimus*. Et infra. *Placuit ergo, & hos tamquam qui nihil peccauerunt, si & præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officium prouehi*. Idest ad Clericatus Ordinem. Et sermo est de Clericis, & laicis, ibi *Hoc autem similiter & de Clericis, & de*

17 *Laicis cæteris obseruari conuenit*. Meo iudicio textus videtur loqui non solùm de coactione vi præcisà, sed etiam de eadem ex metu, non metum indicant illa verba: *Et funestis Sacrificijs admouerent, aut aliquid pollutis sibi per necessitatem sumere cogerentur*. Hæc verba arguunt metum; homo enim nõ vi, sed metu manducat coactus. Quod dicitur non peccasse, refertur ad vim, non ad metum. Quod autem sint Irregulares, docent plerique cum *Suarez, & Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 6. quos sequitur Farinac. q. 192. num. 73.* explicantes fictos Apostatas esse Irregulares ex vi huius Apostasiæ, non ex vi Hæresis, quæ non adest; melius alij cum Filllucio apud Dianam part. 4. tract. 2. resol. 49. dicunt Hæreticos fictos esse irregulares solùm ex notorietate facti, non ex Apostasià, neque ex Hæresi.

18 Quarta pars, quòd sit irregularis Hæreticus degens in locis, vbi Hæresis impunè grassatur, probatur, quia Hæresis suum producit effectum in quocunque loco, vbi est Hæreticus. Contra *Nauar. consil. 1. de consit. q. 4. & Layman de irregular. cap. 4. fine*, ea ratione, quia in ciuili Foro Hæretici à publicis dignitatibus, & Officijs non repelluntur, & in illis locis ordinantur ab Episcopis. Dico ad primum irregularitatem arcere ab officijs ecclesiasticis tantùm. Ad secundum dispensari.

Circa Dispensationem Irregularitatis iam respondi in præcedenti quæstione; ideo hic ibi dicta non sunt rescribenda.

Quæritur 4. An Clericus Hæreticus sit ipso iure priuatus omni Potestate ecclesiasticà? Duplex potestas Ordinis, & Iurisdictionis.

℞. Hæresis delictum non priuat potestate 19 Ordinis Clericum hæreticum etiam denuntiatum, ratio est, quia cum ad collationem Ordinis solus Deus confert ordinato, quæ perpetuò perseuerat, & conseruatur in caractere impresso in Animà indelebiliter, & sicut illa est immortalis perpetuò viuens, ita & cum eà caracter, & potestas hæc perpetuò conseruatur. Quare Hæreticus administrans Sacramenta, licet peccet, tamen validè agit, si illa conficit iuxta formam Ecclesiæ Romanæ, *excepto Sacramento Pænitentiæ, de quo infra*; consecrat etiam validè, & conficit Sacramentum Eucharistiæ, licet id ipsi sit Sacrilegium, non Sacramentum, quia mentem ipsius non sacrat, sed execrat. Est communis, & certa de Fide ex Bulla 19 Eugenij 4. loquente de Hæretico etiam ministro Baptismi, & Trident. sess. 7. Can. 4. inquit. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur* 20 *ab Hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum. Anathema sit.* Scotus in 4. dist. 13. q. 2. vers. 21 Esto etiam, ibidem eius Comment. num. 97. quòd Hæreticus conficit validè Sacramentum Eucharistiæ applicatis verbis iuxta formam, & intentionem Ecclesiæ Romanæ materiæ huius Sacramenti. Quare Hæreticus etiam denuntiatus non est priuatus potestate Ordinis ad conficienda Sacramenta, nec priuari potest, cum Ecclesia non sit supra Deum, sed illi subiecta. Quod procedit 22 etiam respectu Episcopi Hæretici, qui non potest priuari potestate Ordinis Episcopalis, ac proinde ab eà dependentia, vt consecrare Ecclesias, conferre Ordines &c. validè fiunt ab Hæretico, de qua re etiam *de Lugo de Fide disp. 23. num. 147.* Vnde & validè Sacerdos Hæreticus benedicit aquam. Vide *Gloss. V. Iurisdictionis.* in cap. Aquæ 9. de consecrat. Eccles. Vbi referuntur actus dependentes ab Ordine Episcopali.

℞. Secundò, Hæreticum post denuntia- 23 tionem non posse validè exercere illos actus, qui requirunt ad sui valorem Iurisdictionem ecclesiasticam, siue ordinariam, siue dele-

delegatam, quia positâ denuntiatione Ex-
communicationis, quâ Hæreticus tenetur,
statim perdit vsum, & Iurisdictionem, *cap.
Didicimus* 31. 24. *q.* 1. *iuncta Glos. V. Nibil
habere. De Lugo disp.* 23. *fine*, *Sayrus lib.*
2. *cap.*6.*num.*1.*Bonac.q.*2. *de excom.p.* 5. §.2.
num. 3. quos & alios citaui *cap.* 12. *num.*89.
& 90.

24 An verò hanc Iurisdictionem perdant vt
Hæretici, an quatenus sunt excommunicati
denuntiati? Credo respectu vtriusq; nam in
præcitato cap. *Didicimus omnes omnino Hæ-
reticos, & Schismaticos nibil babere potestatis,*
ergo carentia Potestatis procedit ab Hæresi;
in præced. verò, cap. Audiuimus 4. 24. q.1.
in Hæretico, defectus Iurisdictionis tribui-
tur Hæretico excommunicato, ibi: *Verum*
25 *quia Excommunicatus te excommunicare non
potuit.* Hic autem sermo est de Hæretico, vt
patet in casu, & tamen in textu refertur ad
Censuram expressè; non tamen excludit
Hæresim.

Quæritur 5. An Clericus Hæreticus sit
priuatus Officijs, honoribus, & dignitatibus
ecclesiasticis extra Beneficia, de quibus
infra.

26 ℞. Affirmatiuè, *cap.Miramur* 37.24. *q.*1.
ibidem Gratian. *cap. Ad abolendam* 9. *de hæ-
ret.* illis verbis. *Totius ecclesiastici Ordinis
prærogatiuâ nudetur, & sic omni officio, &
beneficio spoliatus.* Loquitur de Clericis, &
Religiosis. In cap. quicunq; 2. §. Hæretici
de Hæret. in 6. inhabilitantur his verbis. *Hæ-*
27 *retici, & ipsorum filij vsq; ad secundam ge-
nerationem ad nullum ecclesiasticum Benefi-
cium, vel Officium publicum admittantur;
quod si secus actum fuerit, decernimus irri-
tum, & inane.* Intellige non pœnitentiam
Filij, vt notat Barbosa ad cap. Statutum 15.
num.8. & id colligitur etiam ex Bulla Hono-
rij IV. secunda in fine Direct. fol. 55. De
huiusmodi priuatione Officiorum agitur
etiam in cap. *Vt commissi* 12. eod. in 6. *Pri-
uandi præterea, vel priuati nuntiandi Digni-
tatibus, & alijs Beneficijs ecclesiasticis, &*
28 *Officijs publicis, ac Honoribus quibuscunq;*
Per hunc textum, & præcedentem *Ad abo-
lendam* videntur Hæretici incurrere priuatio-
nem Officiorum solùm post Sententiam cri-
minis ex illis verbis *Prærogatiuâ nudetur,* &
illis *Priuandi*, quæ referuntur ad Senten-
tiam, & limitantur ad Officia sine Benefi-
cijs, respectu quorum intelliguntur sequen-
tia verba *Vel priuati nuntiandi*: de tribus
enim ibi disponitur; de Dignitatibus, de
Beneficijs, & Officijs, de Beneficijs sermo
dirigitur ad priuatos, respectu aliorum ad
priuandos; sicut enim vnum, & idem ver-
29 bum diuersificatur secundum adiecta, *Glos.
fin. in cap. Si Papa* 10. *de Priuileg. in* 6.
Nauar. tom. 3. *cap. Negotium num.* 14.
ita & plura, & quidem à fortiori diuersos
sensus facere possunt in eadem Oratio-
ne.

Quæritur 6. An Regulares Hæretici spe-
ciali aliquo decreto sint priuati suis Offi-
cijs?

℞. Affirmatiuè per Decretum Vrbani 30
VIII. à me infra extensum, sect.16.num.
32. in quo Regulares quicumq; quibus Pœ-
nitentiæ genus aliquod impositum fuerit,
salutaribus pœnitentijs exceptis, eo ipso
ad omnes suæ Religionis gradus, & officia
inhabiles censeantur, & non possunt re-
habilitari, nisi à Papa, vel à S. Congr.
Inquisitionis facta coram Papa de eius
speciali gratiâ. Hoc decretum latè ex-
plicaui *cap.* 27. *Sacri Tribun. q.* 14.
à num. 37. *ad* 47. illuc remitto Lecto-
rem.

Quæritur 7. An Clerici Hæretici sint
priuati Beneficijs omnibus, siue simplicibus
siue curatis, siue Dignitati adnexis, siue
non.

℞. Affirmatiuè à die Hæresis commissæ, 31
quò ad titulum, non verò quò ad pos-
sessionem, quam retinent vsq; ad Sen-
tentiam criminis, & interim fructus fa-
ciunt suos; ea tamen resignare non pos-
sunt; sunt quoq; inhabiles ad illa. Pro-
cedunt hæc respectu etiam Episcopatuum,
& aliorum Beneficiorum maioris prærogati-
uæ. Hæc omnia probaui *cap.* 12. *q.* 14. *à
num.* 76. *ad* 86. Nihilominus hìc addam
aliquid.

Primum de amissione tituli docent *San-* 32
ch. lib. 2. *cap.* 26. *num.* 6.*&*7. *Suarez de
Cens. disp.* 43. *sect.* 1. *num.*4. *Castropal.
tract.* 4. *disp.* 4. *p.* 5. *num.* 4. *Pegna
part.* 3. *q.* 113. *Farinac. q.* 189. *num.*
77. *Barbosa ad cap. Ad abolendam, num.*
6. *ad cap. Vt commissi, num.* 10. *& Al-
legat.* 57. *num.* 38. *de Lugo disp.* 23.
num. 140. Est sententia communissima
fundata in Bulla Nicolai IV. incip. Noue-
rint 2. §. 21. in Bullario nouo, & super
hoc extant duo Decreta data; primum 18.
Iunij 1556. secundum 29. Septembris 1558.
in vtroq; dicitur, quòd Hæreticorum Be-
neficia vacant à die commissi criminis, in
secundo prohibetur, quòd ordinarij ea
conferant vacantia propter hæresim, quæ
extenduntur à Locato in fine sui operis in-
scr. *Opus iudiciale* à Diana in fine partis 4.
& à Dal bene de S. Officio in fine tomi 2.
in secundo Decreto nominatur Pius V. qui
tamen eo anno 1558. nondum erat Pa-
pa creatus, sed post modum anno 1566.
cum autem editum fuerit anno 1558. quo
viuebat Paulus IV. eius potiùs est, quàm
Pij V. inter quos regnauit Pius IV. crea-
tus 25. Decembris 1559. Verum quidem

est, quòd ipse Pius V. anno 1567. in sua in-
cip. *Cum ex Apostolatus* talium Beneficio-
rum vacantium propter Hæresim collatio-
nem sibi, & Sedi Apostolicæ reseruauit, &
Gregorius xiij. in sua incip. *In Ecclesijs 66.*
annullauit dispositiones beneficiales, quæ
contra canonicas sanctiones, statuta, vel
Apostolica Priuilegia fiunt Personis prohi-
bitis propter genus, aut Hæresim, & à Fide
Apostasiam, cum noua declaratione, quòd
ad nouam dispositionem Romani Pontificis
pertineant. Quare à Papa conferri possunt
Beneficia Hæreticorum ante condemnatio-
nem, dum vacant à die commissi criminis,
vt docent pleriq; citati *à Barb. Allegat.* 38. *&*
in cap. Ad abolendam num. 7.

33 Secundum de Possessione Beneficij, cuius
fructus facit suos vsq; ad actum spoliationis
positâ criminis Sententiâ, probatur, quia
esto à die commissi criminis sit ipso iure pri-
uatus Beneficio, vt probatum fuit, talis ta-
men priuatio non est absoluta, sed condi-
tionata, scilicet, si sequatur Sententia
criminis; ante sententiam ergo Hæreti-
cus retinet nescio quid tituli, ac proinde
cum iustè possideat, facit fructus collectos
suos.

Confirmatur, quia ante Sententiam iustè
possidet, ergo fructus facit suos, aliàs Pos-
sessio illi esset inutilis. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.*
26. *num.* 10. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 4. *p.* 5. *n.*
34 *6. prope fin. citans Suarez disp.* 21. *de fide sect.*
3. *num.* 19. *&* 20. *De Lugo disp.* 23. *num.* 142.
Dal Bene Dubit. 103. *num.* 11. *&* 12. Titulus
ergo conditionatus, & possessio fructus fa-
ciunt esse Hæretici vsq; ad Sententiam defi-
nitiuam criminis. Et procedit etiam con-
trà Hæreticum pœnitentem ex citatis *San-
ch. num.* 13. *Castropal. num.* 8. *de Lugo num.*
145. *Farinac. q.* 182. *num.* 82. *cum Pegna
part.* 3. *com.* 160 *vers. Nos vero*, *apud dictum
Castropal. Vers. in hac contrarietate* dicit, opi-
nionem affirmantium pœnitentes esse om-
nino priuandos, intelligendam esse de Hæ-
retico pœnitente post Sententiam, non au-
tem si pœniteat ante.

35 Tertium, quòd etiam Episcopi hæretican-
tes, & alij maiori etiam fulgentes digni-
tate sint priuati Beneficijs, tradit Paulus
IV. Bulla incip. *Cum ex Apostolatus* 19. §.
3. 4. & 5.

De eorum Inhabilitate extat cap. Qui-
cunq; 2. §. Hæretici, cuius verba retuli
sub q. 5. Doctores refert ibidem Barb. num.
20.

Quæritur 8. An sit priuatus Pensione, si
quam habet?

36 ℞. Affirmatiuè, & deducitur ex Bulla
Pauli IV. mox citatâ ibi: *Et fructibus sibi
reseruatis*. Ratio est. Tum quia incapaces
Beneficiorum non sunt capaces pensionum,
Sanch. lib. 7. *disp.* 44. *num.* 9. *Garz. de benef.
cap.* 5. *part.* 1. *num.* 121. Tum quia in materia
Hæresis verbum Beneficium sumitur largiè,
Ricciul. de iure person. lib. 5. *cap.* 19. *num.* 7. 37
Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 35. *&* 36.
Farin. q. 191. *num* 9. *cum alijs* Barb. *ad cap.*
2. *de haret. in* 6. *num.* 23. *Diana part.* 4. *tract.* 8.
resol. 73. *vers. notandum.*

Quæritur 9. An Hæreticus sit priuatus
Priuilegio Canonis? Ratio dubitandi est,
quia in cap. *Ad abolendum* dicitur: *Totius
ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur.*
Nudato autem nisi naturalia relinquuntur,
inter quæ non est Priuilegium canonis,
ergo.

℞. Hæreticus ante degradationem non 38
est priuatus Priuilegio Canonis, immo nec
Fori, quia nullibi in iure reperitur lata ta-
lis priuatio contra Hæreticum. Vnde ratio
dubitandi non aduersatur nostro responso,
nam magis illud confirmat ex recta intelli-
gentia illius verbi P*rærogatiua nudetur*, nam 39
nudatio propriè refertur ad Degradationem,
quæ fit contra Hæreticum tradendum curiæ
Laicali, adeo quòd Hæreticus nunquam per
solam depositionem verbalem, sed tantùm
realem idest degradationem perdit quodlibet
Priuilegium clericale, *ex allatis à Barb. ad
cap. Degradatio* 2. *de pœnis in* 6. *num.* 8. Et
ita docent Abbas ad dictum *cap. Ad abolen-
dam num.* 10. *& Barb. ibidem num.* 23. *Toletus
lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 5. Qui licet non nomi-
nent Hæreticum, tamen implicitè de eo
loquuntur, quicquid dicant *Carerius*, *&*
Decianus apud Farin. *q.* 189. *num.* 33. *& apud
ipsum* Barbos. *in cap.* 29. 17. *q.* 4. *num.* 12.
Intelligendi enim sunt tantùm de degra-
datis.

Quæritur 10. An Hæreticus gaudeat im-
munitate Ecclesiæ, si ad eam confugiat?

℞. Negatiuè ex Bullis, vna Ioannis 40
XXI. dictus XXII. incip. *Ex parte vestra*
1. in Bullario Nouo, altera Gregorij XIV.
incip. *cum alias* 7. Non enim rationabile
est, vt ab Ecclesiâ defendantur, qui contra
eam malè sentiunt.

Quæritur 11. An Hæretici sint inhabiles
ad Sacramenta conficienda, & administran-
da?

℞. Fuerunt inhabilitati ad Sacramentum 41
Pœnitentiæ tantùm sub Pio IV. die 22. Sep-
tembris 1562. his verbis: Illustrissimi Car-
dinales Inquisitores Generales decreuerunt,
quòd per quamcunq; gratiam factam, vel
fiendam quibusuis aliàs Hæreticis, non in-
tendant eos restituere, vt possint Confessio-
nes aliquorum secularium audire. Idem
confirmatum fuisse, reperitur in actis S. Of-
ficij sub die 15. Nouembris 1565. cum addi-
tione, seu declaratione, quòd illi, qui ab-
iurarunt aliàs secretè, vel publicè, aut aliàs
quomodocunq; non admittantur ad audien-
tiam confessionum secularium.

Re-

42 Referuntur à præfatis Auctoribus. Poterunt ergo in alijs Sacramentis administrare; exceptio enim firmat regulam in alijs casibus non exceptis. Prohibitio hæc est communis omnibus Sacerdotibus hæreticis gratiatis tàm secularibus, quàm regularibus, quos Episcopus, nec Superior regularis respectiuè possunt habilitare, & concedere licentiam audiendi Confessiones secularium non solùm laicorum, sed nec clericorum; Regularibus enim Superioribus, quas habebant facultates, & Priuilegia in causis Fidei, Vrbanus VIII. in sua incip. *cum sicut accepimus* 8. in Append. Bullarij, abstulit, declarando, quòd constitutiones, & Ordinationes ad S. Officium spectantes, tam editæ, quam in posterum edendæ omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in illis edendis excipiantur specialiter. Sed
43 numquid Hæretici regulares penitentes, & gratiati poterunt à suis Superioribus deputari ad audiendas confessiones suorum Religiosorum professorum, Nouitiorum, & Tertiariorum? ℞. sic, quia in dictâ prohibitione comprehenduntur solùm audientes confessiones secularium, ergo Religiosi excluduntur.

Quæritur 12. An Hæreticus sit priuatus voce passiuâ ad Papatum, immo an etiam actiuâ?

44 ℞. Affirmatiuè ex Bullâ Pauli IV. incip. *cum ex Apostolatus* 19. §. 3. vbi etiam Cardinales priuantur voce actiuâ, & passiuâ, qui in Hæresim seu Schisma incurisse, seu excitasse probantur conuicti, vel confessi; & §. 6. annullatur electio eius in Romanum Pontificem etiam de communi consensu, & concordia omnium Cardinalium facta, non conualidata per subsequentes actus consecrationis &c. De qua re *Azor. lib. 4. cap. 5. q. 7. parte 2. Thesaurus de Pœnis V. Hæresis externa num. 3. Vers. Nota etiam.*

Quæritur 13. An Hæretici debeant carere Sepultura?

45 ℞. Hæretici decedentes sine Pœnitentia carent ecclesiasticâ Sepulturâ, *cap. Sicut* 8. *cap. Excommunicamus* 14. *de hæret.* §. *Credentes, cap. 2. eod. in 6.* & si sepeliantur omninò exhumandi sunt, & talis locus perpetuò carere debet vsu sepulturæ, vt ibidem dicitur, *ibidem Barb. à num.* 8. *Farinac. q.* 192. *num.* 38. Dixi etiam sect. 7. num. 42.

Quæritur 14. An Hæretici pœnitentes de suis erroribus, post acceptam absolutionem ab Heresi datam ab Inquisitore cum suis pœnis temporalibus carceris, vel exilij &c. remaneant vlterius irretiti, & obligati supradictis pœnis Irregularitatis, & priuationis prædictorum in præcedentibus quæstionibus.

℞. Remanent ligati dictis pœnis, quia
46 data absolutio cum sit ad Excommunicationem Hæresis limitata, non potest vlterius operari, quia causa limitata limitatum producit effectum, *l. Age* 3. *C. de transact. l. In agris* 16. *ff. de aquir. rer. dom.* Ita *Innoc. I.* 47
Epist. 22. cap. 1. num. 5. post. medium illis verbis: *Si quis verò de Catolicâ ad Hæresim transiens aut fidelis ad Apostasiam reuersus resipiscens redire voluerit numquid eidem ratione poterit ad clerum permitti, cuius commissam non nisi longâ pœnitentiâ poterit aboleri? nec post pœnitentiam Clericum, fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt.* Ex quibus patet nec per absolutionem, nec per Pœ- 48
nitentiam quamuis longam tolli Irregularitatem, sed necessariam esse dispensationem ad tolendam Irregularitatem contractam ex delicto Hæresis. Notatur à Thesauro de Pœnis *cap. 1. V. Hæresis externa num. 3. ex Sanchez lib. 2. cap. 25. num. 2. & Layman de irregul. cap. 4. num. 11. fine.*

SECTIO VNDECIMA

De Sacramentis respectu Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici excluduntur à participatione tam actiuâ, quam passiuâ Sacramentorum.*
2 *Baptizant validè, si ritè agant, illicitè tamen.*
3 *Baptismus necessarius necessitate medij.*
4 *Sacramenta ab Hæreticis non recipienda extra casum necessitatis.*
5 *Confirmationis Sacramentum Episcopus hæreticus illicitè administrat.*
6 *Ordinis potestas auferibilis non est ab Hæretico.*
7 *Papa potest dare licentiam Sacerdoti hæretico, vt confirmet Fidelem.*
8 *Episcopus minister Ordinarius ordinis Confirmationis.*
9 *Quanam potestate Sacerdos delegatus à Papa conferat hoc Sacramentum.*
10 *Dianæ opinio refertur.*
11 *Aliorum opiniones referuntur.*
12 *Sacerdos cum solâ Ordinis potestate validè non absoluit.*

13 *Papa non delegare potest hanc potestatem Sacerdoti Hæretico.*
14 *Consecrat validè Corpus, & Sanguinem Domini.*
15 *Inualidè absoluit.*
16 *Excepto mortis articulo.*
17 *Extrema Vnctio validè confertur ab Hæretico.*
18 *Electio, Confirmatio, & Consecratio spectantur in Episcopo.*
19 *Episcopatus Ordo distinctus à Presbiteratu.*
20 *Iurisdictionis actus in Episcopo numerantur.*
21 *Quos exercere non potest antè Confirmationem.*
22 *Quæ sunt Ordinis committi non possunt.*
23 *Ordinationes factæ ab Hæretico etiam præciso valent.*
24 *Pendent enim à potestate Ordinis, quà non caret.*
25 *Abbates inualidè tonsurant, & conferunt minores, denuntiati.*
26 *Potestas Ordinis est personalis, & indelegabilis.*
27 *Abbas Catolicus extraneum ordinat sine licentiâ validè, licet illicitè.*
28 *Potestas sacramentalis, & iurisdictionalis.*
29 *Episcopus titularis validè, non licitè ordinat.*
30 *Episcopus committit Abbati, vt Clericos suos ordinet.*
31 *Abbas non benedictus suos ordinat.*
32 Consecrationis *verbum accipitur pro Benedictone.*
33 *Tridentinum sess. 23. cap. 10. non habet decretum irritans.*
34 Non liceat *excludit impossibilitatem, & solùm difficultatem importat.*
35 *Valor Ordinationum, quæ fiunt ab Abbatibus, pendet à Iurisdictione.*
36 *Infideles alij carent Baptismo, alij baptizati.*
37 *Infidelium non baptizatorum Matrimonium valet, licet vnus solùm conuertatur.*
38 *Vt docet Apostolus* 1. *Corinth.* 7. 12.
39 *Sanctificatio ibi notat conuersionem Infidelis.*
40 *Matrimonium est inductum in Officium Naturæ, & remedium Concupiscentiæ.*
41 *Soluitur ad fauorem Conuersi.*
42 *Non soluitur per Infidelem ducendo infidelem.*
43 *Est irritum Iure ecclesiastico Fidelis cum Infideli.*
44 *Ex Concilio Nicæno.*
45 Cultus disparitet *Impedimentum hoc inductum consuetudine.*
46 *Non prohibitum Iure Naturæ.*
47 *Nec Iure euangelico.*
48 *Cultus disparitas habet locum etiam in Catecumeno.*
49 *Inter Hæreticum, & Catolicum valet.*
50 *Dubia duo de Matrimonio.*
51 *Matrimonium Infidelium eleuatur in Sacramentum, quando ambo conuertuntur.*
52 *Quodlibet constat materiâ, & formâ sensibilibus.*
53 *Alij negant fieri Sacramentum.*
54 *Opinio Castropalai. ad* 56.
55 *Si alter non conuertitur non fit Sacramentum.*
56 *Ius Baptizandi spectat ad fidelem tantùm.*
57 *Princeps inuitis Parentibus potest fauere Infantibus ad Baptismum.*
58 *Caret Sacramento Matrimonium, si contrahens non credit in hoc Sacramento.*
59 *Intentio conficiendi necessaria est ad valorem Sacramenti.*
60 *Sacramentum videtur inseparabile à Matrimonio.*
61 *Contrarium tenendum.*
62 *Matrimonium stare potest sine Sacramento.*
63 *Excludi potest à Matrimonio licet illicitè.*

Hic

1 HIc de participatione Sacramentorum agendum est in ordine ad Hæreticorum perfidiam, quatenus in pœnam eorum prohibentur illa dare, & recipere etiam à bonis Ministris, quia illorum tractatione indigni sunt. Sacramentorum enim participatione, & Ecclesiæ suffragiorum communione carent; & quia sunt Hæretici; & quia sunt excommunicati, & quia sunt extra Ecclesiam positi, vt probaui *sect.* 6. *num.* 122. & *sect.* 7. n. 46. ad 49. Restat vt agamus, an possint licitè, & validè administrare Sacramenta Fidelibus? Super qua re tot erunt quæstiones, quot sunt Sacramenta.

Quæritur ergo primò, an Hæretici, licitè & validè baptizare possint?

2 ℞. Validè quidem baptizant, non tamen licitè, excepto casu periculi mortis, stante prohibitione, quòd Sacramenta ab illis, & indignis non sunt tractanda.

Quod validè baptizent. Probatur quia ad valorem huius Sacramenti sufficit quilibet homo vsum rationis habens, cuiuscunque ætatis, sexus, & conditionis sit, ad id enim munus exercendum non requiritur aliqua potestas Ordinis, aut Iurisdictionis, sed sola voluntas cum Intentione faciendi, quod facit Ecclesia, applicando legitimam verborum formam baptizando cum sacrâ ablutione; & quòd sit validus Baptismus de Fide credendum est definitum *sess.* 7. *can.* 4. relato præced. *sect. num.* 20. Quilibet ergo homo potest esse Minister huius Sacramenti; id enim exigit eius necessitas, cum sit taliter necessarius, vt sine eo gratia, & salus obtineri non possit; cum sit medium ad salutem necessarium necessitate medij, cuius omissione etiam inculpabiliter finis obtineri non po-
3 test, vt dicunt omnes Theologi *cum D. Thoma part.* 3. *q.* 68. *art.* 2. *Scoto in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. *Brancat. disp.* 6. *de Sacram. art.* 2. *num.* 20. Validè ergo Hæretici baptizant. Et ita docent omnes Catolici cum *D. Thoma part.* 3. *q.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *q.* 82. *art.* 7. *ad* 2. *Scoto in* 4. *dist.* 5. *q.* 2. *Dal Bene part.* 1. *de S. Officio Dubit.* 154. *num.* 5. *Antonius Hiquæus ad Scotum cit. num.* 4. *Brancatus de Sacram. disp.* 15. *art.* 1. *num.* 7. Qui omnes dicunt in casu necessitatis etiam licitè dari ab Hæreticis, nullis extantibus Fidelibus, dum nondum baptizatus statim est moriturus.

4 Nec obstant Sacri Canones prohibentes recipere Sacramenta ab Hæreticis, quia intelligendi sunt, Fideles non debere ea recipere extra casum necessitatis, & voluntariè; quia tunc peccant tam dantes, quam recipientes, & baptizati fiunt irregulares, *cap. Qui in qualibet* 10. 1. *q.* 7. *Dal Bene Dubit.* 91. *sect.* 1. *num.* 17. vbi num. 18. quòd Ignorantia, & necessitas excusat à culpa, ergo & à pœna Irregularitatis inducta ex delicto huiusmodi.

Quæritur 2. An Hæreticus licitè, & validè possit ministrare Sacramentum Confirmationis?

℞. Episcopus Hæreticus licitè non potest 5
administrare hoc Sacramentum, cum habeat prohibitionem; est enim priuatus omni Officio, & Beneficio Ecclesiastico, ex dictis sect. præced. num. 26. Vtiq; validè, non enim caret potestate Ordinis Episcopalis, à qua pendet valor actus Confirmationis, quæ ab
eo auferibilis non est, vt probaui *Sect. præced. num.* 21. & 22. Ita *ex Henriq. lib.* 5. *cap.* 6. & *Suarez disp.* 36. *sect.* 2. *docet Macedo de Clauib. Petri lib.* 4. *cap.* 5. *Vers. Dua hic.* Brancatus tom. 3. *in* 4. *sent. disp.* 2. *num.* 82. *cum S. Thoma part.* 3. *q.* 72. *art.* 11. 6

Dubitatur hic, an Papa validè delegare possit potestatem confirmandi Fideles Sacerdoti hæretico, sicut potest simplici Sacer-
doti eandem delegare ex causâ legitimâ, vt 7
fecit Gregorius Sanctus relatus cap. *Peruenit* 1. *dist.* 95. *vbi Barb.* numerat 28. Doctores, & Allegat. 30. *num.* 40. *Scotus in* 4. *dist.* 7. *q.* 1. *vbi Hiquæus num.* 45. & *seq.* rem hanc fuisse probat, *Brancatus tom.* 3. *in* 4. *sent. disp.* 2. *num.* 25. *Faber in* 4. *disp.* 27. *num.* 32. *Meldul. in* 4. *disp.* 2. *num.* 245 Res est certa ex
facto S. Gregorij, & huius veritas deducitur 8
ex Concilijs Florent. in Bulla 19. Eug. IV. & Tridentino sess. 7. Can. 3. quæ ambo vocant Episcopum Ministrum huius Sacramenti ordinarium, ergo non negant delegatum Ministrum, quem dare potest solùm Papa ex plenitudine suæ Potestatis, & non Episcopi, committendo hoc munus soli tantùm Sacerdoti, vt docent præcitati.

Difficultas remanet grauis, quanam po- 9
testate Sacerdos à Papa delegatus conferat Fidelibus Sacramentum Confirmationis?

Varij sunt modi dicendi, qui videri possunt apud citatos Doctores; aliqui enim dicunt, hanc delegatam potestatem esse Iurisdictionis, & sunt *Ricardus in* 4. *dist.* 7. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. *Faber loco citato*, & sic non pendet actus Confirmationis à Potestate Ordinis Sacerdotalis; ex quo sequitur posse delegari etiam laico à Pontifice, quod tamen vti falsum ab omnibus reijcitur; cum valor actus Confirmationis pendeat etiam à Potestate Ordinis
Sacerdotalis ex eâ parte, quæ respicit Cor- 10
pus Christi misticum, vnde citati à Dianâ part. 8. tract. 1. resol. 4. hanc potestatem a Papa non posse tribui Sacerdoti, qui solùm ordinatus esset ad consecrationem Corporis Christi veri, & non ad remittenda peccata, licet aliqui dicant sufficere potestatem Consecrationis ad recipiendam hanc delegationem, tamen mihi magis placet prior opinio, vt requiratur etiam potestas remittendi peccata, & sanctificandi Corpus Christi misticum, cum per Sacramenta sanctificentur Fideles.

Alij

11 Alij melius *cum Suarez, Aretino, Hiquao, & alijs quos pro se citat Meldul. cit. num.* 250. dicunt, non sufficere solam Iurisdictionis potestatem, sed requiri in personâ delegatâ Potestatem Ordinis sacerdotalis, cum quâ completur, & integratur sufficiens Potestas ad confirmandum, ita quòd neutra per se sufficiat ad confirmandum; adeò vt potestas Ordinis sacerdotalis per delegationem excitetur ab habitu ad actum operandum. Quod ego confirmo ex mixtione Iurisdictionis per approbationem cum potestate Ordinis sacerdotalis in corpus Christi misticum,
12 ex Trident. sess. 23. cap. 15. sicut enim Sacerdos cum solà Potestate Ordinis non potest validè absoluere sacramentaliter, nisi sibi adiunctam habeat Potestatem Iurisdictionis, vt docent omnes; ita nec Sacerdos confirmare potest, nisi adiunctam habeat Potestatem Iurisdictionis.

13 Ad dubium principale dico, Papam non posse delegare hanc Iurisdictionem Sacerdoti hæretico, siue sciat, illum esse Hæreticum, siue ignoret, & collatio ab eo attenta est nulla. Primum probatur, quia talis Sacerdos per Hæresim factus est incapax Iurisdictionis, ex Bulla 2. Nicolai 3. §. 21. *Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum ad nullum ecclesiasticum Beneficium, seu Officium admittantur quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.* Ergo delegatio facta à Papa ignorante Hæresim est nulla, non enim præsumitur velle derogare huic constitutioni, neq; fauere Hæretico. Quod si sciat Sacerdotem esse Hæreticum, illum certè non honorificabit, sed castigabit. Aliter non esset ædificator, sed destructor. Et ex his patet ad secundum, cum enim talis Sacerdos careat Potestate Iurisdictionis ex incapacitate illatà ex dictà Bullà, sequitur collatam Confirmationem irritam esse, & nullius momenti, non obstante Potestate Ordinis, quæ nihil operari potest, nisi excitata à Iurisdictione, quæ omnino abfuit. *Pagn. part. 2. ad cap. Cum venisset, de sacra Vnct.* tractat de quodam Abbate habente talem delegationem.

Quæritur 3. An Sacerdos Hæreticus possit validè consecrare Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi?

14 ℞. Sic, quia adhuc retinet Potestatem consecrandi, quà nullo Iure humano priuari potest, cum à Deo sit collata Sacerdotibus. Ita omnes *cum Scoto citato præced. sect. numero* 21.

Quæritur 4. An Sacerdos Hæreticus validè audire Confessiones sacramentales possit, & absoluere?

15 ℞. Negatiuè, si sit iam condemnatus, quia est iam priuatus Iurisdictione, sine qua non potest validè absoluere, non enim sufficit potestas Ordinis ex supradictis hic num. 12. & præced. sect. num. 41. & 42.

Intellige extra Articulum Mortis, nam in Articulo Mortis, nullo extante fideli Sacerdote, Hæreticus quicunq; Sacerdos etiam degradatus potest validè moribundum absoluere. Ita *cap. Si quem* 40. 24. *q.* 1. *Brancatus de Pœnit. disp.* 19. *num.* 208. *Barb. Allegat.* 25. *num.* 79. Nec istis Hæreticis deest Potestas Iurisdictionis illis ab Ecclesia concessa, *ex eodem num.* 223. *ex D. Bonauentura in* 4. *dist.* 1. *art.* 3. *& D. Thoma dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3. 16

Quæritur 5. An Hæreticus Sacerdos possit validè conferre Sacramentum extremæ vnctionis ægrotantibus?

℞. Sic, quia ad valorem administrationis huius Sacramenti non est necessaria aliqua Iurisdictionis potestas, aut licentia, cum dependeat à solà Potestate Ordinis sacerdotalis, ita quòd simplex Sacerdos non habens curam animarum, illud; infirmis validè ministrat, licet non licitè, ergo etiam Hæreticus, qui non caret potestate Ordinis sacerdotalis, quamuis sit etiam degradatus. Vide tractantes de hoc Sacramento. 17

Quæritur 6. An Episcopus Hæreticus validè conferat Sacramentum Ordinis fidelibus, immo & alijs Hæreticis? Præmitto in Episcopo tria spectari, Electionem, quâ quis de non Episcopo incipit esse Episcopus; Confirmationem illi datam à suo Superiore per quam corroboratur in hoc statu ecclesiastico excellentiori præ alijs, quâ mediante aquirit à Pontifice Potestatem Iurisdictionis in vtroque Foro externo, & interno sacramentali regendi Ecclesiam sibi commissam, de qua confirmatione *Barb. de Episcopo part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. Ad confirmationem sequitur Episcopi confirmati Consecratio, per quam accipit ordinem Episcopalem, quod est Sacramentum cum potestate huius Ordinis, & Caractere proprio, nam Episcopatus est Ordo sacramentum distinctum à Præsbiteratu ex communiori sententiâ, quam latè probat *Pagn. part.* 2. *ad caput Requisiuit, de ordin. Episc. Scotus in* 4 *dist* 24 *num* 5 *tom* 9 *ibidem. Hiquaus num.* 10. *Brancatus disp.* 7. *n.* 16 *Meldul. disp.* 4 *num* 8. Proprium imprimit caracterem, *ex eodem Scoto Hiquaus n.* 24. *Brancato num* 42. *Meldul. num.* 60. 18 19

Duas ergo Potestates recipit Episcopus, vnam Iurisdictionis ex Confirmatione, alteram Ordinis ex Consecratione, illa est prior, hæc posterior, sicut Consecratio sequitur Confirmationem; vnde vt colligitur *ex cap. Transmissam* 15 *de elect.* Potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis, non aquiritur per Confirmationem Electionis, sed per Consecrationem, cum per illam vt dixi aquiratur tantùm Potestas Iurisdictionis, vt censurare, visitare, corrigere, punire, Synodum facere, conferre Beneficia, absoluere, 20

re, peccata sibi reseruare &c. Horum autem exercitiũ requirit etiam litteras Apostolicas, sine quibus nec possessionem sui Episcopa-
21 tus consequi potest, *extr. iniunctæ, de elect. Barb. part. 1. de Episcopo tit. 1. cap. 4. num. 7. 8. & 9.* Et hæc committi possunt, non ve-
22 rò, quæ sunt Ordinis, *cap. Aqua 9. de consecr. eccles.* Vt conferre Ordines, Virgines consecrare, Chrisma conficere, *vt dicit ibidem Gloss. V. Iurisdictionis*. His præmissis.

23 ℞. Ordinationes factas ab Episcopo hæretico etiam præciso, & degradato valere, quia adhuc retinet potestatem Ordinis Episcopalis, à qua valor Ordinationis tantùm pẽ-
24 det. Est communis, *cap. Qui lapsus, cap. Qui semel, cap. Præsbiterum, dist. 50.* Vbi ordinati ab Hæreticis non admittuntur ad exercitium Ordinum susceptorum, ergo validè illos receperunt ab Hæreticis. Ita *Scotus in 4. dist. 25. q. 1. §. De secundo*, vbi de degradato, *ibidem* Brancatus *tom. 3. disp. 8. num. 47. & 51. Hiquaus ad dist. 24. num. 108.* Non obstante quòd careat Potestate Iurisdictionis auferibilis à Papa, causà occurrente, vt dicit ibidem, quia licet Institutio sit à Deo, Collatio tamen est ab Ecclesià, vt dicunt omnes *cum Brancato, disp. 7. num. 164. Diana part. 8. tract. 2. resol. 2.*

Dubium est circa Abbates Priuilegium habentes tonsurandi, & conferendi quatuor Ordines minores, an validè eos conferant, si sint Hæretici.

℞. Negatiuè, si sint denuntiati Excom-
25 municati propter Hæresim, vel saltem condemnati de Hæresi. Ratio est, quia amiserunt Priuilegium, & delegationem sibi factam à Iure communi, vel à Pontifice non per aliam enim Potestatem, nisi Iurisdictionis conferunt, cum hæc sola sit delegabilis, non verò Potestas Ordinis, quæ non est de-
26 legabilis, sed personalis omninò, indelebilis tamen, quia in Caractere residet nulla potestate humanà destruibili, nec delegabili, vt docet *cap. Quanto 4. de consuetud. & Gloss. V. Iurisdictionis cap. Aqua 9. de Consecr. Eccles.* in quibus locis *omnes Canon. Theologi in 4. cum S. Thoma, & 2. 2. q. 39. art. 3. Scoto dist. 19. q. Vn. num. 12. ibi Hiquaus num. 20.* distinguentibus vnam Potestatem ab aliâ, & à solà potestate Ordinis Episcopalis, quo ad valorem pendet collatio Confirmationis, & Ordinationis, quà cum careant Sacerdotes inferiores, non possunt confirmare, nec ordinare ex Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Quare Abbates solùm ex delegatione Iurisdictionis hoc munus præstare poterunt, ergo Hæretici denuntiati nihil omninò poterunt. Et ita intelligendus est Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 12. dum dicit, Abbatem hæreticum validè conferre Ordines minores, aliter non benè loquitur, & textus ab eo allati, & Doctores clarè loquuntur de Episcopo hæretico, qui sicut habet inamissibiliter potestatem Ordinis Episcopalis, quo Abbates carent, ita & efficaciter ordinare potest.

Dices, Abbas Catolicus ordinans extraneos sine licentià suorum Superiorum, adhuc validè ordinat, & tamen quo ad hoc caret Iurisdictione, cum ea sit restricta ad suos subditos, ergo valida ordinatio non pendet in his à solà Iurisdictione, sed etiam à Potestate Ordinis scilicet sacerdotalis, dum caret Potestate Ordinis Episcopalis. Rem hanc fusè tractat Fagnanus *part. 2. ad cap. Statuimus, de supplend. neglig. Prælat. à num. 11.* Vbi quærit, an Prælatus inferior secularis habens facultatem à Papa post Tridentinum conferendi Ordines minores cum primà Tonsurà aliquibus tantùm secularibus, imprimat caracterem, si alijs conferat? Respondit S. Congr. affirmatiuè. Vbi etiam refert responsum eiusdem oppositum; & concordat, quia in posteriori casu Præpositus nullos habebat Subditos regulares, quorum respectu non potuit sibi perseruare Priuilegium ordinandi, & sic dum eo caruit, necesse fuit respondere, caracterem non recepisse ordinatum ab eo, sicut in priori casu, in quo Prælatus habebat subditos. Sub num. 16. assignat duplicem potestatem sacramentalem, & Iurisdictionalem, & sacramentalem colli-
git ex cap. Vn. de Sacrà Vnct. quæ scilicet 28
per aliquam consecrationem confertur, & hanc ait sub num. 23. non limitari per iurisdictionalem; exemplo Episcopi, qui licet Iurisdictionem non habeat in extraneos, illos tamen validè ordinat. Subdens num. 25. Iurisdictionem non attendi, cum Episcopus titularis validè ordinet, quamuis non licitè,
& alia congerit, quibus probat ex limitatio- 29
ne Iurisdictionis ad certas personas non inferri ad limitationem potestatis ordinandi, quam Prælatus habet etiam ex concessione
Ecclesiæ. Eandem quæstionem tractat *part.* 30
5. ad cap. Aqua de consecr. Eccles. vbi num. 8. Quærit, an Episcopus possit committere, vt Abbas ordinet suos Clericos? Respondet sic, si Abbas est Sacerdos, & benedictus, & explicat, Concil. sess. 23. cap. 10. non obstare, quia per ablationem potestatis Iurisdictionis non limitauit potestatem Ordinis, quæ cum sit indiuisibilis, non recipit limitationem, solùm sic ordinatus non recipit executionem Ordinis recepti, quia ex Tridentino deficit potestas Iurisdictionis.

Sed prædicta non obstant, quia Abbates 31
priuilegiati etiam sine manuum impositione, hoc est, benedictione, *& Gloss. & Panor. in cap. cum contingat, de ætate*, non enim consecrantur, sicut Papa, & Episcopi, possunt ordinare, vt docet. *Tambur. tom. 2. disp. 2.*
q. 3. qui tom. 1. disp. 11. q. 1. dicit, verbum 32
consecrationis impropriè accipi respectu Abbatum,

batum, qui propriè olim benedicebantur, vt possent vti suis priuilegijs, ex Oldrado Consil. 14. sed nunc talis consecratio, seu benedictio non est necessaria; Consecratio autem propriè dicta fit cum vnctione Chrismatis in Episcopo, de qua in cap. Vn. de sacra Vnct. quod citat Fagn. qui ait Potestatem sacramentalem, quæ scilicet per aliquam consecrationem confertur, sed nec Abbas consecratur, vt dixi, nec de illo quicquam dicitur in dicto cap. de Sacra Vnct. cum non vngatur. Nec in concessione huius Priuilegij tàm in Iure communi, quàm extra fit mentio de hac potestate Sacramentali, sed tantùm, quòd debeat esse Sacerdos, & benedictus secundum Ius commune, quod posterius nunc cessat, vt dixi ex eodem Tambur. Sequitur ergo quòd ad validè conferendam primam Tonsuram, & quatuor Ordines minores sufficit delegatio Papalis facta Abbati Sacerdoti. Nec Sacerdotalis Vnctio tribuit potestatem hanc sacramentalem vncto Sacerdoti, nisi erga Christi Corpus verum posità formà paulo post proferendà ab Episcopo ordinatore, & non in ordine ad Corpus Christi misticum, cuius Potestas sine vnctione sequitur postmodum, qua perficitur demùm Ordo Presbiteratus per formam *Quorum remiseritis*. Quare concludendum Iurisdictionis potestatem tantùm supposito Sacerdotio, necessariam esse ad ordinandum, adeo quòd ea reuocatà efficaciter, vt contingit in excommunicato hæretico denuntiato, vel condemnato, nihil Abbas confert per attentatam ordinationem.

33 Nec Tridentinum obstat, tum quia nihil disponit circa nostrum casum. Tum quia non reuocat Priuilegium efficaciter, sed solùm prohibet sine annullatione actus gesti, reddens non inualidam, sed tantum illicitam collationem Ordinum factam extra-
34 neis. Nam Clausula *Non liceat*, qua vtitur Trident. sess. 23. cap. 10. non importat impossibilitatem, nec proinde irritationem, sed difficultatem *ex allatis à Barb. ad cap. 2. de bigamis, num. 4 Sanchez lib. 7. disp. 86. num. 6.* Et certè res ita se habet, cum ex hoc capite relatiuè ad aliud cap. 10. sess. 7. colligatur, sic promotos validè esse ordinatos. Et id facit pro probatione primi responsi Sacræ Congregationis adducti a Fagnano.

35 Pro nobis, quòd scilicet ab Iurisdictione pendeat valor collationis Ordinum minorum factæ ab Abbatibus contra prohibitionem Tridentini sess. 23. cap. 10. quòd non liceat eis ordinare seculares quamuis habentes dimissorias à suis Ordinarijs, facit Decisio 985. Seraphini, qui dixit tales ordinationes esse nullas, quia carent Iurisdictione eis sublata à Tridentino. Dico, quòd hæc decisio facit pro me, in quantùm vult, ideo nullas esse ordinationes, quia Abbates carent Iurisdictione, ergo supponit tanquam certum valorem talis ordinationis dependere à Iurisdictione præcisè, quam vult esse ablatam per Tridentinum, quod tamen ego supra negaui, quia tota res à nobis non consideratur in vim Concilij, sed extra, & tantùm respectu Hæreticorum denuntiatorum, qui sine dubio carent Iurisdictione.

Quæritur 7. An Infideles, & Hæretici possint contrahere Matrimonium cum Fidelibus Catolicis, seu an his id prohibeatur? Infideles autem sunt in duplici differentià, alij namque carent Baptismo, vt Gentiles; Iudæi, & Catecumeni; alij sunt baptizati, sed à verà Fide recesserunt, vel in totum, vt Apostatæ, vel in parte, vt Schismatici, & Hæretici. 36

℞. Primò, Matrimonium inter Infideles non baptizatos contractum valet, non solùm si sic manere volunt; sed etiam si ambo, vel alter eorum conuertatur ad Fidem; quòd si Infidelis non vult conuerti, soluitur Matrimonium ad fauorem conuersi tunc, cum primò ducit Vxorem Fidelē, & sic persona Infidelis manet libera à Matrimonio priori; in casu verò, quo Fidelis prius non nubat, sed Infidelis, non ideo tale Matrimonium tenet, sed irritum est in casu, quo ipsa persona Infidelis conuertatur, nam debet accedere ad primum Maritum iam fidelem, relicto posteriori Matrimonio nullo existente siue cum Fideli, siue Infideli contracto. 37

Prima pars, quòd tale Matrimonium valeat, probatur auctoritate Apostoli 1. Corinth. 7. 12. *Si quis Frater habet Vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua Mulier fidelis habet Virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat Virum; sanctificatus est enim Vir infidelis per Mulierem fidelem, & sanctificata est Mulier infidelis per Virum fidelem.* Ista sanctificatio impor- 38
39
tat conuersionem Infidelis, dum sequitur Fidelem, hoc enim modo facilis est conuersio, vt docent hìc Interpretes, vt Lyranus, & alij, quia per huiusmodi cohabitationem infidelis disponitur, & preparatur ad Fidem suscipiendam; cum ergo Paulus suadeat cohabitationem, certum est argumentum validum esse Matrimonium, aliter essent *Fornicarij*, quod dicendum non est, Apostolus enim fornicationem non suadet. Et ita docent *Theologi in q. dist. 39.* vbi Scotus *num. 4. vers. sed ad primum*, cum sit inductum in 40
Officium Naturæ, & remedium concupiscentiæ ibidem *Hiquaus num 2. & 16. S. Thomas, & S. Bonauentura*, Brancatus *disp. 32. art. 4. num. 68. Meldul. in 4. disp. 7. q. 19. num. 501. Dal Bene Dubit. 153. sect. 5. Corollar. 2. num. 6.* Canonistæ *in cap. Quanto te, de diuort. cap. Gaudemus eod.*

Secunda pars, quòd soluatur Matrimo- 41
nium

nium ad fauorem conuersi, cum primò ducit Vxorem fidelem, & è contra, quando alter non vult conuerti, probatur ex eodem Apostolo ibidem sub num. 15. his verbis: *Quod si Infidelis discedit discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut Soror in huiusmodi*. Discessio enim importat, dissolutionem præcedentis Matrimonij, vt in finuant sequentia verba, *Seruituti subiectus non est*, Lyranus hic inquit. *Liberatus est Fidelis à coniunctione eius, & potest alteri contrahere*. multis citatis *Sanch. lib. 7. disp. 74. num. 9.* Barb. *ad cap. Si infideles 2. 28. q. 2. num. 4. & in cap. Quanto 7. & cap. Gaudemus 8. citatis, de diuortijs*.

Opinio contraria, quòd Matrimonium non soluatur, est plurium apud Sanchez cit. num. 8. quæ tamen videtur reprobata per cit. cap. *Quantò*, tale enim Matrimonium non dicitur ratum, licet firmum fuerit ab initio, conquassatum per superuenientem conuersionem vnius tantùm.

42 Tertia pars, quòd non dicatur solutum per Infidelem ducendo coniugem infidelem probatur, quia dissolutio fit ad fauorem Fidelis tunc cum ipse ducit personam catolicam. Quare si Infidelis postea conuertatur debet redire ad primum Matrimonium, cum posterius nulliter sit factum, cum primum vigeat non dissolubile per Infidelem. Ita *Sanchez lib. 7. disp. 75. num. 6. cum alijs Barb. ad dictum cap. Si infideles 2. 28. q. 2. num. 6.*

43 ℞. Secundò, Matrimonium Fidelis cum infideli est irritum Iure ecclesiastico vel scripto, vel consuetudinario, vt sentit magis communis impediente, & dirimente iuxta illa verba *Cultus disparitas* quod est impedimentum afficiens personas baptizatas, & non baptizatas, ne simul in Matrimonium coniungantur. Nullo tamen Iure naturali, nec diuino prohibitum reperitur Matrimonium inter Fideles baptizatos & infideles non baptizatos.

44 Prima pars, quòd sit irritum Iure ecclesiastico scripto, probatur ex Concilio Trullano, & Niceno, *apud Poncium lib. 7. cap. 4. & Hiquaum num. 19.* Sed horum opinio impugnatur à mox citandis.

45 Secunda pars, quòd hoc impedimentum *cultus disparitas*, inductum sit tantùm iure consuetudinario, probatur à communiori opinione Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ in 4. dist. 39. quibus videtur adhærere Scotus *Vers. Numquid num. 5.* illis verbis: *Sed de iure positiuo Ecclesia simpliciter non potest*. Cum non se declaret, de quonam Iure loquatur, scriptione, an non scripto? sequitur *Brancatus disp. 32. num. 39. Meldul. disp. 7. q. 19. num. 504. Sanchez lib. 7. disp. 71. num. 8. Dal Bene Dub. 153. sect. 5. Coroll. 1. num. 2.*

Tertia pars, quòd non sit prohibitum Iure naturæ, probatur, quia Cultus non aduersatur Officio Naturæ. *Sanchez lib. 7. disp. 71. num. 7. Gutier. cap. 104. num. 1. Meldul. disp. 7. num. 502.* 46

Quarta pars, quòd nec Iure diuino euangelico, probatur, quia nullibi id expressum est, immo ab initio Ecclesiæ, quo pauci erant Fideles talis prohibitio non congruebat, ideo nec facta fuit, Ita docent *Scotus Vers. De secundo num. 5. ibi Hiquaus num. 15. Brancatus disp. 32. num. 24.* qui num. 31. ad 34. ait esse prohibitum Iure euangelico, sed non cum Impedimento dirimente, vt probat *à num. 35. Meldul. disp. 7. num. 502. Dal Bene dubit. 153. sect. 5. Corollar. 1. num. 8. & 9.* Itaq; Matrimonium Fidelis cum Infideli tantùm est prohibitum hoc Impedimento ecclesiastico *Cultus disparitas*, etiam cum Infideli catecumeno, quia is nondum est Fidelis baptizatus, Ita *D. Thomas in 4. dist. 39. art. 1. ad 5. D. Bonau. ibidem in exposit. littera num. 1. Toletus lib. 7. cap. 7. num. 1. Dal Bene Dubit. 153. sect. 5. Corollar. 1. num. 3.* 47 48

℞. Tertiò, quamuis inter Catolicam, & Hæreticam personas sit interdictum Matrimonium; tamen contractum, licet cum peccato mortali, validum est, quia Impedimentum *cultus disparitas* dirimit solũ inter baptizatũ, & non baptizatum, non verò inter ambos baptizatos, cũ nõ sit disparitas propriè cultus, dum pares sunt in Baptismo, ex quo sequitur eleuatio huius Contractus in Sacramentum. Et ita docent *S. Thomas art. 1. ad 5. D. Bonau. ibidem q. 1. Sanchez lib. 7. disp. 72. num. 2.* vbi decretum in contrarium adductum non est alicuius veri Concilij, sed Trullanum; Brancatus disp. 32. num. 56. vbi respondet num. 63. nullum esse illud concilium Trullanum, *Meldul. disp. 7. num. 505. dal Bene Dubit. 153. sect. 5. corollar. 1. num. 11. Barbos. in cap. Decreuit 14. de haret. in 6. num. 5. vbi ex Royas singul. 128. & Simanch. de Catol. institut. tit. 40. num. 17. Farinac. q. 190. num. 51.* refert eos tenere esse inualidum sed cum prædictis standum est, quia nullibi decernitur esse inualidum. 49

Remanent duo dubiola; *Primum*, quando nam Contractus Matrimonij incipit esse Sacramentum contractum inter Infideles, quando ambo, vel alter tantùm profitetur Fidem? Item & quando contrahitur inter Fidelem, & Hæreticum? *Secundum*, ad quemnam spectet proles quò ad Baptismum suscepta tempore Infidelitatis, altero conuerso, & altero remanente in sua Infidelitate? 50

Ad primũ dico, quando Coniuges infideles ambo ad Fidẽ conuertuntur Matrimoniũ, 51

L quod

quod antea erat merus contractus ciuilis, eleuatur in Sacramentum, tunc cum primò illud renouant, vel ratificant mutuis consensibus, & verbis; cum enim sint baptizati nihil eos prohibet à confectione huius Sacramenti, cum perseueret in eis Matrimonium ciuile, quòd euadit Sacramentum per eam ratificationem. Ita *Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 51. Henriq. Bonac. Hechius, Capreolus Rebell. lib. 2. de matrim. q. 6. concl. 1. num. 5.* Brancatus *disp. 13. art. 9. num.* 145. Immo multi tenent, fieri Sacramentum, quando Coniuges ambo baptizantur, sine nouo consensu, quia aliud Impedimentum illis non obstabat nisi Infidelitas sublata per Baptismum, ergo statim incæpit esse Sacramentum ita cum *S. Thomà cit. dist. 39. q. 1. art. 1. ad primum*, *Palud. q. 4. art. 3. Couar. de matrim. part. 2. q. 1. Sanchez lib. 2. disp. 9. num 5. Gutier. cap. 42. num. 5. Auersa q. 1. de matr. sect. 6. Poncius disput. 49. q. 3.* Videtur tamen probabilior Sententia prior, quia omne Sacramentum in seipso debet
52 constare ex materià, & formà sensibilibus proprijs, quæ in Matrimonio Sacramentali sunt corporum traditio, & acceptatio, ergo sine his Matrimonium non fit Sacramentum.

53 Alij tamen absolutè negant fieri Sacramentum, siue interueniat nouus consensus, siue non, & hi sunt Castropal. *de Sponsal. disp. 2. p. 2. num. 14. citans Vasquez, Coninch. Ponce, quos sequitur Meldu. disp. 7. num. 32. Hiquens in 4. dist. 26. Scoti num. 57. & 58.*

Probat primò Castropal. quia Infideles ad Fidem conuersi perseuerant in eodem vinculo Matrimonij, in quo erant ante, siue de nouo consentiant, siue dissentiant, quia neq; ex dissensu vinculum diminuitur, neq; consensu augetur, ergo ex nouo consensu non potest Matrimonium effici.

54 *Respondeo*, hoc argumentum solùm probare, nouum consensum non prodesse, nec dissensum obesse Matrimonij vinculo, non verò probat consensum nouum nihil operari in eleuatione eius ad esse Sacramentum, ad hunc enim effectum renouatur, vt de contractu ciuili fiat Sacramentum; non verò vt vinculum augeatur; probat ergo solùm inalterationem vinculi in ratione contractus.

55 Probat secundò, Sacramentum Matrimonij tunc est, quando baptizati sibi mutuò corpora tradunt ad coniugalem vsum, at Infideles Fideles facti renouantesq; consensum non sibi inuicem corpora tradunt, quia sunt tradita, solùm enim possunt traditionem factam approbare; at approbatio traditionis non est traditio, neq; nouus contractus Matrimonij; ergo nequit esse Sacramentum, aliàs quoties Fideles contractum prius factum approbarent, nouum Sacramentum Matrimonij susciperent, quod est absurdum.

56 Respondeo, concessà maiore nego minorem, quia alia est traditio in Contractu, alia in Sacramento, esto enim eadem sit materia, & forma in Matrimonio respectu Contractus, & Sacramenti, quando ambo recipiunt simultaneum esse; tamen quando vnum succedit alteri, tunc renouatio respicit vtrunq. non solùm traditionem corporum, sed etiam vtriusq. eorum, acceptationem denuò factam; non enim implicat in morali eandem rem traditam iterum tradere, sicut praxis se habet, quod Priuilegium à Principe concessum perpetuò, & traditum suo subdito, denuò conceditur, & traditur ab eius successore; nec quis dicat, esse solùm confirmationem, non traditionem no- 57
uam, sed solùm approbationem: Quia cum ex pluribus causis contingere possit traditio, vt docet *Glos. V. quod meum est, in cap. Inter dilectos 6. de fide instr.* non est absurdum, si repetatur traditio in Matrimonio ad effectum, vt eleuetur in Sacramentum, nulli enim fit præiudicium, cum per nouam traditionem nihil auferatur, sed aliquid aquiratur nempe Sacramentum & Gratia sacramentalis producta ab illà mutuà traditione, & acceptatione corporum, per quod etiam magis roboratur contractus Matrimonij, quod poterat solui, altero nolente conuerti ad Fidem, vt supra probatum fuit, licet id neget Castropal. pro defensione suæ Opinionis, reuerà enim Matrimonium eleuatum ab his in Sacramentum redditur insolubile, ex quo significat vnionem Christi cum Ecclesià, quam non significabat ante illorum conuersionem. Nec sequitur, quòd ex eà renouatione reiteretur Sacramentum, quia semel acceptum non est opus alia renouatione, quæ si fiat frustratoria est in ordine ad Gratiam consequendam, cum per eam non possit amplius confici Sacramentum, sicut non potest fieri nouus ciuilis contractus Matrimonij iam absoluti, & terminati in suo genere.

Quid dicendum, si alter Infidelis non conuertitur? Vel Fidelis ex Apostolicà dispensatione contrahat cum Infideli. Numquid in vtroque casu Fidelis faciat Sacramentum Matrimonij.

R.

58 ℞. Neuter, primum patet, quia prior contractus non renouatur per mutuum Consensum, immo soluitur, vt probatum fuit supra num. 41. Quicquid dicat *Brancatus disp.* 13. *num.* 164. Nec eius ratio suadet, quòd intendit, quia Infidelis esto intendat facere quod faciunt cæteri Fideles, reuerà tamen hoc non sufficit, cum necessarium sit huic intentioni habilitas in intendente, cum Coniuges sint ministri huius Sacramenti respectu sui, non aliorum, ex quo Infidelis potest esse minister v. g. baptizando, non autem huius Sacramenti, quod ordinatur ad seipsos; sunt enim agentes, & recipientes.

Secundum pari ratione probatur, ea enim dispensatio non reddit habilem Infidelem ad conficiendum in se hoc Sacramentum, quod ex suis intrinsecis quantum est ex diuinâ Institutione ordinatur ad conferendam gratiam indiuisibiliter, nisi ponant obicem peccati, est enim Sacramentum viuorum per gratiam Baptismi. Ita *Sanchez lib.* 2. *disp.* 8. *num.* 1. *Vasquez* Coninch. Ponce *Meldul. disp.* 7. *num.* 38. *cum* Castropal. *disp.* 2. *part.* 2. *num.* 11. Contra Sotum, & Læssium apud eundem, & contra Brancatum disp. 13. num. 160.

59 Secundo dubio respondetur, Ius baptizandi Filios Coniugum ex Fideli, & Infideli spectare ad Fidelem, siue sit masculus, siue fæmina parens, quia potiora debent esse Iura pro salute prolis, quam quæ pro patriâ potestate faciunt, in hoc præiudicialia animæ prolis Ita *Azor. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *q.* 3. *Farin. in Fragm. part.* 2. V. *Iudai num.* 631. *cum alijs Barb. ad cap. Iudai* 10. 28. *q.* 1. *num.* 7.

60 Confirmatur id ex Doctrinâ Scoti *in* 4. *dist.* 4. *q.* 9. *num.* 2. *vers. Dico ergo breuiter,* Principem posse inuitis parentibus infidelibus baptizari facere eorum Paruulos, modò prouideat, ne maiora mala inde sequantur, vbi Hiquæus, & Brancatus de Baptismo disp. 14. art. 5. defendunt Scotum ab Aduersarijs.

Restat dicendum, an Matrimonium contractum inter Fidelem, & Hæreticum, vel inter Hæreticos, sit Sacramentum?

61 ℞. Si Hæretici sunt de sectâ eorum, qui negant Matrimonium esse Sacramentum, tenet quidem Matrimonium, sed caret Sacramento ex defectu Intentionis; Hæretici enim non intendunt facere id, quod illis certò creditur falsum; huius generis sunt Luterani, & multi alij ex antiquioribus Hæreticis, contra quos inuehit *Brancatus de Matrim. disp.* 13. *art.* 1. *per totum*. Certum autem est, nullum Sacramentum confici posse à Ministro, nisi habeat Intentionem con-

62 ficiendi, in sententiâ omnium *Theologorum in* 4. *dist.* 6. definitum de Fide *Sess.* 7. *can.* 11. Est ergo Ministri intentio necessaria ad valorem Sacramenti cuiuslibet, ac proinde etiam in Matrimonio, quare excludentes hanc intentionem, dum Matrimonium contrahunt, impediunt eius eleuationem in Sacramentum.

Sed contra est, quia Christus in Institutione huius Sacramenti, hoc essentialiter coniunxit, & inseparabiliter à valido contractu Matrimonij, adeo quòd volens hunc contractum non potest reijcere ab eo rationem Sacramenti, cum nemo possit Dei voluntati contradicere, stante hac inseparabili coniunctione Sacramenti ad contractum Matrimonij. Ergo cum ruat fundamentum, quo nititur nostra responsio, sequitur non posse dari validum Matrimonium, quod non habeat adiunctum Sacramentum. Et ita docent *Hiquaus in* 4. *sent. Scoti dist.* 26. *num.* 61. *Brancatus disp.* 13. *num.* 169 *& seq. Castropal. disp.* 2. *p.* 2. *num.* 5. *cum Sanch. lib.* 2. *disp.* 10. *num.* 6. Non potest ergo secundum istos dari vnum sine altero, ob necessariam, & essentialem connexionem, quam ambo habent ex Institutione Christi. 63

Contrarium nihilominus tenendum est, quia licet sit verissimum, & certissimum, ac de Fide tenendum, Matrimonium à Christo Domino fuisse pro Fidelibus eleuatum in Sacramentum; nullibi tamen in Sacrâ Scripturâ, & à Sanctis Patribus exprimitur hæc essentialis connexio cum hoc contractu, ergo voluntate contrahentium excludi potest Sacramentum à Matrimonio, & sine dubio excluditur ab Hæreticis contrahentibus illud, dum tenent hanc Hæresim, in qua sine dubio sunt tenaces. Ita docent *Pontius, Rebellus, Villalobos, & Vasquez, quos pro se citat Diana part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 255. *cum alijs Meldul. disp.* 7. *num.* 41. Quare cum validum esse possit Matrimonium in ratione Contractus, quamuis desit in eo Sacramentum, qui sic contrahunt, continuò manere debent in eo, cum verum sit Matrimonium, & indissolubile, verum quidem est, quòd facta est irriuerentia frustrando Sacramentum, quod ex diuinâ Institutione coniũgitur Matrimonio, vnde præsumitur Matrimonium in ratione contractus validum habere adiunctum Sacramentum, nisi voluntate expressâ, vel virtuali sit exclusum, vt censeri potest exclusum potissimum ab Hæreticis Luteranis, & alijs, qui Hæretici sunt contra hunc Articulum, quòd Matrimonium sit Sacramentum; ratio enim conuincit, cum nolle pro aliquo, quod certò apud se credit esse nihil, voluntas enim aliquid habet pro obiecto, non verò nihil, & non ens, cuius nulli sunt effectus ex vulgatis iuribus. 64 65 66

De maleficijs contingentibus in Matrimonio dicam infra sect. 42.

Vide Caramuelem in Theologia Fundam. impressionis Romanæ explicantem sub num. 577. &

577. & seq. quandam Bullam Vrbani VIII. incip. *Cum sicut accipimus*, circa impedimentum Cognationis spiritualis.

SECTIO DVODECIMA

De pœnis temporalibus contra Hæreticos.

SVMMARIVM.

1 *Actus legitimus ille dicitur, qui factus est secundum formam Legis.*
2 *Actus humani ad sui valorem requirunt voluntatem, & potestatem.*
3 *Actus est nullus defectu vtriusq; vel alterius tantùm.*
4 *Hæretici sunt inhabiles ad quoscunq; actus legitimos.*
5 *Recensitos in cap. 13. de Hæret.*
6 *Incapacitas, & inhabilitas Hæreticorum ita efficax, vt promotio eorum sit nulla.*
7 *Decretum enim irritans adiunctum habet.*
8 *Priuatur ipse officijs, & beneficijs receptis ante crimen.*
9 *Publica officia, quibus sunt priuati Hæretici, referuntur.*
10 *Illa relinquere non tenentur, nisi post Sententiam.*
11 *Licet lex dicat eorum priuationem incurri ipso facto.*
12 *Bonorum confiscatorum dominium retinent vsq; ad Sententiam.*
13 *Procedit in Bonis, Officijs, & Beneficijs.*
14 *Bulla Pauli IV.* cum ex Apostolatus 19. *ex num.* 5.
15 *In qua priuantur voce actiua, & passiua.*
16 *Requiritur tamen declaratoria.*
17 *Solum ex parte vocis actiuæ.*
18 *Pænitens dicitur, modo pæniteat ante Sententiam.*
19 *Non euadit pœnas pœnitens iam denuntiatus.*
20 *Contrarium refertur.*
21 *Filij pœnitentium non sunt priuati.*
22 *Testes esse non possunt.*
23 *Nec pro nec contra Christianum.*
24 *Admittuntur in causis Fidei fauore Fidei.*
25 *Emendatus non admittitur.*
26 *Nec in criminalibus.*
27 *Testari non potest.*
28 *Referuntur nouem dubia.*
29 *Valet tamen Testamentum.*
30 Ipso facto, ipso iure, Statim *arguunt latam Sententiam.*
31 *Dubia in meliorem partem interpretanda.*
32 Sit *est ferendæ sententiæ, nisi aliud habeat adiunctum.*
33 Cap. Licet canon 14. de elect. in 6.
34 Priuatus sit *Participium passiuum requirens actionem Iudicis.*
35 *Fiscus est dominus bonorum solùm post Sententiam.*
36 *Infamia quomodo incurratur ab Hæretico.*
37 *Censuræ tantùm habent executionem paratam.*
38 *Testamentum rumpitur condemnatione Hæretici.*
39 *Et tunc retrotrahitur ad diem commissi criminis.*
40 *De aquisitis post Abiurationem disponere potest.*
41 *Hæreticus, amplius non dicitur reconciliatus.*
42 *Contrarium tenent nonnulli.*
43 *Pænitentiâ non conualidatur Testamentum.*
44 *Confiscationis pœna est annexa delicto Hæresis.*
45 *Peractâ Pœnitentiâ aquirit factionem vtranq; Testamenti.*
46 *Testamentum valet de bonis non confiscatis.*
47 *Factum pro Filijs non valet.*
48 *Nec factum ad pias causas.*
49 *Prohibitio facta vni ex relatiuis extenditur ad alterum,*
50 *Filiorum bona illis reseruantur,*

cum

cum non sint Patris.
51 Successione priuatur.
52 Vocantur in Iudicium; non citant alios.
53 Iudices Hæretici nihil validè agunt.
54 Error communis dat Iurisdictionem non habenti.
55 Inhabilis vt fiat Iudex.
56 Iurisdictionis defectus est insanabilis.
57 Aduocatus esse non potest.
58 Patrocinium est Officium honorificum.
59 Aduocatus perdit suum Officium.
60 Priuatio in prædictis habet adiunctam hanc conditionalem, si sequatur Sententia.
61 Doctor fieri non potest, & iam factus priuatur.
62 Doctoris gradus est Officium saltem priuatum.
63 Doctorum ordo in Ecclesiâ præcipuus.
64 Notarij esse non possunt.
65 Priuantur hoc Officio.
66 Creatio eorum nullius est momenti.
67 Rogant instrumenta creati ante delictum, non post Sententiam.
68 Probatur.
69 Dictio per ipsum est relatiua præcedentium.
70 Instrumenta confecta post Hæresim durant vsq; ad Sententiam.
71 Contrarium alij.
72 Durant etiam post, nisi in Sententiâ irritentur.
73 Instrumenta facta à Clerico aliàs Laico, valent, nisi edicto speciali prohibeatur Clericus illa rogare.
74 Pœnitentes rogant Instrumenta.
75 Præterita, si op us est, auctorizante.
76 Immo & perficere imperfectum.
77 Nullitas in Scripturis Notariorum magis nocet partibus, quàm Notarijs.
78 Instrumenta non sunt nulla, nisi per Sententiam super ipsis factam.
79 Sub nomine Instrumenti venit etiã Testamentum.
80 Procuratoris Officium cessat, & illius actus sunt nulli.
81 Ad has pœnas incurrendas, an requiratur perseuerantia in hæresi per annum.
82 Hæreticus amittit patriam potestatem.
83 Dubia quinq.
84 Sententia non requiritur ad perdendam patriam Potestatem.
85 Pater non potest testari pro Filio impubere.
86 Pater alitur à Filio in extremâ tantùm necessitate.
87 Reconciliatus non recuperat patriam Potestatem.
88 Fautores non afficiuntur hac pœna.
89 Donationis incapaces non fautores.
90 Contra Sanchez, & Castropalaum.
91 Hæreticus perdit dominium serui.
92 Dubia tria.
93 Serui per Sententiam contra Dominum fiunt liberi.
94 Serui Christiani non transeunt in Fiscum.
95 Libertas decet Christianos de Iure diuino.
96 Serui non veniunt sub condonatione bonorum factâ Pænitenti.
97 Libertas semel concessa fit irreuocabilis.
98 Donare, & contrahere prohibetur.
99 Alienationes necessariæ non prohibentur.
100 Fiscus quæ non possit reuocare.
101 Perdit Iura, quibus alij se obligarunt.
102 Hæreticus vsq; ad Sententiam retinet dominium, possessionem, & administrationem suorum bonorum.
103 Fides data Hæretico seruanda est.
104 Obligatio mutuæ promissionis ex virtu-

virtutibus Veritatis, Fidelitatis, & Iustitiæ oritur.

1 Actus ille dicitur legitimus, qui secundùm Legem, & eius formam factus est, *Decius in cap. ex parte, de rescr. num. 1.* E contrà verò ille actus est illegitimus, qui fit contra Legem, & eius formam, Actus autem humani ad sui valorem duo requirunt,
2 Voluntatem, à quâ dicuntur humani, & voluntarij, atque Potestatem, regulatam ab ordinatione Legis. Ita omnes docent *cum Baldo vol. 1. cons. 326. Decio vol. 2. cons.*
3 198. *Surdo lib. 1. cons. 2. num. 33.* Defectu autem vtriusque, vel alterius tantùm, actus non exit nisi nullus. Omnes *cum Hondedeo lib. 1. cons. 27. num. 6. Menoch. cons. 108. num. 4. Surd. cons. 301. num. 29. lib. 3. Mar. Anton. lib. 1. resol. 38. num. 8.*

4 Quod autem Hæretici sint inhabiles ad omnes, & singulos actus legitimos expressè dicitur à Leone X. in Bullà contra Martinum Luterum incip. *Exurge Domine* 40. in Bull. Nouo § 4. extensâ *in fine Direct. fol. 90 & 93. Gloss.* V. *Sit etiam intestabilis, cap. Excommunicamus 13. de haret. Farinac. q. 187. num. 46.* & alij communiter.

5 Quinam autem sint isti actus legitimi, & Officia, ad quæ inhabilitantur Hæretici, & priuantur obtentis ante Hæresim, recensentur *in cap. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæreticis*, & in Bullis Innocentij IV. incip. *Nouerit* 18. & Nicolai III. pariter incip. *Nouerit* 2. ambabus in B. N. & in fine Direct. illâ sub fol. 18. hac fol. 67. De quibus etiam Paulus IV. *in suâ incip. Cum ex Apostolatus 19. in* B. N. §. 5. antecedenter confirmans omnes pœnas contra Hæreticos statutas. Et licet tam textus illius cap. quàm dictæ Bullæ statuant huiusmodi Inhabilitates, & pœnas contra Fautores, nihil dicendo de Hæreticis, qui in eisdem antecedenter degradantur si Clerici sint, & cum alijs traduntur Curiæ seculari, eorum bonis confiscatis. Pœnitentes verò perpetuo carceri mancipantur; nihilominus, & ipsi sunt inhabiles, & priuati officijs, atque actibus legitimis, vt omnes sentiunt prout testatur *Castropal. p. 1. tract. 4. disp. 5. p. 26. sub initium*, Nec erat necesse repetere nomen Hæreticorum, nam ex quo, vel tradebantur Curiæ seculari, vel perpetuo Carceri, Mors, & Carcer illos inhabilitabat, & priuabat prædictis actibus legitimis.

6 Vnum præmitto quæstionibus subijciendis, nempe Inhabilitatem, & incapacitatem Hæreticorum, & eorum fautorum ad Beneficia, Officia, & actus legitimos, ita esse efficacem, vt Promotio eorum ad hæc sit irrita, & nullius momenti, hoc enim importat verbum Inhabilitatis, & Incapacitatis ex suo sensu *l. si minor. 4. ff. de seruis exportandis.* Et patet ex citatis Bullis. *Nouerit*, in quibus est expressum Decretum irritans his verbis: *Ad nullum Ecclesiasticum* Beneficium, 7
aut Officium admittantur, quòd si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Inquit Nicolaus 3. & Innocentius 3. & Paulus 4. vtitur his verbis *Inhabiles, & Incapaces.* Idem dicitur *cap. Quicumq; 2. de Hæret. in 6. §. Hæretici autem*, cum Fautoribus, & eorum *Filij vsque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum* Beneficium, *seu Officium publicum admittantur; quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.* Et in cap. Vt commissi 12. eod. in 6. dicitur: *Priuandi præterea, vel priuatos nuntiandi Dignitatibus, aut alijs Beneficijs ecclesiasticis* De quo textu dixi sect. 10. num. 28. Circa vero Officia, & Beneficia, quæ Hæretici, & fautores habebant ante perpetrationem Criminis, seu fautoriæ sic decernitur ab Innoc. IV. *Nos enim prædictos, & quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium Personarum dignitates, personatus, & quæcunque alia ecclesiastica* Beneficia *sunt adepti ex nunc priuamus taliter aquisitis, volentes vt tales, & habitis perpetuò careant, & ad alia, vel similia nequaquam in posterum admittantur.* Per verbum *Prædictos* intelliguntur Hæretici, fautores, & eorum Filij vsque ad secundam generationem, nam refert, & repetit omnia præcedentia cum suis qualitatibus *Decius cons. 108. num. 8. Paris. lib. 3. consil. 49 num. 22. Rota part. 3. dec. 101. num. 3.* Et idem decernit Nicol. 3 num. 22. *Nos enim prædictos ex nunc priuamus Beneficijs aquisitis, volentes vt tales &c.* Paulus item 4. §. 5. inquit. *Priuati existant eo ipso.* Ex his ergo manifestum est, Hæreticos, & eorum fautores esse inhabiles ad Officia, & Beneficia, adeo quòd admissio attentata nullius sit momenti, vt probatum est ex decreto irritante, Receptos verò antè crimen, post illius perpetrationem esse ipso iure illos priua- 8
tos. Ita omnes cum *Farin. q. 189. num. 71. Barbos. ad hoc cap. Vt commissi 12. num 10. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5. num. 4.* Et licet videantur loqui tantùm de Beneficijs ecclesiasticis, idem tamen dicendum est de Officijs etiam profanis, sub illis verbis, *aut Officium* Bullarum *Nouerit*, & alijs ex cap. Quicunque citato ibi *seu Officium publicum*, pro qua re vide Farinac. q. 189. num. 44. His præmissis.

Quæritur primò, quænam sint ista Officia publica, ad quæ non sunt admittendi Hæretici, & eorum Fautores?

℟. Colligi ex Bullis *Nouerit*, his verbis: 9
Nec ad publica Officia, seu Consilia, nec ad eligendos alios ad huiusmodi admittantur. Et eadem habentur in cap. Excommunicamus 13. de hæret. Amplius in Bulla Pauli 4. *Nec*

voce

voce Personas, scriptis, nuntio, aut procuratore aliquo ad publica, seu priuata Officia, vel Consilia, seu Synodum, vel Concilium Generale, vel Prouinciale, nec Conclaue Cardinalium, aut aliquam Fidelium Congregationem, seu electionem alicuius admittantur, nec admitti possint. Hæc vltima exponit, & ampliat præcedentes priuationes, ita quòd Hæretici, & fautores eorum, quibuscunque Officijs, & Beneficijs tam ecclesiasticis, quam laicalibus, siue publicis, siue priuatis sunt ipso iure priuati, & vt vno complectar verbo carent *voce actiuâ, & passiuâ* respectu quoruncunque actuum tam dandi, quam recipiendi, de quibus vocibus mentionem facit idem Paulus §. 3. Obseruandum tamen est, quòd non tenentur ab-
10 dicare se ab illis, & spoliare, sed illa relinquere post Sententiam Criminis, facta executione de mandato Iudicis, nemo enim tenetur exequi contra se Sententiam, de ratione enim pœnæ est, vt sit contraria voluntati, *D. Thom. part. 1. q. 8. art. 5. & l. 2. q. 87. art. 2. & 2. 2. q. 18. art. 3.* cum illa non incurratur, nisi per executionem Sententiæ, vt colligitur ex *l. Bius, qui delatorem ff. de iure fisci, Bald. de Feudis sine culpâ non amitt. Decius in cap. 1. in primâ lect. de constit. num. 73. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3 fine*,
11 Etiamsi Lex dicat, eam incurri *ipso facto*, vt docet Sententia communissima plusquam 40. Doctores *à Pasqual. cit. q. 153. num. 4. Centur. 2.* In nostris terminis *Pegna part. 3. Direct. com. 158. Simanch. de Catol. instit. tit. 9. num. 173. 187. Vasq. 1. 2. q. 96. art. 5 disp. 170. cap. 3. Sanchez lib. 2. cap. 22. num. 2.* & 3. *cum alijs Barb. ad cap. Cum secundum 19. de haret. in 6.* Quam putat probabiliorem, & receptiorem, & licet loquantur de bonorum confiscatione, quorum dominium ad-
12 huc retinent quousque per Sententiam declarentur, saltem veram habent possessionem *& Simanch. cit. à num. 173. Surd. de Alim. tit. 9. q. 32. num. 14. Ricciul. lib. 5. cap. 31. num. 10. Barb. ibidem vers. Antequam.*
13 Et licet loquantur de confiscatione bonorum, & de priuatione Beneficiorum idem tamen dicendum est de priuatione Officiorum, non enim est maior ratio vnius priuationis, quam alterius, cum priuatio de prædictis omnibus sit pœna legalis, quæ delinquentem non obligat nisi post Sententiam declaratoriam, quamuis irrogata sit ipso Iure, & alijs quamplurimis citatis *à Barb. ad cap. Quæ in Ecclesiarum 7. de constit. num. 6. Diana resol. 23 de legibus*. Et in his terminis loquitur Castropal. *part. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5.* de pœna priuationis Beneficiorum, & Officiorum *num. 4. vers. Requiritur tamen*, citando *Sanch. num. 7. Farinac. q. 189. num. 43. & 44. & num. 77. ad 80.*
14 Quoniam in Bulla Pauli IV. expressè fit mentio de Priuatione Vocis actiuæ, & passiuæ contra Hæreticos, quæ Inhabilitas est ad recipiendum Beneficium, & Officium si sit passiua; si verò actiua ad dandum, & conferendum, immo & ad Consilium dandum; dubitatur an in his requiratur Sententia Criminis declaratoria, iuxta superius dicta?

℞. Affirmatiuè, quia esto in Constitutio- 15
nibus dicatur, quòd pœnæ priuationis incurrantur ipso facto, absque vllâ declaratione, & quòd aliter factum, sit nullum, & irritum: non ideo dicuntur incurri statim in Foro Conscientiæ, nisi secutâ declaratione Criminis; non autem, Sententiâ contra pœnam, cum ea sit iam à Lege lata, per ea verba, *ipso iure, absque alia declaratione* scilicet Iuris, vt ita interpretantur *Sanchez lib. 9. disp. 30. num. 1. Lessius lib. 2. cap. 29. num. 63. cum alijs Thesaurus de pœnis part. 1. cap. 5. Ampliat. 1.*

Quòd ergo in Priuatione vtriusque Vocis 16
requiratur declaratoria Criminis perpetrati, cui iniuncta fuit pœna, docent *Sotus lib. 1. de Iust. q. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. q. 6. art. 3. fine. Sanchez lib. 2. cap. 22. num. 19. & 20. cum alijs Castropal. part. 1. tract. 3. disp. 2. p. 2. num. 11. Ianuarius part. 1. resol. 65. num. 50. vers. Ex dictis; alijs citatis Passerinus ordinis Prædicat. de elect. cap. 10. num. 134. Diana part. 1. tract. 10. resol. 24.*

Ego autem quamuis iudicem valdè pro- 17
babilem præfatam Opinionem, quò ad Vocem passiuam, crederem tamen esse magis longè probabilem, Electum ad Officium debere se abstinere, quia cum ad Officium consequendum requiratur consensus Electi, & in suâ sit libertate cōsentire, potest sine suæ Famæ læsione dissentiri renuntiando Electioni de se factæ, siquidem nullum Ius quæsitum habet, sed tantum Ius imperfectum, immo nullum, & sic debet cessare dissentiendo. Secus verò dicendum est respectu vocis actiuæ cuius habet Ius quæsitum innixum Officio, cui non ita facilè renuntiari potest sine aliquâ nota, & ideo prosequendo sui Officij exercitium non peccat, dum nondum per Sententiam est priuatus.

Dubitatur hic, an Hæreticus pœnitens 18
euadat Priuationem Beneficij, & Officij, ac Dignitatis tam Ecclesiasticorum, quam laicorum? Pænitens verò non solùm dicitur, qui ante denuntiationem spontè comparet accusando sua delicta Hæresis, quod est propriè pœnitere in hoc genere; verùm etiam si pœniteat ante Sententiam condemnatoriam.

℞. Quod pertinet ad comparentem spon- 19
tè nulla est difficultas quia tractatur benignè, & sine Processu, & ideo cum hic locum non habeat Sententia, sequitur nullas incurrisse pœnas, quas in Conscientiâ debebat subire, vt patet ex probatis. Denuntiatus verò

licet

licet pœniteat ante Sententiam non euadit huiusmodi Priuationes, quia summi Pontifices in suis Bullis supra citatis promulgant dictas Priuationes contra Hæreticos, qui inciderunt in Hæresim; Pœnitentia autem non potest efficere, quòd non inciderint in crimen, ex quò delinquens statim incipit esse reus pœnæ, ergo positâ Sententiâ, remouendi sunt à suis Beneficijs, & Officijs, non enim Inquisitores possunt condonare illis has pœnas. Ita *Simanch. de Catol. Instit. cap. 47. num. 76. Repert.* Inquis V. *Conquerantur. Sanch. lib. 2. cap. 26 num. 13. Zebius in sum. part. 1. de fide cap. 11. num. 16. apud Dal Bene Dubit.* 104. *num.* 3. Qui tamen eos non sequitur, nec *Castropal. tract. 4. disp. 4. p. 5. num. 7. vers. Secunda* alios pro nostrâ sententiâ refert *Farinac q. 189. num.* 83. & videtur facere Pegna *part. 3. com. 162 vers. iam tandem.*

20 Contrarium tenent plerique relati *à Castropalao, dal Bene locis citatis, & à* Barb. *ad cap. Ad abolendam 9. de Hæret.* per illius hæc verba. *Totius ecclesiastici Ordinis prærogatiuâ nudetur, & sic omni Officio & Beneficio spoliatus Ecclesiastico &c. Nisi continuò post deprehensionem erroris ad Fidei Catolicæ vnitatem sponte recurrere &c.* Sed posteriores Pontifices sine huiusmodi limitatione priuauerunt Hæreticos suis Beneficijs, & Officijs, vt patet in eorum Bullis Innocentij IV. Nicolai III. & Pauli IV. cum ea Claus. *Etiam in corpore Iuris Clausis*, & Pij V. in sua incip. *Cum ex Apostolatus* 29. vbi quòd Beneficia ipso iure vacant. Gregor. XIII. in sua incip. *In Ecclesisijs 66.* annullantis dispositiones beneficiales, quæ cõtra sanctiones, & Apostolica priuilegia fiunt personis prohibitis propter Hæresim, & à Fide Apostasiam.

21 Filij autem Hæreticorum emendatorum non sunt priuati Officijs, & Beneficijs, expressè *cap. Statutum 15. de Hæret. in 6. vbi Barb. num. 8. citat Doctores.* Alexander IV. in Bulla incip. *Quod super* extensa in *Calce Direct fol. 24. & per Honorium* 3. in sua incip. *Exhibita* ibidem fol. 55. Filij Hæreticorum pœnitentium non suspecti assumi possunt ad omnia Officia, Beneficia, & Dignitates, ac promoueri possunt ad Ordines. Ratio est, quia Pœnitentia hæretici Parentis, licet quò ad hoc sibi non prosit, æquum est, vt prosit filijs, qui non peccauerunt.

Quæritur 2. An Hæreticus, & fautores Hæreticorum possint esse Testes?

22 ℞. Negatiuè, cap. Excommunicamus 13. §. Credentes: ibi *Nec ad testimonium admittantur.* Idem dicit Innoc. IV. §. 3. Nicolaus III. §. 6. Paulus IV. in sua Bulla 19. §. 5. Ratio huius prohibitionis colligitur ex cap. Ipsa pietas 22. 23. q. 4. *Qui enim diuina Testimonia non sequuntur, pondus humani Testimonij perdiderunt.* Doctores citat *Farinac. q. 56. à num. 206. & q. 188. à num. 111.* Ita quòd nec admittitur contra Christianum, 23 nec illius fauore, *Gloss. V. contra Ortodoxos, l. Quoniam C. de Hæret.* Nec obstat *cap. Si Hæreticus 26. 2 q. 7.* vbi admittitur Hæreticus fauore Fidelis; quia ille textus non est Canonicus, sed ciuilis, ideo illi non est standum; Hæretici enim non sunt vocandi, sed carcerandi, & puniendi. Non admittitur in causa Fidei fauore Fidelis, *Direct. part. 3. q. 68. Pegna com. 117. Vers. fin. Farinac. q. 188. num. 127.* Neque in causis ciuilibus Contractuum, & Testamentorum, *ex cap. Non potest 24. 2. q. 7.* & in canonibus initio citatis, qui absolutè loquuntur sine aliqua restrictione. Nec obstat *l. Quoniam de Hæret.* loquens tantùm, vbi non possunt haberi Testes Catolici, *Farinac. cit. num. 130. & 131. Barb. ad dictam leg. 10. num. 9.*

Admittitur verò Hæreticus contra alium 24 Hæreticum, vel Fidelem in causis Fidei, & fauore Fidei, cum suis exceptionibus, *ex l. Quoniam 10. C. de hæret. & Nouella 45. relata cap. Si hæreticus 26. 2. q. 7. Farinac. q. 188 num. 138 Pegna part. 3. com. 117. vers. Neque his obstat Carena part. 3. tit. 5. num. 26. Ego in Praxi crim. cap. 10. num 32. tom. 5. impress Lugdun. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. § 1. num. 5.* Recipitur tamen cum suis exceptionibus, hæretici excommunicati, & infamis, ideo videtur solùm facere indicium ad inquirendum. Immo Farin. num. 121. dicit, casum non esse dabilem, quod vocetur hæreticus ad testificandum, cum sit potius carcerandus, & puniendus.

Sed quid dicendum est de Hæretico emendato, numquid valet eius Testimonium? ℞. 25 Non est admittendus, emendatio enim non tollit infamiam Iuris, quam contraxit, cum per dispensationem tantùm auferatur, vt dixi Sect. 10. num. 10. Ita colligunt Doctores *ex cap. Testimonium 54. de Test. cogendis*, vbi criminosus etiam pœnitens repellitur in criminalibus 26, *Specul. de teste § 1. Vers. Quid de portantibus crucem, num. 85. Mascard. concl. 1356. num. 35. Farin. q. 56. num. 215.* Hæc habent locum etiam in Fautoribus.

Quæritur 3. An Hæreticus & fautor possit Testamentum facere?

℞. Negatiuè, quòd nec Hæreticus, nec 27 Fautor potest testari. cap. Excommunicamus, Vers. Credentes his verbis: *Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem.* Innoc. IV. §. 3 Nicol. III. §. 7. *Sit etiam intestabilis, nec Testamenti habeat factionem.* Paulus IV. §. 5. *Sint etiam intestabiles.* Consentit lex *Manichæos 4. §. Præterea C. de hæret.* his verbis *Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue Testamento, siue Codicillo, siue Epistola, siue quolibet alio genere reliquerit Voluntatem.* Pro declaratione.

Pro-

28 Propono sequentia dubia. *Primum est* An Testamentum ab Hæretico, vel Fautoribus Hæreticorum sit ipso iure nullum? *Secundum*, an si valeat, nihilominus positâ condemnatione rumpatur? *Tertium* an per huiusmodi ruptionem reuocatum dicatur, & retrotractum vsq. ad diem criminis commissi. *Quartum*, an valeat factum de bonis aquisitis post Abiurationem? *Quintum* An conualidetur per actam Pœnitentiam. *Sextum*, An valeat de bonis non confiscatis? *Septimum* An factum pro Filijs valeat? *Octauum*, An valeat factum ad pias causas? *Nonum*, an Filij Hæreticorum, & Fautorum sint intestabiles ex præfatis canonibus, & lege?

29 Primo respondetur valere, quia ista dictio *Sit* licet vbi agitur de articulis Fidei sit latæ Sententiæ, eo quòd omnis Hæreticus est ipso Iure excommunicatus, ita quòd hæc dictio ex suâ naturâ magis significat futuram actionem quam præsentem, ex eo quòd addi-
30 tur ei *ipso iure, ipso facto*, *statim* & huius generis dictiones indicant, latam esse iam Sententiam à legislatore *Glos.* V. *suspensos cap. Cupientes 16. prope finem*, *de elect. in 6.* adest enim Claus *Eo ipso fore suspensos*, quarum omissione talem vim non habet ex se, ergo aliud significat, nempe actionem futuram, hoc est, Sententiam ferendam, dum latam non importat nisi adiunctione vnius ex illis clausulis. Est ergo verbum *Sit* futuræ Sententiæ, vt docent *Glos. cap. Generalis* 11. 25. q. 1. *Glos. cap. 2. de foro compet. Megal. part. 3. lib. 1. cap. 5. num. 6.* Addit *Nauar. cap. 27. num. 12. & ex eo Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 91.* cum verbum *Sit* seruiat temporibus præsenti, & futuro, ac proinde sit indifferens, atq; ambiguum, in benigniorem partem esse accipiendum, & sic pro futuro tempore, & sententiâ ferendâ, non pro latâ, quæ rigidior est dubia enim in meliorem partem sunt interpretanda, *cap. Estote 2. de regul. iur. l. semper*
31 *57. & 153. de Reg. iur.* vbi dicitur, quòd in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam tutius.

Probatur etiam propriâ ratione, quia Hæretici prohibentur alienare sua bona, & tamen alienatio facta ante Sententiam condemnatoriam sustinenda est, ergo à fortiori testari potest, quod nullam dicit alienationem. Et ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 24. num. 3. Farinac q. 190. num. 89. Vasq. l. 1. q. 171. cap. 1. num. 11. & de testam, cap. 9. §. 1. dub. 4 num. 11. Decianus lib. 7. cap. 49 num. 20. cum alijs dal Bene Dubit. 146. num. 5. de Lugò disp. 24. de iust. num. 64. Castropal. tract. 4 disp. 5. p. 26. num. 1.*

Contrarium, quòd sit nullum etiam ante Sententiam criminis declaratoriam docent *Pegna par. 3. com. 165. Vers. Rursus, Peregr. de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 172. Vers. Notandum tamen*, quos cum alijs citat *Barb. ad cap. Excommunicamus 13. num. 30. Sanchez, & dal Bene* locis præcitatis. Probant *Primò*, quia verbum *sit* importat latam Sententiam, ex Barb. dict. hac 374. *Secundò*, quia Testamentum de bonis, quorum Fiscus dominus est, nullius est momenti. *Tertiò* Peregr. probat, quia quòd Reus sit infamis, vel quòd sit intestabilis trahunt secum executionem, nam quò ad hos effectus non expectatur alia declaratio super crimine, sed statim crimine commisso Reus incurrit ipsas pœnas.

Ad primum patet Verbum *sit* esse ferendæ Sententiæ, nisi habeat adiunctam claus. eo 32
ipso, statim &c. vt probaui supra, & certè *Glos. V. Priuatos cap. Licet canon 14. de elect. in 6.* dicit esse latæ Sententiæ, non ex vi dic- 33
tionis *sit*, sed ex alijs verbis, id intelligendum est; in textu enim sic scribitur: *Sit præsentis Constitutionis auctoritate priuatus.* Ecce, quòd ipse Legislator damnat negligentem in promotione ad Sacerdotium, aliàs remouebatur per Iudicem, *cap. in cunctis, de elect.* Item *Glos. V. Innodetur cap. 2. de Hæret. in 6.* magis stat pro nobis, dum adiungit dic- 34
tionem *Eo ipso* ad significandum latam Sententiam in claus. *Priuatus sit.* Vti enim participium passiuum requirit actionem Iudicis, & idem habet *Glos. V. Relegati l. Amissione sit capitis diminutio, ff. de capitis diminut.* præterquam quòd res ibi dubia *est, & Glos.* à nobis allatæ præualent.

Ad secundum dico Fiscum non esse dominum bonorum Hæreticorum, nisi secutâ Sen- 35
tentiâ declaratoriâ; vnde vsq; ad eam sunt hæretici rerum suarum domini, vt docet receptior Opinio Doctorum, quos refert *Barb. ad cap. cum secundum 19. de Hæret. in 6. num. 4.* Ideo bene de illis testantur, licet datâ Sententiâ rumpatur Testamentum.

Ad tertium *Infamia Iuris, siue Facti*; hæc incurritur facto existente notorio, quia no- 36
torietas ipsa succedit loco declaratoriæ, Iuris verò non incurritur nisi per Sententiam Hæresis declaratoriam, ex probatis sect. 10. num. 2. Pari ratione idem dicendum est de factione Testamenti, quòd non habet executionem paratam, sed parandam per Sententiam vt probatum fuit; habere enim executionem paratam est proprium Censurarum, *cap. Pa-* 37
storalis 53. de appellat. vbi Glos. V. Excommunicatio executionem secum trahit, non aliarum pœnarum, à quibus executio separabilis est.

Secundo dubio respondetur, positâ criminis condemnatione statim Testamentum 38
rumpitur, & reuocatur; aliter Lex hæc intestabilitatis Hæreticorum, & Fautorum esset inutilis, & derisoria, si nullum sortiretur effectum suæ prohibitionis. Et ita docent omnes præcitati sub primo dubio coacti ita sentire, ne admittant præfatum absurdum.

39 Tertiò, rupto Testamento per condemnationem, retrotrahitur sequta Sententia ad diem commissi criminis, & Testamentum habetur perinde ac si non fuisset antea factum ita docent præcitati *Sanch.lib. 2.cap.24 num. 3.Vasq.1.2.q.96. art. 3.disp. 171. cap. 1.num. 11.Molina de iust.tom.1.disp. 95.col.2. Vers. Secundum est, quos citat Ricciul. lib.5.cap.28. num. 9. vers. Contrarium*, Qui cum alijs ait id procedere siue Testamentum sit factum ante Sententiam, siue post.

40 Quartò, Hæreticus de bonis aquisitis post Abiurationem testari potest, tum quia eius propria sunt, tum quia non dicitur amplius Hæreticus; sed Deo reconciliatus, cum per Abiurationem detestetur omnes Hæreses; vnde Arsen.part. 10. Orac.226.inquit. *L'Heretico penitente non può ne deue piu da alcuno se non ingiuriosamente esser chiamato Heretico, hauendo la Penitenza lauata, e del tutto leuata dal cuor di lui la macchia brutissima di cotal Delitto.* cum ergo non amplius sit Hæreticus potuit rectè, & validè bona aquirere & de eis testari. Ita *Sanch lib. 2.cap.24.num. 4.Vasq.de testam. cap. 9 §. 1. num. 26.ex illis Dal Bene Dubit.146.num.7.*

41

42 Contrarium tenent *Repert.V. Pœna.Royas singul.185. num.3. Calder. de pœnis haret. apud Farinac.q. 190.num.93.* Sed eorum assertio non probatur, cum se fundent in cap. Excommunicamus, quod loquitur de Hæreticis formaliter, non de Pœnitentibus, nec in casu nostro.

43 Quintò, per actum Pœnitentiæ etiam ante Sententiam non conualidatur Testamentum, quia pœna Confiscationis bonorum est

44 annexa delicto Hæresis *cap. cum secundum 19.* Confirmatur, quia Peccatori per reconciliationem acceptam in Absolutione sacramentali non condonatur pœna, quæ de eternâ fit temporalis soluenda in Purgatorio, ergo nec Hæreticus licet pœnitens euadit pœnam nullitatis sui Testamenti, de bonis suis ante Sententiam aquisitis. Quòd ergo non conualidetur Testamentum per Pœnitentiã docent *Repertorium, Royas, Calderin. cum Farinac.cit.q.190. num.93.* qui magis loquun-

45 tur in hoc casu, quàm de præcedenti, de quo videtur loqui solus Calderinus, quos in his terminis citat etiam *Dal Bene loco cit. nu. 10.* Post Penitentiam verò censetur aquisisse vtranque Testamenti factionem, tam actiuã, quam passiuam, *ex Sanchez lib. 2 cap. 14. n. 40. Ricciul.lib.5.cap.27.num.17. Barb.ad cap. 13.eod.num. 33.* modo dicto supra §. Quarto.

46 Sextò, valet Testamentum de bonis non confiscatis, quia solùm bona confiscata sunt subiecta, & non alia, ergo de alijs testari potest, dum non sunt descripta, & publicata. Ita *Sanchez lib.2.cap.24.num.4.*

47 Septimò, Testamentum pro Filijs factum non valet, quia prohibitio facta est simpliciter omnibus Hæreticis, ac proinde tam habentibus, quam non habentibus Filios. Ita colligitur *ex Auth.Gazaros C.de Haret.* quòd Filij non succedunt Parentibus Hæreticis, ergo nec ab intestato, nec ex Testamento, *Glos.V.Ipso iure cap.cum secundum 19.de haret.in 6.Simanch.de catol. instit. tit.9.n.4.Dal Bene Dubit. 146.n.8.* Colligitur ex cap. Vrgentis 10. eod. vbi Filij Hæreticorum priuantur Hæreditate paternâ, etiam legitimâ, vbi Barbosa à num. 25.

Octauò, Testamentum Hæretici, & Fautorum ad pias causas non sustinetur, quia relatiua non iudicantur ad imparia, ex vulgaris Iuribus, & prohibitio facta vni, extenditur ad alterum, *Menochius cons. 136. n. 10.& 11. Gonzal.ad Reg.8. Cancellar glos.50.num.12.* & pœna apposita vni, censetur alteri adiuncta, *l. Vn.C.de empt.Nauar.cons.5.de empt.* Sed instituens, & institutus sunt correlatiua, ergo prohibitus instituere, prohibetur etiam institutus ab Hæreditate, dum nullum est Testamentum. Et ita docent *Pelin. in cap. Si quis, de Haret.num.11. Locatus V. Pœna n 9. Dal Bene Dubit.146.n.8.Barb.lib. 3.cons.255.n.1. cum alijs Farinaz q. 189. num. 92* Intellige secutà Confiscatione bonorum cum declaratione Criminis, iuxta superius dicta. 48 49

Nonò de bonis, quæ sunt propria Filiorum vt profectitia, aduentitia, Castrensia, vel quasi castrensia, Filij Hæreticorum, seu fautorum possunt testari, dum ipsi non sunt Hæretici, quia solis eorum Parentibus prohibetur testari. Bona ergo propria Filiorum illis reseruantur, vt docent citati à Barbosa *in cap.Vrgensis 10.de Haret.in 6. num. 12.* de profectitijs; *num.13.* de aduentitijs; *num. 15.* de Castrensibus, vel quasi Hæc enim non confiscantur, ac proinde nec de illis prohibetur testatio 50

Quæritur 4. An Hæreticus, & Fautor prohibeantur à successione Hæreditatis?

℞. Affirmatiuè, cap. Excommunicamus 13.§.credentes, de Hæret. his verbis: *Nec ad Hæreditatis successionem accedãt* ijsdẽ verbis vtuntur Innoc.*4.n.3.& Nicolaus 3.§ 8.* quãuis aliqui dicant hanc prohibitionem restringi ad Hæreditatem respectu Testamenti, cum de eo tantùm mentio antecedenter facta sit; nihilominus docent intelligendum id esse de quacunq; successione, communiter Doctores *cum Quemada q.18. fiscalium, Simanch tit.9. n.124.Royas singul.79. Farinac. q. 179.n.94. Barb.ad cap.13.n. 31.* An proinde hæc prohibitio locũ habet in successione delatà siue Iure Communi, siue militari, siue Iure Fideicommissi, Institutionis, aut Legati particularis *Ric.multis citatis lib.5.cap. 27.n.3.& 4.* Etiã si successio deferatur per modũ contractus inter viuos. *Azor.part 1.lib.5.cap.8.q.1.& lib.8 cap.12 q.8.Sanch.lib.2.cap.14.n.36.Ric.lib.5. cap.26.n.5.* Procedit quoq; quamuis successio, aut relictum deferatur vigore Maioratus, seu 51

Pimoge-

nituræ. *ex Sanch. num. 32. Ricciul. num. 6. apud dictum Barbosam num.* 32. Qui rem limitat non habere locum in *Reconciliato*, qui habet factionem Testamenti tam actiuam, quam passiuam, *ex Sanchez num.* 40. *& Ricciul. num.* 17. Qui etiam est capax Legati alimentorum, *Bossius de publicat. bon. num.* 72. *Borgnen. de Vsufr. num.* 238. *Surd. tit.* 9. *de alim. q.* 33. *num.* 7. 8. *&* 9. *Sanch. num.* 41. *cum alijs idem Barb. num.* 34. Inhumanum enim est hominem fame perire, quamuis tunc quis dicat, non perire, quia alitur ex elemosinis certis pauperum; sed pauperes necessitate non sunt fraudandi à Fisco, qui debet alere diuitem Hæreticum ex suo, dum suorum bonorum est iustus possessor vsq. ad condemnationem.

Quæritur 5. An Hæreticus, & Fautor possint vocari in Iudicium, & vocare alios?

52 ℞. Possunt vocari, non autem vocare; illud enim odiosum, hoc fauorabile; ideo illud eis prohibetur, hoc conceditur Fidelibus contra illos. Ita *ex cap. Excommunicamus* 13. *de Hæret.* illis verbis: *Nullus præterea ipsi super quocunq negotio, sed ipse alijs respondere cogatur* Eisdem verbis vtuntur Innocentius §. 3. & Nicolaus §. 9. Paulus IV. §. 5. *Nullus præterea cogatur eis super aliquo negotio respondere*. Super his solùm dico id procedere contra Hæreticum, cuius delictum iam probatum est, nec adhuc pœnitentiam egit emendatus. Vide *Farinac. q.* 189. *num* 48.

Quæritur 6. An Hæreticus, & Fautor si sint Iudices possint exercere suum Offi-
53 cium?

℞. Negatiuè, sic enim disponitur in cap. Excommunicamus 13. eod. his verbis: *Quod si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur*. Eisdem verbis vtitur *Innoc. IV §.* 3. *Nicolaus III.* §. 10. *& Paulus IV. de hac re Farinac. q.* 189. *num.* 49. *citat. Doctores, Ricciul. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 8. *ad* 11. Qui omnes tenent, Sententiam ab eis latam esse omninò nullam; in textu enim hoc expræssè dicitur, quod procedit, licet litigantes ignorent, Iudicem esse Hæreticum, vel Fautorem, *Royas singular* 88. *&* 178. *Decian. lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 3. *Barbosa in cit. cap. Excommunicamus* 13. *num.* 35. adeo quòd Processus coram eo agitatus eit ipso Iure nullus cum eis *Maranta de ord. Iudic. part.* 4. *dist.* 16. *num.* 77. Non tamen placet, quod dixit Royas cit. singul. 178. num. 3. Non valere Sententiam eius Iudicis, qui communi opinione reputabatur, *ex Glos. in summà* 24 *q.* 1. *Alber in l. Barbarius ff. de Offic. Prætor. col.* 12. *& ibi Iason num.* 62. Quia casui nostro de Iudice Hæretico ignoto bene quadrat ratio illius textus, quia humanius est dicere actus eius subsistere, quam ruere in præiudicium tot Personarum, quæ culpabiles non sunt, satis enim trita est Doctorum Sententia fere omnium asserentium errorem communem dare Iurisdictionem non habenti, 54
vt ex professo multis probat *Sanchez lib.* 3. *disp*: 22. *Bonac. q.* 2. *de Matrim p.* 8 *num.* 24. *Bossius de Iubileo casu* 2. *à num.* 143.

Pagnan. part. 6. *ad cap quod à prædecessore de hæret n.* 149. requirit quatuor conditiones. *Prima* est, quòd titulus habeatur à vero Superiore. *Secunda*, vt in Beneficijs non sit reseruatio. *Tertia*, vt error sit communis etiam recipientibus. *Quarta*, vt error sit facti, non Iuris. Sanchez cit. num. 58. requirit tria, Titulum saltem coloratum; errorem communem, & quod nihil desit de Iure naturali. Hæc apparent in Iudice tam ecclesiastico, quàm seculari; si enim habeantur, & reputentur fideles; & carere vitio Hæresis, nulli dubium esse debet, eorum acta valere ob bonum commune, quia supremi Iudices censentur approbare eorum acta, ne Subditi patiantur damna irremediabilia cum incommodis intolerabilius absque culpà
propriâ. 55

Quòd si Hæreticus fiat Iudex etiam ante Sententiam, & eo magis post illam, nulliter hoc Officium accipit, ac proinde acta ab ipso nullius sunt momenti, quia prohibitio inducit inhabilitatem, & incapacitatem in Hæretico recipiendi Officia quæcunque cum decreto irritante, vt ostendi in hac sect. num. 6. & 7. Acta quoque Iudicis hæretici, seu Fautoris sunt nullius momenti, stante Sententiâ contra eum latâ. Ante verò dum est occultus valent, vt probaui mox; nec ob-
stat, quòd aiunt, Iurisdictionis defectum 56
esse insanabilem, *ex allatis à Guaz. Defens.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. *Surdus cons.* 301. *num.* 18. Tùm quia non obest, quia error communis dat Iurisdictionem non habenti; tum quia insanabilis, est ab ipso Iudice putato, sanabilis verò à Lege, & à Principe, ex supradictis; tum quia insanabilitas respicit notorietatem defectus.

Quæritur 7. An Hæreticus, seu Fautor possit fieri Aduocatus, & eius Patrocinium admittatur?

℞. Non potest esse Aduocatus, nec eius 57
Patrocininum admittitur. Cap. Excommunicamus 13. eodem illis verbis; *Si fuerit Aduocatus eius Patrocinium nullatenus admittatur*. Idem habetur in Bullis Innoc. IV. §. 3. Nicolai III. §. 11. Pauli IV. §. 5. Doctores recenset *Farinac. q.* 189. *num.* 52. *Ric-
ciul. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 11. reddit rationem, 58
cur non admittantur ad patrocinium, quia patrocinium est officium honorificum, & laudabile, *l. Aduocati C. de Aduocatis diuers. Iud. & in l. Sancimus C. eod. Guazin. Defens* 25. *cap.* 10. *num.* 6. Repertorium Inquisitorum V. *Aduocatus vers. sed vtrum, &*

in verſ. Nota, dicit, quòd Sententia, in qua
aduocat Hæreticus, non eſt inualida, & ratio
eſt, quia in textu non annullatur Sententia,
ſed ſolum patrocinium, vtile enim per inu-
tile non vitiatur ex vulgatis iuribus.
59 Sed numquid perdit ipſo Iure officium
Aduocationis, quod habet? Sic, vt probaui
de omnibus ſupra hic num. 8. tamen illud
dimittere non tenentur, niſi per Sententiam
Iudicis declaratoriam Hæreſis, vel Fautoriæ,
vt probaui ibidem num. 10. ea enim priua-
tio, ipſo iure, habet adiunctam conditiona-
lem, ſi ſequatur Sententia, ante quam per-
ſeuerat in poſſeſſione ſui officij vſque ad il-
lam. Quoniam omnis Aduocatus debet eſ-
ſe Doctor, vt poſſit exequi officium, ideo.
60 Quæritur 8. An Hæreticus, ſeu Fautor
poſſint promoueri ad Doctoratum in vtro-
que Iure, & etiam in Theologia? Et quid de
iam Doctorato?
61 ℞. Non poteſt promoueri, & promotio
attentata eſt nullius momenti, etiam ſi fiat
Doctor ante Sententiam; Doctor verò iam
exiſtens gradum amittit poſt Sententiam.
Primum probatur ex cap. 2. de Hæret. in 6.
ibi: *Seu Officium publicum* cum decreto irri-
tante, & cap. Vt commiſſi 12. eod. in 6. ibi
62 *Priuatos nuntiandi dignitatibus* Clariùs
Paulus IV. §. 5. illis verbis: *ſed Publica, ſi-
ue priuata Officia, aut Conſilia*. Doctoris
autem gradus eſt Officium ſaltem priuatum,
ſi non publicum, vt docet *Sanch. lib. 5. diſp.
22. num.*49. Immo eſt dignitas, *ex cap. Quan-
to 3. de Magiſtris*, *Riccius part. 1. deciſ.* 216.
63 *num.* 13. *Thomatius de præced. num.* 189. *Ia-
nuarius reſol.* 1. vbi plura. & Doctorum or-
do in Eccleſia Dei, eſt præcipuus, *Cap. cum
ex iniuncto* 13. *de Haret. cap. Sicut eod.* lo-
quuntur de Doctoribus Iuris Canonici, &
in S. Theologia potiſſimùm; meritò ergo ab
his honoribus ſunt repulſi Hæretici, & Fau-
tores eorum, cum ſint infames, quibus non
patent portæ Dignitatum, Reg. 87. in 6. Et
ita docent omnes *cum Deciano lib. 5. cap.* 43.
num. 4. *cap.* 51. *num.* 79. *Ricciul. lib. 5. cap.* 20.
num. 13. *Royas ſingul.* 105. *apud Barb. ad
Auth. Credentes, l. de haret. num.* 12. Secun-
dum, quòd doctoratus ante Hæreſim amit-
tat gradum poſt Sententiam criminis, &
non ante probatur ex rationibus mox addu-
ctis in præcedenti quæſtione, & ſub num. 10.
hic.

Quæritur 9. An Hæreticus, & Fautor poſ-
ſint creari Notarij, & validè ſcribere Inſtru-
menta, & Teſtamenta?
64 ℞. Non poſſunt validè creari neque im-
perialiter, neque apoſtolicè, & creatio atten-
tata eſt nulla cum ſubſequentibus eorum a-
ctibus; creati verò ante commiſſionem Hæ-
reſis, vel Fautoriæ validè agunt ante Sen-
tentiam, non verò poſt.
65 Primum probatur, quia Hæretici ſunt in-
capaces Officij cum decreto irritante locis ci-
tatis in præcedenti quæſtione, & num. 6. ad
10. ſupra hic; ergo & Notarij, quorum gra-
dus ſine dubio eſt Officium, & quidem publi-
cum, Caſtrenſis *lib. 2. conſ.* 226. *num.* 1. *Pe-
trus Anchar. ad cap. Sicut te, num.* 1. *Verſ.
Quærit Gloſſa, Nec Cler. vel Monachi*. Ergo
ſunt incapaces, vt fiant Notarij. Et ita *Fa-
rinac. q.* 189. *num.* 50. *multis citatis*.
Secundum, quòd eorum creatio ſit nulla, 66
probatur, quia Officium quodlibet collatum
Hæretico, vel Fautori habet adiunctum de-
cretum irritans, ex allatis hic num. 7. & 8.
Tertium, quòd creati ante commiſſionem 67
Hæreſis, vel Fautoriæ valeant rogare licet
peccent, non autem poſt Sententiam vali-
dè agant, probatur ex cap. Excommunica-
mus 13. his verbis: *Si Tabellio; Inſtrumenta
confecta per ipſum nullius ſint momenti, ſed
cum auctore damnato damnentur*. Idem de-
cernunt *Inoc. IV. §. 3. Nicolaus* III. §. 12. *&
Paulus IV.* §. 5. *Auth. Credentes C. de Haret.*
Doctores vocat *Farinac q.* 149. *num.* 50. *Ric-
ciul. lib. 5. cap.* 20. *num.* 15. *Barb. in dicta
Auth. num.* 13. *& in dicto cap. num.* 37. Pro
cuius rei clariori intelligentiâ.
Dubitatur *primò*, an inualida ſint Inſtru-
menta facta à Notario ante commiſſionem
Hæreſis, vel Fautoriæ? Vel ſaltem incipiant
eſſe nulla à die commiſſi criminis? *Secundò*,
an inualida ſint ipſo Iure ſcripta poſt Hære-
ſim, ſeu Fautoriam? an ſolùm à die latæ
Sententiæ criminis? *Tertiò*, an reuerſi ad
Fidem pœnitentes poſſint proſequi ſuum
Officium? *Quartò*, an antiqua Inſtrumenta
authenticare facta tempore Hæreſis? *Quintò*,
quid de Teſtamentis?
Primò reſpondetur, valere Inſtrumenta 68
ſcripta à Notario antequàm incideret in cri-
men, quia allati textus loquuntur de Hæ-
retico tali tempore confectionis Inſtrumen-
ti, vt inſinuat illud verbum *per ipſum* ſcili-
licet Hæreticum, vel Fautorem, quod eſt
relatiuum præcedentium cum omnibus ſuis
qualitatibus illud deferens in ſequenti diſpo- 69
ſitione, vbi exprimitur *Barb. dict.* 177. *num.*
1. Valent ergo, nec per ſubſequentem Hæ-
reſim, vel fautoriam euadunt nulla, quia
nullo iure annullantur. Confirmatur id to-
tum, quia prohibitio reſpicit tantùm Inſtru-
menta poſt crimen confecta, vt mox pro-
babo.
Secundo reſpondetur, Inſtrumenta con- 70
fecta poſt Hæreſim, ſeu fautoriam non eſſe
inualida niſi poſt Sententiam criminis, vt
expreſsè colligitur ex textu, ibi: *Sed cum
Auctore damnato damnentur*. Solùm autem
per Sententiam damnatur, ergo ſolùm ab
eo tempore incipiunt eſſe inualida. Ita do-
cent *Royas ſingul* 89. *Scaccia de Iudic. Cau-
ſar. cap* 98. *num.* 19. inquit enim Royas in 71
fine, Inſtrumenta ab Hæretico confecta an-
tequam

tequam de Hæresi sit damnatus valent, ne partes decipiantur. Quod meo iudicio idem sentiunt cum *Ricciul. lib. 5. cap. 20. num. 16. & Barbosa ad cap. 13 cit. num. 37.* prædicti cum alijs ab illis citatis, dum dicunt, Instrumenta eorum non valere, nisi postquam lapsi sunt in crimen. Sed quis scire potest, Notarium esse lapsum in Hæresim, vt possit quærere Notarium fidelem? nisi postquam super hæresi condemnatus est, vt bene dixit Royas, cui omnino standum est; immo audeo dicere valere etiam post Sententiam, si in ea Hæreticus priuatus non fuit
72 expresse, ob ea verba: ***Sed cum Auctore damnato damnentur*** scilicet Instrumenta, vt plane colligitur ex præfato textu. Faciunt, quæ
73 habet ***Fagn. part. 5. ad cap. Sicut te, ne Cler. vel Monach. num.*** 37. quòd scilicet Instrumenta Clerici alias Notarij secularis valeant, nisi Episcopus publico edicto id Officium illis prohibeat, & tunc deinceps non valent.

74 Tertiò, reuersi ad Fidem pœnitentes possunt prosequi validè exercitium sui Officij, quia prohibentur quatenus sunt Hæretici, sed pœnitentes non amplius dicuntur Hæretici, vt patet sub num. 41. Ita ***Rimin. iun. lib. 2. cons.*** 185. ***apud Ricciul. lib. 5. cap. 20. num. 17. apud Barbos. ad cap. 13. de haeret. num. 37. apud Farinac. q. 189. num.*** 51. Procedit hoc, quando Hæreticus, vel fautor expresse Officio non fuit priuatus, quem nec priuat Legislator locis citatis, si enim priuatus fuit in eadem criminis Sententiâ, certè per pœnitentiam non restituitur.

75 Quartò, antiqua Instrumenta, quæ non fuerunt declarata nulla, pœnitens, vel restitutus, potest authorizare copiam extractam, quia nullibi prohibetur ista authorizatio. Confirmatur, quia ex Rota vol. 1. dec. 769. num. 16. vocatis Doctoribus asserit No-
76 tarium priuatum exercitio officij propter delictum in eo commissum posse præteritas Rogationes ante condemnationem scriptas perficere, & in publicam formam redigere, ergo à fortiori in casu nostro.

77 Demum vnum obseruo, huiusmodi nullitatem magis afficere partes, quam ipsum Notarium, cum illis nullitas valdè sit præiudicialis, quod ferè nihil præiudicij videtur afferre Notario, cui esset nociua priuatio officij, de qua nihil agitur. Quare pro communi bono contrahentium videtur di-
78 cendum, eorum nullitatem non incurri, nisi per Sententiam specialiter faciendam de ipsis Instrumentis denunciandis non valere; quod tamen non video practicari contra contrahentes, forsan ex eâ causâ, quia ipsi in nullo peccarunt ignorantes crimen Hæretici, seu fautoris, qui occultè machinantur contra Fidem catolicam, & ideo nihil per Iudices S. Officij decernitur, cum nullitas non afficiat ipsos Hæreticos, sed potius innocentes.

Quintò demùm respondetur, etiam Instrumentum continens Testamentum com- 79
prehendi hic, cum etiam Testamentum redigatur in scriptis non minus, ac scribantur Contractus, hi ergo, & illud Instrumentis cum probantur, sine dubio comprehenduntur in nostro casu.

Quæritur 10. An Procuratoris siue publici ad lites & causas, siue priuati alicuius particularis Officium cesset Hæretici, seu fautoris? Ratio dubitandi est, quia in dictis canonibus non exprimitur nomine proprio.

℞. Officium quoq; Procuratoris cessat, & 80
acta per ipsum nullius sunt momenti, vt habetur in eisdem locis sæpe citatis his verbis: ***Et in similibus idem præcipimus obseruari.*** hoc est, in alijs officialibus Hæreticis, vel fautoribus, quouis nomine appellentur, mandant obseruari, adeo quòd illis applicatur quicquid dictum est de præcedentibus officialibus.

Quæritur 11. An ad incurrendas pœnas, 81
de quibus dictum fuit in præcedentibus quæsitis, necessarium sit, ***vt post quam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus Infamis, nec ad publica officia &c. admittatur*** Aliter intra annum non dicatur reus harum pœnarum? Et non videtur de hac re dubitandum, cum dicta verba, quæ sunt cap. Excommunicamus 13. de hæret. Innoc. III. requirant annum perseuerantiæ in Excommunicatione, alter tamen Innoc. IV. omisit annum, nam sic inquit; ***Vt si postquam quilibet talium fuerit Excommunicatione notatus à sua super hoc non curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis.*** Nicolaus verò III. in §. 4. sic habet: ***Statuentes, vt si post quam quilibet talium fuerit Excommunicatione notatus satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis.*** Fautores ergo Hæreticorum perseuerantes in Excommunicatione per annum, finito anno, & non ante incurrunt dictas pœnas. Non habeo Doctorem in contrarium in his specialibus terminis, vnde me remitto alijs hanc difficultatem meam consideraturis. Vide infra sect. 15. vbi de Fautoribus num. 80. exceptionem.

Quæritur 12. an Hæreticus, & Fautor amittant patriam potestatem, & Filij fiant sui Iuris?

℞. Hæreticum, non Fautorem amittere 82
patriam potestatem, vt decernitur ***in cap. Quicunque 2. de Haeret. in 6.*** §. ***Illorum autem***, quod expresse tantùm de hæretico dixit nulla mentione facta de fautore. ***Farin. q. 197. num. 29.*** citat Doctores.

Dubitatur hic Primò, an ad hanc amissionem

nem requiratur Sententia? *Secundò*, an pa-
83 ter Hæreticus possit testari pro Filio impubere? *Tertiò*, an Filius exemptus à patriâ potestate teneatur Patrem alere? *Quartò*, an Hæreticus Pater per pœnitentiam aquirat patriam potestatem? *Quintò*, an comprehendantur Fautores?

84 Primò respondetur, non requiri Sententiam, ex Gloss. V. Desierint, immo ex ipso textu id deducitur ibi: *Illorum autem Filiorum emancipationem, quorum Parentes, post emancipationem etiam huiusmodi apparuerit ante ipsam a via Veritatis ad Hæreticæ superstitionis inuium declinasse nullius volumus esse momenti velut factam de hominibus sui iuris*. A puncto ergo commissæ Hæresis ipso Iure filij incipiunt esse sui Iuris, & ita docent omnes, quos citat *Barb. hic num.* 30. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 6. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5 *p.* 26. *num* 12. *Pegna part.* 3. *com* 165. *Vers. Crimen*, *Farinac. q.* 197. *num* 29. Dal Bene *Dub.* 150.

85 Secundò, pater Hæreticus non potest testari pro Filio impubere, non quia sit intestabilis ex q. 3. Dub. 1. valet enim, sed quia ad testandum pro impubere requiritur in Patre patria potestas, *ex l.* 2 *ff. de vulgarib. & pupillar. subst.* §. 1. *Instit. de pupillar. subst.* ita docent *Pegna cit. vers. Hac verò*, *Sanch. num.* 6. *fine*, *Castropal. num.* 13. *Dal Bene cit. num.* 2.

86 Tertiò tenetur Patrem alere Filius, eo existente in extremâ necessitate, non aliter, probatur, quia extra casum extremæ necessitatis, Pater non tenetur præstare alimenta Filio, ergo neque Filius Patri, maior enim est obligatio Patris, quàm Filij; Pater autem non tenetur alere Filium Hæreticum, cum possit illum exheredare, *Auth. Vt cum de appellat.* Confirmatur, quia Filius reputatur in hoc casu extraneus. Ita *Decian. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 39. *Sanch. cit num.* 7. *cum alijs Castropal. num.* 14. *Farinac. q.* 182. *num.* 13. *Dal Bene num.* 3. *&* 10.

87 Quartò, Pater hæreticus factus pœnitens, & reconciliatus, non ideo restituitur ad patriam potestatem, quia sicut Lege eâ priuatus fuit, ita & ab eadem est restituendus, sed nulla Lex, nullus Canon ipsum restituit, ergo multò minus per seipsum restituere potest virtute pœnitentiæ, cui non tribuitur talis facultas; nemo enim seipsum liberare potest à pœnâ à Lege, vel Iudice impositâ.

88 Quintò, hac pœnâ non afficiuntur fautores, cum in dictâ parte capitis non exprimantur, sicut bis nominantur in præcedentibus §. Signum euidens, illos non compræhendi in hoc capite. Ita contra *Direct. Pegna part.* 3. *com.* 165. *vers. Iam omnes*, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 5. *Farinac. q.* 197. *num.* 29. *fine*, *Castropal. num.* 15. in Legibus enim non fit extensio personæ ad personam in pœnis, *l. Si quis ita*, §. *Penult. ff. de test am. tutelar. Cepola cons.* 107. *num.* 18. *Roland. à Valle vol.* 3. *cons.* 56. *num.* 24.

Quæritur 13. An Hæretici, & eorum Fautores sint capaces Donationis?

℞. Negatiuè, *ex l. Arriani* 5. *C. de haret.* 89
Quod comprobari potest per cap. In eos 6. eod. ibi: *Nihil conferant*. Vbi Glos. explicat, neque in morte, neque in vitâ, ergo prohibetur donare illis scilicet Hæreticis, de his enim tantùm sermo est in vtroque loco. Et ita docent. *Host. in hoc cap. vers. Nihil conferant*. *Quemada quæst. fiscal.* 18. *Farinac. q.* 190. *num.* 96. *Ricciul. lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 13 *Barb. in hoc cap. num.* 4. *& in l. Arriani num.* 8. Nota autem, quòd textus cap. loquitur de Ecclesiasticis prohibitis conferre aliquid Hæreticis, non ideo tamen concedit hoc laicis.

Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num* 36. *& ex eo* 90
Castropal. cit. disp. 5. *p.* 26. *num.* 11. *Dal Bene Dubit.* 149. putant in rigore Iuris probabilius esse valere donationem, ac proinde ante Sententiam criminis Hæreticum non teneri restituere, sed eam pertinere ad Fiscum post Sententiam. Rationem adducunt, quia nullus textus annullat donationem; deinde in cap. prohibetur, quòd illis non conferatur, non quia sint incapaces, sed quia sunt indigni. Responderi potest ad leg. prohibitionem legalem inhabilitare, *l. Non dubium* 5. *C. de legib.* in cap. verò ne verbum quidem de Indignitate, sed prohibitio afficit Hæreticos, vt tales. Et sic secundùm priorem Sententiam, donatum redit ad donatorem, vel eius Hæredes.

Quæritur 14. An Hæreticus perdat dominium, quod habet in seruos siue Christianos, siue non?

℞. Hæreticus perdit dominium huiusmo- 91
di, & Serui fiunt sui Iuris, & liberantur ab eius potestate, & dominio. Cap. fin. de hæret. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in Hæresim, aliquo pacto quacunq; firmitate vallato, tenebantur adscripti*. Ius quoque ciuile idem statuit l. Deo nobis, §. His ita 42. C. de Episc. & Cler. his verbis: *Iubemus, vt nullus Iudæus, vel Paganus, vel Hæreticus Seruos Christianos habeat, quod si inuenti in tali reatu fuerint, Sancimus Seruos omnibus modis liberos esse*, De Seruis verò non Christianis disponitur in l. Manichæos 4. C. de Hæret. hoc modo: *Seruos insuper extra noxam esse volumus, si Dominum sacrilegum euitantes ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transierint*. Gloss. V. *Extra noxam* explicat liberos à noxâ, hoc est, subiectione periculosâ manendo scilicet cum Hæreticis, subiungo ego. Fautores non subduntur huic pœnæ.

Dubitatur Primò, an hæc Libertas à Ser- 92
uis

uis aquiratur ante Sententiam latam contra Hæreticum? *Secundò*, an Serui etiam Christiani transeant cum cæteris bonis ad Fiscum? *Tertiò*, an Hæreticus pœnitens bonis suis recuperatis, obtineat quoque Seruos sub suo dominio?

93 Primò respondetur, secutâ Sententiâ, statim fiunt liberi, vt colligitur ex eo cap. fin. ibi: *Lapsis manifestè in Hæresim*, nihil eorum magis manifestat Hæresim, quam Sententia, quod etiam suadent ea verba *Inuenti fuerint* ex cit. leg. Deo nobis, perficitur enim, & absoluitur inuentio per Sententiam. Et ita docent *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *p.* 26. *num.* 16. *Dal Bene Dubitat.* 151. *num.* 5.

49 Secundò, Serui Christiani non transeunt in Fiscum, vt docent omnes *cum Farinac. q.* 197. *num.* 30. *Pegna part.* 3. *com.* 168. *vers. Ego in hac*. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 10. *Castropal. num.* 18. *Dal Bene num* 7. *Barb. ad Leg. Manichai num.* 43. Quia libertas decet Christianos de Iure diuino, ad Galat.

95 4. 12. *Qua libertate Christus nos liberauit*; iniquum ergo est, Christi Filium manere mancipium. Serui verò, qui volunt baptizari & si de Iure non sunt liberi, tamen post Baptismum tales efficiuntur, vt præcitati docent, ita quòd ante Baptismum transeant in potestatem Fisci cum cæteris bonis.

96 Tertiò, Hæretico pœnitenti cum donatione bonorum sibi facta à Principe non veniunt, qui Serui aliàs fuerant, sed remanent cum sua libertate, quæ semel concess-

97 sa sit irreuocabilis *l.* 1. *&* 2. C. *Si aduersus libert.* Ita docent *Pegna Vers. si domini*; *Sanch. num.* 12. *Castropal.* 18. *fine*, *Farin. q.* 197. *num.* 30. *Dal Bene num.* 11. *Barbosa ad cit. cap. fin. de Haret. num.* 5.

Quæritur 15. An Hæreticus prohibeatur donare, & Contractus inire cum alijs?

98 ℞. Vtique ex l. Manichæos 4. C. de Hæret. *Praterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem.* Auctores citat Barbosa *hic à num.* 15. *ad* 20. *Farinac q.* 190. *num.* 70. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 50. Vbi dicit, hos Contractus, & alienationes de Iure valere antequam Hæreticus damnetur, dicuntur verò esse nullius momenti, in quantum Fiscus eas retractare potest, quatenus sibi sunt præiudiciales, citando pro se *Bannes* 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. *col. pen. in solut. ad* 34. *Vasq. l.* 2. *disp.* 171. *cap.* 2. *num.* 9. *& alios*, qui Sanchez num. 55 concludit, non prohiberi necessarias alienationes, ex l. Alie-

99 nationes 13. ff. Famil. Ercisc. *Alienationes post Iudicium acceptum interdicta sunt, dumtaxat voluntaria*. Nec obstat translatio dominij ad Fiscum, quia est conditionata, si sequatur Sententia. Præterquam quòd, *ex l. Manichaos* clarè prohibentur alienationes factæ post conuictum Hæreticum, & non ante. Valent ergo alienationes necessariæ ex sententia 20. Doctorum ibi relatorum à Sanchez, qui cum Couar. & Molina dicit, illas Fiscum reuocare non posse, quæ sunt solutio debitorum, venditio ad se alendum, 100
& familiam, pro sanitate recuperanda, pro funere, pro expensis litis circa hoc crimen, vel defensionem rerum suarum, pro reparandis, & conseruandis bonis suis, pro dotandis filiabus, hæ enim alienationes sunt, etiam Fisco vtiles, & non in fraudem, ergo non sunt prohibitæ; ex quo etiam sunt necessariæ, de quibus etiam *Farinac. q.* 190. *num.* 87. qui antecedenti *num.* 86. dicit donata ab Hæretico in pios vsus antequam incideret, non reuocari à Fisco, qui donata ante Hæresim non potest reuocare inquit Farinacius; subiungo ego, neque alienata antequam sit conuictus ex cit. leg. Manichæos, vt dixi supra. Non fit mentio de fautoribus, ergo non sunt rei huius pœnæ.

Quæritur 16. An Hæreticus amittat iura, & obligationes, quibus Fideles se illi constrinxerunt?

℞. Affirmatiuè ex cap. fin. de Hæret. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij quicunque lapsis manifestè in Haresim, aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur adscripti.* Debitores autem pecuniæ, seu alterius rei absolutè 101
non liberantur, sed omninò soluere debent, vel Hæretico ante condemnationem, est enim adhuc dominus suorum bonorum saltem quò ad dominium directum; Fiscus enim ante Sententiam non potest occupare bona Hæreticorum, sed solùm post Sententiam; ac proinde solùm post illam debitor soluere debet Fisco, & non amplius Hæretico, qui omnibus bonis, & iuribus, est spoliatus. Ita docent *Bursatus lib.* 1. *consil.* 14. *num.* 18. *Azor. part.* 2. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 2. *ex illis Castrop. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *p.* 26. *num.* 20. Qui in contrarium citat Siluestrum, & Pegnam, quia Fiscus vt dominus succedit Hæretico in actione, & Iure, quod ille habebat contra debitorem. Sed id verum est solùm post latam Sententiam. Et hæc probat etiam *Dal Bene Dub.* 152. *num.* 2. *cum Sanch. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 8. 102

Hæreticus ergo vsque ad Sententiam retinet dominium, possessionem, & administrationem suorum bonorum, vnde Fiscus nihil eorum ante condemnationem occupare potest, sed solùm post reuocare ea, quæ probantur acta in fraudem suam, vt clarè colligitur ex cap. 19. de Hæret. vbi, quòd executio, & occupatio bonorum prohibetur fieri ante condemnationem. Non fit mentio de fautoribus, ac proinde huic pœnæ non subduntur.

Quæ-

Quæritur 17. An Fides, & Securitas data seruanda sit Hæreticis.

103 R. Seruanda est Fides promissa à Principe, & etiam ab Inquisitore, quia eam dare possunt, id enim cedit in bonum Reipublicæ; intellige respectu Inquisitoris promittere posse Impunitatem ex parte, non omnimodam, quam dare non potest. Ita docent *Simanchas de Catol. instit. tit. 46. num. 52. Menoch. cons. 106. num. 226. & 227. Decian. lib. 5. cap. 20. num. 55. Pegna part. 3. com. 23. vers. Iam. in hac promissione, Farinac. q. 197. num. 24. ex alijs Castropal. p. fin num. 22.* Priuatus verò sicut non potest dare illi Fidem securitatis, ita neque seruare, vt docent præcitati.

Dal Bene Dubit. 153. *sect.* 1. *& seq.* probat, seruandam esse illis Fidem promissam etiam in libertate Conscientiæ, & Religionis, tolerando eorum errores ad euitandum maius malum, quando vtrunque vrget. *Becanus de Fide Hæreticis seruanda cap. 16. q. 1. concl. 2. num.* 8. quia obligatio mutuæ promissionis oritur ex virtute Veritatis, Fideli-
104 tatis, & Iustitiæ, quæ reperiuntur etiam in promissionibus factis Hereticis; ergo seruandæ sunt, ne violentur Veritas, Fidelitas, & Iustitia. Dixi latè cap. 24. q. 82. Sacri Tribunalis.

SECTIO DECIMA TERTIA

De Confiscatione bonorum Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Confiscationis finis est, vt Christiani retrahantur ab Heresi.*
2 *Referuntur Leges de hac re.*
3 *Nec eorum Filij admittuntur ad bona confiscata.*
4 *Pontifices hoc idem statuerunt.*
5 Cap. Vergensis 10. de Hæret.
6 *Contra Filios extenditur confiscatio.*
7 *Idem decernitur in cap. 13. eodem.*
8 *Cap. Cum secundùm 19. eod. in 6. de Confiscatione, quòd bonorum apprehensio non fiat ante condemnationem.*
9 *Refertur Textus præcitati Capitis.*
10 *Ante condemnationem bona confiscata non apprehenduntur.*
11 *Confiscatio definitur.*
12 *Bona sunt ipso iure obligata Fisco, remanent tamen apud Hæreticum quò ad dominium, possessionem, & administrationem vsque ad Sententiam.*
13 *Obligata sunt Fisco à die criminis.*
14 *Nihil tamen transit ad Fiscum, nisi dicta obligatio, ante Sententiam.*
15 Occupare *accipitur in malam partem.*
16 *Hæreticus est dominus suorum bonorum, vsque ad condemnationem.*
17 *Contrarium tenent alij, quòd ipso iure perdat dominium.*
18 *Textus ciuilis ad hoc refertur.*
19 *Dominium importat Ius disponendi de re suà vti proprià.*
20 *Vindicatio rei competit soli Domino.*
21 *Suarez cum alijs recõciliat has opiniones, Dominium scilicet directum transire in Fiscum, vtile remanere in Hæretico vsque ad Sententiam.*
22 *Auctoritates supradictæ non probant translationem dominij.*
22 *Dominium est Ius perfectè disponendi de re suà, nisi Lege prohibeatur.*
24 Quanto tempore Hæres paruulus est. *Ad Galatas* 4.
25 *Fisco non statim tradenda, sed expectanda executio.*
26 *Hæreticus bona confiscata iustè retinet quousque exigantur.*
27 *Non enim tenetur se illis spoliare, sed tantum pati expoliationem.*
28 *Hæreticus non tenetur Fisco esto probet falsò se* Innocentem, *cum sit Reus.*
29 *Fisco non licet resistere positiuè.*
30 *Alienationes ab Hæretico facto intermedio tempore valent.*
31 *Contrarium alij tenent.*
32 *Non semper benè infertur à crimine*

ne læſæ Maieſtatis humanæ ad diuinam.

33 *Alienationes præfatæ non ſolùm firmæ, & ſolidæ, ſed imperfectæ.*

34 *Reuocabiles à Fiſco, cui iam erant obligata bona.*

35 *Præſcribuntur ab Hæredibus Hæretici.*

36 *Etiam quinquennio.*

37 *Immo quadragenariâ.*

38 *Sed melior eſt præſcriptio quinquennij.*

39 *Alienatio neceſſaria impedit reuocationem.*

40 *Alienationes ante delictum factæ non ſunt reuocabiles.*

41 *Non veniunt fructus in reuocatione.*

42 *In contractibus gratuitis nihil reſtituendum Fiſco.*

43 *Quia Hæreticus nihil aquiſiuit donando.*

44 *In contractu onæroſo reſtituitur pretium.*

45 *Procedunt dicta ſiue contrahens ſciat, ſiue ignoret Hæreticum eſſe.*

46 *Pretij exiſtentia probanda eſt à Contrahente.*

47 *Melioramentum inſeparabile non reſtituitur.*

48 *Donatio inter viuos conditionata licet facta ante Hæreſim, purificata poſt delictum, reuocatur.*

49 *Idem dic ſi cauſa mortis; facta tamen Vxori non reuocatur.*

50 *Aquiſita intermedio tempore non confiſcantur.*

51 *Pœna attenditur tempore delicti.*

52 *Sententia non ponit nouum delictum, ſed antiquum declarat, cui eſt annexa Confiſcatio.*

53 *Aquiſita poſt abiurationem non ſunt ſubiecta Fiſco.*

54 *Nec debita, ſub conditione futurâ ipſi Hæretico.*

55 *Debitum Hæretico ex Teſtamento non tranſit ad Fiſcum.*

56 *Fiſcus dicitur Hæres extraneus.*

57 *Ius ſuccedendi in Hæreditate, Fideicommiſſo, & Legato non eſt tranſmisſibile.*

58 *Debitum ex venditione, vel alio titulo Contractum, conditione adimplendà, etiam poſt condemnationem tranſit ad Fiſcum.*

59 *Cur debita ex contractu tranſeunt ad Hæredes, non ex Teſtamento.*

60 *Rector, & Patronus ambo Hæretici ſunt priuati Iurepatronatus,*

61 *Iuſpatronatus con confiſcatur, ſed remanet apud innocentis; ſi non ſunt, fit Eccleſiæ liberum.*

62 *Fiſcus Laicus non confiſcat Iuſpatronatus cum ſit ſpirituale.*

63 *Penſio quò ad fructus confiſcatur à Iudice eccleſiaſtico.*

64 *Confiſcantur Iura, & Mobilia.*

65 *Penſio in odium Hæretici venit nomine Beneficij.*

66 *Fideicommiſſum non tranſit in Fiſcum.*

67 *Alienari prohibita non tranſeunt ad Fiſcum.*

68 *Si tamen prohibitio ſit ad fauorem ſolius Hæretici Fideicommiſſum tranſit.*

69 *Durante vita Hæretici tranſit in Fiſcum.*

70 *Diuiſio non cadit in Fideicommiſſo.*

71 *Alienatione prohibità in genere, etiam in ſpecie.*

72 *Teſtator facere non poteſt quin Leges habeant locum in ſuo Teſtamento.*

73 *Teſtator nullum ius tollit Fiſco, dum vtitur iure ſuo.*

74 *Bona cenſui ſubiecta confiſcantur.*

75 *Succesſio viuentis non datur.*

76 *De bonis Emphiteuticis eccleſiaſticis à num. 68. & ſeq.*

77 *Alienatio eorum non fit in potentiorem.*

78 *Nec tranſit ab Eccleſia ad Eccleſiam.*

79 *Emphiteuſis tranſitoria ſubiecta eſt Fiſco.*

80 *Laicalis nõ transitoria non transit.*
81 *Fiscus est impropriè Hæres.*
82 *Feudum sumitur dupliciter.*
83 *Hæreditarium non confiscatur.*
84 *Fructus, & commoditas secundùm aliquos transit.*
85 *Feudum magis dicitur redire ad Dominum, quam confiscari.*
86 Legitima *Filij Hæretici non confiscatur.*
87 *Legitima non est in bonis Filij, nisi post mortem* Patris.
88 *Est de Iure naturæ quò ad spem.*
89 *Ius legitimæ est tantùm personale.*
90 *Confiscatio non trahitur ad Iura futura, nec conditionalia.*
91 *Legitima exempti à patriâ potestate confiscatur.*
92 *Alimenta non confiscantur.*
93 *Peculium profectitium quid sit?*
94 *Non confiscatur.*
95 *Filiusfamilias, qui est sub patriâ potestate.*
96 Peculium *aduentitium quid?*
97 Publicatur, *sunt enim propria filij.*
98 Quisquis *dictio vniuersalis non requirens restrictionem.*
99 Omnis *non admittit exceptionem.*
100 *Includens ea, quæ aliàs non includeret.*
101 *Argumentum valet affirmatiuè à minori ad maius.*
102 *Aduentitium publicatur solum quò ad proprietatem, fructus sunt Patris.*
103 *Peculium castrense quid sit?*
104 *Filius est proprietarius, vsufructuarius cum liberâ administratione.*
105 *Confiscatur peculium Castrense Filij Hæretici.*
106 *Contra Sanchez probans, quia de hoc nihil Iure statutum.*
107 *Argumentum à crimine læsæ Maiestatis ad Hæresim.*
108 *Peculium Castrense quæsitum propriâ industriâ.*
109 *Quæsitum ante* Clericatum *est aduentitium.*
110 *Confiscatur tam laicis, quam Clericis hæreticis.*
111 *Legitima est tertia pars bonorum Patris, quando filij sunt duo, tres, vel quatuor; dimidia quando excedunt.*
112 *Est confiscata cum alimentis, non autem dos filiarum.*
113 *Dotare filias Ius Naturæ obligat.*
114 *Abscondentes aliquid Filij de bonis Patris hæretici non peccant.*
115 Peculium *profectitium venit sub Confiscatione aliorum bonorum.*
116 *Contra nonnullos.*
117 *Peculium aduentitium non venit sub confiscatione bonorum Patris hæretici.*
118 *Vsusfructus reuertitur ad proprietatem.*
119 *Peculium Castrense, vel quasi, non venit sub confiscatione bonorum Patris hæretici.*
120 *Bona vxoris Innocentis non confiscantur cum bonis Mariti hæretici.*
121 *Nisi ipsa scienter duxerit Maritum iam hæreticum.*
122 *Regulam non restringunt posita causa exempli.*
123 *Vir Catolicus sciẽter ducens Hæreticam non priuatur suis bonis.*
124 *Quarta pars bonorum à Marito promissa Vxori non confiscatur.*
125 *Dos Vxoris hæreticæ confiscatur.*
126 *Vsusfructus est bonum, melius quàm proprietas.*
127 *Vsusfructus non confiscatur secundùm alios.*
128 *Maritus non tenetur alere vxorem hæreticam.*
129 *Mutua donatio inter Coniuges obstat Fisco.*
130 *Contrarium, quòd tale pactum non valeat, tenent alij.*
131 *Donatio inter Vxorem, & Maritum prohibetur scilicet pura, &*

inter

inter viuos, non conditionalis.

132 *Dotem datam Marito probare tenetur, si vult illam recuperare.*

133 *Fundum dotalem venditum à Marito de eius consensu recuperat.*

134 *In dubio, quòd nupserit scienter Hæretico, præsumitur pro Ignorantiâ.*

135 *Dotem non perdit non denuntians Virum Hæreticum.*

136 *Bona Clericorum, quæ sunt Ecclesiæ non confiscantur.*

137 *Vtique patrimonialia.*

138 *Sunt illorum propria.*

139 *Et quæcumque alia aquisita.*

140 *Bona percepta ex causâ Beneficiorum non confiscantur.*

141 *Subduntur Fisco ecclesiastico bona Clericorum confiscabilia.*

142 *Bona confiscata remanent, etiam situata in alienâ Diæcesi.*

143 *Quilibet Hæreticus subiacet huic pœnæ suorum bonorum.*

144 *Fiscus probat alienationes factas in fraudem per indicia perspicua.*

145 *Indicia nonnulla referuntur.*

146 *Confiscatio fit à die, quo Testes deponunt contumacem incidisse in Hæresim.*

147 *Alij volunt fieri à Sententiâ; probant primò.*

148 *Probant secundò.*

149 *Probant tertiò.*

150 *Contumax per annum, eo peracto condemnatur, vt Hæreticus.*

151 *Fisco Ecclesiastico applicantur bona Clericorum, seculari Laicorum.*

152 *Pœna Confiscationis, in quibus casibus remittatur.*

153 *Creditoribus Hæretici satisfacit Fiscus.*

154 *Bona delinquentis sunt ea, quæ remanent deducto ære alieno.*

155 *Fiscus est vniuersalis Successor.*

156 *Non tamen tenetur de suo, sed iuxta vires bonorũ Confiscatorũ.*

157 *In dubio, an debita sint Contracta ante, vel post delictum probat Fiscus.*

158 *Probatio fit summariè.*

159 *Creditoribus satisfit in loco, vbi contractus fuit initus.*

160 *Fiscus subrogatur debitori delinquenti.*

161 *Fiscus, & Hæreticus eadem viâ conueniuntur.*

162 *Fiscus non tenetur satisfacere debitis spiritualibus.*

163 *Hæreticus solùm; non suspectus; nec fautor subijcitur pœnæ Confiscationis.*

164 *Mortuò Hæretico, eius bona possunt confiscari.*

165 *Mortuus vsque ad 40. annos talis declarari potest pro Confiscatione.*

IMperatores catolici, vt Fideles retraherent ab Hæresum perpetratione metu amittendorum bonorum, contra Hæreticos imposuerunt pœnam confiscationis bonorum, prout constat in l. Manichæos 4. de Hæret. his verbis: *Quos bonorum etiam omnium publicatione prosequimur*, & in Auth. sequenti incip. Gazaros sic statuitur. Omnes Hæreticos vtriusq. sexus, quocunq. nomine censeantur perpetuâ damnamus Infamiâ, diffidamus, atq; bannimus, censentes, vt omnia bona talium confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur; ita quòd Filij eorum ad successionem eorum peruenire non possint; cum longe grauius sit, æternam quam temporalem offendere Maiestatem. 1 2 3

Summi Pontifices Romani exemplo Imperatorum hoc idem statuerunt, in primis Innoc. III. relatus in cap. *Vergentis* 10, de Hæret. sic decreuit: In terris verò temporali nostræ Iurisdictioni subiectis bona Hæreticorum statuimus publicari, & in alijs idem præcipimus per Potestates, & Principes seculares. Nec ad eos bona eorum vlterius reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus Hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit. Et infra. Cum enim secundùm legitimas Sanctiones Reis læsæ Maiestatis punitis capite bona Confiscentur eorum, Filijs suis vitâ solummodo, ex misericordiâ conseruatâ &c. Nec huiusmodi seueritatis censuram ortodoxorum exheredatio Filiorum, quasi cuiusdã miserationis prætextu debet vllatenus impedire &c. In hac Decretali approbatur Auth. Gazaros prædicta. 4 5

7 Idem statuitur in cap. Excommunicamus 13. eod. in §. Damnati verò præsentibus secularibus Potestatibus, aut eorum Balliuis relinquantur animaduersione debitâ puniendi, Clericis prius à suis Ordinibus degradatis; ita quòd bona huiusmodi damnatorum, si Laici fuerint, confiscentur; si verò Clerici applicentur Ecclesijs, à quibus stipendia receperunt.

8 Bonifacius VIII. in cap. Cum secundùm 19. de Hæret. in 6. Decreuit, bona Hæreticorum ipso iure esse cōfiscata, sed prohibuit apprehensionem bonorum confiscatorum fieri ante condemnationem Hæretici faciendam per Iudicem ecclesiasticum his verbis: Bona
9 Hæreticorum, qui grauiùs, horribiliùs, & detestabiliùs, quàm prædicti delinquunt, ipso Iure de Fratrum nostrorum consilio decernimus confiscata. Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut
10 alios dominos temporales, iuxta Gregorij Papæ prædecessoris nostri declarationem; antequam per Episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem Sententia super eodem crimine fuerit promulgata.

11 Confiscatio autem sic definiri potest, quòd sit Publicatio bonorum delinquentis facta per eorum descriptionem, quæ à die perpetrati criminis ipso iure remanent obligata, & quasi hypothecata Fisco, qui tamen ea apprehendere non potest, nisi post condemnationem Rei super eo crimine, pro quo eius bona fuerunt confiscata. Hæc definitio in sequentibus quæstionibus probatur, & deducitur ex præcedentibus Iuribus allegatis.

Quæritur igitur primò, an Hæreticus ante Sententiam priuetur ipso iure dominio, possessione, & vsu, atq; administratione bonorum confiscatorum?

12 ℞. Quamuis bona confiscata sint ipso Iure obligata Fisco, nihilominus eorum dominium, possessionem, administrationem, & vsum retinet in sui commodum vsq. ad Sententiam, post quam subsequenter ea aquirit Fiscus, illisq. in omnibus, & per omnia Reus sententiatus statim remanet priuatus.

13 Primum, quòd bona confiscata ipso Iure remaneant obligata Fisco, probatur ex cit. cap. 19. *Bona Hæreticorum ipso iure decernimus confiscata*. Debet ergo Fiscus in ipso actu confiscationis aliquid aquirere, non solùm ex hoc actu publicationis factæ per descriptionem bonorum, is enim est actus publicus, cum sit factus auctoritate Iudicis criminalis; sed etiam ex eâ claus. *Ipso iure*, quæ debet operari aliquid; inducit autem hanc obligationem, quæ non adereat ante confiscationem.

14 Secundum, quòd ante Sententiam condemnatoriam nihil transeat præter obligationem ad Fiscum, probatur ex textu cit. cap. 19. illis verbis. *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet*. Si enim Fiscus à die perpetratæ Hæresis fieret dominus bonorum confiscatorum, non diceretur occupator bonorum si illa apprehenderet ante Sententiam, sed diceretur iustus possessor ex suo dominio, nam verbum *occupare* accipitur in malam partem, *l. Domum 5. ff. de rei vendic. Glos. V. occupare cap. Generali 13. de elect.* 15
iniqua ergo est apprehensio bonorum confiscatorum facta ante Sententiam; argumentum euidens, quòd Fiscus non habet dominium aliquod super rebus confiscatis ante Sententiam, remanet ergo penes ipsum Hæreticum.

Confirmatur per *l. Quæsitum 15. est, an is, qui Maiestatis crimine Reus factus est, manumittere possit, quoniam ante damnationem dominus est? ff. qui & à quibus manum.* Hæreticus 16
ergo dominus est bonorum confiscatorum antequam damnetur. Neque enim Legislator negat illam rationem dubitandi. Super hunc textum multa dicunt Doctores vtriusq. opinionis cum *Castro. part. 1. tract. 4. disp. 5. p. 17. num. 3.* à quo accepit *Dal Bene Dub. 130. num. 5.* ad eos remitto Lectorem, mihi sufficit, quòd Legislator, vt dixi, non damnauit rationem dubitandi. Ita docent *Siman. de Catolic. inst. tit. 9. num. 173. & 229. Ioan Gutier. lib. 2 Canon. cap. 5 num. 28. Lopez in instr. tom. 1. cap. 112. Cardin. cons. 128. num. 2. Victoria Relect. 1. de Insulan. part. 1. num. 14. Franciscus Beccius cons. 57. num. 15. Locatus V. Donatio, Peregrin. de Iure Fisci lib. 5. tit. num. 178. cum alijs dal Bene Dubit. 130. num. 1. Sanch. lib. 2 cap. 22. num. 3. Andr. Facbineus lib. 9. controu. cap. 35. cum Castropal. disp. 5. p. 17. num. 3. Barb. hic num. 4.*

Contrarium, quòd Hæreticus ipso Iure 17
perdat dominium, multis citatis docet *Farinac. q. 190. num. 68. Castropalaus, & Dal Bene* contra se plures alios citant. Probant diuersis legibus. Prima est *ex l. Iudiciorum 20. ff. de accusat.* his verbis *Ex quo quis ali* 18
quod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse. Secunda ex l. fin. C. Ad leg. Iuliæ Maiest. *Nec alienare, neq; manumittere eum posse; neque ei soluere Iure debitorem*. Tertia est Lex 19
canonica ex cap. 19. de hæret. in 6. Dominium autem nihil aliud importat, quàm Ius vtendi re propriâ vti propriâ; ergo cum delinquens ob delictum huius criminis amiserit hoc Ius, perdidit etiam dominium.

Quarta, in l. Quisquis C. Ad leg. Iul. decernitur ob huiusmodi delicta bona delinquentis esse Fisco addicta. Quinta ex l. fin. ff. Ad leg. Iul. Bona delinquentis translata ad Hæredes, si non purgauerint delictum, vin-

dicantur

dicantur à Fisco, ergo is dominus est, cum
20 vindicatio soli domino competat *l. in rem ff. de rei vend.* Sexta, si Fiscus non habet dominium super bonis confiscatis, si transferantur in tertium fructificabunt tertio, non Fisco; sed Fiscus vindicat sibi rem cum fructibus perceptis, ergo dominium illorum bonorum habet. Septima, si Fiscus non esset dominus, frustra in cap. 19. Papa prohiberet occupationem bonorum ante Sententiam certum enim est, non posse à domino rem suam auferri quousq; per Sententiam sit priuatus. Quibus positis.

21 Suarez *de Fide disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 6. *& ex eo Castropal. cit. num.* 4. reconciliant has Opiniones hac distinctione, quòd rationes posterioris Opinionis probant, dominium directum transire in Fiscum, cui bona confiscata sunt obligata; vtile verò secundùm priorem opinionem manere vsq. ad Sententiam apud delinquentem, & reuerà satis bona est huiusmodi distinctio.

22 Dic Tu eas Auctoritates, & rationes non probare translationem dominij delinquentis ad Fiscum, cum prohibere contractus, & alienationes stare possit cum dominio, si quidem dominium est Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi Lege prohibeatur, vt
23 docet *Bartol. in l. Si quis, in §. Differentia ff. de aquir. possessione num.* 4. Vnde certum est, pupillos, minores, & prodigos prohiberi alienare, & contrahere res suas, & tamen earum sunt veri domini, non minus ac illi, qui non prohibentur disponere de suis rebus. De dominio rerum suarum nullus potest dubitare, nisi temerè, cum Paulus ad Galatas
24 4. initio vocet Pupillum dominum: *Quanto tempore Heres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus est.* Pupillus autem comparatur cum seruo, quia ambo non habent vsum liberum bonorum; differunt verò, quia seruus non est dominus, sicut Pupillus. Itaque ex his patet à prohibitione non inferri translationem dominij. Dal Bene Dub. 130. respondet singulis argumentis supra allatis à Castropalao.

Quæritur 2. An facta bonorum Confiscatione Hæreticus statim debeat illa tradere Fisco?

25 ℞. Negatiuè, vt expresè dicitur in cap. Cum secundùm 19. de Hæret. his verbis: *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet antequam per Episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, Sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Ratio est, quia bonorum Confiscatorum delinquens retinet dominium vsque ad Sententiam condemnatoriam, post quam incipiunt esse Fisci; ac proinde potest subsequenter ea iustè, & legitimè apprendere, & facere sua. Ita docent *Menoch. cons.* 99. *num.* 168. *cons.* 185. *num.* 7. *& cons.* 301. *num.* 20. *Surdus dec.* 247. *num.* 2. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 83. *art.* 1. *ex eis Barbos. hic num.* 5. *Simancha de Catol. inst. num.* 9. *num.* 161. *Pegna part.* 3. *com.* 158. *Farinac. q.* 190. *num.* 23. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 5. *part.* 18. *num.* 2. *Dal Bene Dub.* 131. numerans vltra triginta Doctores.

Hæreticus ergo bona confiscata iustè possidet vsque ad Sententiam, ita quòd si ab aliquo de facto occupentur agere possit ad restitutionem, *Burs. lib.* 1. *cons.* 43. *num.* 22. 26
vers. Crederem, Sanch. lib. 2. *cap.* 22. *num.* 18. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 31. *num* 11. *cum alijs Barb. hic num.* 7. subdens cum alijs num. 9. nullatenus teneri restituere ante Sententiam; immo nec post, bonis se spoliare, & tradere Fisco, sed pati tantùm eorum spoliatio- 27
nem, vt colligitur ex illis verbis: *Executio, vel bonorum ipsorum occupatio*, quæ sunt verba actionis relata in Fiscum, non in Hæreticum. Ita omnes *cum Farinac. q.* 190. *num.* 23. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 7. *Castropal. num.* 2. cum alijs præcitatis. Quamuis non teneatur se bonis spoliare, nec illa offerre Fisco; tamen non potest impedire executionem, quam habet Fiscus post Sen- 28
tentiam; quia hac ratione resisteret positiuè, quod non licet; obediendum enim est Iudici. *Bonac. de contract. q.* 8. *p. fin. §.* 3. *num.* 5. *Sanch. num.* 11. *Castrop. num.* 5.

Quid si Reus neget Veritatem, aut falsis Testibus probet se innocentem; ac proindè non sequatur Sententia contra ipsum, quòd, sit Hæreticus, an in hoc casu teneatur tradere Fisco bona, quæ occupasset post Sententiam?

℞. Ad nihil tenetur Fisco, quia is non 29
habet Ius obligandi Reum ad dicendam Veritatem, cùm solùm ad id teneatur Iustitiâ Legali, quæ obligat ad punienda delicta, non ad ditandos accusatores. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 22. *Bonac. in Decal. disp.* 10. *q.* 3. *§.* 5. *num.* 6. *fine. Lessius lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 50. *& 56. ex illis, & alijs Castropal. p.* 18. *num.* 8. Contra Castrum, & Sotum eâ ratione ductos, quia Fiscus habet Ius, ne ab aliquo impediatur, vi, aut fraude ad consequendum, quod sibi debetur. Sed id non obstat, quia Ius solum aquirit, si constat; quòd imputatus probatus sit delinquens, & non aliter.

Quæritur 3. An alienationes ab Hæretico factæ inter tempus criminis commissi, & Sententiam eiusdem sint validæ?

℞. Affirmatiuè, quia intra id tempus, si- 30
cut antea semper retinuit dominium, possessionem, & administrationem rerum suarum, vt probatum fuit sub num. 14. ergo potuit de illis disponere validè. Ita docent *Suarez de Fide disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 3. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 50. *Molina tom.* 1.
disp.

disp. 95. *Vers. Dicet autem, cum alijs Dal Bene Dubit.* 134. *sect.* 1. *num.* 1. *Castropal. p.* 19. *num.* 2. *Farinac. q.* 190. *num.* 72. Quare nec ipse, nec cum eo contrahentes peccant, nisi in contrahente prævideatur futura molestia, vt contingit in contractibus onerosis; nisi recipiens ab Hæretico cognitionem habeat eius Hæresis, quia tunc sibi imputet damnum, in quod voluit incidere.

31 Contrarium, quòd nullæ, & inualidæ sint huiusmodi alienationes docent quamplures apud præcitatos, *Farin. num.* 74 *Castropal. num.* 1. *Dal Bene num.* 1. refert plusquam viginti contra se, & hanc fusè prosequitur *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 35. per totum, dicens esse verissimam. Probat referendo tres Leges. Prima l. Ex Iudiciorum 20. vers. Adeo ff. de accus. ibi. *Ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil de bonis suis alienare eum posse.* Secunda *ex l.* Donationes in concubinam 32. §. *fin. ff. de donat. illis verbis*: *Ratæ donationes esse non possunt post crimen Perduellionis*. Tertia ex l. Pen. & fin. C. ad Leg. Iul. Maiest. ibi: *Neque alienare, neque manumittere eum posse*. Ratio prædictorum est, quia est priuatus dominio, à quo habetur Ius disponendi.

32 Respondetur in genere, non bene inferri à crimine læsæ Maiestatis humanæ ad Legem læsæ Maiestatis diuinæ, quo ad hoc, quia alia crimina solent ad sensum patere, non sic, Hæresis, quæ diu latere solet, vnde ex hac diuersitate non videntur Hæreticorum alienationes esse nullas, & inualidas in præiudicium cum ipsis contrahentium, qui præsumuntur sine dubio ignorare Hæresim; ad quod videtur respexisse textus in l. Manichæos 4. de hæret. ibi: *Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem*, in hoc ergo textu tollitur facultas contrahendi Hæretico conuicto, cum quo si aliquis contrahat, cum præsumatur scire Hæresim eius, ac proinde se non posse cum eo contrahere, ideo si damnum patitur, sibi imputet.

33 Ad dictas Leges Auctores prioris Opinionis respondent, eas non asserere alienationes esse absolutè, & simpliciter nullas, & inualidas, sed valere quidem non firmiter, sed tantùm imperfectè, & sub conditione si non infirmentur. Et id colligitur ex 2. auctoritate, cuius verba sunt hæc. *Perfectæ donationes esse non possunt post crimen Perduellionis contractum*. Ergo erunt imperfectæ, ac proinde subsistent eo modo, quo subsistere possunt, donec scilicet reuocentur Ricciul. vsus fuit hac dictione *Rata*, loco *Perfecta*, quæ in textu est, non ideo tamen diuersificatur sensus. Et ita respondent Doctores prioris opinionis cum *Castropal. num.* 3. *Dal Bene num.* 5. & 6.

Quæritur 4. An huiusmodi alienationes possint reuocari? Ratio dubitandi est, quia videntur præiudiciales ijs, qui emerunt ab Hæreticis ignotis in hoc crimine, qui recipientes pretium distraxerunt, vnde potius puniti manent ementes, quam Hæretici vendentes.

℞. Fiscum reuocare posse huiusmodi alienationes per Sententiam, nisi obstet præscriptio, aut necessitas alienationis. 34

Primum probatur, quia bona Hæreticorum sunt obligata Fisco adeo quòd alienationes ab Hæretico factæ non sunt ratæ, neque firmæ, cum sint Fisco præiudiciales, ergo possunt reuocari ad resarciendum damnum, quod Fiscus pati posset. Ita omnes cum *Farinac. q.* 190. *num.* 71. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 33. & 36. *Suarez de Fide disp.* 22. *sect.* 5. *num* 5. *Castropal. tract.* 4 *disp.* 5. *p.* 19. *num.* 4. *Dal Bene Dub.* 134. *sect.* 2.

Secundum de obstantia Præscriptionis probatur per textum cap. 2. de Præscript. in 6. vbi dicitur, quòd si aliquis Hæreticus, qui videtur catolicus moritur pro tali habitus, & sic nondum cognitus pro Hæretico, & eius Hæredes catolici per 40. annos bonà Fide possident hæreditatem, Fiscus non potest illos molestare. Ita *Farinac. q.* 10 *num.* 82. & *q.* 25. *num.* 159. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 40. *Fachin. lib.* 9. *contr. cap.* 54. *cum alijs Castropal. tract.* 5. *disp.* 5. *p.* 19. *num.* 6. *Barbosa ad dictum cap. num.* 4. *Dal Bene Dubit.* 134. *sect.* 3. Vt autem hæc Præscriptio Hæredibus prosit, necessarium est, vt non detegatur Hæresis non solùm ante mortem, sed nec illo spatio 40. annorum, vt expresse colligitur ex textu, vt obseruant hic *Barbos.* & *Sanch. num.* 41. *Castropal. num.* 9. *Pegna par.* 3. *com.* 91. *vers. Filij verò*. Nonnulli à 35

Castropal. num. 7. citati tenent, bona Fisco laico applicanda præscribi quinquennio ex l. 2. C. de Apostatis, sicut memoria eius post mortem infra quinquennium damnari potest, *ex eadem l.* & *l. Manichæos* 4. C. de *Hæret.* vbi Barb. num. 44. referens ad hoc plures Doctores. Alij docent *cum Farin. Sanch.* & *eodem Castropal.* quadragenariam hanc requiri etiam in Fisco laicali, quia in puniendis delictis ecclesiasticis standum est potius dispositioni Iuris canonici, quam ciuilis. Hoc autem est ecclesiasticum, ergo. Confirmatur, quia Papa nullam distinctionem fecit de confiscatione applicanda Fisco ecclesiastico, vel seculari, ergo de vtroque indistinctè loquitur. 36 37

Sed meo iudicio melior, & verior videtur Sententia priorum auctorum, qui sunt Couar. Gomez, Lopez, Quemada, Abbas, & Felinus præscriptionem absolui quinquennio contra Fiscum secularem, *ex dictis legib.* 4. *de Hæret.* & 2. *de Apostatis*, quia *cap.* 2. *de præscript. in* 6. loquitur expresse de 38

præ-

præſcriptione quadragenaria contra Fiſcum Eccleſiarum quaruncunq; etiam Romanarum, ergo nihil diſponit contra Fiſcum ſecularem, & id conſtat ex illis verbis: *Licet Leges humana ſuper hoc alia tempora ſtatuere videantur*, quibus non derrogauit, ſed ſolum tempus ad fauorem Eccleſiæ prorogauit. Vnde cum poſterior ratio Caſtropalai videatur falſa, nec prior ſubſiſtere poteſt, quia eſto cauſa Hæreſis ſit merè eccleſiaſtica; confiſcacio tamen etiam ciuilis eſt, quo ad modum apprehendendi bona Hæreticorum per Fiſcum ſecularem, qui miſeretur Hæredibus, qui non ſunt Rei Hæreſis.

39 Tertium, quòd neceſſitas alienationis impediat reuocationes alienationum, probatur ex l. *Alienationes* 13. *poſt Iudicium acceptum interdicta, ſunt tantùm voluntaria ff. Famil. Erciſc.* Quia hæ Alienationes cenſentur eſſe factæ ex præſumpta Fiſci voluntate. Ita fere omnes cum *Couar. in lib. 4. Decret. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 9. Peregr. de Iure Fiſci lib. 1. tit. 1. num. 166. & 176. Sanch. lib. 2. cap. 22. num. 55.* Bonac. *de contr. diſp. 3. q. 8 p. fin. §. 3. num. 4.* Farinac. *q. 190. num. 87. cum alijs Caſtropal. cit. num. 13. Ricciul. lib. 5. cap. 36. per totum. Dal Bene Dubit. 134. ſect. 4.*

Quænam ſint Alienationes neceſſariæ, quas Fiſcus non poteſt reuocare, eas refert *Caſtropal. num. 13. verſ. Quæ autem*, numeraui præced. ſect. num. 99. & 100.

Quæritur 5. An Alienation[e]s factæ ante delictum ſint reuocabiles per Fiſcum.

40 ℞. Negatiuè, quia Confiſcatio vim accipit à delicto, quod eam inducit, ſed ante delictum fiunt, ergo non dependent à delicto, cum nondum ſit, conſequenter ſunt ratæ, & firmæ. Ita *Anton. Gomez 3. Variar. cap. 14. num. 4. Sanch. lib. 2. cap. 22. num. 31.* Bonac. *cit. num. 1. Caſtropal. num. 19. Dal Bene Dub. 134. ſect. 8.*

Quæritur 6. An in reuocatione Alienationis veniant etiam fructus?

41 ℞. Negatiuè, quia ſicut iuſtè aquiſiuit, & poſſedit rem alienatam, ita & eius fructus perceptos vſq. ad Sententiam reuocatoriam poſſeſſor fecit ſuos. Ita *Sanch. lib. 2. cap. 23. num. 194. & 197. Vaſq. & Suar. cum Caſtropal. tract. 4 diſp. 5. p. 20. num. 9. Dal Bene Dub. 131 ſect. 6.* Referentes nonnullas limitationes, quæ in nube fundantur ſuper bonâ, vel mala Fide; meo iudicio ſufficit hoc fundamentum, quod fuit iuſtus poſſeſſor. In his ita ſpeculandum non eſt contra tertium poſſeſſorem, contra quem cum omni rigore procedit Fiſcus tollens, quòd non ſeminauit, volens quandoque labores alienorum iuſtos. Facit Caſtropal. num. 10.

Contrarium tenent, qui aſſerunt Hæreticum bonorum confiſcatione ſtatim perdere dominium, & adminiſtrationem, quos impugnaui num. 14. Huius opinionis Doctores citat Ricciul. lib. 5. cap. 37. quos ſequitur.

Quæritur 7. An in reuocatione Alienationis vtrinq; onerosæ veniat non ſolùm res alienata, ſed etiam pretium? an verò illud reſtituendum ſit contrahenti fideli per Fiſcum?

℞ In contractibus gratuitis nihil reſtituendum eſt Fiſco, niſi res donata, quia ex ea nihil aquiſiuit Hæreticus à donatario, à quo proinde Fiſcus ſolum reuocat alienatum & nihil vlterius. In contractu verò oneroſo, reuocatâ alienatione, Fiſcus tenetur reddere pretium contrahenti, ſi reperitur formaliter, vel æquiualenter apud Hæreticum, ſiue Fidelis contraxerit ignorans, vel ſciens delictum Hæretici. Pretium autem extare, tenetur probare eius creditor, vt ſibi poſſit reſtitui à Fiſco, qui reuocauit factam alienationem; quod ſi non poteſt probare pretij exiſtentiam verſam fuiſſe in vtilitatem Hæretici; hoc enim importat exiſtentia eius formalis, aut æquiualentialis, vt pretium ſit verſum in vtilitatem Hæretici; in eo caſu Fiſcus recuperat rem, nullum reſtituendo pretium emptori. 42

Prima pars, *quòd nihil ſit reſtituendum à Fiſco donatario de bonis Hæretici donatoris*, probatur clarè, quia nihil aquiſiuit Hæreticus, ergo Fiſcus nihil reſtituere tenetur, aliàs de ſuo teneretur. Et ita docent omnes mox citandi *ex Caſtropal. tract. 4. diſp. 5. p. 20. num. 1.* 43

Secunda pars, *quòd in contractu oneroſo reſtituendum ſit pretium extans*, probatur, quia Fiſcus ſolum occupare poteſt bona ſibi obligata, cuiuſmodi ſunt deſcripta, ſed inter hæc non connumeratur pretium, vt notum eſt, cum alienationis contractus non ſit firmus, ex quo pretium fieri poſſit ſub certo dominio alienantis. Ita docent pleriq; citati a *Farinac. q. 190 num. 78. Quemada q. 7. num. 4. Royas ſing. 18 num. 4. Sanchez lib. 2. cap. 22. num. 70. Suar. diſp. 22. de Fide ſect. 4. num. 9. ex illis Caſtropal. cit. num. 1. Dal Bene* Dubit. *135 ſect. 1. num. 5. Ricciul. lib. 5. cap. 38. num. 5.* 44

Tertia pars; *procedit hoc, ſiue ſciat Fidelis, contrahentem eſſe Hæreticum, ſiue non*; probatur, quia quouis modo agat cum Hæretico ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, licitè, & validè contrahit, licet non firmiter, ex probatis hic num. 14. ergo ſcientia non poteſt eſſe cauſa, quòd perdat pretium ſuum, cum nullo Iure illo priuetur. Ita *Sanchez. num. 69 Vaſquez de legib. diſp. 172. cap. 2. num. 8. ex eis Caſtropal. num. 1. dal Bene num 6.* Contra Scacciam *lib. 1. de iudic. cap. 98. num. 16. & 23.* 45

Quarta pars, *quòd probanda ſit exiſtentia pretij à contrahente, vt illi poſſit reſtitui à Fiſco*, probatur, quia cum omnia bona publicata 46

blicata fint obligata Fisco, quæcunq; apud Hæreticum reperiuntur tempore Reuocationes præsumuntur esse Fisci, ergo prætendens pretium debet probare vti suum extare in Re, vel equiualenter versum in vtilitatem Hæretici. Non probata ergo pretij existentiâ Fiscus ad nihil tenetur. Ita *Simanch. de Catol. inst. tit. 9. num 27. Quemada q. 7. num. 1. Scaccia cit. cap 98 num. 13. Vers. Contrariam, Anton Gomez tom 3 Var. cap. 2. num 2 Sanch. num 68 Farin q. 190 num. 76 Castropal. num. 6. Dal Vene Dub 135. sect. 1. fine*. Referentes contrariam opinionem paucorum reiectam ab illis, quia Fiscus de suo restituere non debet, cum omnia presumantur sua, nisi contrarium probetur.

Quæres 8. An Fiscus in reuocatione rei emptæ, restituat emptori melioramenta in re empta facta?

47 ℞ Melioramentum, seu augmentum separabile à re restituitur emptori, si non in re, saltem in valore, si vero sit inseparabile, & intrinsecum rei, restituitur illius expensa. hæc enim sunt ipsius emptoris, & non Fisci, qui tantum recuperat bona, quæ erant Hæretici, sibi obligata, meliorationes autem nunquam fuerunt Hæretici; ergo nec possunt fieri Fisci, cum recuperet tantùm ea, quæ sunt Hæretici obligata Fisco. Ita *Vasquez 1. 2. q. 172. cap. 1. num. 1. Sanch. lib. 2. cap 23. num. 204. Suarez disp. 22. de fide sect. 4. num. 10. Castropal. cit. num* 8. Vide *Ricciul. lib. 7. cap. 39 rem hanc fuse tractantem*.

Quæritur 9. An donatio inter viuos à nondum Hæretico facta sub conditione non purificata ante Hæresim, sed post, reuocetur à fisco?

48 ℞ Affirmatiuè, quia dum durat conditio rei donatæ dominium remanet apud donatorem quousq. purificetur conditio, cum ergo Fiscus succedat Hæretico, sequitur Fiscum reuocare posse talem donationem dum pendet conditio post commissam hæresim. Ita *Farinac q. 190. num. 12. Simanch de catol. inst. tit. 9 num. 9 & 10 Suarez. disp 22. sect. 5. num. 3. ex cit Castropal. disp. 5 p. 3. num. 1.*

Quæritur 10. An donatio causa mortis facta [illegible] sit reuocabilis à Fisco, commisso delicto?

49 ℞ [illegible] Vxori non [illegible] a Fisco, quia ex eo delicto [illegible] Maritus, [illegible] tuus naturaliter, [illegible] ex parte Vxoris [illegible] *si mors 14. ff de donat.* [illegible] *l. Res vxoris 24. C. eod. l. Quisquis 5.* [illegible] *ad leg. Iul. Maiest.* [illegible] *Farin q. 25. num. 130. Anton. Gomez l. 40. Tauri num. 91. Sanchez lib. 9. disp 17 num. 5 & lib 2 cap. 17. num. 15. Castropal. cit. num. 2.* Requiritur traditionem [illegible] Marito Vxori, *idem Farinac. num. 137. Clarus §. Donatio q. 9. vers. Scias autem*. Sed in textu non fit mentio de hac traditione, ergo frustra ponitur ab illis; ita *Sanchez lib. 6. disp. 11. num. 5. Molina, & Castropal. ibidem* Vxor ergo habet hoc speciale priuilegium, non verò Maritus, cum id non dicatur locis citatis, in quibus donatio tantùm Mariti dirigitur ad fauorem Vxoris, non e contra.

Quæritur 11. An publicentur bona, quæ inter delictum Hæresis, & Sententiam condemnatoriam criminis, sunt aquisita?

℞ Negatiuè, quamuis perseueret in eâ vsq. ad Sententiam. Probatur. Tum *ex l. 1. ff. de pœnis*, vbi, quòd pœna attenditur tempore delicti, non Sententiæ, in pœnis enim extensio non est facienda. *cap. 15. de Reg. iur. in 6.* Molliendæ enim sunt potius, quam exasperandæ, & extendendæ, *l. interpretatione 42 ff de pœnis*, ac proinde benignius interpretandæ, *l. 198 ff. de reg. iur.* Ratio est, quia confiscatio sequitur delictum, cui coniungitur, ergo respicit tantùm ea bona, quæ Hæretici sunt tempore delicti commissi, quod cum transeunter se habeat, & tunc cesset, cessat quoq; publicatio in bonis tunc existentibus, & non extenditur ad futura post delictum, cui respondere non possunt, cum amplius non sit in ratione delicti actualis. 50

51

Confirmatur, quia Sententia subsequens non ponit nouum delictum, sed illud præcedens, cui connectitur confiscatio, declaratur contra personam, quæ iam deliquit; ergo non inducit nouam confiscationem, nec veterem extendit, dum illi nullum coexistit delictum, nisi antiquum in habitu tantum, à quo confiscatio procedere non potest, cum sub sensum non cadat, cum sit macula reddens animam turpem relicta ex antecedenti culpâ Hæresis. Ita docent *Bursatus cons 14. num 28 Sanchez lib. 2. cap 14. Baiardus ad Clarum § Hæresis num 19 & q 78 num 212. cum alijs Castropal disp. 5 p. 3. num 5.* qui subdit num. 6. Sanchez limitare, nisi perseueret in Hæresi concepta, quia adhuc esset Hæreticus. Respondens non incurri Confiscationem propter perseuerantiam in Hæresi, sed per actum externum transeuntem, non per inhabitantem maculam in anima Hæretici, quæ sola absolutione tollitur à pœnitente abiurante Hæresim. 52

Contrarium tenent alij apud dictum Castropal. num. 4 adducendo leg. Eius *qui* §. 1. *ff. de testam.* ibi. *Bona quoq; quæ tunc habuit cum damnaretur publicabuntur.* Resp. Reum tunc dici damnari cum delictum committit, quia tunc ipso iure sunt confiscata eius bona.

Quæritur 12. An aquisita post Abiurationem sint subiecta Fisco.

℞ Negatiuè, quia non est amplius Hæreticus, cum Deo, & Ecclesiæ sit reconciliatus, ergo eius [illegible] non sunt subiecta Fisco. 53

Con-

Confirmatur, quia aquisita post delictum non subduntur ex mox probatis, ergo multò minus aquisita post Sententiam, & Abiurationem factam.

Quæritur 13. An bona Hæretico debita sub conditione futurà sint subiecta Fisco?

54 ℞ Non comprehenduntur sub Fisco, quia nundum sunt ipsius Hæretici, cum non sit completa conditio adhuc pendens tempore commissæ Hæresis, ergo aquiri non possunt Fisco, cum nondùm sint Hæretici. Ita *Glos. V. Præsens l. Non ad ea*, 86. *ff. de condit. & dem.* illis verbis: *Vel si publicata sunt*, inquit Glos. *nam postea quæsita non caderent in eas causas*. Hoc est in Fiscum, vti interpretes Iuris Glos. sequuntur. Et ita docent communiter citati à Farinac. *q.* 25. *num.* 142. *& Castropal. disp.* 5. *p.* 4. *num.* 1.

Quæritur 14. An debitum Hæretico ex Testamento, vt Hæreditas, Fideicommissum, & Legatum, quæ Testamento relinquuntur sint Fisci? Ratio dubitandi est, pro Fisco, quia Hæreticus Ius habet ad relicta sibi per Testamentum, ergo illud transmittit ad Fiscum, ac proinde relicta in eo transeunt ad Fiscum mortuo Testatore.

55 ℞ Nihil transire ad Fiscum, quia ad eum transire possunt solùm ea, quæ ad Hæredes extraneos transmittuntur, Fiscus enim dici-

56 tur Hæres extraneus. Ita Farin. *q.* 25. *num.* 143. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 5. *Peregr. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 68 *Suarez disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 4. *ex illis* Castropal. *num.* 2. Ius ergo succedendi in Hæreditate, Fideicommisso, & Legato

57 non est transmissibile ad Hæredes, *ex l. §. Sin autem sub conditione* . . *de cadur. toll.* Ergo nec ad Fiscum, *ex Sanchez, &* Farinac. Intellige semper, quando non verificatur conditio, nisi post Sententiam, nam si ante verificatur, cum debitum sit verificatum, ac proinde transierit in Hæreticum, aquiritur Fisco, vt docent precitati. Et sic patet ad rationem dubitandi.

Quæritur 15. An debitum Hæretico ex venditione, vel alio titulo contractum ad Fiscum transeat, licet conditio adimpleatur etiam post condemnationem?

58 ℞ Affirmatiuè, quia tale Ius est transmissibile ad Hæredes, *ex Instit. de verbor. obligat. §. Ex conditionali*. Illis verbis: *Ex conditionali stipulatione tantùm spes est, debitum iri, eamq. ipsam spem in Hæredem transmittimus, si priusquam conditio extet, mors nobis contigerit*. Ergo potest etiam transire in Fiscum, *ex l. inter socerum* 26. *§. fin. ff. de pactis dotal* Farinac. *q.* 25. *num.* 146. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 2. *Castropal. p.* 4. *num.* 3.

59 Sed cur debita ex contractu ad Hæredes transeunt, non verò ex Testamento?

℞ Rationem eam esse, quia in Contractu interuenit factum, & persona creditoris, qui in dubio præsumitur sibi, & suis Hæredibus prouidere, & aquirere perpetuam vtilitatem ex contractu, ita Castropal. cit. argumento *leg. Si pactum, de probat.* In dispositionibus autem conditionalibus interuenit solùm factum disponentis, qui respicit tantùm personam, cui disponitur non interuenienti, suo facto. Limitat autem cum alijs, id procedere tantùm in conditione casuali, & mixtà, non in potestatiuà, si hanc adimplere poterat viuens, & omisit; non transeunt ergo ad Hæredes, & sic nec ad Fiscum.

Quæritur 16. An Beneficium, Iuspatronatus subiectum sit Confiscationi? In eo duo spectari possunt, Ius nominandi, & præsentandi Clericum ad Beneficium, & bona ipsius Beneficij.

℞ Hæreticus vtroq; est priuatus, scilicet Patronus, & Rector beneficij, quando ambo sunt Hæretici; de Rectore Hæretico dictum fuit *Sect.* 10. *num.* 31. *&* 36. Quod verò Hæreticus Patronus sit eo priuatus quò ad nominationem patet ex eo, quòd Hæreticus est priuatus omni actu legitimo, ex probatis *Sect.* 12. *num.* 4. *&* 6. Non potest ergo præsentare, nec præsentari, cum sit per Hæresim factus incapax Beneficij, *Viuian. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 66. Quod si Iuspatronatus habeat plures Compatronos, præsentatio spectat ad innocentes; delictum enim vnius alijs nocere non debet. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 15. *&* 17. *Castropal. disp.* 5. *p.* 5. *num.* 1. 2. *&* 3. *Ricciul. lib.* 5 *cap.* 33. *num.* 3. 60

Quo ad confiscationem, si Iuspatronatus non sit transitorium, sed fundatum solùm pro agnatis, seu familià, qui debeant præsentare, & nominare, in casu isto non confiscantur bona, hoc est, non transfertur Ius præsentandi in Fiscum, si adsunt innocentes à Fundatore vocati, & quia Fiscus est hæres tantùm extraneus, qui non vocatur in hoc genere Patronatus. Si nullus adsit ex vocatis innocens, tunc Ius præsentandi euanescit, & Ecclesia fit libera, cui prouidetur à Prælato, tamquam de Beneficio libero, & non amplius patronali; liberatur ergo Ecclesia, sicut liberantur alij, qui Iure dominij, & obsequij erant obligati Hæretico. Ita *Locatus q.* 7. *Pegna part.* 3. *com.* 161. *Vers. fin cum illis* Farinac. *q.* 190 *num.* 24. *Sanch. cit. Castropal. cit. Ricciul. locis citatis num.* 3. *&* 5. 61

Idem dicendum est, esto esset transitorium ad extraneos; non enim confiscatur, sed Ecclesia remanet libera, & Beneficium fit liberum, nisi adsint alij Compatroni innocentes, ob rationem supra adductam. Ita fere omnes, quos refert *Ricciul. num.* 4. *Barb. ad cap. Vergensis num.* 21. *Farinac. cit. & q.* 25. *num.* 151. Iudex autem laicus non potest confiscare Iuspatronatus, quia non habet Iurisdictionem ecclesiasticam, quæ ad hoc necessaria est, neque minus principaliter, 62

O seu

seu tacitè, aut accessoriè, quia & isti modi cadunt sub Iurisdictione eadem, vt docent præcitati; solus ergo Iudex Ecclesiasticus confiscare illud potest. Vide etiam Dal Bene Dubit. 113.

Quæritur 17. An Pensio Hæretici sit capax Confiscationis?

63 ℞. A Iudice tantùm ecclesiastico confiscatur Ius percipiendi fructus non collectos vsque ad Sententiam condemnatoriam.

64 Probatur, quia sub nomine bonorum, Confiscbialiū veniunt etiam Iura, immo, & mobilia. *Ricciul. lib. 5. cap. 32. num. 14. & 15. l. Manichaos 4. de Haret. & cap. Cum secundum 19 eod. in 6.* Vbi licet non exprimatur dictio *Omnia bona* sicut in dictâ Lege, tamen subintelligitur, vna enim Lex aliam declarat, *l. Sed, & posteriores* 28. *ff. de legib. Castropal. p. 2. num. 1.* qui p. 5. sine ita sentit cum *Suarez disp. 22. sect. 5. num. 6.* Sequtâ Sententia liberatur Ecclesia, & eius Rector à solutione Pensionis extinctæ per crimen Hæresis. Confirmatur, quia pensio
65 in odium Hæresis venit nomine Beneficij, quo ipso iure Hæreticus est priuatus, *Ricciul. lib. 5. cap. 19. num. 7. Farin. q. 191. num. 60.*

Quæritur 18 An Fideicommissum Hæretici sit subiectum Fisco?

66 ℞. Fideicommissum, siue sit conditionale, siue non; expressum, siue tacitum; non transit in Fiscum, nisi in duobus casibus; *primo*, cum prohibitio probatur facta fauore ipsius delinquentis; *secundo*, quando Fideicommissum fuit conceptum in casu mortis, nam in his duobus casibus commoditas defertur in Fiscum.

67 Primum, *quòd Fideicommissum non transeat in Fiscum*, probatur, quia prohibita alienatio non comprehenduntur sub confiscatione, *l. Imperator* 12. *ff. de Fideicom. libert.* talia sunt bona Fideicommisso subiecta, ergo. Ratio est, quia talia bona sunt alijs obligata de mente Testatoris, qui innocens fuit, sicut & sunt vocati alij ab illo, ergo illis fieret Iniuria, si à Fisco occuparentur, qui solùm habet potestatem confiscandi bona, quæ sunt propria delinquentis. Ita docent omnes *Ruin. lib. 5. cons. 23 num. 15. Roland. vol. 1. cons. 84. num. 30. Sanchez lib. 2. cap. 18. num. 17. Farinac q. 25. num. 31. Castropal disp. 5 p. 6. num. 1 Dal Bene Dubit. 117. Ricciul. lib. 5 cap. 32. num. 65. & seq.* vbi de expressis, tacitis, siue conditionalibus.

68 Secundum, *si prohibitio alienationis sit ad fauorem solius delinquentis*, *Fideicommissum transit ad Fiscum* probatur, quia censetur facta in fraudem Fisci, & ideo non valet in eius præiudicium. Id contingit, quando in Testamento nullus substituitur, nec aliquis vocatur; in hac enim dispositione nullum reuerà est Fideicommissum. Ita *Molina de Primog. lib. 4. cap. fin. num. 5. Sanchez lib. 2. cap. 18. num. 18. Farinac. q. 25. num. 46. & 47. Castropal num. 2. Ricciul. lib. 5. cap. 32 num. 68. Dal Bene Dubit. 117. sect. 2.*

Tertium, *quòd transeat in Fiscum durante vità Hæretici, quando Fideicommissum est conceptum in casu mortis, probatur per l. Statius Florus §. Cornelio ff. de iure Fisci, l. cum pater, §. Hareditatem ff. de Legat. 2. l. Ex facto §. Ex facto ff. Ad Trellian.* In quo textu licet dicatur bannitum haberi pro mortuo, non ideo tamen excluditur Fiscus, qui bona capit vsque ad mortem naturalem, quia reputatur mortuus quò ad se, non quò ad alios, qui commodum consequi possunt, vt Fiscus, qui eo mortuo naturaliter restituit Fideicommissum vocatis. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 18. num. 8. Farinac. cit. num. 34. Berous q. 41. Castropal. p. 6. num. 3.* qui num. 4. dicit nō transire in Fiscum, si alienatio extra familiam prohibita sit in Fideicommisso, quia tunc transit immediatè in vocatos, alijs citatis, subdens num. 5. delinquentem retinere Fideicommissum vsque ad Sententiam condemnatoriam, & sic bona cum suis fructibus à die commissi criminis transeunt ad vocatos. 69

An in Fideicommisso cadat diuisio, ita ut Fiscus capere possit eam bonorum portionem, quæ esse potest Hæretici? ℞. Negatiuè, quia cum diuisio sit species alienationis, *l. Si pupillorum ff. de reb. eorum* prohibità alienatione in genere, est etiam prohibita in specie *arg. l. Sicut proponis 3. C. quando prouoc.* Et sic diuisio pro Fisco. Ita *Roland. vol. 1. cons. 84. num. 30. Ruin. lib. 5. cons. 23. num. 15. Sanch. lib. 2. cap. 12. num. 17. Farinac. q. 25. num. 31. Dal Bene Dubit. 117. sect. 1. num. 8. Castropal. p. 6. num. 1. fine.* 70 71 72

Prædicta videntur esse in præiudicium Fisci, qui impeditur capere bona delinquentium de Iure confiscata, neque enim Testator facere potest, quin Leges in suo Testamento locum habeant, *l. Nemo* potest 58. ff. de Legat. 1.

Respondet Castropal. num. 7. non fieri præiudidcium Fisco, quia illi nullum Ius tollitur à Testatore, qui iure suo vtitur, dum de suis bonis pro suo libero arbitrio disponit. Vnde nec impedit Legem Fisci, quæ aufert bona tantùm delinquentium; Fideicommissarius autem dum delinquit non amplius habet bona, quibus immediatè successit alter vocatus ex mente Testatoris, qui faceret contra Legem, & Fisco præiudicaret, si disposuisset in suo Testamento similibus verbis: *Si ego delinquam, volo vt mea bona perueniant ad agnatum proximiorem*, fauet enim sibi, & sua bona vti delinquēs impedit, ne fiant Fisci, ad quæ Ius habet ex delicto. 73

Dal Bene, cit. num. 6. & 7. vnico verbo respondet, delinquentem non esse dominum abso-

abſolutum, qui tenetur conſeruare bona Succeſſoribus.

Quæritur 19. An bona ſubiecta cenſui ſubijciantur fiſco?

74 ℞. Affirmatiuè tàm reſpectu Cenſuarij, quam Cenſitoris reſpectiuè eius, qui incidit in Hæreſim. Ratio eſt, quia Cenſitor, qui dat pecunias emendo Ius exigendi annuam penſionem eſt dominus huius Iuris; & Cenſuarius, qui vendit cenſitori tale Ius impoſitum ſoluendi eam penſionem, ſuper ſuis bonis immobilibus frugiferis, retinet ſuper illis dominium tàm directum, quàm vtile, ex quibus colligit annuam penſionem Cenſitori; cum ergo Hæreticus propria bona habeat ipſo iure confiſcata, conſequens eſt, vt Cenſuarius Fiſco habeat obligata etiam ſubiecta cenſui, cum obligatione, quòd Fiſcus penſionem ſoluat Cenſitori fideli, ſicut faciebat ipſe Cenſuarius, antequam eſſet condemnatus in Hæreſim. Ita *Simanch. de Catol. inſt. tit. 9. num. 20. Sanchez lib. 2. cap. 19. num. 18. Cantera quaſt. crim. in Rubric. de Haret. cap. 1. num. 47. Farinac. q. 190. num. 18. Caſtropal. diſp. 5. p. 8. num. 3.* Quòd ſi Hæreticus extinxit Cenſum, vel ſoluit, ritè fecit, quia & Fiſcus idem potuiſſet facere, quò ad extinctionem, & debitum ſoluendi habebat.

Pari ratione ius exigendi Cenſum tranſit in Fiſcum, ſi Cenſitor fiat Hæreticus, nam ſub nomine bonorum veniunt etiam Iura, & actiones. *Caſtropal. p. 2. initio, Riccial. lib. 5. cap. 32. num. 16* Nam licet Fiſcus non ſit Hæres, *l. Fiſcus ff. de iure fiſci*, *l. Si*

67 *ſub pignore C. de fiſcal. vſur.* Si quidem cum ſuccedat in Ius, & locum viuentis, non datur ſucceſſio viuentis, tamen in eum transfertur omne Ius damnati tam actiuè, quam paſſiuè, l. 2. C. ad leg. *Iul. de vi publ. l. Si ademptis C. de ſent. paſſ. l. Sicut propo- nis C. de bonor. proſcript.* ac proinde habetur loco Hæredis, ſcilicet extranei, *l. Si Marito ff. ſolut. matr. l.* Cum *fiſco ff ad Sillan. Roman. conſ. 73. & 93. Ruin. lib. 1. conſ. 24. num. 12. Peregr. lib. 5. tit. 1. num. 53. cum alijs Ricciul. lib. 5. cap. 32. num. 4.*

Quæritur 20. An bona eccleſiaſtica in Emphiteuſim tradita, ſi Emphiteuta incidat in Hæreſim ſint confiſcata, ac proinde perueniant ad Fiſcum, an redeant integrè ad Eccleſiam?

68 Notandum eſt, quòd Emphiteuſis eſt conceſſio rei immobilis ad meliorandum; concedens nuncupatur Dominus, qui retento ſibi dominio directo, dominium vtile tradit alteri nuncupato Emphiteuthæ, qui ſe obligat ſoluere annuam penſionem Domino in recognitionem dominij directi. Eſt autem duplex; alia Eccleſiaſtica, quæ ſcilicet

69 cet conceditur ab Eccleſia de ſuis bonis Emphiteuthæ priuatæ perſonæ, Eccleſia enim non emphiteuticat Potentioribus. Alia ſecularis, quæ conceditur à Laicis, ſeu etiam à Clericis, ſed de ſuis bonis patrimonialibus, vel alijs ſibi proprijs.

Vtraque ſubdiuiditur in non tranſitoriam, 70
& tranſitoriam. Non tranſitoria, ſeu intranſmiſſibilis eſt illa, quæ conceditur certę generationi, vel alicui cum ſpeciali prohibitione à Domino factà Emphiteutæ, ne alienet in extraneos. In Emphiteuſi enim ex ſuà conditione reperitur vna prohibitio, quæ vocatur legalis, & hæc ſemper ineſt; tolli tamen poteſt ex pacto partium; alia ponitur à concedente prohibente alienationem in extraneos. Emphiteuſis verò tranſitoria in extraneos eſt illa, quæ caret huiuſmodi pro- 71
hibitione factà à Domino, quæ cognoſcitur ex hac clauſula *In perpetuum* Rota *part. 2. deciſ. 294. Carena reſol. 152. num. 3.* Item cum datur licentia alienandi in quemcumque *Burſat. dec. 87. num. 17. Carena num. 4.* Item ſi concipiatur his verbis: *Cui, vel quibus dederit.* Ita Teodoſius Rubeus Iuriſconſultus Romanus in ſuis ſingularibus: vbi citat Doctores pro eadem clauſ. 614. num. 1. Aliam verò non eſſe tranſitoriam, qualis eſt ea, quæ non excedit generationem Emphiteuthæ, ſeu quæ non concipitur præfatis Clauſulis. Præmitto item, quandoque in conceſſione inueniri duplicem prohibitionem alienationis; vna huic contractui ineſt ſemper, & dicitur legalis; altera ponitur à concedente, vt non alienetur extra nominatos in conceſſione. His præmiſſis.

℞. Bona eccleſiaſtica in Emphiteuſim da- 72
ta, quouis ex prædictis modis ſit concepta non confiſcantur, ſed immediatè redeunt ad Eccleſiam reo Hæretico condemnato, ſi non adſunt vocati innocentes, nullo autem modo tranſit in Fiſcum.

Prima pars, quòd redeat ad Eccleſiam de- 73
ficientibus vocatis, probatur ex cap. Fælicis, de pœnis in 6. *Si qua verò Feuda, & locationes ab Eccleſia obtinet, ſit eis ipſo Iure priuatus, quæ liberè ad Eccleſiam reuertantur.* Sub eo verbo *Locationes* venit Emphiteuſis ſpecies Locationis. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 19. num 22.* Qui tamen loquitur tantùm de Emphiteuſi non tranſeunte ad extraneos; vult enim num. 29. hanc tranſire ad Fiſcum.

Noſtrum tamen reſponſum de quacunq; 74
eccleſiaſticà, ſiue tranſeat, ſiue non, intelligitur ex citato capite, vbi non diſtinguitur; ideo nec nos diſtinguere debemus. Ita *Bartol. & Baldus apud dictum Sanch. num. 28. cum alijs.* Confirmatur in ſequentibus.

Secunda pars, quòd Empheutica Eccle- 75
ſiæ bona non ſunt confiſcata, nec proinde tranſeant in Fiſcum, probatur. Tum quia ex allegato textu liberè non tranſirent ad Eccleſiam. Tum quia Iuſtitia dictat, alienationem

tionem Ecclesiasticæ Emphiteusis non esse
84 faciendam in potentiorem personam, cuiusmodi est Fiscus, apud quem solutiones sunt tardiores, & difficiles, vt experientiâ docet, præterquam quòd euanescit spes caducitatis, quia Fiscus nunquam moritur, & Laudemium nunquam soluitur, si res manet perpetuò apud Fiscum, vt facile accidit; vnde nec transire potest in aliam Ecclesiam,
85 *Mantica de tacitis lib. 22. tit. 21. num. 36. Farinac. part. 2. Recent. dec. 170. Gratian. cap. 533. num. 39 apud Barb. ad cap.* Potuit, *de locato num. 169. Ludouis. dec. 529. num. 5. Beltram. in Addit. ad eiusdem dec. 520.* Sicut ergo alienari non potest laicalis Emphiteusis in Ecclesiam, ex quo dicitur manus mortua, quia nihil operari potest in vtilitatem domini, quò ad caducitatem, & Laudemium; ita nec ecclesiastica alienari potest in Fiscum, qui est potentior sicut Ecclesia in hoc genere præiudiciali domino.

86 Contrarium, quòd Emphiteusis transitoria ad extraneos, sit subiecta Fisco, sequuntur plerique *cum Sanchez cit. num. 29. Castropal. disp. 5. p. 8. num. 8. Riccius part. 3 resol. 170. Dal Bene Dubit. 118. sect. 3.* Probant ex Auth. de Alienat. & Emphit. Collat. 9. vbi datur optio, an Ecclesia velit stare confiscationi, & habere Fiscum in Emphiteutam, an verò reuocare ad se Emphiteusim; ergo supponit Emphiteusim Ecclesiæ cadere sub confiscationem. Limitant habere locum quando confiscatio fit à Iudice ecclesiastico; non autem à seculari, qui nullum Ius habet confiscandi bona ecclesiastica, *Farin. q. 25. num. 57. cum prædictis*. Et ideo per hanc limitationem resolui argumentum illorum, quia ea Authent. loquitur de Iudicibus secularibus confiscantibus, qui in causis Fidei nullum habent Ius, & ideo nec Authentica contra nos est.

Quæritur 21. An Emphiteusis laicalis Hæretici sit subiecta Fisco?

87 ℞. Emphiteusis, quæ non transit ad extraneos, neque ad Fiscum transire potest, sed succedunt in ea vocati; transitoria verò ad extreneos, transit etiam ad Fiscum. Probatur vtrunque simul, quia quæ ad Hæredes extraneos non transeunt, neque Fisco aquiruntur; & è contra, quæ transeunt ad Hæredes extraneos etiam ad Fiscum peruenire possunt; hanc vtranque regulam negatiuè, & affirmatiuè conceptam firmat *San-*
88 *chez lib. 2. cap. 14. num. 5.* Nam si bona non transeunt, ad extraneos, multò minus ad Fiscum, qui tantùm impropriè Hæres dicitur à solà Lege, vt de communi docet *Bartol. in l. Eum qui ff. de interd. & relegat. sub initium Peregr. lib. 5. tit. 1. num. 68. ex eis Sanchez ibidem*. Fiscus ergo nihil habet ex regulà negatiuà *Sanch. lib. 2. cap. 19. num. 20. Castropal. disp. 5. p. 8. num. 4. Dal Bene Dub. 118. Sect. 1.* Qui omnes dicunt in ea succedere vocatum innocentem, qui pati non debet ex alterius iniquitate. Ex regula verò affirmatiuà, scilicet, si Emphiteusis est transitoria confiscatur, & in ea succedit Fiscus. Ita præcitati *Sanchez num. 25. Castropal. num. 6. Dal Bene sect. 3. num. 3.*

Quæritur 22. An Feudum Hæretici cadat in Fiscum? Pro cuius resolutione.

Notandum est, quod Feudum sumitur 89
dupliciter. *Primò* impropriè pro obligatione soluendi certam pensionem domino directo, & dicitur mixtum ex Emphiteusi; vnde quod dictum fuit de illa extenditur ad Feudum huius speciei. *Secundò* sumitur propriè pro eo, quo vassallus in inuestitura domino promittit fidelitatem, & seruitium personale. Ad illud tria concurrunt. *Primò*, quòd constituatur super re immobili, & frugiferà, ex cuius fructibus possit; cum opus erit, seruire domino, qui solet Princeps dici. *Secundò*, illius propriè Hæredes instituuntur solum masculi, exclusis fæminis, quæ seruitiū personale non possunt præstare. *Tertiò*, acceptum Feudum alienari non potest, nisi cum licentià domini. Hæc omnia colliguntur ex materia de Feudis, *Matienzo lib. 5. Compilat. tit. 10. lib. 6. Castrop. part. 1. tract. 4. disp. 5. p. 9. ex eo licet non citato Dal Bene Dubit. 119.*

℞. Feudum hæreditarium, hoc est, con- 90
cessum omnibus de genere suo vocatis, non confiscatur, sed transit immediatè ad subsequentem vocatum innocentem ab Hæresi. Ratio est, quia Fiscus non est proprie Hæres, sicuti sunt vocati in Institutione factà à Principe, qui dicitur singulos vocatos instituere. Ita *Farinac. q. 25. num. 87. 88. & 93. ex eo Castropal num. 4. ex illis Dal Bene num. 8. cum Simancha de Catol. instit. tit. 9. num. 120. Clarus §. Feudum q. 84. Pegna p. 3. com. 161.* Ita quòd etiam fructus, & meliorationes transeant ad vocatos, quia tamquam accessoria sequuntur ipsum Feudum. Ita *Pegna part. 3. Direct. com. 161. Vers. Quandoque. Bossius de Bonor. publicat. num. 53. Alex. in l. Si finita §. Si de vectigalibus ff. de damno infecto.*

Contrarium, hoc est, fructus, & commo- 91
ditates transire ad Fiscum, docent *Gigas de Crim. læsæ Maiest. q. 5. num. 3. Menoch. de recuper. possess. Remed. 9. num. 260. Clarus q. 31. vers. Successiue, quos cum alijs citat Castropal. num 4. vers Secunda.* Probant *primò*, quia Feudatarius potest melioramenta, commoditates, & fructus alienare, ergo & in Fiscum sunt alienabilia. *Secundò*, quia quæ contractu possunt alienari, possunt & delicto.

Respondet Castropal. num. 5. non transire, si præter prohibitionem legalem exprimatur alia ab Institutore peracta, ne alienatio

rio ſiti vtique ſi deſit talis prohibitio; non enim impeditur translatio, ac proinde tranſit ad Fiſcum. Subdens id eſſe probabile; tamen quia habet ſpecialem difficultatem, nam Feudum duo ſpecialia includit, iuramentum Fidelitatis, & ſeruitium perſonale, ideo videtur ei repugnare tranſitus in extraneum, ex quo patet ad rationes oppoſitas, quæ locum non habent in Feudis, obſtante illo duplici actu perſonali, perſonalia enim non tranſeunt, ſicut realia.

92 Quòd ſi Feudum ſit inſtitutum cum expreſsà mentione, vt alienari poſſit in extraneos, tunc tranſit, iuxtà dicta de Emphiteuſi. Ita *Farinac. q. 25. num. 71. Verſ. vnde, cum alijs Caſtropal. num. 6 Dal Bene Dub. 119. num. 16.* Addo ego cum Feuda dentur à Principibus vt plurimùm ſuis ſubditis, & eorum ſit Ius confiſcandi, & eo magis vindicandi bona feudalia; ſequitur quòd bona redire ad Dominum verius dicantur, quàm confiſcari.

Quæritur 23. An legitima Filij Hæretici ſit ſubiecta Fiſco?

93 ℞ Negatiuè, licet à Patre aſſignata fuiſſet filio, non tamen liberato in ea aſſignatione à patriâ poteſtate; confiſcatur verò ſi ſit exemptus, viuente etiam Patre. Idem dicitur de alimentis Filio debitis.

94 Primùm, quòd legitima Filij familias Hæretici ſub patriâ poteſtate exiſtentis non publicatur, probatur, quia legitima non eſt in

95 bonis Filij niſi poſt mortem Patris, *l. 1. §. Si impuberi ff. de collat. bonor. Rota par. 2. deciſ. 768. num. 3 part. 4. tom. 2. dec. 359. num. 7.* Et quamuis ad eam ſpem habeat certam, cum ſit de Iure Naturæ debita, *Straph. dec. 1365. num 5.* tamen eius in re non eſt, ex quo eſt tantùm ſpes, quæ euaneſcere poteſt, ſi Filius

96 Patri præmoriatur. Præterea hoc Ius legitimæ eſt tantùm perſonale, *l. 1. §. Si impuberi eit ff. de collat. bonor.* ac proinde non tranſmittitur ad Hæredes extraneos, & ſic nec ad Fiſcum, vt ibidem dicitur, *& l. 1. §. In nouiſſimo, C. de cadur tollend.* Deinde confiſcatio non trahitur ad Iura futura, & conditiona-

97 lia *l. Si mandauero tibi, §. 15. cuius bona, Mandati.* Vide Bartol. ad l. 1. cit. §. Si impuberi, ait, Patrem non teneri ſoluere condemnationem de legitimâ pro maleficio Filij. Et ita docent *cum Farinac. q. 24. num. 19. Sanchez lib. 2. cap. 15. num. 19. & 21. Bonac. de contr. q. 8. p. vlt. §. 1. num. 13. cum illis Caſtropal. part. 1. tract. 4. diſp. 5. p. 10. num. 5. Dal Bene Dubit. 122. ſect.*

98 Secundum, quòd Filij à patriâ poteſtate exempti Hæretici legitimo publicetur, probatur, quia dicitur eius bonum proprium, mutando rationem legitimæ. Et ita docent *Sanchez, & Bonac. præcitati*, ſine illa diſtinctione; negat Baiardus ad Clarum q. 78. num. 48. Diſtinguit Caſtropalaus, & Dal Bene cit. non publicari, ſi iam erat liber à patriâ poteſtate.

Tertium de alimentis filio Hæretico non publicandis patet ex dictis, quia illi de Iure naturæ ſunt debita, ſicut legitima. Confirmatur, quia ſunt ſub dominio Patris, & Filius ad illa habet Ius perſonaliſſimum, ratione cuius non tranſeunt in fiſcum. Ita præcitati Doctores à Caſtropalao. 99

Quæritur 24. An bona profectitia Filij Hæretici publicentur?

Peculium profectitium eſt omne illud, quod Filius aquirit à Patre viuente, vel eius causà, occaſione, vel nomine ad Filium proficiſcitur. Eius autem dominium tam directum, quàm vtile eſt apud Patrem, qui filiofamilias dare poteſt ſimplicem adminiſtrationem, quam pro ſuo arbitrio reuocare poteſt expreſsè, vel tacitè. Colligitur *ex Inſt. per quas cauſas nobis aquir. §. Igitur l. cum oportet, iuxta Gloſ. V. Ex eius ſubſtantia C. de bonis, quæ liberis.* Ita *Leſſius lib. 2 cap. 4. num. 7. & 9. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 24. Faber Franciſcanus diſp. 45. de Reſtit. num. 9.* quos citaui in opuſculo *de Paupertate Relig. cap. 2. num. 46. Gratian. cap. 505. num. 5. cap. 663. num. 7.* In noſtris terminis *Caſtropal. part 1. tract. 4. diſp. 5. p. 10. initio. Dal Bene Dubit. 122. ſect. 1. num. 1.* 100

℞. Peculium profectitium filijſfamilias Hæretici non confiſcatur, quia hæc bona quò ad vtrunq; dominium ſunt Patris, qui illis priuari non debet, cum ſit innocens. Eſto Filius haberet illorum adminiſtrationem, immo & poteſtatem donandi. Ita de communi *Farinac. q. 24. num. 3. Sanchez lib. 2. cap. 15. num. 17. Couar. lib. 2. Variar. cap. 8 num. 7. Anton. Gomez tom. 2. Variar. tit. de ſeruit. cap. 15 num. 16. Caſtropal. num. 6. Dal Bene ſect. 3.* 101

Sermo eſt de Filiofamilias, qui ſcilicet, eſt ſub patriâ poteſtate *l. Nam ciuilium 4. ff. de his, qui ſunt ſui*, nam aliorum filiorum, qui ſunt exempti à patria poteſtate, bona confiſcantur, quia eorum propria ſunt. 102

Quæritur 25. An peculium aduentitium filijſfamilias Hæretici confiſcatur?

Peculium autem aduentitium eſt omne illud, quod a Filio aquiritur à quocunque alio, extra Patrem, & eius intuitum; licet detur etiam à Matre, aquiſitum ſiue donatione, ſiue proprio labore, & induſtriâ extra militiam, vel officium publicum. *Inſtit. Per quas perſonas nobis aquir. l. Cum oportet 6. C. de bonis, quæ liber.* Ita docent præcitati, *& Megalius l. 2. lib. 2. cap. 3. num. 3.* Qui omnes dicunt, proprietatem eſſe apud Filiumfamilias, vſumfructum verò ſtare apud Patrem, vel Auum. 103

℞. Bona aduentitia Filijſfamilias Hæretici publicantur. Probatur, tum quia ſunt propria Filij, ergo ea occupare poteſt Fiſcus ſine præiudicio Patris, cui proinde reſerua- 104

tus

tus vsusfructus. Tum quia *ex l. Quisquis C. ad leg. Iul. Maiest.* Vbi imponitur pœna confiscationis suorum bonorum cuicunq. committenti crimen læsæ Maiestatis; Ea autem dictio *quisquis* est pronomen collectiuum, *ex Bartolo Tuschus lit. D. concl. 269. num. 15.* quod est dictio vniuersalis, quæ non recipit
98 restrictionem, *ex Barbosa dict. ead. 324. ex eodem Tuscho concl. 397. num. 20 & 21.* ergo intelligitur de quouis, siue sit sui Iuris, siue non; qui textus loquendo de confiscatione bonorum vtitur his extremis verbis: *Bonis eius omnibus Fisco nostro addictis*, ergo nul-
99 la bona excipiuntur, cum dictio *Omnibus* vniuersalis non admittat aliquam exceptionem & restrictionem, *Bartol. in l. Generali, §. Vxori ff de Vsufr. leg. Ruin. Vol. 5. cons. 61. num. 15.*
100 *Roland. Vol. 4. cons. 27. num. 22.* Et includit ea quæ aliàs in dispositione non comprehenderentur; *ex eodem Bartolo, Natta tom. 1. consil. 160. num. 29. Roland. cons. 76. num. 8. cum alijs Mascard. Vol. 1. concl. 148. num. 9.* Tum quia filius innocens ob crimen læsæ Maiastatis Patris, priuatus est quacunq. hereditate, & successione, ergo à fortiori priuandus est ipse filius dominio suorum bonorum valet enim argumentum à minori ad maius affirmatiuè
101 sumptum, *ex allegatis à Farinac. q. 24. num. 110.* Ita docent *Azor. part. 1. lib. 5 cap. 7. q 8. Vasquez 1. 2. q. 169. cap. 1. num. 9. Simanchas de haresi in instit. Catol. tit. 9. num. 16. & 18. Octauianus decis. Pedem 94 num 9. Farinac. q. 24. num. 9. Facbin. lib. 9. Controuers. cap. 48. Vers. Contraria sententia, & cap. 49. fine*, quos citat, & sequitur *Castropal. disp. 5. p. 10. num. 16.*

102 Publicatur ergo peculium aduenticium quò ad proprietatem, relicto Patri innocenti vsufructu, ratio enim suadet, ne Pater detrimentum patiatur propter delictum filij; vt omnes præfati docent, quos sequitur *Dal Bene sect. 5. num. 29. ad 31.* licet in reliquo sequatur oppositum negando publicationem bonorum, cum alijs apud Barbosam ad cap. Vergensis, de Hæret. num. 14.

Quæritur 26. An bona Castrensia filij Hæretici sint subiecta fisco?

103 Peculium castrense est illud, quod aquiritur in Bello, vel occasione Belli, vel obsequij Principis. Est totum Filij quo ad propietatem & vsumfructum, ac proinde cum in eo habeat plenum, & perfectum dominium, de illo disponere potest pro suo arbitrio independenter à Patre. Colligitur *ex l. Castrense ff. de castr. pecul. l. Vn. C. de castr. palat. peculio l. 1. C. de castr. pecul.* vbi quicquid aquiritur per peculium castrense, bonũ castrẽse dicitur. Et ita docet *Castro part 1. tract. 4. disp. 5. p. 10 initio, Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 37. Faber Francisc disp. 45. de Restit. num. 16. cum alijs à me citatis de Paupertate relig. cap. 2. num. 48.*
104 Quòd habeat proprietatem, vsumfructum, & alia liberam administrationem, Colligitur *ex l. 2. C. ad Macedon. l. cum oportet, §. Exceptis C. de bonis, quæ liberis, l. Miles 1. ff. de Castr. peculio.*

℞ Bona Castrensia filijfamilias Hæretici confiscari, probatur. Tum ex præcitata *l. Quisquis*, explicatà, & corroboratà in responsione præcedentis quæstionis. Tum quia de illis plenum habet dominium, vt probatum fuit. Ita *Quemada in quæst. fiscal. q. 19. fine, Repertorium Inquis V. Confiscatio Vers. Item propter Haresim. Locatus q. 18. Facbin. lib. 9. Controu. cap. 49. fine Octau. decis. 94. Pedemont. Farinac. q. 24. num. 14. de heres. q. 190. num. 17. ex illis Castropal. cit. num. 23.* 105

Contrarium tenet *Sanchez lib. 2. cap. 15. num. 4. ex eo Dal Bene Dub. 122. sect. 7.* eà ratione, quia nihil de his criminibus læsæ Maiestatis statutum est. Subdens contrarijs rationibus esse respondendum per adducta argumenta eorum, qui probant Castrensia non publicari in alijs delictis, sed relinqui Patri filij delinquentis. Sed ex precedenti questionis responsione satis clarè patet confiscari omnia bona delinquentis in crimine læsæ Maiestatis, valet enim argumentum à crimine læsę Maiestatis in pœnalibus ad Hæresim, cum hæc dicatur crimen læsę Maiestatis diuinæ; quòd colligitur *ex cap. Vergensis 10. de Haret. & cap. cum secundum 19. eodem in 6.* Vbi Legislator à crimine læsę Maiestatis humanæ in pœnis arguit ad crimen lęsæ Maiestatis diuinę; licet ergo ita argumentari, vt docent *Menoch. cons. 808. num. 1. Fuluius Pacian cons. 19. num. 70. Roland. à Valle vol. 3. cons. 73. num. 16* vbi, quòd non valet è contra; *& consil. 73. num. 27. vol. 4.* quòd non valet, nisi in casib. à Iure expressis; in contrarium *est Sanchez lib. 2. cap. 28. num. 5.* cum illis Barbosa loco 30. 106 107

Quæritur 27. An publicentur bona filijfamilias heretici quasi Castrensia.

Peculium quasi Castrense est illud, quod acquiritur à filiofamilias ex aliquo officio publico e. g. Magistri, Iudicis, Notarij, Aduocati, Medici, Chirurgi, & similium, quorum ministerium respicit bonum reipublicæ, *l. Aduocati C. de aduoc. diuers. iud.* Item aquisitum ex Clericatu, seu post Clericatum, licet aliàs sit aduentium, Authent. *Presbiteros C. de Episc. & cler.* Ita Castropal. *part. 1. tract. 4. disp. 5. num. 1. Faber disp. 45. num. 16.* Clerici enim militant in castris Domini. *Barb. ad l. fin. C. de inoffic. testam. num. 4. & 5. Sanchez lib. 7. cap. 13 num. 23. Barbosa in dicta Auth. Presbiteros post leg. 32. Ego cap. 2. de Paupert. num. 49.* Qui omnes docent, filium bonorum quasi Castrensium habere plenum dominium tàm proprietatis quàm vsufructus independenter à Patre. 108 109

℞ Bona quasi Castrensia confiscari filijs familias tam laicis, quam clericis respectiuè, per 110

per suos Iudices. Ita præcitati in præcedenti quæstionis responso, nam allegati ibidem Doctores loquuntur de vtroq; Castrensi, cum vtriusq. eadem sit ratio, ex quo Filijfamilias super ea habeant plerum dominium.

Hactenus dictum est, quæ cadant, vel non cadant sub Fiscum, quando Filiusfamilias incidit in crimen læsæ Maiestatis diuinæ; modo in sequentibus idem tractandum est, cum Pater incidit in Hæresim, sequendo eundem Peculiorum ordinem. Quare.

Quæritur 28. An publicatis bonis Patris Hæretici, confiscentur quoq. legitima, & alimenta Filiorum vtriusq. sexus, & dos earum?

111 Præmitto legitimam Filijs debitam de Iure naturæ, esse partem tertiam Hæreditatis paternæ, quando Filij sunt duo, tres, vel quatuor; dimidiam verò, quando sunt quinque, vel plures, *Auth. Nouissima C. de inoffic. testam.* In casu verò confiscationis, legitima erit dimidia pars Hæreditatis, si adsint vnus, vel duo filij; in vlteriori numero, nihil debetur Fisco, *ex l. fin. de bonis damnat. Farinac. q. 24. num. 37. ex eo Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 5. p. 11. num. 17. Vers. Si autem.* Sermo est in prædictis de Iure ciuili, aliter ex statutis accidit ob ingluuiem Fisci.

112 ℞. Confiscatis bonis paternis Hæretici, sunt etiam confiscata legitima, alimenta, non verò Dos filiarum, quod procedit etiam respectu Matris Hæreticæ, esto Filij sint catolici. Probatur ex cap. Vergensis 10. de Heret. vbi dicitur, quod filijs Patris Hæretici vita solummodo conseruatur ex misericordia, & bonis temporalibus spoliantur eorum Patres Hæretici, sicut spoliantur Rei criminis læsæ Maiestatis humanæ; Sed huius criminis Rei spoliantur omnibus bonis, *ex l. Quisquis*, de qua dixi supra hic num. 98. & 99. imo, & huius criminis Hæresis *l. Cazaros*, quam retuli initio huius Sect. num. 2. & in vtraque lege Bona exprimuntur sub dictione vniuersali *Omnia bona*, quà indicatur quæcunque bona Patris publicari, vt importat propositio vniuersalis, ex supra dictis numeris ergo &. Et ita docent de legitimâ *Ghirlanda de Haret. q. 4. Graffius lib. 2. decis. aur. cap. 11. num. 9. Farinac. q. 24. num. 44. & 45. & q. 191. num. 2. Sanchez lib. 2. cap. 16. num. 26. cum alijs Barb. ad cap. Vergensis num. 26 Castropal. p. 11. num. 20. Dal Bene Dubit. 123. num 7. sect. 5.* De alimentis ijdem *Sanch. num. 26. cum multis alijs Barbosa cit. num. 27. Castropal. num. 24. cum Surdo de alim q. 31. Dal Bene sect. 7.*

De Dote videntur sentire contrariũ, quòd scilicet Fiscus teneatur ex bonis receptis dotare Filias, si non adest qui eas dotet, cum Ius naturæ obliget Patrem dotare filias, *l. fin. C. de dotis promis.* cui Fiscus non potest contradicere.

Contrarium docet Castropal. num. 23. 113
nimirum dotandas non esse, ob atrocitatem criminis. Sed præcedens opinio est verior, cum plures sint eius sectatores; siquidem Fœmina non videtur ita facilis imitari Patrem, sicut masculus, Charitas ergo cogat Fiscum dare illi dotem, sed inquiunt, nescit Charitatem, quia minor est.

Quòd si filij abscondant aliquid non videntur peccare, nec teneri ad Restitutionem, quando aliud non habent, vnde viuant, Ius enim Naturæ non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in graui videtur id illis concedere, *Bonac disp. 3. de controu. q. 8. p. fin. §. 1. num. 15. fine*, iunctis quæ dicit *disp. 1. q. vlt. p. 1. num. 37.* probans cedentem bonis posse abscondere, & sibi retinere adtenacem sui, & suorum sustentationem; sequitur *Castropal. p. 11. num. 25. Dal Bene sect. 8.* 114

Quæritur 29. An confiscatis bonis Patris hæretici, veniant bona profectitia, itaut fiant subiecta Fisco, exclusis filijs?

℞. Affirmatiuè, quia sunt Patris, quò ad proprietatem, & vsumfructum *ex l. Certum C. Famil. Ercisc.* Confirmatur ex dictis hic quæst. 25. quia leges *Gazaros*, & *Quisquis* vtuntur dictione vniuersali, ergo comprehendunt bona cuiuscunque conditionis. Confiscantur legitima, & alimenta ex probatis quæst. præced. à fortiori profectitia. Et ita docent *Cantera tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap 1. num. 37. Gigas lib. 2. de crim. læsæ Maiest. q. 13. num. 4. Zecchius part. 1. de fide cap. 11. num. 16. Dal Bene Dub. 123. sect. 4. Castropal. p. 11. num. 15.* 115

Contrarium non publicari sed filijs reseruari bona profectitiâ, docent *Couar. lib. 2. Variar. cap. 8. num. 7. vers. Hinc apparet. Farinac. q. 25. num. 26. Sanchez lib. 2. cap. 16. num. 20. Peregr. lib. 5. tit. 1 num 126.* quos citant *Barb. ad cap. Vergensis, de haret. num. 12. Dal Bene initio sect. 4.* Probationes eorum non pertinent ad præsens delictum, & ideo non vrgent. Vide eas apud Castropalaum, & Dal Bene. 116

Quæritur 30. An sub confiscatione bonorum Patris hæretici veniant bona aduentitia filiorum?

℞. Negatiuè sed cum proprietate filij consolidatur vsusfructus, qui erat Patris hæretici. Probatur, quia vsusfructus non transit ad extraneos, *§. Finitur, Instit. de vsufr.* Ita docent *Quemada in quæst. fiscal. q. 19. num. 4. Simanch. tit 9. num. 81. Cantera cap. 1. num. 34. Farinac. q. 190. num. 27. ex illis Castropal. p. 11. num. 11. Dal Bene Dub. 123. sect. 3. num. 5. Barb. ad cap. Vergensis, de haret. num. 13.* 117

Quæritur 31. An Vsusfructus extra aduentitia publicetur, an verò consolidetur cum proprietate, cuiuscunque Hæretici sit

talis

talis Vsusfructus?

118 ℞. Reuertitur ad dominum proprietatis, & non confiscatur. Probatur, tum quia finitur morte Vsufructuarij *§. fin. instit. de Vsufr.* & reuertitur ad dominum proprietatis, *ibidem vers. Cum autem*. Tum quia est pars dominij *l. 4. ff. de Vsufr. Gloss. V. causa non decisa cap. Pastoralis, de causa possess.* ergo mortuo Vsufructuario consolidari debet cum dominio, cum tollatur morte illius, non proprietarij *l. Si patri 3. ff. eod.*

Confirmatur, quia Vsusfructus aduentitiorum non publicatur, ex probatis quæst. præced. ergo nec vsusfructus alterius generis, & eo magis, quia non transit ad extraneos, ex allegatis Iuribus, dum consolidatur cum proprietate. Ita *Dal Bene* Dub. 123. *sect. 1. num. 10. Ricciul. lib. 5. cap. 32. num. 60. vbi citat Alex. in l. Si finita §. De vectigalibus ff. de damno infecto num. 51. Baldus in l Corruptionem, Pancirol. lib. 1. consil. 181. num. 11.*

Quæritur 32. An sub Confiscatione bonorum Patris hæretici veniant bona Castrensia, vel quasi filiorum?

119 ℞. Negatiuè, quia peculium hoc non pertinet ad Patrem nec quò ad dominium, nec quò ad Vsumfructum, nec quò ad administrationem ex dictis sub quæst. 26. & 27. Et ita docent omnes, quos citat *Farinac. q. 190. num. 17. Bonac. disp. 3. de contr. q. 8. p. fin. §. 1. num. 14. Sanchez lib. 2. cap. 16. initio, Castropal. p. 11. num. 8. vers. Dico, Dal Bene Dubit. 123. sect. 2.* Nullus contradicit. Alios citat Barbosa ad cap. Vergensis, de hæret. num. 15.

Quæritur 33. An sub Confiscatione bonorum Mariti hæretici veniant bona suæ Vxoris innocentis? Bona Vxoris solent vocari, Dos, Arrhæ, Parafernalia, Medietas lucri, & quicquid aliud ad eam pertinens.

120 ℞. Non cadunt sub Confiscationem bonorum Mariti hæretici, nec Fisco incorporantur, *l. ob Maritorum 2. C. Ne Vxor pro Marito*, Vnde non debent perdere dotes suas, nec donationes nuptiales, siue ante, siue post; neque incorporantur Fisco, Paraphernalia, *l. Si quis posthac 9. C. de bonis proscript. l. Quisquis 5. §. Vxores, C. ad legem Iul. Maiest* in his terminis expressè *cap. Decreuit 14. de haret. in 6.* Vbi quòd Dos non confiscatur, sed reseruatur Vxori innocenti, non solùm, quando Maritus post Matrimonium euadit Hæreticus, sed etiam, quando contraxit cum Marito iam Hæretico, si ea ignorauit, Maritum esse hæreticum, licet postmodum veniat in cognitionem, Maritum esse hæreticum, vt ibi docent Canonistæ. Et ita docent *Pegna p. 3. com. 160. vers. In hac tractatione Farinac. q. 190. num. 52. cum alijs Barb. hic. num. 9. Bonac. disp. 3. de contr. q. 8. p. fin. §. 1. num. 16. Sanch. lib. 2. cap. 17. num. 17. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 5. p. 12. num. 10. & 13. Dal Bene Dubit. 124. sect. 1. num. 4. & sect. 5.*

Quæritur 34. An Sponsa ducens scienter Maritum hæreticum, perdat non solum Dotem, sed etiam quæcunque alia sua bona?

℞. Omnia eius bona veniunt in confiscationem; Mulier enim scienter nubens Hæretico vehementer suspecta est de Hæresi, ac proinde fautrix est Hæresis. 121

Confirmatur, quia Dos inter bona Mulieris est principale; si ergo hæc confiscatur, etiam reliqua bona, vt accessoria. Et ita docent *Cantera in quæst. crimin. cap. 1. num. 23. fine, & 24. Farinac. q. 190. num. 94.* Simanchas *tit. 9. num. 74. Vasquez 1. 2. q. 168. cap. 1. num. 13. Castropal. p. 12. num. 12.*

Contrarium docent *Sanchez lib. 2. cap. 17. num. 22. & Bonac. cit.* non manere confiscatam nisi solam dotem. Tum quia textus loquitur tantùm de dote. Responsum Castropal. poni causa exempli, quod Regulam non restringit, *l. Damni infecti ff. de damno infecto, l. pen. § fin ff. de Iuris, & Facti Ignor. Surd. consil. 308. num. 10.* Tum quia durum est Mulierem non hæreticam scienter nubentem Hæretico facere illi parem in pœnis, cum par non sit culpa, quia in lucro aquirendo nulla apparet turpitudo, ob quam dignum sit confiscatione. ℞. Castrop. Non est par in pœnis, cum Vir puniatur ipso facto, per Sententiam, præterea subditur alijs pœnis, non Vxor. 122

Quæritur 35. An si Maritus non hæreticus scienter ducat Vxorem hæreticam, priuetur & ipse suis bonis, sicut priuatur Vxor ex mox dictis.

℞. Non priuari aliquo Iure, nam in cap. Decreuit loquitur de dote, quæ non traditur Viro, sed tantùm Mulieri. Et ita docent Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 23. Bonac. disp. 3. de contr. q. 8. p. fin. §. 1. num. 16. Castropal. cit. num. 16. Dal Bene Dubit. 124. sect. 6.* 123

Quæritur 36. An publicatis bonis Mariti hæretici, sit publicata quarta pars illorum bonorum, quæ Maritus promisit suæ Vxori inopi?

℞. Fisco nullatenus aquiritur, sed Vxoris est, quia sicut Fiscus tenetur satisfacere ex contractu creditoribus, cum sit æs alienum, & non condemnati, vt dicam q. 51. ita & restituere quartam Dotis à Marito assignatam suæ Vxori pauperi, esto Maritus non teneatur talem quartam ei tradere, nisi post mortem, assimilatur enim legitimæ, quæ solùm datur post mortem Patris, ita & hæc quarta post mortem Mariti tribuenda est viduæ. Itaque legitima confiscatur ex probatis sub quæst. 28. eâ ratione, quia non titulo oneroso, sicut quarta, debetur, quæ contrahitur titulo oneroso Matrimonij. Ita *Socinus vol. 4. cons. 127. num. 7. 16. & 17. Pletus consil. 130. n. 41. Farinac. q. 25. nu.* 124

123.

123. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 11. *ex illis Caſtropal. p.* 12. *num.* 8. Dal Bene *Dubit.* 124. *ſect.* 4.

Quæritur 37. An omnia bona, quæ ſunt propria Vxoris, ſi hæc incidat in Hæreſim conſtante Matrimonio, vel poſt mortem Mariti, publicentur, & cadant in Fiſcum?

125 ℞. Omnia confiſcantur etiam Dos, licet viuat Maritus, non ſolùm quò ad proprietatem, ſed etiam quò ad vſumfructum. Probatur primum conſtante Matrimonio, ex l. *Quinque* 3. *ff. de bonis damnat.* Vbi Dos publicatur, quando Vxor committit vnum ex his quinque, ſcilicet, Crimen læſæ Maieſtatis, Vis publicæ, Parricidij, Veneficij, & Siccarij; Ergo & in crimine læſæ Maieſtatis diuinæ; valet enim argumentum ab illo ad hoc, vt probaui ſub num. 107. Et ita docent *Farinac. q.* 190. *num.* 54. *Royas part.* 2. *de Haret. num.* 323. *&* 325. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 26. *Caſtropal. part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 5. *p.* 13. *num.* 2. *Dal Bene Dubit.* 125. *ſect.* 1. *num.* 3. Secundum, cum ſcilicet vidua incidit in Hæreſim perdat omnia etiam Dotem, probatur, Iuribus citatis initio huius ſectionis, in quibus indiſtinctè dicitur, quòd omnia bona Hæreticorum publicantur, tam maſculorum, quam fœminarum, Auth. Gazaros, ibi: *Omnes Hareticos vtriuſque ſexus.* Ita docent *Clarus q.* 78. *verſ. Quaro ſi bona*, *Sanchez cit. num.* 25. *Bonac. diſp.* 3. *de contr. q.* 8. *p. fin.* §. 1. *num.* 17. *Caſtropal. num.* 1. *Farinac. q.* 25. *num.* 112. *Dal Bene num.* 1. Tertium, quòd ſub confiſcatione veniat etiam vſusfructus, probatur, *ex l. Reſtiture* 35. *ff. de verb. ſign. l. in condem-*
126 *natione* 134. *ff. de Reg. Iuris*. Nemo enim negat, vſumfructum eſſe bonum, immo magis bonum, quàm proprietas, vt experientia docet. Et ita docent *Royas ſing.* 117. *Zanchinus de Haret. cap.* 25. *num.* 4. *fine*, *Sanchez num.* 31. *Caſtropal. num.* 6. *Dal Bene ſect.* 2. *Farinac. q.* 190. *num.* 54.

127 Contrarium, quòd vſusfructus non confiſcatur, tenent *Bonacina cit. num.* 17. *cum Palaz. & Lupo*, probantes, quia vſusfructus pertinet ad Maritum, qui ſuſtinet onera Matrimonij, *l. Dotis fructus* 8. *ff. de Iure dotium*, & poſt mortem vtriuſque dos cum ſuis fructibus reſeruatur Filijs, *l. Generaliter* 5. *Auth. Vxore mortua C. de ſecund. nupt.* Ergo vſusfructus Mulieris Hæreticæ non eſt Fiſci.

128 ℞. Ceſſare onus alendi Vxorem, ac proinde tranſit ad Fiſcum, ſicut enim Maritus, qui non habet dotem promiſſam, non tenetur eam alere; nec cum committit delictum, propter quod ei aufertur, vt de magis communi tenet *Sanchez lib.* 9. *diſp.* 5. *num.* 10. in noſtris terminis *Farinac. q.* 190. *cit. Caſtropal. num.* 7. Nec Filijs reſeruatur, quando eſt Hæretica, nam pœna Confiſcationis comprehendit etiam Filios *Auth. Gazaros*, *& cap. Vergenſis* 10. *de Haret.*

Quæritur 38. An Dos Vxoris hæreticæ cum cæteris eius bonis publicentur, quando pactum eſt inter coniuges, vt Vxore committente delictum Hæreſis, bona perueniant ad Maritum? Et è contra?

℞. Non confiſcatur, quia dos prohibetur confiſcari, & ſic tranſire in extraneum, ac proinde in Fiſcum, cui non fit fraus, dum prohibitio præcedit ipſum delictum, & non eſt in fauorem ipſius prohibentis. Confirmatur, quia tale pactum licet, nec à lege interdicitur, vt dixi ſupra ſub num. 68 & paſſim practicatur. Ita docet *Baiardus ad queſt.* 78. *Clari num.* 63. *Peregr. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 83. *&* 118. *Farin. q.* 25. *num.* 115. *Caſtropal. p.* 13. *num.* 9. *Dal Bene ſect.* 3. Et licet figurent caſum in Vxore ad fauorem Mariti, tamen idem dicendum eſt de Marito erga Vxorem, quando nullos habet Filios, non enim maior ratio eſt de vno, quàm de alio, correlatiua enim non debent iudicari ad imparia. 129

Contrarium, quòd tale pactum non valeat, docent *Barb. in l. Si conſtante* 25. *ff. ſolut. matr.* §. *fin. Sanchez lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 32. Quia tale pactum derogat legi communi ſtatuenti confiſcationem bonorum, ergo eſt nullum. ℞. derogaret, ſi tale pactum fieret ab hæreticà Perſonà, cum tunc non eſſet dominus bonorum ſuorum, iam Fiſco ipſo iure ſubiectorum. 130

Dices, hoc pactum ad fauorem Vxoris fieri non poſſe à Marito, qui donare Vxori prohibetur, & ab Vxore Marito *l.* 1. *ff de donat. inter virum, & vxorem, & l. Conſtãte* 21. *C. de donat.* Vbi, quòd Mulier conſtante Matrimonio, dotem ſuam donare non poteſt; ergo hoc pactum inter ipſos non valet. Sed hæc non obſtant, cum tale pactum non ſit donatio pura, & inter viuos, ſed vel cauſa mortis, vel ex Teſtamento, vel alia diſpoſitio conditionata, quæ non prohibetur lege aliqua. 131

Quæritur 39. An Vxor innocens teneatur concludenter per publicum Inſtrumentum, vel teſtes probare dotem numeratam, & traditam eſſe ſuo Marito, ne remaneat apud Fiſcum, à quo illam recuperare poſſit?

℞. Affirmatiuè, vt colligitur *ex l. Si quis poſt hac* §. *Dos etiam C. de bonis proſcript. l.* 1. *C. de dote cautà, non numer.* Vnde Vxor non valens probare hoc, nihil recuperabit, ſed dos remanebit apud Fiſcum, qui poteſt Vxori obijcere exceptionem pecuniæ non numeratæ, ſi conſiſtit in pecunijs à die condemnationis. Ita Farinac. *q.* 190. *num.* 48. *Locatus q.* 13. *Caſtropal. p.* 12. *num.* 5. *Dal* Bene *Dub.* 124. *ſect.* 2. *num.* 5. *&* 6. Et dantur annis decem infra quos Fiſcus excipere de non numeratà pecunià *ex Auth.* 132

Quod locum C. *de dote cautâ non numeratâ ex eisdem cum* Farinac. *q.* 25. *num.* 121. contra *Vasquez l.* 21. *quæst.* 169. *cap.* 2. *num.* 11. *Simanch. tit.* 9. *num.* 69. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. restringentes ad annum, quia Fiscus non procedit ex aliquo Priuilegio, sed succedit loco Hæredis, quæ ratio facit magis pro nobis, cum hæc restrictio nullo Iure probetur, sicut decennium, vt obseruat Castropalaus, Dal Bene vtrunque recipit num. 7.

Quæritur 40. Quid si Maritus Hæreticus vendat fundum dotalem de consensu iurato Vxoris innocentis, numquid illum publicatum recuperare potest Vxor?

133 ℞. Sic, quia Fiscus non debet cum illius detrimento locupletari. Ita *Simanch. tit.* 9. *num.* 75. *Farinac. q.* 190. *num.* 84. *Castropal. num* 6. *Dal* Bene *num.* 10. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 9.

Neque dicas, illum recuperare non potest ab emptore, cum huic suum dederit consensum, ergo nec à Fisco. ℞. enim, quem posse ex alterius personâ consequi, quod ex se consequi non potest; Fiscus autem potest reuocare Alienationes factas ab Hæretico, vt probatum est q. 4. sub num. 34. ergo & pro Vxore. Vnde & illi Fiscus alimenta præstare tenetur, cum succedat loco Hæredis, qui tenetur, quia alimenta sunt accessoria doti, ex eisdem.

Quæritur 41. An in dubio, quòd ignoranter, vel scienter Coniux nupserit alteri Hæretico, resoluendum sit pro Fisco, quòd sciuerit esse Personam hæreticam, cum qua contraxit?

134 ℞. In dubio præsumitur Ignorantia. Ita *Gloss. V. Tunc cap. Decreuit* 14. *de haret. in* 6. *Siluester V. Hæreticus §.* 2. *num.* 13. *Repertorium inquisit.* Dotes. *§. Primo* Farinac. *q.* 190. *num.* 53. *cum alijs* Barbosa *ad hoc cap. num.* 11. Dal Bene Dubit. 124. *sect.* 5. *num.* 14. Qui proinde probationem scientiæ refundunt in Fiscum, qui non valens probare tenetur alienum restituere. Quod dicunt de Muliere nubenti Hæretico, dicendum quoque est de homine ducenti Hæreticam; cum in correllatiuis currat paritas, maxime in Hæresi, quæ secretò, & in abscondito concipitur.

Quæritur 42. An Vxor non denuntians Virum hæreticum postquam illum talem nouit post contractum Matrimonium, perdat dotem cum alijs bonis?

135 ℞. Negatiuè, quia nullo iure reperitur talis pœna expressa. Ita *Pegna part.* 3. *com.* 160 *Vers. Plus tamen, Dal Bene sect.* 5. *fine.*

Quæritur 43. An publicentur quæcunque
136 bona Clericorum hæreticorum? Certum est non confiscari bona ecclesiastica, quæ obtinent titulo Ecclesiarum, vt sunt Beneficia, siue simplicia, siue curata, aut quouis nomine vocentur, quia sunt de proprietate Ecclesiæ, & inalienabilia; vnde ea publicantes sunt excommunicati, *ex Clem.* 2. *de haret.* nisi eos ignorantia excuset, vt docet *Gloss. V. Scienter, & ibidem citatis Doctoribus Barbosa num.* 22. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 11. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *part.* 14. *num.* 1. *Dal* Bene *Dubit.* 126. *num.* 20.

℞. Bona patrimonialia Clericorum hæreticorum applicantur Fisco, sicut & bona aquisita ex ministerio ecclesiastico, vt ex celebratione Missarum, ex ministerio Sacramentorum, pro Vicariâ, seu Capellaniâ ad tempus, pro Concionibus, pro exequijs, & officijs defunctorum; non autem de perceptis fructibus Beneficiorum quoruncunque. 137

Prima pars de patrimonialibus confiscandis probatur, quia hæc sunt propria Clericorum, de quibus disponere possunt pro eorum arbitrio, ac proinde transferre etiam in extraneos quouis titulo contractus, aut Testamenti, *ex cap. Quia, de Testam.* Est communis, *Gloss. in dicta Clem.* 2. *de haret. V. Ecclesiarum*, *Couar. lib.* 2. *variar. cap.* 9. *num.* 12. *Pegna part.* 3. *com.* 161. *Siman. de Catolic. instit. tit.* 9. *num.* 92. *Castropal. cit. num.* 2. *Dal* Bene *Dub.* 126. *sect.* 3. *num.* 1. 138

Secunda pars de alijs aquisitis extra Beneficia applicanda Fisco probatur, quia computantur inter patrimonialia, dum non aquiruntur titulo alicuius Beneficij. Ita docent præcitati, & cum illis *Sanchez lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 22. *Farinac. q.* 190. *num.* 154. 139

Tertia pars de bonis perceptis ex causa Beneficiorum non confiscandis, probatur *ex cap. Excommunicamus* 13. §. *Damnati, de Haret.* Vbi quod huiusmodi bona, siue mobilia, siue immobilia applicantur Ecclesijs, à quibus ea acceperunt. Est communis, *Barb. hic num.* 7. *citat Doctores Claram. de Haresi num.* 13. *Simanch. cap.* 9. *num.* 89. *Pegnam com.* 154. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 24. *Castropal. p.* 14. *num* 2. *Couar. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. *Angelus V. Hæreticus num.* 5. *cum alijs Dal Bene Dub.* 126. *sect.* 3. *num.* 3. 140

Quæritur 44. Cuinam Fisco applicanda sint bona Clericorum confiscabilia laicali ne, an Ecclesiastico?

℞. Fisco Ecclesiastico, quia patrimonialia Clericorum exempta sunt à Iurisdictione laicorum, & eorum oneribus, *cap. Quamquam* 4. *de censib. in* 6. *cap. Non minus* 4. *cap. Aduersus* 7. *de Immun.* Ergo & à Fisco seculari; sufficit ergo quod sint subiecta Fisco ecclesiastico. Ita Farinac *q.* 190. *num.* 154. *Peregr. de iure Fisci lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 31. *Bursat. lib.* 1. *consf.* 43. *num.* 37. *&* 38. *cum alijs Barb. ad dictum cap.* 13. *de haret. num.* 8. *& in Clem.* 2. *de haret. num.* 4. *Dal* Bene *sect.* 3. *num.* 8. Contra paucos dicentes applicari Fisco laicali, & sic practicatur extra Italiam. 141

Quæ-

Quæritur 45. An sub confiscatione facta hic Parmæ comprehendantur bona, quæ Hæreticus hic condemnatus habet in Ducatu, seu Territorio alieno?

142 ℞. Affirmatiuè, quia Lex vtriusque Iuris se extendit ad quodcunque territorium, ergo & publicatio facta ab Inquisitore iudicante Hæreticum. Est communis *cum Farinac. q.25. num.*100. *Peregr. lib.* 5. *tit.*1. *num.* 138. *Claro q.* 78. *num.* 24. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 31 *Dal Bene Dubit.* 127. *num.* 1. *Castropal. part.* 1. *tract* 4. *disp.* 5. *part.* 15. Executio autem Confiscationis bonorum fit per officiales loci, in quo bona confiscata inueniuntur, *arg. l. Cum vnus §. fin. ff. de bonis authot. iudic. possid.* Ita *Castropal. num.* 3. *Dal Bene num.* 3.

Quæritur 46. An quilibet Hæreticus subiaceat confiscationi suorum bonorum.

143 ℞. Affirmatiuè, ex cap. Vergensis 10. de Hæret. *In terris temporali nostræ Iurisdictioni subiectis bona Hæreticorum statuimus publicari, & in alijs idem præcipimus per Potestates, & Principes seculares.* Omnes ergo cuiuscunque status, & conditionis habent propria bona subiecta Fisco in terris temporalis Iurisdictionis Papæ, qui præcipit Principibus quibuscunque vt idem faciant respectu suorum subditorum per vniuersum orbem. Ita *Suarez de fide lib* 3. *cap.* 22 *Castropal. p.* 16. *Dal Bene Dub.* 128. Principibus ergo Imperatori, & Regibus si incidant in hoc crimen bona non confiscantur, dum illis à Papa præcipitur confiscatio bonorum suorum subditorum.

Quæritur 47. Quomodo Fiscus debeat probare alienationem factam ab Hæretico, fuisse in fraudem, ne bona aquirerentur Fisco, ad effectum reuocandi eam?

144 ℞. Sufficere coniecturas, & indicia perspicua ad probandas fraudes, vt colligitur *ex l. Dolum C. de dolo,* ibi *Dolum ex indicijs perspicuis probari conuenit,* & cap. *Si te præbendam, de renunt.* illis verbis: *Dummodo de præmissâ fraude appareat saltem per aliquas probabiles coniecturas.* Ita *Decius conf.* 235. *num.*1. *Clarus q.* 78 *num.* 16. *vers. Fraus autem, Peregr. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 154. *vers. Ad secundum* Farinac. *q.* 89. *num.* 19. *Castropal. p.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *p.* 21. *num.* 10.

145 Indicium autem ad fraudem Fisci est, si probetur tempore alienationis factæ adfuisse causam specialem ad impellendum ad alienationem ante commissum delictum e. g. inimicitia capitalis. *Anton. Gomez tom.* 3. *Var. cap.* 14. *num.* 4. *Clarus q* 78. *num.* 16. *vers. Fraus autem* Farinac. *de falsit. q.* 164. *num.* 71. 134 138. *cum alijs Castropal. num.* 11. Alia vide ibi. Quò ad Hæresim Indicium videtur esse si post denuntiationem alienet, & non ante, cum sit difficile assignare causam specialem inducentem ad alienationem in fraudem Fisci.

Quæritur 48. Condemnato in contumaciam ob causam Fidei, quandonam facienda sit confiscatio bonorum eius; à tempore probati delicti? an à tempore Sententiæ latæ? Non displicet opinio sub §. Nonnulli infra.

℞. Confiscantur eius bona à die, quo Testes deponunt contumacem incidisse in Hæresim. Probatur, quia ab illo tempore incipit constare contumacem esse Hæreticum, dum per Testes probatur talem exercuisse actum, ex quo oritur suspicio Hæresis, & non à Sententiâ latâ, quæ supponit delictum iam probatum. Confirmatur, quia publicatio bonorum est coniuncta cum delicto, non cum Sententiâ, quæ ad illud postmodum sequitur. Ita *Farinac. q.* 190. *num.* 21. *ex eo Castropal. p.* 22. *num.* 2. explicans argumentum supradictum Farinacij, *Dal Bene Dubit.* 137. 146

Contrarium, quòd confiscatio incipiat à die Sententiæ, docent *Quemada q.* 8. *fiscalium, Couar. in cap. Alma mater part.* 1. *§.* 7. *num.*11 *cum alijs Sanchez lib* 2. *cap.* 22 *num.* 35. Probant primò, quia contumax non habetur pro confesso, nec conuicto, nisi à die, quo perfecta est, scilicet per Sententiam, vt colligitur *ex cap. cum contumacia, de Hæret. in* 6. *Cap. Excommunicamus, qui autem, eod. in* 6. Ergo solùm à die Sententiæ locus est confiscationi. Concesso antecedente, negatur consequentia, quia Sententia supponit Hæresim iam incursam, cum qua semper est connexa Confiscatio. 147

Probant secundò, in eo cap. Cum contumacia; dicitur solùm talem contumacem esse condemnandum velut Hæreticum, non tamen dicitur esse iudicandum Hæreticum, sed illi similem, ergo damnatur solùm ob contumaciam similem Hæresi in pœnis impositis, non autem damnatur ob Hæresim. ℞. Dictionem *velut* non accipi similitudinariè, sed propriè, vt dicunt Canonistæ in eo capite, quos citat Castropal. num. 3. Vnde *Graffius lib.* 4. *Decis. cap.* 14 *num.* 4. *Barb. hac dict. num.* 2. dicunt, eam esse expressiuam Veritatis. 148

Probant 3. ex Bartolo, qui *in l. Eius, qui delatorem ff. de iure Fisci* ait, fictam probationem non præiudicare Hæredi, qualis est ea, quâ probatur contumax confessus delictum fictè, ergo eius ficta confessio non debet præiudicare Hæredi. ℞. Probationem delicti ortam ex contumaciâ non esse fictam, licet enim confessio sit ficta, probatio tamen est vera, ex quo est inducta à Lege maximè in his delictis, in quibus difficilis probatio, & hic Castropal. citat Doctores etiam ipsum Bartolum. Reliqua vide apud citatos. 149

Nonnulli dicunt, persistentem per annum in Excommunicatione cum possit compare- 150

re, citatum à Iudice S. Officij, in quo fuit denuntiatus, condemnari quidem velut Hæreticum, *ex tunc* idest, peracto anno à quo fuit citatus per Excommunicationem in causâ Fidei, vt clarè dicitur *in cap. Excommunicamus* 13. §. *Quia autem, de Hæret. & in cap. Cum contumacia* 7. *eod. in 6.* Non ideo tamen eius bona esse confiscata, ex hac condemnatione, quæ formalis non est innixa probationi, per quam constet, probatum esse contumacem incidisse in Hæresim, cum solum supponatur, esse violenter suspectum de Hæresi, ex quo non comparuit; certum autem est, solum formalem Hæreticum vt sic conuictum, vel confessum proprio ore incurrere bonorum confiscationem, vt colligitur ex cap. Vergensis de Hæret. *cap. Excommunicamus* 13. §. *Damnati, eod. cap. Cum secundum* 19. *eodem in 6.* & in iure ciuili, *l. Manichæos* 4. *C. de hæret. Authent. Gazaros.* Qui textus vtriusque iuris loquuntur tantùm de Hæreticis simpliciter, ac proinde de formalibus confessis, vel conuictis; certum autem est conuictum fictione Iuris non esse reuerà conuictum, cum conuictio fiat per Testes legitimos, & non per fictionem Legis, cuius probatio non sufficit ad publicationem bonorum Hæreticorum, qui reuerà tales non probantur ex parte rei, & ideo textus vtitur illis verbis: *Ex tunc velut Hæreticus condemnetur* .i. vt suspectus de Hæresi, dictio enim *velut* est diminutiua, & importat quandam similitudinem; vnde *Gloss. V. condemnentur cit. cap.* 13. *dicit prope finem*. Nec inteligas, si pro aliquo crimine, seu contumacia steterit per annum in Excommunicatione, quòd habendus sit Hæreticus, sed, tantùm excommunicatur propter suspicionem Hæresis, quam scilicet inducit illud crimen, præter contumaciam. Et mihi placet. Quicquid dicant allegati à Farinac. q. 182. 54.

Quæritur 49. Cuinam Fisco applicanda sunt bona Hæreticorum?

151 ℞. Supra quæst. 44. bona Clericorum confiscanda esse per Iudicem condemnantem Hæreticum, & executionem faciendam esse per Ordinarium, in cuius diæcesi sunt bona Clerici condemnati. Respectu verò laicorum publicatio simpliciter fit à Iudice condemnati Hæretici, execuio verò à Principe, in cuius territorio sunt bona laicalia. Ita *Farinac. q.* 25. *num.* 101. *Clarus q.* 78 *Vers. Sed hic quæro, Sanch. lib.* 2. *cap.* 20 *num.* 34 *Castropal. p.* 23 *Dal Bene Dubit.* 139. Probant *ex l. Quicunq. §. Vniuersi, Vers. Quod si fecerint* illis verbis: *in cuius territorio est.* C. *de Hæret. l. fin. C. de bonis vacant.* Qui Castropal. num. 2. & seq. refert diuersas Bullas de applicatione facienda bonorum confiscatorum. Vide ipsum, quia praxis huius applicationis relinquitur arbitrio Eminentissimorũ Cardinalium Præsidum huius Sancti Officij, qui omnia bene distribuunt, iuxta exigentiam temporum, & causarum, extrauagan. l. de Hæreticis, vbi de hac re.

Quæritur 50. An Hæretico pœnitenti, & postulandi veniam, & misericordiam condonentur bona confiscata, itaut sit exemptus ab hac pœna?

℞. Hæreticus confessus, vel conuictus pœnam confiscationis bonorum suorum euitare non potest, quia de rigoris Iuris, ea pœna adnexa est delicto Hæresis, *ex cap. Vergensis, de Hæret. & cap. cum secundum, eod. in 6.* 152
Quòd si compareat ante denuntiationem petens veniam, parcitur ei etiam ab Episcopo, vel Inquisitore, quia nullum fit Iudicium in Foro externo contra eum. Ita *Simanch. de Catol Instit. tit.* 47. *num.* 16. & 17 *Zanchin. de hæret. cap* 25. *num.* 3. *Calder. de hæret. num.* 2. *Pegna part.* 3. *com.* 158. *Vers. Tertia Castropal. p.* 24. Item parcitur, si ante publicationem Testium plenè confiteatur. *Farinac. q.* 25 *num* 6 & *q.* 190. *num.* 149. *cum num.* 135 *Pegna part.* 2. *com.* 9. *ad cap. Vergensis, cum multis alijs Castropal. num.* 2. In his ergo duobus casibus, remitti potest pœna confiscationis. In primo casu remittitur, seu potius non publicantur bona, quia nihil actum est iudicialiter, sed tantùm in foro Conscientiæ. In secundo casu remitti potest ab eo Principe, ad cuius Fiscum peruenerunt, sed rarò Fiscus miseretur. Doctores citat Barbosa ad dictum caput. Vergensis num. 24.

Quæritur 51. An Fiscus teneatur satisfacere creditoribus Hæretici, quando eius percepit bona confiscata?

℞. Tenetur satisfacere creditoribus, quouis modo cum eis contraxerit debita ante 153
incursionem Hæresis. Ratio, quia licet non succedat vti propriè Hæres, cum is succedat defuncto, viuentis enim non est Hæreditas; tamen habetur loco Hæredis, ac proinde tenetur soluere æs alienum, cuiusmodi sunt debita, bona enim delinquentis sunt solùm ea, quæ deducto ære alieno, remanent *l. Non possunt ff. de iure Fisci.*

Confirmatur, quia est vniuersalis succes- 154
sor, & sic succedit in omni actione tam actiuà, quam passiuà delinquentis, *ex l. Ex facto ff. ad Trebell. l. Papinianus §. Meminisse ff. de* 155
inoff. testam. Farinac. q. 25. *num.* 169. & 186. & *q.* 190 *num.* 28. *Castropal p* 25. *num.* 1. Intellige teneri iuxta vires bonorum confiscatorum, quia de suo non tenetur, *ex l fin. C.* 156
de debitor. ciuit. Simanch. tit. 9. *num.* 122. *Bonac. disp.* 3. *de contr. q.* 8. *p. fin.* §. 4. *initio, Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 74. & 90. *Farinac. q.* 25. *num.* 178 *Castropal.* Etiam si non confecerit Inuentarium, ad id enim solùm tenetur qui presse, & propriè est Hæres, aliter teneretur vltra vires §. *si vero non fecerit, Auth. de Hæred. & Falcidia & Auth. sed cum testator, fine C. ad leg. Falcid.* quòd non habet locum in

in Fisco, cum propriè Hæres non sit. Nec possit in eo præsumi fraus, dum à Iudice ecclesiastico fit pro alijs bonorum descriptio, & non pro se. Ita *Bartol. Alexander*, *Clarus*, *Bossius apud Farinac. q.* 25. *num.* 183. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 83. *Castropal. num.* 6. Debi-
157 ta solùm contracta ante delictum, & etiam post, quæ scilicet conuersa sunt in vtilitatem Hæretici, tenetur Fiscus soluere, *ex Sanch. num.* 76. *& Bonac.* §. 4. *apud dictum Castropal. num.* 3. In dubio an debita sint contracta ante, vel post delictum? Fisci est probare, cum constet de illis, *ex eisdem Sanchez, & Bonac. cum Farinac. q.* 190. *num.* 28.

Quæritur 52. Quo modo facienda est satisfactio debitorum?

158 ℞. Probato summariè debito satisfaciendum est à Fisco. Ita *ex l. Si quis post hac C. de bonis proscrip. Clarus q.* 78. *Vers. Sed quæro Farinac. q.* 25. *num.* 176. *Sanch. lib.* 2 *cap.* 22. 81. *Castropal. num.* 5. Hoc enim modo teneretur delinquens, ergo & Fiscus ei succedens. Fit autem solutio ex bonis iam fisco incorporatis, *Farinac q.* 25. *num.* 174. *&* 175. *Castro-*
159 *pal. num.* 7. Ex bonis sitis in territorio creditorum, creditoribus enim satisfit in loco, vbi contractus initus est, *ex eisdem Castropal. num.* 8.

160 Fiscus autem prius satisfacere debet, & non molestari Fideiussor à creditoribus, contra enim Fiscum instare poterunt Fideiussores excipiendo, esse faciendam excussionem bonorum confiscatorum, *ex Auth. Præsente C. de fideiussor. Auth. Quod si debitor C. de pignorib.* In quibus locis, excussio facienda est super bonis debitorum antequam molestetur Fideiussor; quod seruandum est in hoc casu, cum Fiscus subrogetur debitori delinquenti. *Sanchez cap.* 22. *num.* 79. *Farinac. q.* 25. *num.* 171. *Castropal. num.* 9.

161 Fiscus conueniri potest viâ executiuâ, si Hæreticus eadem conueniri poterat, in hoc enim non est priuilegiatus, cum priuilegium non habeat, nisi in casibus Iure expressis, *l.* 1. *C. de petit. hæredit. l. Quod placuit ff. de Iure Fisci*, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 80. *Castropal. num.* 10.

Demùm si Fiscus fecit expensas in condemnatione Hæretici, debet prius satisfacere creditoribus, quam sibi, cum illis sit posterior; & præterea quia Princeps suis expensis delinquentes debet persequi, *l.* 1. *C. de muliere, quæ se publ. commise.* Bonac. *cit.* §. 4. *fine Sanchez num.* 93. *Castropal. num.* 11. Contra Pereg. *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 193. *Matthæum de Afflictis cap.* 1. §. *Et bona committentium num.* 119. *tit. Quæ sicut regalia*, eo argumento, quòd Fiscus in hoc agat vtiliter negotium Creditorum. Est infirmum, ait Castropal. quia negotium creditorum infirmatur, & ita est; illud enim esse falsum, luce clarius est; cæcuciebāt ergo in luce meridianâ.

Quæritur 53. An debita spiritualia à Fisco soluenda sint? exempli gratia Auus Hæretici, vel alius ei reliquerat bona cum obligatione celebrandi Missas, & Officia defunctorum &c. vel idem fecerat sibi ipsi Hæreticus ante delictum. Numquid Fiscus his obligationibus satisfacere debet ad eorum mentem?

℞. Fiscus non tenetur satisfacere debitis 162 spiritualibus, quæ ipse reliquit, siue pro se, siue pro alijs, quia eius Testamentum nullum fuit, ex probatis sect. 9. q. 3. num. 27. vbi num. 48. probaui, nec valere ad causas pias. Vtique verò tenetur satisfacere alijs obligationibus similibus relictis ab Auo, seu patre, & alijs, si Fiscus occupauit bona, que aliàs erant dictorum disponentium cum talibus obligationibus, quia huiusmodi obligationes sunt reales vt colligitur ex Decretis de celebr. missarum, vnde facit illud commune axioma; Res transit cum onere suo, *cap. Ex litteris* 5. *fine de pignor. cap. cum non sit* 33. *fine de decim.* Quod locum habet etiam si transeat in Fiscum, *Menoch cons.* 75. *num.* 63.

Quæritur 54. An præter Hæreticum formalem, etiam suspectus de Hæresi, seu Hæreticorum Fautor incurrant pœnam confiscationis bonorum, an solus Hæreticus?

℞. Solus Hæreticus, quia de eo solùm fit mentio in Iuribus allegatis initio huius sec- 163 tionis; certum autem est, quòd aliud est, esse suspectum de Hæresi, vel Fautorem Hæreticorum, & esse Hæreticum, ergo pœna confiscationis lata contra Hæreticos non est extendenda ad suspectos, & fautores, cum Lex hanc extensionem non fecerit.

Confirmatur, quià pœna de casu ad casum non extenditur, *l. Factum* 198. *ff. de regul. iuris*, *cap. In pœnis* 49. *eod. in* 6. *Gratian. cap.* 972. *num.* 13. *Barb. Axiom.* 181. *num.* 9. Neq; de persona in personam, Iuribus, & Doctoribus allegatis *Carena part.* 2. *tit.* 13. *num.* 5. Confirmatur ex dictis sub num. 150. Nec obstat, quòd dicunt citati à Farinac. q. 182. num. 54. confiscari bona fautorum, quia reuerà id non colligitur ex constitutionibus ibi allegatis, cum loquantur tantùm de veris Hæreticis.

Quæritur 55. An post mortem Hæretici bona confiscari possint, si dum viueret ignorabatur esse Hæreticus?

℞. Affirmatiuè, nam declarari potest ta- 164 lis ad eum effectum, vt eius bona publicentur, & applicentur Fisco, *cap. Accusatus* 8. 165 §. *In eo verò*, *de hæret. in* 6. ibi Barbosa num. 30. ad 32. vsq. ad 40. annos declarari potest Hæreticus ad confiscationem bonorum, & non vltra, *Farinac. q.* 10. *num.* 82. *& q.* 25. *num.* 159. *Sanch lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 40. *alios citat. Alberghin cap.* 36. Vide infra sub sect. 18. q. 31. vbi rem fusè tracto.

SEC-

SECTIO DECIMA QVARTA

De Pœnis corporalibus contra Hæreticos.

SVMMARIVM.

1 *Sunt Mors, Fustigatio, Carcer, Exilium, & Triremes.*
2 *Pœna corporalis inflictiua Hæreticis imponitur.*
3 *Impenitens dignus morte traditur Curiæ seculari.*
4 *Negatiuus damnatur ad Mortem.*
5 *Quandoq; Viuus comburitur.*
6 *Relapsi quouis modo traduntur.*
7 *Hæresiarchæ, & Dogmatici.*
8 *Pœnitentes licet tardè non traduntur Curiæ seculari.*
9 *Non implentes pœnitentias excusantur.*
10 *Diffidatus, & declaratus impunè occiditur à priuato.*
11 *Negantes Diuinitatem, Trinitatem, & alia de Christo Rei sunt Mortis.*
12 *Celebrans Missam non Sacerdos punitur morte.*
13 *Licet sit minor 25. annis maior tamen viginti.*
14 *Sortilegi necatores sunt rei mortis.*
15 *Pœnitentes traduntur perpetuo carceri Iure antiquo.*
16 *Nunc verò ad tempus.*
17 *Sunt in vsu Fustgatio, Exilium, & Triremes.*
18 *Fugitiui à carcere si cōpareant admittuntur, & Fustigantur, vel duriùs custodiuntur.*
19 *Fuga non inducit Relapsum.*
20 *Non comparentes habendi sunt pro confessis, & impœnitentibus.*
21 *Pœnitentias non implentes sunt suspecti de Hæresi.*
22 *Clerici degradantur, & post traduntur Curiæ.*
23 *Etiam solùm Tonsurati secundum aliquos.*
24 *Deponuntur verò tradendi perpetuo Carceri.*
25 *Dantur illis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ pœnitentibus.*
26 *Non tamen solemniter reconciliantur Ecclesiæ.*

POEnæ huius generis enumerantur quinque, Mors, Fustigatio, Carcer, Exilium, & Triremes. Quoniam autem inter has pœnas maxima omnium est supplicium Mortis. 1

Quæritur 1. An à Romano Pontifice talis pœna imponi possit Hæreticis?

℞. Affirmatiuè, aliter hoc delictum, quod alia omnia excedit, vindicare, vt par est, & Iustitia exigit, non posset, prout necessarium est, rescindendo Hæreticos vti membra putrida, & nociua, ea resecando à membris sanis in corpore Ecclesiæ. Et id colligitur ex diuersis iuribus mox citandis, in quibus decernitur, vt Hæretici tradantur curiæ seculari vltimo supplicio, perimendi, *cap. Ad abolendam 9. cap. Excommunicamus 13. & cap. Excommunicamus 15. de Haret.* Ita alijs citatis Farinac. *q. 189. num. 1. 2. & 3. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 6. p. 2. num. 2.* in quibus locis citant *l. Quicunque l. Arriani* C. *de Haret.* 2

Quæritur 2. An Hæreticus impœnitens tradendus sit Curiæ seculari subijciendus vltimo supplicio? Ille impœnitens est, qui de Hæresi formali legitimè conuictus, in suo errore obstinatè permanere vult, iuxta dicta sect. 6. num. 46.

℞. Is incurrit pœnam Mortis, & ideo est tradendus Curiæ seculari, esto enim dicat, se esse Catolicum, reuerà tamen non est, sed talem se fingit, vt euadat pœnas, quas euitare non potest, cum enim sit conuictus in vna Hæresi, quam non vult fateri, & recognoscere vt talem, omnium factus est reus, cum neget diuinam Reuelationem. Ita docent omnes *ex cap. Ad abolendam, de Haret. Royas part. 1. num. 69. Direct. part. 2. q. 34. Pegna com 59.* Farinac. *q. 178. num 20. Castropal. part. 2. num. 4. Carena part. 2. tit. 2. num. 11. & part. 3. tit. 13. num. 8.* 3

Quæritur 3. An Hæreticus negatiuus damnetur ad mortem? Negatiuus ille dicitur, qui legitimè conuictus, negat se talem Hæresim commisisse, immo asserit, se credere quicquid credit sancta Mater Ecclesia. Dixi sect. 6. num. 41.

℞. Affirmatiuè, quia præsumitur, cum in suo errore perseuerare, & sic esse impænitentem, vt *ex cap. Ad abolendam docent prælati Doctores. Sousa lib. 2. cap. 6. num. 10. Arsenale part. 10. Assert. 95. Cantera cap. 1. num. 59. ex Carena part. 3. tit. 13. num. 8.* vbi dicunt impœnitentes, & negatiuos comburi 4 5

buri viuos, ob eorum obstinationem, & pertinaciam, etiamsi postquam fuerint traditi curiæ seculari, pœniteant coram Iudice seculari, quia talis pœnitentia non prodest illis, quò ad mortem euitandā, cum præsumatur ficta, & non ex corde, sed solùm ad effugiendam pœnam; Iudex enim laicus est merus executor eius, quod sacri Canones præscribunt faciendum, Carena num. 11. contra Sousam.

Quæritur 4. An Relapsi tradendi sint Curiæ seculari? De relapsis dixi sect. 9. per totam, vbi q. 25.

6 ℞. Relapsum siue propriè, siue ex fictione Iuris esse relaxandum curiæ seculari, *ex cap. Ad abolendam 9. cap. Super 4. eodem in 6. cap. Accusatus*. Doctoribus ibi citatis addo *Menoch. consf.* 82. *num.* 168. *Albert. q.* 25. *num.* 25. *Deciam. lib.* 5. *cap.* 56. *num* 12. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 6. *p.* 2. *num.* 7. *Dal Bene* Dub 160. *ad* 162.

Quæritur 5. An Hæresiarchæ, & Dogmatici puniantur pœna mortis?

7 ℞. Tradendi sunt curiæ seculari vltimo supplicio puniendi, iuxta *quod dixi sect.* 6. *q.* 26. *num.* 102. *ad* 110. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 6. *p.* 2. *num.* 15. *& sequent. referens opiniones*. *Dal* Bene Dubit. 163.

Quæritur 6. An Hæretici pœnitentes, sed tardè puniendi sint pœna mortis?

8 ℞. Negatiuè, si pœniteant ante Sententiam, sed admittendi sunt ad reconciliationem. Colligitur *ex cap. Excommunicamus* 15. *de haret.* §. *Si qui*, *Pegna p.* 2. *com.* 8. *vers. Vsus autem*, *Farinac. q.* 193. *num.* 55. *Simanch. tit.* 47. *num.* 36 *&* 47. *Decian. lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 3. *Castropal. num.* 18. *Ego supra sect.* 6. *num.* 43 *&* 44. Dixi *ante Sententiam*, quod habet duplicem sensum, primum, ante illius promulgationem solemniter factam in tabulato, & pœnitentia exhibita non prodest, nec in hoc sensu, nec in alio, postquam scilicet illi fuit intimata antequam illi publicetur Processus, & promulgetur Sententia contra ipsum, quia pœnitentia eius non potest præsumi ex corde procedere, sed fingi ad euitandam Mortem. Conuersio ergo debet præcedere omnem Sententiam tam primò illi notificatam, quam promulgatam eidem solemniter. Et colligitur ex cap. Excommunicamus 13. §. Damnati, vbi post damnationem traduntur Curiæ seculari, ergo non admittuntur amplius ad reconciliationem à Iudice, qui post latam Sententiam dicitur functus suo officio, & desinit esse Iudex in causa, cuius amplius non est dominus, *l. Iudex* 55. *ff. de re iud.*
9 *Carena super q.* 13. *Fulcodij num.* 2. limitantis contra non implentes pœnitentias. Et ita docent *Farinac. q.* 193. *num.* 58. *&* 59. *Pegna part.* 2. *com.* 36. *vers. Postquam*. *Simanch. tit.* 46. *num.* 36. *Castropal. num.* 19. *Dal Bene Dubit.* 164.

Quæritur 7. An Hæreticus à quolibet impunè occidi possit?

℞. A nullo priuato occidi potest Hæreticus, nisi prius sit diffidatus, & declaratus 10
auctoritate ecclesiasticâ, vt possit impune occidi à quolibet, vt colligitur ex Bullis Pontificijs Clem. IV. incip. *Ad extirpanda* apud Directorium, & alia eiusdem pariter incip. *Ad extirpanda* 13. in B. N. continente leges 40. in quibus tamen non legi hoc genus diffidationis, sed in quibusdam alijs, de quibus Pegna part. 3. com. 36. vers. Sed ipsum, quem cum alijs citat *Dal Bene Dubit.* 162. *Petit.* 1. Impunè ergo occiduntur fugitiui Hæretici, postquam sunt condemnati, & non aliter.

Quæritur 8. An negantes Trinitatem, aut Diuinitatem Iesu Christi; aut eius Conceptionem de Spiritu Sancto; aut eius Mortem, vt nos redimeret, aut Virginitatem Beatæ Mariæ Virginis, puniantur morte, pro primâ vice etiamsi pœniteant?

℞. Affirmatiuè, ac si essent realiter relapsi. Ita Paulus IV. in suâ incip. *Cum quorundam* 4. §. 3. quam confirmauit Clem. 11
VIII. in sua incip. *Dominici* 97. vbi ad hanc pœnam incurrendam sufficit vnum ex prædictis articulis tantùm negare. De qua prior *Bulla. Campan. Rubr.* 1. *num.* 47. *Scortia in Selectis* 67. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 10. *& part.* 3. *tit.* 13. *num* 20. *cum Sousa lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 6. *Diana part.* 2. *tract.* 7. *resol.* 24.

Quæritur 9. An non Sacerdos celebrans Missam, aut Sacramentum Pœnitentiæ ministrans etiam pro primâ vice sit tradendus curiæ seculari?

℞. Sic ex const. Clementis VIII. incip. 12
Et si alias 81. §. 3. Ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponendâ dubitari possit, prouidere volentes, hac perpetuò valiturâ Constitutione, decernimus, ac statuimus, vt quicunque non promotus ad sacrum Presbiteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpasse, vel sacramentalem Confessionem audiuisse; à Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs tamquam Ecclesiæ misericordiâ indignus à Foro Ecclesiastico abijciatur, & ab omnibus Ordinibus, si quos habuerit, ritè degradatus statim curiæ seculari tradatur per Iudices seculares debitis pœnis plectendus.

Vrbanus autem VIII. in sua 79. incip. 13
Apostolatus, præfatam Bullam Clementis extendit ad omnes quantuncunque exemptos minores etiam viginti quinque annis; dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleuerint. Comprehendit quoscunque, siuè laici, siue Clerici sint seculares, aut regulares cuiuscunque Ordinis. Debet autem plene, & concludenter constare de Celebratione completâ, vel ad minus perfectâ vtraque

que

que Consecratione, & de Absolutione datâ, etiam pro vnicâ vice, nisi leuitas rei excuset, dum non fuit peruentum ad præfata. Vide *Carenam part. 2. tit. 11. num. 26. Dal Bene Dubit. 162. num. 19 Sousa lib. 1. cap. 32. & 33. Diana part. 4. tract. 7. resol. 11. & 12.*

Quæritur 10. An sortilegi ex maleficio hostili causantes Mortem tradantur curiæ seculari?

14 ℟. Affirmatiuè ex Bullâ Gregorij XV. incip. *Omnipotentis* Dei 46. §. 2. *Carena part. 3. tit. 13. num. 21. Diana part. 4. tract. 7. resol. 10. Massinius in suo Arsenali part. 7. fol. 178.*

Quæritur 11. Quanam pœnâ puniantur Hæretici pœnitentes, quibus sacri canones non infligunt Mortem?

15 ℟. Truduntur in carcerem perpetuum, *cap. Excommunicamus 15. §. Si quis de haret.* Hæc tamen pœna dicitur antiquata ab
16 [illegible] *in cap.* Quoniam, *de haret. in 6. num. 55. Aldrete de relig. discipl. lib. 2. cap. 27. num. 15. apud Barb. hic num. 7.* referentem R[illegible]quez tom. 2. quæst. 22. art. 4. & alios ideo antiquatam, quia æquiparatur morti.
17 Nostris ergo temporibus Carcer est ad tempus quinquennij, Septennij &c. iuxta qualitatem delicti, & eius circunstantiarum. In vsu quoque sunt pœnæ Fustigationis, Exilij, & Triremium, vt docent *Royas singul. 1. num. 22. & 25. Decian. lib. 5. cap. 42. num. 5. 6. & 11. Farinac. q. 193. num. 85. Castropal. part. 1. tract. 4. disp. 6. part. 2. num. 1. Carena part. 3. tit. 13. à num. 33.*

Quæritur 12. Qualiter puniantur fugientes è carceribus sibi constitutis in pœnam, vel ad custodiam?

18 ℟. Si compareant, vel comprehendantur admitti possunt ad prosequendam Pœnitentiam, & alij sunt puniendi Fustigatione, si viles personæ sunt, vel aliàs duriùs custodiri. Ita docent *Pegna part. 3. com. 146. Vers. Itaque quandiu Rimin. iur. cons. 150. num. 25. Menoch cons. 82. num. 127. & 132. Farinac. q. 193. num. 136. ex illis Carena part. 2. tit. 2. num. 19. & 20.* Contra Archid. Ioan. Andr. & Anchar. asserentes esse tractandum, vt Re[illegible]psum; sed errant, quia per fugam non re[illegible]ntur in Hæresim; vt do-
19 cent præcitati *Pegna vers. veruntamen Farinac. num. 135. Simanch. tit. 16. num. 24.*
20 *cum eis Carena num.* 18. Si non comparent, nec comprehendi possunt, habendi sunt pro C[illegible]ssis, & impœnitentibus, *Simanchas in Enchir. tit. 26. num. 5. Paramus lib. 3. q. 4. de ordine proced. num.* 72. Vide Bullam Si de protegendis Vers. Quiue carcerem. Idem dicendum est de non implentibus alias pœnitentias salutares, qui si affirment, eas adimpleuisse, id probare debent, cum id sit quid facti, facta autem non præsumuntur, sed probanda sunt, ex vulgatis iuribus; Carena cit. num. 25.

Sed qualiter suspecti sunt non implentes 21
Pœnitentias? Vehementer, tam in omittendo executionem Pœnitentiæ, quam in committendo e.g. si præceptum quis habeat non fauendi Hæreticis, si faueat est vehementer suspectus; circa omissionem, si pluries omittit sacram Confessionem, vel Communionem, reddi se valdè suspectum de Hæresi. Ita *Calder. in cap. Litteras, de præsumpt. Repert Inquis.* V. *Pœnitentia, vers. Sed posset quæri, Pegna com. 146. vers. Sed Calderinus, ex illis Carena part. 2. tit. 2. n. 13.*

Quæritur 13. An tradendi curiæ seculari, si Clerici sint, debeant prius degradari, quàm tradi?

℟. Affirmatiuè, ex cap. Ad abolendam 22
9. de hæret. ibi *Totius Ecclesiastici Ordinis prerogatiua nudetur, & sic omni officio, & beneficio spoliatus ecclesiastico*, cap. Excommunicamus 13. §. Damnati, cap. Excommunicamus 15. eodem. Numquid etiam solùm primâ Tonsurâ initiatus? Affirmat Fagnanus *part. 2. ad cap.* Cum contingat, *de ætate num. 62. & seq. ex cap. Degradatio, de pœnis in 6.* vbi nominatur primâ Tonsurâ, 23
ibi: *Degradationem continuet vsque ad primam notam, qua datur in collatione Tonsura*, & in cap. Magnus, de Obligat. ad ratiocin. à num. 66. ad 70. vbi pro se citat *Farinac. q 8 num.* 85. Couar. tamen cap. 32. num. 4. vers. *Tertia conclusio Practic. quæst.* asserit Clericum Primæ Tonsuræ à seculari Iudice puniri posse sine præuiâ degradatione, quia non est Ordo. De hac degradatione Hæreticorum tradendorum morti omnes Canonistæ in dictum cap. Ad abolendam, *Dal Bene* Dub. 162. *Petit. 3. num. 1. Farinac. q. 189. num. 11. Sousa lib. 2. cap. 45. num. 20. Pegna part. 3. com. 45. Carena part. 3. tit. 11.*
num. 57. Qui verò detruduntur in perpetuum 24
carcerem, solùm deponuntur, Ita *Pegna p. 3. com. 46. Dal Bene Dub. 162. Petit. 3. num. 2. vbi num. 4.* quod idem sentiunt de damnato ad triremes.

Quæritur 14. An dentur Sacramenta tradendis Curiæ seculari?

℟. Tradendis seculari curiæ dantur Sa- 25
cramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, si sint pœnitentes. Expressè *cap. Super eo 4 de haret. in 6 ibidem* Barb *num. 6. citans Treuis. dec. 36. num. 16. & 17. Ricciul. de iure personar. lib. 5. cap. 30. num. 36 cum alijs* Dal Bene *Dub. 163. num. 11. Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 6. part. 2. n. 14.* Contra Canteram, & Couar. qui audiendi non sunt, dum expressè aduersantur præcitato cap. Super, non tamen solemniter reconciliantur Ecclesiæ. 26
Numquid Sacra Communio dicatur illi tradi per modum Viatici? Vtique, eo quòd datur mox morituro.

SEC-

SECTIO DECIMA QVINTA

De Fautoribus Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *De pœnis horum dixi plura sub sect. 12.*
2 *Fautor ille dicitur, qui benefacit Hæreticis, intuitu Hæresis, sibi cognitis.*
3 *Fauor contingit duobus modis* Omissione, *vel* Commissione.
4 *Trifariam fauetur Omissione, Cooperatione, & Verbo.*
5 *Omissione incurritur quatuor modis à Personis publicis.*
6 *Nolentes iurare de Ecclesiâ defendendâ contra Hæreticos, & sunt rei B. C. D.*
7 *Vehementer suspecti de Hæresi.*
8 *Potestates debent iurare, se exterminaturos ab Ecclesiâ Hæreticos Damnatos, aliter Rei excommunicationis B.C.D.*
9 *Inquisitorum, & Episcoporum pœna negligentium in suis Officijs,*
10 *Cæterorumq; quoq; eorum Officialium.*
11 *Etiam Baroncelli, & Birruarij subijciuntur dictis pœnis.*
12 *Nominati in supradictis quatuor modis negligentiæ excusantur ex causâ.*
13 *Ad eas pœnas incurrendas, necesse est quòd Fautoria procedat ex ipsâ Hæresi.*
14 *Fauens ex alio motiuo, non est Reus.*
15 *Facit pro Foro Conscientiæ, pro Foro externo probandum est, quòd Omissio processerit ex aliquo motiuo honesto.*
16 *Denuntiationem omittens Officialis reus censurarum, & valdè suspectus.*
17 *Priuatæ personæ non denuntiantes suspectæ solùm leuiter.*
18 *Ex causâ rationali excusantur à prædictis, vt dixi supra 14.*
19 *Consanguinei excusantur non denuntiantes.*
20 *Omittens priuatus aliquid, vt faueat Hæretico extrà denuntiationem, non est Fautor, sed inobediens.*
21 *Omittens facere, quod debet ex officio contrà suspectum, est solùm leuiter suspectus de Hæresi.*
22 *Fautor commissionis dans alimenta, seu pecuniam Hæreticis est excommunicatus in B. & suspectus de Hæresi.*
23 *Laudantes, venerantes Hæreticos sunt excommunicati, & vehementer suspecti.*
24 *Persona, cui fauetur debet esse nota Fautori, quòd sit Hæretica.*
25 *Credens Hæretico explicitè, vel implicitè est formaliter Hæreticus.*
26 *Et cognoscitur talis verbis ab eo prolatis.*
27 Propè est verbum in ore tuo, & in corde suo, hoc est verbum Fidei.
28 *Facto credens non videtur formaliter Hæreticus.*
29 *Credens verbo est formaliter Hæreticus, facto autem solùm suspectus.*
30 *Receptator Hæreticorum, excommunicatus, & carens sepulturâ, & alijs pœnis subiectus.*
31 *Definitur latè quid sit?*
32 *Clam, vel publicè recipiens Hæreticum.*
33 *A se talem cognitum.*
34 *Receptum in suo, vel alieno loco.*
35 *Etiam vnicâ vice.*
36 *Vt euadat manus Officialium S. Inquisitionis.*
37 *Difficultates sex proponuntur contra receptatores.*
38 *Actus receptationis referuntur.*
39 *Sunt excommunicati in Bulla ipso Iure, quæ est in corpore Iuris.*

40 *Excommunicatio, & aliæ pœnæ incurruntur post annum.*
41 *Resipiscentes infrà annum puniuntur pœnis arbitrarijs.*
42 *Receptans alterius diæcesis Hæreticum est reus.*
43 *Metu graui receptans Hæreticum excusatur.*
44 *Peccatum nisi voluntarium.*
45 *Metus grauis excusat à peccatis in actibus non intrinsecè malis.*
46 *Receptatio non est actus intrinsecè malus.*
47 Pœna *culpam supponit.*
48 *Metus grauis excusat à Censuris.*
49 *Metus probandus est ab allegante illum.*
50 *Ignorans receptum esse Hæreticum excusatur à pœnis.*
51 *Ignorantiam probare non tenetur.*
52 *Sed in eo præsumitur, vbi non probatur scientia.*
53 *Ignorantia iuramento probatur.*
54 *Ignorantia in facto alieno præsumitur.*
55 *Receptans denuntiatum, vel fugientem è carcere non est reus harum pœnarum.*
56 *Receptans quomodo probet ignorantiam?*
57 *Receptans consanguineum, vel affinem punitur mitius pœnâ extraordinariâ.*
58 *Aliqui excusant à pœnis.*
59 *Impugnantur, quia efficacior præsumptio stat pro Hæresi, quam pro sanguine.*
60 *Causa finalis magis attenditur, quam impulsiua.*
61 *Quia mouet principaliter, impulsiua præbet occasionem.*
62 Pater *Filium, Frater Fratrem, Vxor Maritum receptantes mitius puniuntur.*
63 *In dubio quâ causâ receperint, resoluitur ex Hæresi, non ex consanguinitate.*
64 *Receptans amicum mitius punitur.*
65 *Amicus strictissimus quis dicatur.*
66 *Amicus fictus peior eo, qui facit monetam falsam.*
67 *Receptor est suspectus de Hæresi aliquando vehementer, vel leuiter.*
68 *Defensorum Hæreticorum pœnæ in cap. 13. de Hæret. & 12. eodem in 6.*
69 *Defensores alij deputati, alij non, de non deputatis agitur.*
70 *Defensor illicitus definitur quis sit.*
71 *Si sciat defensum esse Hæreticum, & pro tali defendit,*
72 *Non si ex aliâ causâ defendat Hæreticum, vide num. 14.*
73 *Defenditur Hæreticus, vel ratione Hæresis, vel ratione Personæ.*
74 *Defendendo, & probando eius Hæreses.*
75 *Et is est formaliter Hæreticus, non qui defendit personam, solùm suspectus.*
76 *Defensores sunt excommunicati in B.C.*
77 Fautor *genus ad Credentes Receptatores, Defensores, & Fautores in specie.*
78 *Fautor, Schismaticorum est reus plurium Excommunicationum.*
79 *Et pœnarum latarum contra Hæreticos.*
80 P*œnæ Fautorum enumeratæ in cap. 13. de Hæret. incurruntur ante insordescentiam.*
81 *Fautores non sunt Rei omnium pœnarum inflictarum contra Hæreticos.*
82 *Notarij, Aduocati, & Iudices Fautores dicuntur, si faueant etiam suspectis.*
83 *Fautores Hæreticorum, & aliorum sunt irregulares ex Infamia.*
84 *Fautores Fautorum non sunt excommunicati, nisi &c.*
85 *Fautores Rei sunt Bullæ* Si de protegendis.
86 *Furans cum Hæretico, seu cum eo* aliter

aliter malefaciens non est fautor eius.

87 *Affinitatem cum Hæretico contrahens est Fautor.*

88 *Fæmina fauens est Fautor sicut masculus.*

89 *Masculinum concipit fæmininum, quando actio potest aptari vtrique.*

90 *Quia sunt duo in carne vna, ideo in masculo simul significatur fæmina.*

91 *Testificari nolens contra Hæreticum illius est Fautor.*

92 *Omissiones fauorabiles Hæreticis non prohibentur in Bulla*: Si de protegendis.

93 *Receptatio Hæretici, seu Schismatici, licet inutilis non excusat à Fautoriâ.*

1 DE istis dixi plura sect. 12. superiùs, quò ad pœnas temporales, quas communes habent cum Hæreticis, præsertim quò ad actus legitimos, quibus cum Hæreticis sunt priuati. Hic agendum est de eisdem, quò ad Censuras, & alias pœnas, & quam suspicionem Hæresis incurrant Fauentes Hæreticis.

Quæritur igitur primò quis dicatur Fautor Hæreticorum?

2 ℞. Fautor ille dicitur, qui benefacit Hæreticis intuitu Hæresis sibi cognitis; defectu alterius, vel vtriusque non est propriè Fautor, dum non scit, eum, cui fauet, esse Hæreticum, vel non fauet ex intentione Hæresis. Fautoria autem potest contingere duo-
3 bus modis; vel *Omissione*, vel Comissione Omissione dicuntur fauere negligentes ex *Officio* facere, quòd eis præscribitur à Sacris Canonibus, & Bullis Pontificijs faciendum fauore Fidei contra Hæreticos; Commissione verò comittendo ea, quæ prohibentur fieri fauore Hæreticorum. Ita *Sayrus lib.* 3. *de Cens. cap.* 5. *num.* 7. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 11. *Locatus V. Fautores initio*, Dal Be-
4 *ne Dubit.* 26. *num.* 14. Trifarium modum fauendi Hæreticis omissione scilicet, cooperatione, & Verbis, *ex* Pegna *part.* 2. *com.* 78. *vers. Trifariam*, recensent Farinac. *q.* 182. *initio*, *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 1. Sed elegantius est illud bimembrum, ad quod alij modi reducuntur.

Quæritur 2. Quomodo Omissione incurratur Fautoria?

5 ℞. Quatuor modis incurritur à Personis publicis, quæ omittunt, & negligunt facere, quod eis præscribitur à sacris Canonibus.

Primò, qui nolunt iurare de defendendâ Ecclesiâ contra Hæreticos, vnde Principibus comminatur Excommunicatio, & Interdictum in eorum terris, *cap. Ad abolendam* 9. *de Haret.* Ipso autem Iure incidunt 6
in primam Excommunicationem Bullæ Cœnæ, vbi expressè excommunicantur Fautores Hæreticorum, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 5. 7
num. 5. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 11. Sunt autem vehementer de Hæresi suspecti, quia recusantes defensionem Fidei contra Hæreticos, sine dubio se reddunt eorum amicos, & fautores, & sic suspectos vehementer de Hæresi, *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 5.

Secundò, Potestates seculares tenentur 8
iurare se exterminaturos ab Ecclesiâ damnatos Hæreticos. Et Dominus temporalis non purgans terram suam est excommunicatus; & in eâ persistens per annum nuntiatur Papæ, qui eius subditos fideles absoluet à Iuramento, & eius terram exponet fidelibus, saluo Iure principalis Domini, nisi & ipse sit in culpâ, *cap. Excommunicamus* 13. *de haret.* §. *Moneantur*. Sunt etiam excommunicati in Bullâ, ob huiusmodi Fautoriam. De priori excommunicatione Doctores citat *Farinac. q.* 182. *num.* 15. *& seq* De posteriori vide *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 4. *Bonac. in Bullâ p.* 3. Certum quoque huius generis fautores esse suspectos vehementer de Hæresi, vt citatis Doctoribus docet *Farinac. q.* 182. *num.* 15. & 16. *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 5.

Tertiò, Episcopi, Inquisitores, & eorum 9
Ministri negligentes procedere, & punire Hæreticos, illi sunt remouendi à dignitate episcopali; *& in cap.* 1. *Clem. de haret.* ambo sunt suspensi ab Officio per triennium; alij verò excommunicati in dicto cap. Excommunicati. Ita *Pegna part.* 3. *com.* 73. *Farinac. q.* 186. *num.* 145. *Barbosa hic num.* 34. *& Allegat.* 50. *num.* 95. *Dal Bene* Dub. 27. *num.* 2. Et sunt vehementer suspecti de Hæresi, ex huiusmodi Fautoriâ, *Pegna part.* 2. *com.* 2. *vers. Si de Episcopis*; *Farinac q.* 182. *num.* 26. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 4.

Quartò, Episcopi, & Inquisitores per- 10
mittentes prædicationem, vel lectionem Librorum prohibitorum de hæresi tractantium sunt fautores Hæreticorum, excommunicati in dicto *cap. Excommunicamus*. Ita docent Pegna *part.* 2 *com.* 2. *Vers. Si de Episcopis*, *Farinac. q.* 182. *num.* 25. *& q.* 186. *num.* 147. Vbi & quòd sunt excommunicati in Bulla Cœnæ, & præterea vehementer suspecti de Hæresi.

Quintò, cæterique quoque Officiales, cu- 11
iusmodi sunt Notarij, Vicarij, Socij, Patentati, Baroncellus, Birruarij, & similes ex officio seruientes Iudicibus Sanctæ Fidei

negligentes suum officium, quandocunque illud exequi debent, sunt fautores Hæreticorum, ex supradictis, & docet alijs citatis *Farinac. q.* 182. *num.* 27. Ac proinde excommunicati præsertim in Bullà Cœnæ Domini, & suspecti de Hæresi leuiter, vel vehementer iuxta qualitatem maiorem, vel minorem causæ, cui negligens fomentum præbuit.

12 Aduertendum verò est, quòd omnes in supradictis quinque modis expressi excusantur à Fautorià, ac proinde ab Excommunicatione, & suspicione Hæresis, vel ex parte ipsorum Hæreticorum, vel ex parte ipsorum Officialium; cum scilicet omittunt facere, quod debent contra Hæreticos alio fine honesto. Ex parte quidem hæreticorum, cum sunt illis coniuncti sanguine, vel affinitate ex copulà licità, vel ex arctissimà amicitià; vel ex parte ipsius Officialis, qui timet probabiliter sibi, vel sibi subditis grauissimum, & à fortiori irreparabile damnum. Probatur, quia ad incurrendam Fautoriam, ac proinde Censuram, & suspicionem Hæresis, necessarium est, quòd motiuum fauendi, sit Hæresis ipsa, nam nomen *Hære-*
13 *tici* sumitur in proprio formali sensu Hæresis, sicut enim Censura principaliter fertur in Hæreticum propter Hæresim, ita & accessoriè sub eadem formali ratione Hæresis ferri debet in ipsos fautores Hæreticorum, quatenus talium; ergo si quis moueatur ad fauendum Hæretico non vt tali, sed ex alià ratione v. g. consanguinitatis, affinitatis, vel ad euitandum proprium incommodum, non est propriè fautor, nec excommunicatus, nec de Hæresi suspectus, quia non fauet Hæresi.
14 Doctores citat *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num* 4. Et infra alios citabo, cum agam de fautoribus Hæreticorum ex actione commissionis. Dicta habent locum potissimè in Foro Conscientiæ, nam in Foro externo præsumitur fautor, excommunicatus, & suspectus
15 de Hæresi, nisi probet, & se defendat, quòd omiserit ex aliquà rationabili causà.

Quæritur 3. An non denuntians hæreticum sit suspectus de Hæresi tamquam fautor? Vide latius infra sect. 18. q. 33.

16 ℞. Si sit Officialis, sine dubio est fautor Hæresis, reus censurarum, & vehementer suspectus de Hæresi, iuxta dicta in præcedentibus. Personæ verò priuatæ non denuntiantes Hæreticũ sunt fautores Hæreticorum. & suspecti solum leuiter de Hæresi, vt do-
17 cent Duard. *lib.* 2. *Bulla Can.* 1. *q.* 33. *Concl.* 1. *num.* 7. *Diana part* 4. *tract.* 7. *resol.* 21. *Vers. At his*; *Farinac. q.* 197. *num.* 38. *Carena part.* 2. *tit.* 9. *num.* 44. & 46.

Excusantur a Fautorià, & ac proinde à
18 Suspicione, & Censurà, si ex aliquà rationabili causà omittant denuntiationem; Lex enim admittit exceptionem causæ rationabilis illam non seruandi, *cap. Si quando* 5. *de rescr.* Vnde omittens denuntiare ob metum cadentem in constantem virum non est suspectus de Hæresi, *Sanct. de Hæresi cap.* 9. *num.* 6. *Vers. Tertio*, *Farinac. q.* 197. *num.* 53.
Consanguinei, & affines non sunt fautores 19
omittentes denuntiare suos, si valdè sibi timent ab illis, & pietas illos quandoque excusat. Vide citatos *à Farin. num.* 53. & *Carenà num.* 46.

Quæritur 4. An persona priuata extra casum denuntiationis omittens aliquid fauore Hæretici dicatur fautor, excommunicatus, & suspectus de Hæresi? E. g. si tibi Inquisitor præcipit aliquid in causà Fidei, & tu, qui es persona priuata non obedis, an sis Fautor Hæretici?

℞. Negatiuè, quia solùm facis contra vir- 20
tutem Obedientiæ, & ita docent *Suarez disp.* 14. *de Fide sect.* 1. *num.* 6. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. *Pegna part.* 2. *com.* 78. *Vers. Priuati Farinac. q* 182. *num.* 27. & 36. *Locatus V. Fautores*, *vers. Quidam autem*. Contrarium sentit Dal Bene Dubit. 27. Sed eius ratio non conuincit. Sanchez à num. 15. alios casus omissionis refert. Vide infra q. 22. de nolente testificari contra Hæreticum.

Quæritur 5. An omittens facere; quod debet, vel potest contra suspectum de Hæresi sit fautor Hæreticorum, ac proinde incurrat suspicionem Hæresis, & Excommunicationem?

℞. Est fautor Hæresis, leuiter tamen sus- 21
pectus; nec incurrit Excommunicationem Bullæ, quæ est præcisè contra Hæreticos, & eorum fautores quales non sunt fautores Suspectorum, qui propriè non sunt Hæretici, & ita docent *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num* 14. *Suarez de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 14. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 9. Incurrit verò Excommunicationem Edicti non denuntians suspectum de Hæresi, id enim exprimitur sub censurà in Edicto, vt suspecti denuntientur.

Vsque huc actum est de fautoribus Hæreticorum ex omissione; reliquum est, vt de eisdem agamus ex commissione. Quare

Quæritur 6. An sit fautor dans alimenta, seu pecuniam ipsis Hæreticis?

℞. Affirmatiuè, ac proinde excommu- 22
nicatus in Bullà Cœnæ, & in cap. Excommunicamus 13. & alibi. Et suspecti regulariter de vehementi. *Primum* de Fautorià docent omnes cum *Farinac. q.* 182. *num.* 6. *Carena part.* 2 *tit.* 4. *num.* 15. *Dal Bene Dub.* 26. *num.* 25. *Secundum* de excommunicatione in Bulla Cœnæ, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. & 8. *Dal Bene Dub.* 26. *num.* 37. vbi de alià Excommunicatione, ex Bullis Martini V. & Pauli IV. *Tertium* de suspicione Hæresis regulariter vehementis, ferè omnes *cum Directorio part.* 2. *q.* 56. *num.* 6. *Farinac.*

rinac. q. 182. num. 55. *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 20. *Dal Bene num.* 30. Dixi *regulariter*, quia ex circunstantijs, & commissionibus, atque conditione Personæ inferri potest Suspicio modò vehemens, modò leuis, & quandoque nulla, spectato fine honesto, quo præstatur auxilium Hæretico, vt etiam infra patebit.

Quæritur 7. An venerantes, aut laudantes Hæreticos sint eorum fautores?

23 ℞. Sunt fautores, excommunicati, & vehementer suspecti de Hæresi. Primum de Fautorià docent *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. *Farinac. q.* 182. *num.* 4. *Carena part.* 2. *tit.* 4 *num.* 17. *Dal Bene Dubit.* 26. *num.* 26.

Sed ne vlterius procedamus in his actibus, ex quibus colligitur Fautorià, legantur apud *Farinac. q.* 182. *per totum Carenam part.* 2. *tit.* 4. *à num.* 15. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10 *à num.* 16. *Dal Bene Dub.* 26. *per totam*. Ad incurrendam au-
24 tem Fautoriam cum Censuris, & Suspicione Hæresis necessarium est, quòd Persona, cui fauetur, sit Hæretica formaliter; & nota fautori; atq. quòd Fautorià dirigatur ad ipsam Hæresim.

Quæritur 8. Quis dicatur credens Hæreticis? De credentibus Hæreticorum agitur *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, *de Hæret.* vbi quampluribus pœnis afficiuntur præter Excommunicationem, de quo ibi; nunc in Bulla Cœnæ Domini, si intra annum non satisfaciunt.

Difficultas est, an credens Hæreticorum sit formaliter Hæreticus, quòd videtur falsum, quia ex casu recto, & obliquo infertur diuersitas in oratione, ergo credens non est Hæreticus, cum distinguantur inter se; nemo enim dicitur credere sibi, sed alteri. Præterea diuersum sensum præseferunt hi conceptus *credens Hæreticorum*, *& credens Hæreticis prior conceptus* habet supradictum sensum excludentem Heresim à credente; posterior conceptus videtur inferre Hæresim formaliter in credente, dum credit ea, quæ credit Hæreticus, sed is credit contra Fidem, ergo & credens illi, cum eius Hæresibus credat contra fidem.

Vlterius quis credere potest erroribus hæretici dupliciter, vel expresse huic, & huic errori, vel implicitè, in communi, in genere, & in confuso non dirigendo cognitionem in errorem determinatum; priori modo credens est formaliter Hæreticus, quia errori specifico assentitur; in posteriori modo credens non potest dici formaliter Hæreticus, quia cum credens alio modo non possit credere, nisi expresse, & implicitè; sequitur, quod hoc posteriori modo credens propriè sit contradistinctus ab hæretico, & sic non sit formaliter Hæreticus. Et id confirmatur per Bullam Cœnæ Domini, vbi distinctè excommunicantur Hæretici, & credentes, ergo credentes ibi accipiuntur pro illis, qui in confuso credunt errores Hæreticorum, ita quòd sub nomine Hæreticorum ibi veniunt etiam credentes primo modo idest assentientes huic, vel alteri errori specifico Hæreticis Prædictà vrgere videntur. Nihilominus alios sequamur, vt fecimus in sacro Tribun. cap. 10. num. 86.

℞. Credentes Hæreticorum quouis modo siue explicitè siue implicitè, sunt formaliter Hæretici cum prædictà tamen differentià; probatur expresse ex cap. Excommunicamus 15. de Hæret. extremis hisce verbis: *Credentes autem eorum erroribus hæreticos similiter iudicamus*. Ratio est, quia sicut est Apostata, qui in genere negat totam Fidem, ex dictis sect. 5. num. 2. Ita & Hæreticus, qui errores Hæretici confusè credit. Confirmatur, quia sicut fidelis Fidem seruat, qui articulos Fidei explicitè credit, & alia credibilia sufficit implicitè scire, *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 2. *art.* 4. *apud Sanchez lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. ergo, & qui discredit aliquas propositiones Fidei in confuso, sit formaliter Hæreticus. 25

Quod credens explicitè, vel confusè errores Hæreticorum sit formaliter Hæreticus docent *Suarez disp.* 21. *de cens. sect.* 2. *num.* 6. Vbi distinguit Hæreticum à credente, quòd ille discredit expresse, hic implicitè. *Duardus lib.* 2. *Bulla* Can. 1. *q.* 26. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num* 2. *cum alijs Carena par.* 2. *tit.* 2. *num.* 80. *Salelles lib.* 1. *cap.* 12. *Reg.* 103. *num.* 195. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *Farinac. q.* 182. *à num.* 103. *Doctores refert*, vbi secundùm aliquos num. 104. vocat credentes contradistinctos ab Hæreticis, vt illi sint, qui non sunt Auctores Hæresum, sed eas credunt ab alijs inuentas, quicunq; illi sint, siue Dogmatistæ, siue simplex Hæreticus. Nec mihi displicet; cum credens se habeat vt discipulus, & docens vt Magister; neq. enim prædictis aduersus, sed conformatur, cum credens vtroq. modo expræsse, vel implicitè, siue vt discipulus discredere possit expresse, & implicitè.

Credens autem cognoscitur verbis ab eo prolatis, vt si dicat, se credere, quòd dicit talis, vel talis persona, quæ scilicet loquitur contra Fidem, vt docent omnes *cum Direct. part.* 2. *q.* 50. *num.* 2. *Pegna ibidem*, *Vers. Petrus*, qui ex Paludano ait, illum dici credentem, qui dixit, Hæreticos esse homines bonos, & habere bonam Fidem; item volo mori cum doctrinà illorum; nihil docent contra Fidem; sentio cum Luteranis, eorum ritus volo seruare. *Sousa in Aphorismis lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 3. Sic credens his modis est Hæreticus formaliter, quia impliciter fatetur, & assentitur Hæresi, sicut enim Fides mente & corde, atq; ore perficitur, ad Rom. 10. *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo*, 26

27 *hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*. Ita Hæresis corde, & ore generatur, qui ergo credit in doctrinam Hæretici, eius errores approbat, & sic fit Hæreticus formalis.

28 Qui autem facto credit, non mihi videtur formaliter Hæreticus, quia Hæresis consistit formaliter in dicendo contra Fidem, non autem in audiendo alterius Hæresim, factum autem aliud est à dicto, ideo factum hæreticale solùm reddit facientem suspectum de Hæresi; Confirmatur id ex Royas part. 1. num. 298. ex Archid. dicente, illos dici credentes Hæreticorum, qui proprio ore dicunt se credere erroribus eorum, isti nihil dicunt, cuiusmodi sunt audientes prædicationes Hæreticorum, qui ægrotantes petunt ab illis consolationem, & huius generis, in quibus nulla profertur credulitas à prædictis. Vide etiam *Carenam par. 2. tit. 4. num. 83. ad 86. & Salellem præcitatum*.

Audiens prædicationem videtur potius fautor, quàm credens formaliter errores eius ac proinde solùm vehementer suspectus de Hæresi, suadetur talis fauor; nam Episcopus magnum fauorem facit suo concionatori si quotidie illum audit, ergo idem facit, qui audit Hæreticum, non obstante, quòd præsumatur credere illius errores, sicut Episcopus sanam doctrinam sui Prædicatoris, quia præsumptio non importat illum, contra quẽ præsumitur, esse Hæreticum.

29 Et ex his patet ad rationes dubitandi, nimirum credentem dici formaliter Hæreticum qui dicit doctrinam Hæretici esse bonam; non verò si eam facto insinuet, iuxta mox dicta, igitur credens verbo est formaliter hæreticus, facto verò tantùm est suspectus de Hæresi & ex hac distinctione apparet differentia hæreticorum, & credentium in Bullà Cœnæ Domini.

Pœnæ contra credentes, quas ex citato cap. Excommunicamus 13. §. Credentes, incurrunt, nisi infra annum resipiscant, ibidem referuntur, à nobis explicatæ contra Hæreticos sect. 10. & 12.

30 Quæritur 9. Quis dicatur Receptator hæreticorum? *cap. Sicut* 8. *de hæret.* vbi excommunicatur, & priuatur sepulturâ, *cap. Excommunicamus* 13. *§. Credentes, eod.* vbi aliæ pœnæ illis apponuntur, nisi infrà annum resipiscant, sed nunc ipso Iure earum sunt Rei, infrà q. 13.

31 R. Receptator Hæreticorum ille dicitur, qui clàm, aut publicè Hæreticum à se talem cognitum in aliquo loco suo, vel alieno etiam semel recipit in causâ Hæresis, non ex causâ hæresis, sed vt receptus euadat manus officialium S. Inquisitionis. Ita omnes *cum Farinac. q. 182. num. 132. Direct. par. 2. q. 51. Pegna com. 76. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 4. Duardus lib. 2 Bullæ can. 1. q. 28. Alterius lib. 5. de cens. disp. 2. cap. 4. Carena par. 2 tit. 4. num. 38. Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. num. 4. Dal Bene par. 1. disp. 26. Sousa in Aphor. lib. 1. cap. 23. Ego cap. 10. num. 81. Salelles Reg. 105.* Singulæ particulæ sunt explicandæ.

Dixi primò, *clàm, aut publicè* id enim pro- 32
prium est receptantium personas suspectas, & criminosas, ne propter talem receptationem vti malam castigentur. Ita *Calder. de hæret. Rubr. de Hæreticis volentibus, num. 14. fine, Farinac. num. 99. cum alijs Dal Bene num. 4.*

Dixi 2. *Hæreticum à se talem cognitum* 33
recipit. Si enim ignorat illum esse Hæreticum, non dicitur receptor Hæretici, cum illum non recipiat nec in causâ Hæresis, nec ex causâ Hæresis, dum huius criminis nullam habet notitiam, sed solùm occultat illum ex alio delicto, vel aliâ ratione, quæ non spectat ad Sanctum Officium. Ita *Pegna Vers. Et tales, cum Direct. num. 2. Carena, num. 38. Dal Bene num. 6.*

Dixi 3. *In aliquo suo loco, vel alieno reci-* 34
pit, quicunque sit ille locus, siue domus, siue ager, siue caupona, siue ciuitas, vel oppidum l. 1. ff. de Seruo corrupto §. Quod autem, ibi: *Et est propriè recipere refugium abscondendi causà, vel in suo agro, vel in alieno loco, ædificioue*. Ita *Pegna vers. Quidam Castropal. num. 4. Dal Bene in Corollar. num. 4.* Idem dic si recipiatur in Ecclesiâ, vel Monasterio; hæc enim loca sacra sunt Capacia receptionis, & eorum Rectores dicuntur receptores, si admiserunt illos, & quicunque alij admittentes in dictis locis sacris, vel alibi.

Dixi 4. Etiamsi semel recipiatur, quia hic 35
non attenditur grammaticalis sensus verbi frequentatiui, sed legalis, & moralis, vnicâ enim receptione fauetur Hæretico. Ita *Direct. num. 1. & 5. Pegna vers. Quidam, Carena num. 39.* referens antiquos contrarium sentientes, qui tamen audiendi non sunt, quia etiam apud Iudices seculares, qui semel Bannitum recipit, punitur. Cum illis sentiunt *Salelles num. 225. Dal Bene num. 3. & in Corollar. num. 1.*

Dixi 5. *In causâ Hæresis, non ex causâ* 36
Hæresis. Idest, necesse quidem est, vt recipiat Hæreticum specificatiuè spectatum, non tamen reduplicatiuè, vt scilicet directè recipiat Hæreticum in fauorem Hæresis, habendo scilicet intentionem formalem recipiendi Hæreticum in gratiam Hæresis, quia receptor si talem haberet Intentionem, non solùm esset Receptor, sed etiam simul Hæreticus formalis; tueretur enim Hæresim, in quam iam credidisset, sicut si Hæreticus alium Hæreticum occultaret, id enim faciendo magis suam Hæresim firmaret in corde suo. Non est ergo necesse, quòd ad occultandum hæreticum primaria intentio sit fauere hæresi, contra *Caiet. V. Excommun. cap. 1. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 5.* requirentes

tes in recipiente hæreticum, vt illum recipiant ex motiuo fauendi hæresi. Ita docent *Suarez*, *Sotus*, *Rodriquez cum alijs Layman lib. 2. tract. 1. cap. 13. num. 5. Vers. Tertio, Carena num. 40. vers. Suarez. Sousa lib. 1. cap. 23. num. 6. Salelles num. 227. Dal Bene Dubit.* 28.

Dixi 6. *Vt receptus euadat manus Officialium S. Inquisitionis.* Finis ergo receptantis est, vt per occultationem hæreticus effugiat manus Officialium; quo nomine non solùm venit Episcopus, Inquisitor, eorum Vicarij ad hoc, sed etiam quicunque alij Ministri, & Birruarij. His explicatis.

37 Proponuntur nonnullæ difficultates circa hos Receptatores hæreticorum. *Prima*, quibusnam actibus inducatur receptatio hæreticorum? *Secunda* quibus pœnis afficiantur? *Tertia*, an receptans per vim, & metum excusetur à pœnis? *Quarta* an receptans, quem ignorat esse hæreticum, sit receptator? *Quinta*, an recipiens consanguineos, affines, seu amicos dicatur receptator, & incurrat pœnas? *Sexta*, an receptator sit suspectus de hæresi, & qualiter.

38 Primæ difficultati respondetur solo actu receptionis videtur consumari receptatio, quo nomine veniunt alij actus accessorij, vt cum eo colloqui in loco, vbi receptus fuit; præbere ei alimenta; equum ad fugiendum celeriter, ne capiatur; datio litterarum commendatitiarum; associatio eius extra domum, seu locum; isti omnes actus cùm sint coniuncti cum receptatione, videntur ab ea specificari; augetur præterea per hos actus adiunctos malitia receptionis,

39 Secundæ sic satisfit, nam receptatores hęreticorum sunt excommunicati in B.C.D. Et præterea priuati sepulturà ecclesiasticà ex cap. 8. de hæret. intellige morientes sine emendatione, & multis alijs pœnis priuatiuis, ex *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*,

40 non ab initio receptionis, sed solùm post annum, si obstinati permanserit toto illo anno in Excommunicatione. Id clarè habetur in textu, & tradunt ibi Canonistæ, quos citat Barb. *hoc cap.* 13. *num.* 21. *Dal Bene Dubit.* 26. *Corollar.* 1. *num.* 12. *&* 13. *Farinac. q.* 182. *num.* 135. Vnde tamquam hæretici ob eam obstinationis perseuerantiam condemnantur ex præcitatis. Sed nunc ipso Iure dictarum sunt Rei pœnarum, vt probatur infra q. 13.

41 Qui verò hæreticos receptant, sed quamprimùm resipiscunt infra annum non sunt puniendi vt hæretici, quia non habentur, vt hæretici, sed tantùm vt suspecti de hæresi, ideo pœnis arbitrarijs plectuntur. Ita *Decian. lib. 5. cap. 51. num. 65. Simancb. in Catol. Instit. tit. 15. Rubr. de credent. num. 15. cum alijs Farinac. q.* 182. *num.* 140.

42 Sed quid dicendum, si Parmensis recipiat hæreticum fugientem è manibus Inquisitoris Regiensis, numquid incurrat has pœnas?

Affirmatiuè, quia id non est Statutum, sed Lex pontificia, quæ vbique, & quoscunque ligat; non est Statutum, quod non afficit extra territorium statuentis, vnde receptans Bannitum extra territorium non incurrit pœnas secundum *Bertaz. cons.* 126. *num.* 7. *apud Farinac. q.* 133. *num.* 64.

Tertiæ difficultati respondetur, per vim, 43 vel metum grauem cadentem in constantem virum coactus recipere hæreticum excusatur à pœnis latis contra receptores hęreticorum, ratio est, quia præfatę coactiones excusant à peccato, inuoluunt enim inuoluntarium, cum quo non stat peccatum, quod procedit ab actu voluntario. *D. Aug. de libero arbitr.* 44 3. *Scotus in 2. dist.* 42. *q.* 4. *vers.* Item Quod autem vis, & metus excusent à peccato, ma- 45 xime in his, quæ non sunt intrinsecè mala, qualis non est receptatio, docent *Regin. lib.* 46 11. *cap.* 8. *num.* 75. *Sayr. in Claui lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 50. *Sanch. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. Ergo 47 & excusant à pœna, quæ semper supponit culpam, *l. Sancimus* 22. *C. de pœnit. l. Si putatur* 31. *ff. ad legem Aquil.* immo ad incurrendas Censuras nec culpa sufficit, sed necessaria quoque est Contumacia, *cap.* 48 *Quisquis* 2. *q* 6. *& cap.* 1. *de except. in* 6. *cum alijs Barb. ad cap. Sacris* 5. *de ijs, quæ vi.* Et ex his manet probata nostra responsio, quam communiter docent Simancb. *de Instit. Catol. tit.* 15. *Rubr. de credent. num.* 17. *cum alijs Farinac. q.* 182. *num.* 162. *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 54. Consequenter excusatur etiam ab Excommunicatione, *Suarez disp. 6. de cens. sect.* 3. *num.* 2. *Sanchez lib.* 1. *cap.* 18. *Corduba q.* 137. *Dicto* 4. *cum alijs* Dal *Bene Dubit.* 38. *num.* 10.

Receptor autem asserens se per vim, aut 49 metum recipisse Hæreticum, id probare tenetur cum enim sit quid facti, non est præsumendum, sed probandum, *l. Non est* 23. *ff. de eo, quod metus causà, alijs citatis* Barb. *ad cap.* 1. *de ijs, quæ vi.*

Quartæ difficultati, quà quæritur, an 50 ignorans receptum esse Hæreticum sit formaliter receptor, & Reus pœnarum receptantium Hæreticos? Respondetur non esse receptatorem, neq; reum pœnarum, & id patet ex num. 33. Dum enim ignorat illum esse Hæreticum, non potest dici, quòd eum receperit in causà, aut ex causà Hæresis, notitia enim Hæresis necessaria est ad constituendum receptorem formaliter talem. Ita docent *Direct. par.* 2. *q.* 51. *num.* 2. *Pegna com.* 76. *Vers Et tales, cum alijs Farinac. q.* 182. *num.* 163. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 46.

Dubitari autem potest, an receptor debeat probare Ignorantiam?

Ego dico, illum non teneri probare illam 51 sed in eo præsumi, etiamsi receptus sit denuntia-

nuntiatus, fit captus; immo è carceribus fugerit; dummodo nondum sit notorius Hæreticus, vel condemnatus publicà abiuratione Hæresis. Probatur primò, quia in dubio de Iure semper præsumitur ignorantia, *l.*
52 *Verius* 21.*ff.de probat.Megal.* 2.2 *lib.*2.*cap.*6. *num.*42.*Giurba conf.*29 *num.* 32. vbi multos citat. Ignorantia enim præsumitur, vbi scientia non probatur *Reg.* 47. *in* 6. consequenter Fisco alleganti scientiam competit probatio, vt docent *Pegna com.* 76. *Vers. An autem receptator*, *cum alijs* Farinac. *q.* 182. *num.*164. *Carena num.* 47. *Vers.* Dicendum. Vbi quòd admittendum est iuramentum Receptatoris,
53 per quod probare dicitur suam Ignorantiam, *ex Sanctar. cap.* 12. *de Hæresi num.* 6. *cum alijs* Dal Bene Dubit. 26. *num.* 6. *Castropal. tract.* 4. *disput.* 3. *p.* 5. *num.* 4. Cum enim Ignorantia sit quid in animo latens, sufficienter Iuramento probatur, *Gloss. V. Si est ita*, *in cap. Significasti* 16. *de homic. Mascard. concl.* 881. *num.* 1.

54 Probatur 2. quia in facto alieno præsumitur Ignorantia, *Gloss. V. Verisimiliter cap.* 4. *de elect. in* 6. *ex l. fin. ff. pro suo*, quæ excusat, vt docent plerique *apud* Barb. *ad dictam Reg.* 47. *num.* 3.

55 Probatur 3. etiam in casu denuntiationis, capturæ, & carcerationis, ante condemnationem. Quia non solùm Hæretici denuntiantur, & carcerantur, sed etiam solùm suspecti de Hæresi, ergo ex prædictis actibus non notificatur, quòd quis sit Hæreticus, sed solùm, quòd sit suspectus de Hæresi, ergo non potest verè dici, quòd tales receptans ante condemnationem cognoscat receptatum à se esse Hæreticum, cum nulli constet esse talem; Sanctum enim officium in hac functione agit cum omnimodà secretudine. Quomodo ergo quis dicere potest Iure, talem in Carceribus S. Officij mancipatum, seu ex eis fugientem esse Hæreticum, cum de eius Hæresi constare non possit nisi post condemnationem? Et ita colligo ex Pegna cit. com. 76 Vers. *Hæc tamen Sententia non procederet*, excusandi scilicet receptatorem, vt ignorantem Hæreticum; *Quoties Hæreticus esset publicè denuntiatus, & notorius, tunc enim scientia præsumeretur in Receptante, non ignorantia*, & supracitatis, qui vtuntur dicta copulatiuà *Hæreticus publicè denuntiatus, & notorius*, quam aliqui disiungunt volentes sufficere denuntiationem, quod supra reprobauimus nostro argumento tertio. Vt ergo Ignorantia excludatur, & sic probanda sit ab allegante; requiritur, quòd Hæreticus sit notorius, vt quia constat de eius condemnatione, vel quia publicè prædicauit, aut docuit Hæreses. In quo casu ignorantia ab eo probatur, si ostendat, vel eo tempore abfuisse à loco Iudicij; vel prædicationis, vel
56 quia erat in lecto infirmitate vexatus; vel negotijs vrgentibus occupatus. Ita *ex Vgollino, & alijs Castropal. cit. p.* 5. *num.* 4. Dal *Bene* Dub. 26. *num.* 7.

Quinta difficultas de receptatione consanguineorum, affinium, & amicorum resoluitur.

Receptans consanguineum, vel affinem, 57
quem scit esse Hæreticum iuxta dicta sub num. 33. puniendus est pœnà mitiori extraordinarià, hoc modo, quòd qui proximior est secundùm gradum Hæretico recepto, mitius puniatur, quàm qui est illi remotior; Si autem constat hæreticum recepisse ex causà Hæresis, tunc punitur pœnis debitis vere, & formaliter Receptatoribus; in dubio an receptus fuerit ex affectu consanguinitatis, an Hæresis, resoluitur in causà Hæresis.

Demùm idem dicunt de amico strictissimo, qui mitius punitur. Ratio communis deducitur ex l. 2. ff. de receptat. vbi, mandatur puniri receptans consanguineum latronem, licet mitiori pœna, ergo multò magis puniendus est recipiens consanguineum Hæreticum. Ita communior opinio cum *Farinac. q.* 182. *num.* 144. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 42. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *circa finem vers. Cæterum*, Dal *Bene* Dubit. 31. *num.* 4.

Contrarium, quòd sint excusandi à quibuscunque pœnis, & ab Excommunicatione, docent plerique, quos citat Dal *Bene cit. num.* 3. eà ratione, quia censentur recepisse non intuitu Hæresis, sed ex affectu sanguinis, quod docet etiam Bonac. *in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *part.* 3. *alijs citatis*. Sed non placet eorum opinio, Iudex enim habet pro se certitudinem, quòd receptauerit Hæreticum, quod est fundamentum præsumendi receptionem factam fuisse, vt Hæreticus fugeret pœnas, ac proinde fauore magis Hæresis, quàm ex affectu sanguinis, cum ergo præualeat præsumptio ad fauorem Hæresis, præsumptioni affectus sanguinis, illa spectanda est, non hæc;

Confirmatur, quia quando concurrunt duæ causæ finalis, & impulsiua, magis attenditur finalis, quam impulsiua, *Scotus in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. *cum alijs apud Megalium conf.* 23. *num.* 12. finalis autem hic est occultare Hæreticum, ne puniatur; impulsiua verò est Consanguinitas, impellit enim ad præfatum finem, causa enim finalis mouet principaliter agens, impulsiua verò præbet occasionem, *Merlin. dec.* 126. *num.* 68. Cum ergo constet de occultatione habente adiunctam pœnarum fugam, de qua non potest dubitari, sicut de affectu sanguinis in animo consistente, licet constet de sanguinis coniunctione, sequitur præualentia illius ad hoc.

Colligitur ex prædictis, Patrem receptantem Filium, Vxorem Maritum, Fratrem suum

um Fratrem, & è contra, mitius esse puniendos, quia sanguinis affectio id exigit, vt pœna minuatur, non autem vt in totum tollatur, cum præsumptio occultationis de se ordinatæ ad fugam pœnarum, vt dixi hic sub num. 59. satis vrgeat, ne omnino ab omnibus pœnis fiant immunes. Ita allegati à *Farinac. q.* 182. *num.* 149. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 43. *Salelles Reg.* 105. *num.* 228. *Dal Bene Dubit.* 31. *num.* 4. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 3. *part.* 5. *prope finem*. *Sousa lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 7. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.*
63 21. *vers. Notandum*. Scio præcitatos, in dubio, an receptator receperit Hæreticum consanguineum ex affectu consanguinitatis, an ob crimen Hæresis sentire, tunc præsumptionem stare pro receptore, vt occultauerit ex affectu amicitiæ. Sed vt probaui supra sub num. 59. cum præualeat præsumptio pro Hæresi, magis quàm pro sanguine, vt colligitur ex ipsa occultatione, quæ habet adiunctam pœnarum fugam; ideo præsumendum est magis pro Hæresi, quàm pro sanguine, qui dedit occasionem occultationis, & quodam modo influxit in Hæresim.

64 Quæ dicta sunt intelliguntur de receptante etiam amicum Hæreticum coniunctum arctissimo amicitiæ vinculo, vt præcitati docent. Sed quis est amicus strictissimus? Ille, qui cum alio longam habet honestam fami-
65 liaritatem; si enim ambo hanc non habent, quam appellant caritatiuam, amici non sunt, sed dolosi; amicus enim est alter frater, *l. Nemo dubitat* 58 §. *Qui frater ff. de hared. Instit.* Vnde vera amicitia est similis consanguinitati, *Couar. in cap. Requisisti, de testam. num.* 7. *& ex l. Lata* 223. *ff. de verb. sign.* habetur, quod amicos debemus appellare non leui notitià coniunctos, sed quibus fuerunt Iura cum Patrefamilias honestis rationibus familiaritatis quæsita.

66 Ad quod facit illud *Arist. lib.* 8. *Et hic cap.* 3. *dicentis*, quòd perfecta amicitia est illa, qua viri boni pari virtute prædicti inter se coniuncti sunt. Vnde *lib.* 9. *inquit*, qui fingit se amicum, & non est; peior est eo, qui facit falsam monetam.

67 Sexta difficultas de gradibus Suspicionis receptantis Hæreticos resoluitur dicendo, Receptatorem aliquando esse suspectum vehementer, quandoq. leuiter tantùm, pro cuius cognitione consideranda est conditio Personæ recipientis Hæreticum, & qualitas receptionis, ex his enim specificatur gradus Suspicionis. Et ita docent *Pegna par.* 2. *com.* 76. *Vers, & eis abiuratio*, vbi ait, ita intelligendum esse Direct. q. 51. num. 4. licet dicat, receptatorem esse vehementer suspectum *Dal Bene Dub.* 33. *num.* 6. *Farinac. q.* 182. *num.* 133. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 57. Antiquiores prædictis simpliciter dicunt esse vehementer suspectum de Hæresi, *Direct. par.* 2. *q.* 51. *num.* 4. *Locatus V. Suspicio, Vers. septimus.* Rationem pro istis refert Carena num. 56 quia omnes excommunicati in causà Fidei sunt vehementer suspecti, *ex Direct. q.* 56. *Vers. Quintus*; sed receptatores Hæreticorum sunt excommunicati, *ex cap.* 13. §. *credentes*, ergo & vehementer suspecti. Reuera Direct. hoc non dicit simpliciter, sed quòd est vehementer suspectus, quando per annum pertinaciter sustinuerit Excommunicationem, vnde receptans Hæreticum, si in Excommunicatione, quam incurrit receptando, perseuerauerit; sine dubio dicendus est vehementer suspectus.

Quæritur 10. Quinam dicantur Defensores Hæreticorum, de quibus *in cap.* 13. §. 68
Credentes, de sent. excom. Et in cap Quicunq. 69
2. *eod. in* 6. Defensores sunt in duplici differentia, alij sunt deputati ab Episcopo, vel ab Inquisitore, sunt enim ambo Iudices, & de his non loquuntur præfati textus, nec Bullæ Pontificiæ, de quibus *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 75. *Farinac. q.* 197. *num.* 77. Vocantur etiam Aduocati, & Procuratores Hæreticorum dati à Iudicibus in causis S. Fidei. Alij sunt defensores priuati, qui proprià auctoritate defendunt, & protegunt Hæreticos in causà Hæresis, de quibus est quæstio præsens.

℞. Defensor Hæreticorum ille appellatur, 70
qui scienter tuetur Personam intuitu Hæresis & non propter aliam causam, defendendo vel personam ne capiatur, ne processetur, ne puniatur, vel eripiendo eam à capturà, vel à carcere, aut alio modo impediendo Iudices aut alios ministros, ne causa sortiatur suum debitum finem; vel defendendo rationibus verbis, vel scriptis assertas Hæreses. Isti sunt notati de Hæresi; & varijs pœnis plectuntur.

Dixi 1. *Qui scienter tuetur Personam,* 71
quia si ignorat esse hæreticam, excusatur, quia non dicitur defensor hæretici, iuxta dicta de credentibus num. 24. receptatoribus 33. & 50.

Dixi 2. *Intuitu Hæresis, & non propter* 72
aliam causam, aliter non est defensor hæretici, vt si protegatur ab inimico, vel latrone aggressoribus; defensio enim, de qua hic specificanda est ab Hæresi, cuius gratià hæreticus defenditur, talis enim defensio non est licita sicut defensio ab aggressore. Ita *Nauar. cap.* 27. *num.* 56. *Castro. lib.* 1. *cap.* 17 *Angelica V. Hæresis num.* 23. *Sayr. de consf. lib.* 3 *cap.* 5. *nu.* 9. *Farin. q.* 182. *num.* 68. *Dal Bene Dubit.* 26. *num.* 12. *& in Corollar.* 2. *num.* 4.

Dixi 3. *Defendendo personam, ne capia-* 73
tur &c. Duobus autem modis contingere potest defensio ex causà Hæresis, vel solius Personæ hæreticæ, vt non incidat in manus &c. vel illius Hæresis, quòd sit sana doctrina; de quibus modis *Farinac. q* 182. *num.* 63. *Direct. par.* 2. *q.* 52. *num. primo, & 2. ibi Pegna*

Verſ. quidam namque Caſtropal. *par.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *p.* 5. *num.* 5. *Dal Bene* Dub. 26 *num* 8.

74 Dixi 4. *Vel defendendo aſſertas Hæreſes.* Talis defenſor eſt formaliter Hæreticus, cum rationibus approbet falſas in ſe propoſitiones pro veris, & ſic habet errorem in Intellectu contra Fidem, ac proinde eſt formaliter hæreticus. Iſte eſt peior alio, qui ſolùm defendit Perſonam, quia iſte vtrunq; defendit. Ita præcitati; Et ego in Sacro Tribunali *cap.* 10. *num.* 84. *&* 85.

Dixi 5. *Iſti ſunt notati de Hæreſi* Ideſt,
75 qui defendit errorem hæretici eſt formaliter Hæreticus, vt probaui *in* Dixi 4. *Ita ibidem præcitati in* 3. Carena *par.* 2. *tit.* 4. *num.* 72. *Caſtropal. num.* 5. *Ego cit. num.* 85. Qui verò ſolam defendit perſonam eſt ſuſpectus vehementer, vel leuiter, iuxta qualitatem defenſionis, à qua ſpecificatur gradus Suſpicionis. Ita *Direct par.* 2. *q.* 52. *num.* 3. *Pegna com.* 77. *Verſ. Hic autem modus*, *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 73. *Dal Bene Dubit.* 26. *Corollar.* 2. *num.* 8.

Dixi 6. *Varias incurrere pœnas* Primò
76 enim ſunt excommunicati in Bullâ Cœnæ ibi: *Et generaliter quoslibet eorum defenſores* Bonac. *hic p.* 3. *Caſtropal. de cenſ. Diſput.* 3. *p.* 2. *num.* 6. Intellige intuitu Hæreſis, & non ex aliâ causâ, vt ſuperius dictum fuit, & docent citati à *Dal Bene Dub.* 28. *num.* 1. Alijs etiam pœnis afficiuntur, quæ exprimuntur *in cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, *de hæret. & in cap quicunq.* 2. *eodem in* 6. *vt dixi hic num.* 30. 39. *&* 68. explicatur id infrà ſub. q. 13.

Quæritur 11. An hoc vocabulum *Fautor* habeat proprias actiones, per quas differat à Credentibus, Receptatoribus, & Defenſoribus, nam ex titulo huius ſectionis videtur colligi oppoſitum, nimirùm, eſſe genus ad prædicta.

℞. Accipi poſſe in genere; quatenus Fau-
77 toria eſt Beneficium alicui factum, & Fautor, qui Beneficium facit; ex dictis autem patet, Credentem, Receptatorem, & Defenſorem benefacere ſuis actionibus Hæreticis. Quod ſi fauor, & fautor accipiantur in ſpecie tunc eſt Fautor diuerſus ab illis, ac proinde credens, per actum credendi; receptans, per actum occultationis, & defendens, per protectionem, ab eo ſunt ſpecies diuerſæ, quia fauor in ſpecie non importat prædictos actus, ſed alios, de quibus ſub initium huius ſectionis. Et ita eſt tenendum, quia præfati quatuor termini exprimuntur in dictis cap. 13. de hæret. & 2. eod. in 6. & in Bullâ Cœnæ Domini, ergo neceſſariò dicendum eſt, in re eſſe diuerſos, & vnum non eſſe declaratiuum alterius, cum cognoſcantur diuerſi ſenſus in eis ex diuerſitate actionum. Carena par. 2. tit. 4. Sic intitolauit de Fautoribus hæreticorum, ſumendo hoc nomen in genere, vt comprehendit Credentes, Receptatores, & Defenſores.

Quæritur 12. An Fautores Schiſmaticorum incurrant pœnas, quib. afficiuntur Fautores hæreticorum?

℞. Affirmatiuè, nam primò ſunt excom- 78
municati, & mulctandi priuatione totius ordinis ſacri, & Communione Sacrâ, non ſolùm, qui ſibi arogant nomen Papæ, electus tantùm à tertiâ parte, ſed etiam illum recipientes, recipere enim eſt ſpecies fauoris; non reſeruatur *in cap. Licet 6. de elect.* Aliam Excommunicationem reſeruatam incurrunt Fautores Siſtentium in Schiſmate, ſecundùm actiones, quæ exprimuntur in cap. Vn. de Schiſm. in 6. quod cap. licet diſponat contra Columnas quoſdam, tamen Pontifex in fine illius capitis ibi expreſſas pœnas vult afficere deinceps quoslibet talia agentes. In Bullâ Cœnæ excommunicantur Schiſmatici nihil tamen diſponitur de eorum Fautoribus, ideò non ſunt Rei eius Excommunicationis.

Nec dicas Schiſmaticos vt plurimùm eſſe Hæreticos, vt dico ſect. 5. q. 2. quia tunc non vt fautores Schiſmaticorum, ſed vt Hæreticorum, ſunt excommunicati in Bullâ, & non aliter. Alias verò pœnas, quæ contra fautores hæreticorum ſunt, ex prædictis capitibus, & Bullâ Fautores Schiſmaticorum non incurrunt, quia in illis non exprimuntur.

Nihilominus Paulus IV. Bulla 19. incip. 79
cum ex Apoſtolatus officio, innouat quaſcunq; cenſuras, & pœnas contra hæreticos, & Schiſmaticos Epiſcopos, Cardinales, & Legatos, ac Dominos temporales, & non alios quomodolibet promulgatas, & in §. 5. & eiſdem hæreticis, & Schiſmaticis depræhenſis, vel confeſſis, vel conuictis ſcienter fauentes, præter excommunicationem ſubijciuntur etiam pœnis Fautorum hæreticorum. Vide dal Bene Dub. 48. ſect. 3. num. 6. Verſ. Quamuis.

Quæritur 13. An pœnæ expræſſæ in dicto cap. 13. §. Credentes, incurrantur ipſo Iure, cum incurritur Excommunicatio ibidem inflicta, antequam Fautor in ea inſordeſcat? Videtur enim, quòd Fautor eas pœnas incurrat poſtquam inſorduerit per annum in ea, vt expreſsè ibi dicitur.

℞. Ante inſordeſcentiam non incurri, vt 80
textus clare loquitur, Fautores tamen puniuntur pœnis arbitrarijs, *ex allatis à Diana part.* 4. *tract.* 7. *reſolut.* 21. *Dal Bene Dub.* 33. *alijs citatis.* In caſu verò allato in Bullâ Pauli IV. cuius verba retuli paulo ante ſub num. 79. incurrunt ſtatim ante inſordeſcentiam Fautores non ſolùm Hæreticorum, ſed etiam Schiſmaticorum, Epiſcoporum ſcilicet, Legatorum, & Cardinalium, atq. Dominorum Secularium, etiam Regum, & Imperatoris, ex

ex Thesauro Iesuitâ cap. 1. de Schismaticis.

Quæritur 14. An Fautor, credens, receptator, seu defendens sint Rei omnium pœnarum, quibus afficiuntur hæretici?

81 ℞. Negatiuè, pœnæ enim inflictæ contra delinquentes in vno genere delicti extendendæ non sunt ad alios delinquentes in alia specie criminis, ex probatis in sect. 13. num. 163. vbi quòd Fautores Hæreticorum, & de Hæresi suspecti non sunt Rei confiscationis suorum bonorum. Et sect. 12. Non perdunt patriam potestatem, sub num. 88 Nec perdunt dominium in seruos, num. 91. Possunt donare, num. 100.

Quæres 15. An liceat protegere, & fauere Fautoribus, & alijs de Heresi suspectis, Notarijs, Aduocatis, & Iudicibus?

82 ℞. Negatiuè, aliter priuantur suis officijs, Ita Innoc. IV. Bulla 18. incip. *Nouerit*, & Nicolaus III. in sua 2. incip. *Nouerit*, num. 15. ad 17. fere eisdem hisce verbis ambo: *Iudices, Aduocati, & Notarij nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuò sint priuati*. Sermo hic est de officialibus prædictis, non de personis priuatis. Quod eisdem ante prohibuerat Innoc. III. relatus cap. Si aduersus 11. eod. his verbis. *Inhibemus, ne hæreticis, credentibus, fautoribus, vel defensoribus eorundem in aliquo præstetis, auxilium consilium, vel fauorem, nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus, vel sub eodem examine vestrum patrocinium præbeatis, & pro ipsis publica instrumenta, vel scripta facere nullatenus attentetis. Quòd si contra præsumpseritis ab officio vestro suspensos, perpetuæ vos decernimus Infamiæ subiacere*. Barbosa in hoc capite citat Doctores, quorum aliqui volunt has pœnas ipsos incurrere non solùm si eis faueant in causâ Hæresis, sed etiam in alijs, sed verius est, solùm in causa Hæresis, *Toletus lib. 11. cap. 19. num. 7.* Verum quoque est protegentem fautorem non esse reum Excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini, cum ea sit solùm contra fautores Hæreticorum.

Quæritur 16. An fautor Hæreticorum, & Fautorum eorundem sit irregularis? De irregularitate ex Hæresi dixi sect. 10. num. 14.

83 ℞. Fautores Hæreticorum incurrunt Irregularitatem ex Infamiâ, nam in cap. 13. de hæret. §. Credentes, sunt infames. Item *ex cap. Si aduersus 11. cit. in præced. quæst.* etiam Iudices, Aduocati, & Notarij Fautores Fautorum sunt infames, vt ibidem dicitur, ergo & irregulares ex capite Infamiæ. Personæ verò priuatæ fauentes alijs fautoribus non sunt irregulares, cum non sint infames, nec irregularitas alia in Iure reperiatur contra illos, nisi postquam eorum fauor probatus est, inde enim contrahitur Infamia, & statim fit irregularis. Et ita intelligendus est *Suarez disp. 43. de Censur. sect. 2. num. 8. & 9. & ex eo Dal Bene Dubit. 71. Petit. primâ num. 19.* abiurata Hæresi, non amplius sunt irregulares, nec inhabiles ad Beneficia, & officia, vt ibidem insinuat num. 20. *ex Garzia de Benefic. part. 11. cap. 10. num. 88. Paris. lib. 4. de Resign. q. 3. num. 17. Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 12.* Contra nonnullos, quorum opinio magis mihi placet, quia abiuratione non tollitur Infamia, sed potius ponitur ab ea.

Quæritur 17. An Fautores Fautorum sint excommunicati?

℞. Negatiuè, solùm enim in Iure, & in Bullâ excommunicantur Fautores Hereticorum, quales non non sunt Fautores aliorum Fautorum licet Hæreticorum. Vide tamen sub num. 83. exceptionem, & aliam 78. 84

Quæritur 18. An Fautores Hæreticorum sint Rei Bullæ *Si de protegendis?*

℞. Affirmatiuè, vt expresè colligitur ex §. 4. eiusdem; de qua re agendum infra in propriâ sectione, pro explicatione eiusdem Bullæ. 85

Quæritur 19. An furans cum Hæretico dicatur illius Fautor?

℞. Negatiuè, nisi furtum futurum sit in opem, & fauorem Hæresis, aliter non dicitur Fautor, sed proprie Fur, sicut & homicida si in homicidio sit complex cum eo, vel Hæreticum defendat à suis inimicis volentibus illum occidere. *Dal Bene Dub. 28. Corollar. 1. in fine, cum Silu. V. Hæreticus 1. num. 10. Nauar. cap. 27. num. 55. & alijs.* 86

Quæritur 20. An contrahens affinitatem cum Hæretico sit illius Fautor?

℞. Affirmatiuè, quia per hanc parentelam disponitur ad fauendum hæretico in causa Hæresis, ergo ambo euadunt Rei fautorum pœnarum, affinitas enim non excusat à fafauore Hæresis. Ita docent de consanguinitate, & affinitate *Pegna part. 2. com. 81. vers. Rursus Menoch. lib. 2. de Arbitr. cent. 6. casu 548. num. 8. Graffius lib. 4. decis. cap. 18. num. 35. cum alijs apud Dal Bene Dub. 13. num. 4.* 87

Quæritur 21. Numquid fœmina subijciatur pœnis Fautorum? Ratio dubitandi est negatiua, quia fœmina dicitur fautrix non fautor, qui de solis masculis dicitur, qua voce vtuntur Iura, in quibus non reperitur hæc vox fautrix.

℞. Fœminam, si faueat Hæreticis, & Schismaticis, subijci pœnis fautorum, nam fœmina est capax actionum fautoriæ, nam facilius, quàm vir, credit, receptare potest, & alacrius defendere Hæreticum, quàm masculus, cum sit eo infirmior in intelligendo. Et patet ex eo, quòd si Vxor receptet Maritum, dicitur fautor illius, *ex allatis à Dal Bene Dub. 28. Corollario 2. num. 1. & 2.* dixi hic num. 62. vbi, quòd Vxor receptans 88

Maritum mitius punitur. Ita Ignatius Lupus in Edicto S. Inquisit. p. 2. lib. 14. Dist. 2. Diffic. 8.

89 Ad rationem dubitandi, esto sit in vsu etiam fautrix pro fœminis nihilominus in Iure nomen *Fautor* masculinum concipit fœmininum, quandocunque actiones possunt esse communes vtrique sexui, vt est Fautorià, in sententia omnium, maxime quando agitur de Fide tuendà, & quando quoque masculinum à Lege profertur, tunc enim concipit fœmininum, vt patet ex cap. Si quis suadente, vbi comprehenditur etiam fœmina, & rationem reddit S. Cyprianus de discipl. & habitu virg. cap. 2. his verbis:

90 *Quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur, & fœmina* Relatis Lect. 6. de communi Virginum.

Quæritur 22. An nolens testificari contra Hæreticum sit Fautor eius, ac proinde sit suspectus de Hæresi, & incurrat pœnas Fautorum Hæreticorum? Videtur, quòd non, quia supra hic sub quæst. 2. exemplificatum in publicis, quæ omissione sunt Rei.

91 ℞. Esse fautorem Hæretici, contra quem non vult testificari, quia hac omissione benefacit illi, ne puniatur in causà Hæresis, ac proinde est suspectus de Hæresi vehementer, vel leuiter attentis circunstantijs, à quibus specificatur gradus Suspicionis; & est Reus pœnarum aliorum Fautorum, & ita docet *Ignatius Lupus super* Edictum S. *Inquisit. lib.* 14. *dist.* 2. *diffic.* 3. Ad rationem dubitandi dico, propterea nos non exclusisse omissiones etiam Personarum priuatarum. Testis enim vocatus ex hoc tenetur ex officio deponere super interrogationibus sibi factis.

92 Non est verò Reus Bullæ *Si de protegendis*. Quia ibi nullum verbum de Testibus exprimitur in ratione omissionis.

Quæritur 23. An Receptor Hæretici, vel Schismatici excusetur à pœnis, quando Hæreticus, vel Schismaticus capitur, non obstante illius occultatione?

93 ℞. Non excusatur, sed eas incurrit, quia vt quis sit receptator, & fautor sufficit, quòd illi faciat beneficium in eo, in quo potest, non enim fautorià absoluitur ab extraneis, nec perficitur ab obstantibus, sed à benefacientibus in eo, in quo possunt. Ita *Castro lib. de punit. Haret. cap.* 17. *Suarez de Fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 4. *Graff. lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 34. *cum illis* Dal Bene *Dubit.* 26. *Corollar.* 1. *num.* 7. *Lupus lib.* 14. *dist.* 5. *art.* 3. *Diffic.* 2. vbi pro se citat *Farinac. q.* 182. *num.* 102. Contra *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. quia nihil profuit receptatio, & occultatio. Sed profectus, & commodum euitandi capturam accidunt receptationi, quæ in sua tantùm actione perficitur.

SECTIO DECIMA SEXTA,

De Suspicione in causis Hæresis.

SVMMARIVM.

1 *Suspicio Hæresis præcedit Abiurationem.*

2 *Hæresis voluntate imperante mente gignitur.*

3 *Contrariorum eadem est disciplina.*

4 *Homo iudicat ea, quæ Parent, Dominus autem intuetur cor.*

5 *Suspicio est præsumptio orta ex delicto expressè, vel implicitè contrario Fidei catollicæ.*

6 *Præsumptio est genus ad Suspicionem legalem, & hominis.*

7 *Delictum, a quo oritur Suspicio, est verbum, scriptum vel factum.*

8 *Hæc autem debent verè contrariare Fidei, aliter non inducunt Suspicionem.*

9 *Sufficit autem contrarietas implicita.*

10 *Suspicio triplex*, leuis, vehemens, & violenta.

11 *Leuis, quæ rarò, vel casu oritur ex delicto.*

12 *Leuis autem non est talis in se, sed in ordine ad vehementem.*

13 *Leuis propriè ea est, quæ oritur ex delictis coniunctum non habentibus abusum Sacramentorum, nec Sacramentalium.*

14 *Leuis Suspicio est iuridica, non placitum Hominis.*

15 *Contra Sortilegos olim non procedebant Inquisitores.*

16 *Leuiter suspectus denuntiatur.*

17 *Capitur, & examinatur.*

18 *Incipiendo etiam ab ipsà capturà.*

19 *Non obstat axioma:* A captura inchoandum non est. *explicatur.*

20 *Fuga si non timetur, non carceratur, nisi post semiplenam probationem.*

21 A

to indicio illam causante.

67 *Denuntiare omittens non solùm hæreticum, sed etiam suspectum euadit Suspectus de Hæresi.*

68 *Baptizans magnetem contrahit duas Suspiciones.*

69 *Ex duabus leuibus oritur vehemens, & ex his violenta.*

70 *Præsumptiones plures plenam faciunt probationem.*

71 *Præsumptio Iuris æquiualet probationi liquidissimæ.*

72 *Præsumptio vna tollitur per aliam sibi contrariam.*

73 *Suspiciones Hæresis elidi non possunt per alias Iuris præsumptiones.*

74 *Suspicio Hæresis dubia prodest reo.*

75 *Dubia in meliorem partem accipienda sunt.*

76 *Hispani dicunt abusum Sacramentorum inducere leuem Suspicionem, Itali verò vehementem.*

77 *Opinio Italorum probatur melior.*

78 *Causa finalis in omnibus attendenda, & ex eà dispositio regulatur.*

79 *Abusus Sacramentorum semper infert Suspicionem Hæresis.*

80 *Luxuria, & lucrum dotis in Poligamis non inducunt Suspicionem Hæresis.*

81 *Suspicio semper oritur ab aliquo Indicio.*

82 *Indicia non debent esse dubia, nec æquiuoca.*

83 *Indicium iuridicum ex se semper infert Suspicionem.*

84 *Indicia debent esse proxima, vt ex eis sequatur effectus Suspicionis.*

85 *Suspecti vehementer ex Fautorià sunt Rei pænarum cap. 13. de Hæret. non ex alijs.*

86 *Irregulares quoq; sunt.*

87 *Suspecti leuiter pænis iuridicis non subduntur.*

88 *Suspecti vehementer extra Fautoriam non sunt priuati Beneficijs.*

89 *Suspicio oritur ex delicto, quòd est mortale.*

90 *Denuntiare negligens suspectus de Hæresi.*

91 *Testis pariter recusans deponere.*

QVoniam in omnibus causis S. Officij contra hæreticam prauitatem interuenire regulariter solent præter alia hæc duo; Suspicio scilicet, & Abiuratio hæresis, operæpretium esse duxi, tractationem eorum præmittere delictis, ex quibus infertur Suspicio Hæresis, quam deinde sequitur Abiuratio, vt Domini Consultores in promptu habeant qualitatem, & gradum Suspicionis, & Abiurationis consequentis Suspicionem respectu omnium delictorum, de quibus infra suis locis tractabitur. 1

Præmitto autem, crimen Hæresis esse de genere eorum delictorum, quæ mente voluntate imperante perpetrantur, & ibidem consumantur per actionem immanentem, illæ enim potentiæ, vt notum est sapientibus, immanenter operantur. Hæresis ergo corde concipitur, & quandiu stat sub actione immanente soliùs Dei Iudicio subditur; cum verò exterius manifestatur verbo, aut scripto vel facto, incipit esse sub eius Ministro, & Iudice humano ecclesiastico, vt de eà reportet vindictam ad fauorem Sanctæ Fidei. 2

Hæresis autem recipit esse eo modo, quo Fides eidem opposita, quia contrariorum eadem est disciplina, *Arist. 1. Topic. cap. 11. Instit. De his, qui sui, §. 1.* Nam sicut Fides in mente pio voluntatis affectu, generatur, ibidem radicatur, & perficitur, atq; exterius manifestatur ad honorem Dei, & vtilitatem proximi, ad Roman. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem* Et in Psalmo 116. *Credidi, propter quod locutus sum.* Fides igitur concepta manifestatur, vt per eius confessionem fideles consequantur Iustitiam, & dent laudem Deo, qui per Christum, & Apostolos eius ministros misteria suæ Fidei reuelauit omnibus, & in dies, cum opus est, per Romanum Pontificem controuersias super eam ortas, per assistentiam Spiritus Sancti specialem definit per suam reuelationem illi factam. Ita Hæresis mente cæcà, & errante, voluntate malignante, fit in corde, & ibi consumatur, & consumat hominem hæreticum, qui vt abducat discipulos post se & seducat, suam Hæresim eis manifestat, & docet, ad destructionem Fidei, & damnationem eorum, qui in eum credunt. 3

Quoniam autem *homo iudicat ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Regum 16. 7. consequenter non potest scire, quæ 4

sunt

sunt in corde alterius, sicut est Hæresis; restat quòd ipse ex solà manifestatione delicti capiat, si non directè ipsam Hæresim saltem indirectè, & mediante Suspicione illius ortà ex delicto, cui Iura prudenter volunt esse Hæresim coniunctam ex quadam morali connexione eius cum delicto; e. g. percutiens Sacram Imaginem, vel eam deturpans ipso facto redditur suspectus de Hæresi, videtur enim ex prudenti cuiuslibet Iudicio malè sentire de sacris Imaginibus, quòd non sint dignæ veneratione, quòd asserere est hærecum. Sed accedamus ad questiones.

Quæritur igitur 1. Quid sit Suspicio Hæresis? Farinacius q. 36. à num. 172. multa congerit de Suspicione, eam discernendo à præsumptione, coniecturà, Opinione, & Dubitatione; sed quia hæc ad rem nostram non conducunt, omitto contentus sequenti definitione in ordine ad Hæresim.

5 ℞. Suspicio Hæresis est presumptio eiusdem orta ex delicto verborum, vel Scriptorum, aut factorum, contrariante expresè, vel implicitè Fidei Catolicæ Romanæ Ecclesiæ. De suspicione hæresis in genere fit mentio *in cap. fin. dist. 29. in fine cap Ad abolendam 9. de haret. cap. Accusatus 13. §. qui autem, eod. in 6. cap. Literas 14. de præsumpt. & alibi.*

6 Dixi primò, quòd Suspicio est *Præsumptio* hæc enim illius genus est, quia cum omnis res, quà definibilis habeat rationem speciei, necesse est, quòd sit sub suo genere, vnde præsumptio tamquam genus latius patet hac specie, & alijs, de quibus prædicatur, vt videri potest apud *Farinac. q. 37. à num. 67. ad 135.*

7 Dixi 2. *ex delicto verborum, scriptorum, aut factorum*, hæc enim bene intellecta inferunt Hæresim contra sic male agentem. Hi autem tres actus communi vocabulo appellantur *Indicia*, eo quòd indicant Hæresim.

8 Dixi 3. *Contrariante*, quia si delictum aliquo modo non aduersatur Fidei, nequit inducere potest Suspicionem Hæresis; e. g. occisio inimici, vel alterius hominis non potest inferre suspicionem Hęresis, quia nullo modo contrariatur Fidei. Quare verba, scripta, vel facta debent esse vniuoca, clara, & taliter specifica, vt ex illis inferri possit Suspicio hęresis; non dubia, non æquiuoca, non incerta quæ possint habere plures sensus, bonum scilicet, & malum, *ex allatis à Farinac. q. 187. num. 22.*

9 Dixi 4. *Contrariante explicitè, vel implicitè*. Expresè contrariatur Fidei omnis propositio hæretica, vnde blasphemans hæreticaliter suspectus est de Fide, quòd male sentiat de diuinis perfectionibus. Implicitè contrariatur Fidei, qui abutitur Sacramentis, qui vtitur Astrologià iudiciarià, qui facit Sortilegia. Ita *Petrus de Soto de Proposit. haret. Corduba lib. 1. q. 17. §. 7. Vers. sequitur, ex illis Thomas Hurtadus Clericus Minor p. 1. Resol. Moral. tract. 5. cap. 1. num. 14.*

Quæritur 2. Quotuplex sit Suspicio Hæresis?

℞. Triplex, Leuis, Vehemens, & Violenta. De leui, quæ & modica dicitur, fit mentio *in cap. Accusatus* 8 §. 1. *de haret. in 6.* De Vehementi ibidem appellatà magnà, *& in cap Litteras 14. de præsumpt.* De Violentà dicta maximà in dicto cap. 8. fit etiam mentio in cap. *cum contumacia 7 eodem in 6. & in cap. contra 13. eod. in 6.* 10

Quæritur 3. Quid sit Leuis Suspicio hęresis?

Respondent communiter omnes, quòd illa est leuis, quæ raro, seu casu oritur ex delicto, à quo consequentia deducta est leuis, quæ proinde non debet mouere animum Consultoris ad suspicandum tam graue crimen Hæresis, *Pegna part. 2. Direct. com. 80. Vers. Prima*; dat hoc exemplum. Petrus frequenter deierat, ergo non bene credit in Deum. Debilis est hæc consequentia. *Locatus V. Suspicio num. 2. & multi alij cum Farinac. q. 187. à num. 24.* reddunt rationem, cur vocetur leuis; excludunt autem temeritatem, & improbabilitatem ab eà, & dicunt appellari leuem ex pluribus motiuis, vel quia oritur ex leuibus Indicijs, vel quia debilis est ad inferendam Hæresim, vel quia eam raro inducit, vel quia casu eam infert, vel quia tollitur per quamlibet defensionem. 11

Hæc mihi non placent, nec Carenæ viro in hac materia valde erudito, qui *part. 2. tit. 7. num. 66.* ait, à prædictis non appellari leuem in se, sed relatiuè ad vehementem, & Violentam, sicut percussio Clerici dicta leuis in ordine ad grauem, seu enormem, quæ tamen in se spectata non leuis, sed grauis est, cum sit iniectio manuum violentarum in Ecclesiasticum suadente diabolo, *cap. Si quis 29. 17. q. 4.* Ita Suspicio, leuis non est in se considerata, sed grauis cum oriatur à delicto graui, quòd contrariatur misterijs Fidei? 12

Confirmatur id ex praxi Hispaniæ Inquisitionis, quæ leuem Suspicionem deducit ex delictis Poligamiæ, Solicitationis in confessione, Celebrationis, & Absolutionis non existentium Sacerdotum. Videtur ergo ex his Suspicionem non bene dici leuem ex allatis motiuis tamquam debilibus. Insuper, si debilia sunt Indicia, ergo nec leuem possunt inducere suspicionem, vnde alio modo videtur definienda leuis suspicio. De prædicta autem leui Suspicione agunt *Farinac. q. 187. §. 2 à num. 24. Direct. part. 2. q. 55. ibidem Pegna com. 80. vers. Prima. Albergbinus cap. 15. dal Bene part. 1. dub. 166. Salelles Reg. 101. num. 163. Castropal. tract. 4. disp. 7. p. 1. initio, Sousa lib. 1. cap. 10. Ricciul. lib. 5 cap. 11. num. 5. Ego cap. 10. num. 32.*

32. *alios secutus*, *Albertinus de agnosc. assert. Catolic. q. 34. num. 46.*

13 Ego autem definio Suspicionem leuem eam esse, quæ oritur ex delictis, in quibus non admiscentur Sacramenta, nec sacramentalia, nec pactum dæmonis expressum, licet adsit tacitum. Do exemplum in blasphemante extra consuetudinem hæreticaliter, is enim est suspectus de Hæresi solùm leuiter, *Carena part. 2. tit. 7. num. 20.*

Super hanc quæstionem de leui Suspicione oriuntur sequentia dubia. ***Primum***, An hæc Suspicio inducta sit à Iure, an tantùm ab homine? ***Secundum***, an sit denuntiandus? ***Tertium***, an carcerandus? ***Quartum***, an examinandus? ***Quintum***, an si neget delictum, sit torquendus pro eruendà veritate? ***Sextum***, si illud fateatur, vel sit conuictus, debeat torqueri super Intentione? ***Septimum***, an cogendus ad Abiurationem, & qualem, an leuem, an vehementem? secretò, an publicè? ***Octauum***, quibus pœnis puniendus? ***Nonum***, an sit prohibitus vsu Sacramentorum, & Promotione.

14 Primò respondetur, Suspicionem leuem esse ex dispositione Iuris, & non ex placito hominum, nam contra Sortilegos, quorum Sortilegium non sapiebat manifestam Hæresim, Iudices Sanctæ Fidei olim non procedebant, vt expressè dicitur *in cap. Accu-*
15 *satus 8. vers. Sane de haret. in 6.* Sixtus verò *V.* eosdem subiectos decreuit, esto eorum diuinationes, & Sortilegia manifestam non saperent Hæresim, in sua Bulla 17. incip. *Cœli, & terra*. Diuinationes autem, & Sortilegia sapientia manifestam Hæresim arguunt vehementem, aut violentam Suspicionem Hæresis, ergo si careant illa manifestatione inferunt tantùm Suspicionem leuem Hæresis, ergo leuis suspicio dicitur inducta à Iure locis citatis. Confirmatur, quia delicta inferentia Suspicionem simpliciter exprimuntur in Iure, ergo & Suspicio omnis pendet à Iure, ac proinde etiam leuis.

16 Secundò respondetur leuiter suspectum de Fide esse denuntiandum, vt colligitur ex Edicto S. Officij, ibi: *Che siano Heretici, ò sospetti, ò diffamati d'Heresia &c.* Non enim limitatur ibi verbum *Sospetti*, quòd genus est ad triplicem eius speciem, inter quas est *leuis*, ergo de hac etiam prædicatur genus *Suspicio*. Et ne quis deinceps possit dubitari id expressè docet Alexander VII. in suâ Bullà incip. *Licet alias* extensa per Dal Bene tom. 2. fol. 657. ibi: *Hæreticos, vel de Hæresi quomodocunque etiam leuiter suspectos deferant, & iudicialiter denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs*. Et ita tenendum est, cum lex clarè loquatur. Ita multis citatis *Lezana V. Hæresis num. 3.*

71 Tertiò respondetur, esse carcerandum, primò, si timeatur fuga, super qua Iudex informatus, potest procedere ad Censuram, *Carena part. 3. tit. 2. num. 21. Salleles lib. 2. cap. 7. initio, & num. 32. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 6. alios citat Farinac. q. 185. num. 7. & q. 27. num. 115.* dixerat apud dictum Sallelem num. 32. posse Iudicem in criminalibus quandocunque causam inchoare à capturà, etiam nullis præcedentibus indicijs; & 18
id valdè probabile est, quia periculum est in morà, & dum Iudex informatur, facilè reus potest deuenire in cognitionem, & fugam arripere, eludendo Iustitiam, positâ ergo querelà, deueniri potest ad capturam. Nec obstat axioma: ***A capturà incohoandum non est ex l. Nullus 2 C. de exhibend.*** reis, explicatur enim in sequenti Lege, nisi de mandato Iudicis; vel dic nisi fuga timeatur. ***Secundò*** si non est periculum fugæ non debet carcerari, nisi prius semiplenè delicto probato; 19
vt si carceratus neget delictum, possit torqueri ad eruendam veritatem, ita *Cantera cap. 1. de probat. in Rubr. de indic. num. 60. Genuensis cap. 68. secunda impres. & cap. 84. prima Diana part. 4. tract. 8 resol. 11. Sousa lib. 2. cap. 26 num. 10. Carena part. 3. tit. 2. num. 24. vbi num. 25.* si Persona est optimæ famæ, & insignis nobilitatis, maiora requiruntur Indicia, *ex Royas part. 2. Assert. 1. num. 22. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 11. Farinac. q. 181. num. 7.* 20

Quartò respondetur, esse examinandum, nam cum sit carcerati delictum semiplenè probatum, Ius habet Iudex interrogandi eum, vt respondeat sibi obiectis. Est communis apud *Farinac. q. 185. num. 54. & seq. Royas q. 2. num. 20. Castropal. tract. 4. disp. 7. part. 1. num. 7. Pegna part. 2. com. 12. vers. Cæterum, & com. 80. vers. Atque ita crederem. Decian. lib. 5. cap. 20. num. 21. & cap. 35. num. 20. Dal Bene part. 1. Dubitat. 168. num. 2* Distinguentes inter Personam vilem, & nobilem, probam, & improbam, vt vir probus non carceretur, neque proinde ex leuibus coniecturis contra eum inquiratur. Sed meo iudicio, nulla est facienda distinctio inter nobilem, & ignobilem, quando constat de delicto de Iure inferente Suspicionem Hæresis leuem, aliter abutentes Sacramentis, vt plurimùm euaderent ab his in graue præiudicium, & perniciem Fidei catolicæ; hi enim in Hispanijs dicuntur *leuiter suspecti*, ergo contra eos non esset procedendum, quod non est dicendum tamquam Absurdum. 21

22 Quintò respondetur, esse torquendum pro eruendà veritate, si negat delictum legitimè semiplenè probatum, iuxta quod dicam de torturà Reis danda. Ita *Royas part. 2. de Hæresi num. 404. Carena part. 2. tit. 7. num. 66. Vers. Hoc supposito, Castropal. tract. 4. disp. 7. p. 1. num. 7.*

Sextò respondetur Suspectum leuiter de Hæresi, 23

Hæresi, siue confessum, siue conuictum non
esse torquendum super Intentione, Tum
quia pro leui Suspicione nemo est torquen-
dus, *Farin. q.* 185. *num.* 141. *Genuens. cap.*
68. *num.* 8. *Pegna p.* 3. *com.* 110. *vers. Ex le-*
uibus. Tortura enim est grauis pœna, infe-
rens damnum irreparabile, vnde requirit
vehementia, aut violenta Indicia, *Pegna*
24 *ibidem Vers. Cognitis*. Tum quia Abiuratio-
ne tollitur affatim Suspicio Hæresis leuis, *Ca-*
rena part. 2. *tit.* 7. *num.* 66. *vers. Si verò*, er-
go non est opus Torturà, quæ si datur, tunc
non est cogendus ad abiurandum, cum eua-
nuerit Suspicio, ideo melius est cessare à Tor-
turà, vt locus sit Abiurationi.

Et ex his tollitur altercatio inter Docto-
25 res, alijs negantibus Torturam esse dandam
Reis leuiter suspectis de Hæresi, alijs affir-
mantibus, quos refert *Castropal tract.* 4.
disp. 7. *p.* 1. *num.* 5. *& 6. & Carena cit. num.*
64. vbi Campanilis, & Acugna volunt su-
spectum de leui nullo modo esse torquen-
dum, quia leuia Indicia vix sufficiunt ad in-
terrogandum Reum, tamen per ea non po-
test deueniri ad carcerationem, ergo multò
minus ad Torturam.

26 Constat ergo ex dictis, Torturam relatam
ad delictum inferens Suspicionem Hæresis,
dari posse Reo neganti delictum semiplenè
probatum, vt dictum fuit, non enim delic-
tum in se spectatum est leue, sed graue, ex
probatis, ac proinde sufficiens ad Tortu-
ram; si vero Torturam referamus ad inten-
tionem, tunc non est Reus negans prauam
intentionem torquendus, cum delictum eam
inferens sit leue indicium, quod sola Abiu-
ratione potest auferri, & sic euanescit suspi-
cio, vt superius dictum fuit. Delictum ergo
in se spectatum respicit Veritatem eruen-
dam per Torturam, si illud negetur; rela-
tum verò ad Suspicionem Hæresis indicium
est leue, ac proinde insufficiens ad Tortu-
ram.

27 Septimo respondetur, cogendum esse ad
abiurandum leuiter, quia Abiuratio regu-
latur à Suspicione, qualis ergo est Suspicio,
28 talis, quoque debet esse Abiuratio, vt pœna
correspondeat culpæ. Ita omnes, *Direct.*
part. 2. *q.* 55. *num.* 9. *&* 10. *ibi Pegna vers.*
Et vbi quis. *Farin. q.* 187. *num* 31. *de Lugo*
disp. 25. *de Fide num.* 27 *Castropal. tract.* 4.
disp. 7. *part.* 1. *num.* 8. *Decianus lib.* 5. *cap.*
47. *num.* 2. *Dal Bene part.* 1 *Dub.* 168 *num.*
10. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 5. Qui cum
Candido *in Compend. Disquis.* 56. *art.* 32.
num. 29. dicit, Relapsum in Hæresim prop-
ter leuem Suspicionem propriè non esse Re-
lapsum, ac proinde neque de vehementi ab-
29 iurare, *Barb. ad cap. Accusatus num.* 5. Hæc
autem Abiuratio, cum procedat à leui Sus-
picione, fit secretò ità docent *Royas sing.* 1.
num. 26. *Genuens. cap.* 68. *num.* 9. *Farinac.*
q. 194. *num.* 10. *Carena part.* 3. *tit.* 12. *num.*
28.

Octauo respondetur, suspectum de Hæ- 30
resi leuiter non esse puniendum pœnis Hæ-
reticorum, cum non sit formaliter probatus
Hæreticus, sed tantùm condemnandum pœ-
nis conuenientibus delicto, super quo fuit
confessus, vel legitimè conuictus, vt expres-
sè dicitur *in cap. Accusatus* 8. §. 1. *de Haret.*
in 6. *Direct. part* 2. *q* 55. *num.* 2. *Farinac.*
q. 187. *num.* 26 *Royas part.* 1. *Assert* 6. *num.*
148. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *nu.*
4. *&* 9. *de Lugo disp.* 25. *de Fide num.* 26.
Pœnæ autem sunt fustigationis, carceris,
triremium, vel Pœnitentiæ salutares &c.
attentà grauitate delicti, & conditione per-
sonæ. Ita *Castropal. cit. num* 9. *Dal Bene*
part. 1. *dub.* 168. *num.* 12. Intellige in His-
panijs; in Italià puniuntur pœnitentijs sa-
lutaribus, cum in illis partibus velint delicta,
quæ apud nos inferunt grauem Suspicio-
nem apud illos solùm leuem, vt patet ex di-
ctis hic sub num. 12. & Farin. q. 187. num. 33.
loquitur tantùm de pœnis salutaribus.

Nono respondetur, eum, qui abiurauit 31
de leui non prohiberi audire confessiones, &
exercere Ordines, & alia Sacramenta admi-
nistrare, quia nullibi talis prohibitio reperi-
tur; vnde respondit Sacra Congregatio hu-
ius S. Tribunalis die 6. Martij 1596. à præ-
dictis non prohiberi. Neque hoc prohibet
Decretum eiusdem emanatum 1. Octobris
1626. in hæc verba.

Sanctissimus D. N. iustis de causis ani- 32
mum suum mouentibus, decreuit, & statuit,
vt imposterum Regulares omnes cuiusuis
Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti,
quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Offi-
cium spectantibus, pœnitentiæ genus ali-
quod impositum fuerit, salutaribus pœni-
tentijs exceptis, eo ipso ad omnes Religio-
nis suæ gradus, & officia inhabiles censean-
tur; & deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus
expleuerint, vel gratiam receperint, ad illa
tamen promoueri nullatenus possint, nisi
prius obtentà à S. D. N. vel ab hac Sacrà
Congregatione coram Sanctissimo habendà
speciali, & expressà rehabilitationis Gratià.
Aliàs promotio quælibet nulla sit, & promo-
uentes ipsi priuationem suorum Officiorum,
ac propterea vocis actiuæ, & passiuæ ipso
facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eo-
dem S. D. N. vel ab eadem S. Congr. coram
Sanctissimo habendà, non possint. Præsens
autem Decretum omnibus Religiosorum
superioribus intimari mandauit Sanctissimus
Dominus Noster.

Extenditur à *Diana part. 4 fine, Dal Be-*
ne part. 2. *fol.* 647. Hyeronymo Trimarcho
Ordinis Minimorum de sollicitat. Dispur. vlt. 33
sect. fin. num. 4. vbi num. 51. ait nomine
Pœnitentia salutaris venire ea, quæ extra

S iudi-

iudicialiter imponuntur, & secretò adimplentur, cum Peyrino ad constit. 9. Pauli V. extremis verbis post extensum Decretum.

Quæritur 4. Quid sit *vehemens* Suspicio Heresis? De qua fit mentio *in cap. Accusatus* 8. §. 1. *de haret. in 6. & in cap. Literas* 14. *de præsumpt.* in quibus locis appellatur *Magna*.

34 ℞. Doctores communiter eam definiunt, quòd sit illa, quæ sepè, frequenter, & vt plurimùm oritur ex Indicijs eam inferentibus. Ita cum omnibus *Farinac. q.* 187. *num.* 36. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7 *p.* 1. *num.* 2. *de Lugo disp.* 25. *de* Fide *num* 24 *Alberghinus cap.* 15. *num.* 2. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 7. *Direct. part* 2. *q.* 55. *num.* 4. *Pegna ibidem vers. Secunda.* Candidus *Disquis.* 56. *art.* 32. *num.* 3. *Salelles Reg.* 101. *num.* 165. *Lezana V. Hæresis num.* 3. *tom.* 3.

35 Ego in Sacro Tribunali cap. 10. num. 36. eosdem secutus, dixi, quòd Suspicio vehemens est illa, quæ oritur ex verbis, vel factis, ex quibus, frequenter, & vt plurimùm deducitur, eum, qui talia dicit, vel facit, esse Hæreticum. Hic verò rem clarius explico, dicendo, quòd *Suspicio vehemens est illa, quæ oritur ex delictis grauibus expressè contradicentibus Misterijs Fidei Catolicæ, præsertim consistentibus in abusu Sacramentorum, & vbi probatur pactum* Demonis *expressum, aut graue delictum sæpius commissum contrarium* Fidei *Diuinæ*. Id patebit ex dicendis in sequentibus Sectionibus; Interim

36 Propono super hanc Suspicionem sequentia dubia. *Primum*, an sit hæc Suspicionis species inducta à Iure, vel solum ab homine? *Secundum*, an admittat contra se probationem? *Tertium*, an negans delictum, & prauam intentionem sit torquendus? *Quartum*, an Tortura purget Suspicionem? *Quintum*, an abiuret de vehementi? *Sextum*, an puniatur vt Hæreticus? *Septimum*, quibus pœnis sit plectendus?

37 Primo respondetur, Suspicionem vehementem esse à Iure inductam, ac proinde dici Iuris simpliciter, qualis est ea, quæ ex efficaci signo proueniens, alio non probato, habetur pro veritate, vt ex *Alciato de Præsumpt. part.* 3. *initio, docet* Pegna *par.* 2 *com.* 80. *vers. Secunda Suspicio. Sousa lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 2. *Salleles Reg.* 101. *num.* 168.

38 Secundo respondetur, hanc Suspicionem admittere contra se probationem, accidere enim potest, quòd delictum eam inferens inuitè, & coactè factum sit, aut ab ebrio, vel ex aliâ causâ, per quam probabiliter excludi possit Suspicio Hæresis; similiter quando verbum prolatum potest habere bonum, & malum sensum, vt suis locis dicam. Ita *Royas singul.* 165. *Pegna part.* 2. *Direct. com.* 80. *vers. Secunda*, *Farinac. q.* 187. *num.* 39. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 22.

Tertio respondetur, si negat vtrunque super vtrunque est torquendus, & quidem super delictum semiplenè tamen, & legitimè probatum, iuxta dicta præcedenti quæst. 3. vers. Quinto, si enim torquetur super delicto, ex quo oritur leuis Suspicio, à fortiori, si oriatur vehemens. Super Intentione quoq; torquendus est, si conuictus, vel confessus sit delictum inferens vehementem Suspicionem, Iudex enim Ius habet torquendi illum, dum tale Indicium in eo delicto mouet prudenter animum Iudicis ad credendum firmiter eum esse Hæreticum. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 59. *vers. Quod si, & part.* 3. *com.* 110. *vers. Ad hæc*, *Farinac. q.* 179. *num.* 54. *vers.* Vide *tamen*, *Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 106. Vide infra de Negatiuo. 39

Quarto respondetur, Torturam non purgare Suspicionem Hæresis; quia non datur in toto rigore, quia sanctum Tribunal cum istis vtitur misericordia, vnde Torturà simul cum Abiuratione elidunt suspicionem Hæresis. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 66. *vers. Secundo*. 40

Quinto respondetur, quòd non obstante Torturà, debet abiurare de vehementi, qui tortus fuit super Intentione, quia, vt supra dixi, Tortura non purgauit Suspicionem vehementem. Ita *Direct. par.* 2. *q.* 55. *num.* 12. *Farinac. q.* 187. *num* 40. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 10. *Suarez de Fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 4. *&* 5. *Decian. lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 2. *de Lugo disp.* 25. *num.* 28. *Dal Bene part* 1. *Dubit.* 169. *num.* 1. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 6. *Genuens. cap.* 68. *nu.* 8. 41

Sexto respondetur, persistens in confessione bonæ intentionis, non potest puniri pœnis Hæreticorum, quia aliud est, esse Hæreticum, aliud esse de Hæresi suspectum. Ita *Farinac. q.* 187. *num.* 38. 40. *&* 42. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 21. 42

Septimo respondetur suspectum vehementer de Hæresi puniri pœnis extraordinarijs, & arbitrarijs, quæ sunt fustigationis, exilij, triremium, carceris &c. Ita omnes *cum Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 10. *Farinac. q.* 187. *num.* 42. *Menoch. lib.* 1. *q.* 100. *num.* 11. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 23. *Dal Bene part.* 1. *Dubit.* 169. *num.* 2. 43

Quæritur 5. Quid sit violenta Suspicio Hæresis?

℞. Est illa, quæ oritur ex verbis, vel factis, ex quibus semper colligitur, quòd illa faciens, vel dicens præsumitur Hæreticus, ex eo quòd habent necessariam connexionem cum Hæresi, adeo quòd ita mouent Consultorem, & Iudicem, vt aliter sentire non valeat, ita colligitur *ex cap. Excommunicamus* 13. §. *Qui autem, de Haret. cap. Quicun.* 44

cunque 2. *cap. Filij* 3. *cap. Cum contumacia* 7. *cap. Contra Christianos* 13. *eod. in* 6. Et ita docent *Director. part.* 2. *q.* 55. *num.* 6. *ibi* Pegna *vers. Tertia, Castropal. tract.* 4 *disp.* 7. *part.* 1. *num.* 3. *de* Lugo *disp.* 25. *num.* 22. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 3. *Hurtadus tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 24. Sousa *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. *Farinac. q.* 187. *num.* 45. Dal *Bene part.* 1. *dub.* 166. *num.* 10. *Lezana V. Hæresis num.* 3. Qui addunt *ferè semper*, vel *non semper*, vel *sæpissimè*, vt videri potest apud Farinac. cit. num. 45. Quod mihi non placet, quia Indicium iuridicum ex se semper infert Suspicionem, sic enim expedit, & ratio suadet in omnibus Indicijs, quæ à sacris Canonibus, & Bullis Pontificijs ponuntur, ne Indicia, quæ debent esse certa, remaneant incerta, & æquiuoca, ex quibus nihil certi colligi potest.

45 Super eam propono sequentia dubia. *Primum*, an hæc Suspicio sit Iuris de Iure? *Secundum*, an contra se admittat probationem? *Tertium*, an in modo procedendi sit differentia inter ipsam, & præcedentem de vehementi. *Quartum*, an torqueatur super delictum ab eo negatum? *Quintum*, an torqueatur super Intentione? *Sextum*, an debeat cogi ad abiurationem violentam. *Septimum*, quibus pœnis sit expediendus? *Octauum*, an Hæreticus præsumptus negatiuus sit torquendus.

46 Primo respondetur, hanc Suspicionem esse Iuris de Iure, *Pegna part.* 2. *com.* 80. *vers. Est autem*. *Salleles Reg.* 101. *num.* 173. *Farinac. q.* 187. *num.* 48. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 12. *Ricciul. lib.* 5. *num.* 27. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 4. *Sousa lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 7.

47 Secundo respondetur, Suspicionem violentam non admittere contra se directam probationem, quia cum ab Indicijs indubitatis oriatur, pro manifestâ Veritate habetur, *cap.* 2. *de præsumpt.* vbi, quòd Iudex potest ferre Sententiam definitiuam ex præsumptione vehementissimâ, hoc est violentâ.

48 Confirmatur, quia præsumptio Iuris de Iure, non admittit contra se probationem directam, cum præsumptio hæc dicatur vera, propria, & manifesta Probatio, *Iason in l. Imperator ff. de legat.* 1. *num.* 13. *Decius in Rubr. de Probat. num.* 17. *cum alijs Gratian. cap.* 694. *num.* 22. Æquipollet plenæ probationi, immo liquidissimæ, *Rota part.* 9. *dec.* 175. *num.* 47. *Sperellus decis.* 27. *num.* 60. *&* *decis.* 174. *num.* 52. Sed hæc est Iuris de Iure, ex responsione ad primum dubium, ergo
49 non admittit probationem directam; sed tantùm, indirectam, quæ in eo consistit, quòd quærelatus potest probare depositiones Testium esse falsas, vel Indicia nullius esse momenti. Et ita docent *Pegna part.* 2. *Direct. com.* 80 *vers. Nec contra*, *Farinac. q.* 187. *num.* 50. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *num.* 12. Alberghinus cap. 15. num. 4. *Dal Bene part.* 1. *Dub.* 170. *num.* 4. Royas singul. 165. vbi admittit simpliciter probationē contra præsumptionem Iuris de Iure; potest interpretari de indirectâ.

Tertio respondetur, in modo procedendi, & consulendi non esse differentiam inter Suspicionem violentam, & vehementem, vt seruat praxis Tribunalium Ita *Farinac. q.* 187. *num.* 51. *Genuens. cap.* 68. *num.* 8. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 30. 50

Ad Quartū responsio deducitur ex Tertio, si enim suspectus de Hæresi violenter debet tractari sicut suspectus vehementer, dicendum est, hunc negantem delictum esse torturandum ad eruendam veritatem, pariter super Intentione, & debere de vehementi abiurare, iuxta dicta præcedenti quæstione sub num. 39. Et sic patet etiam ad Quintum, & Sextum. 51

Septimo respondetur, taliter suspectum de Hæresi puniendum esse eisdem pœnis, quibus plectuntur vehementer suspecti, sed grauiùs, si grauiora sunt delicta suspicionem violentam inferentia. 52

Numquid condemnari potest ad mortem conuictus legitimè violentissimis præsumptionibus? Vtique, si nolit abiurare, quia in tali casu habetur pro formali Hæretico, & qui non vult abiurare impœnitens est, signum euidens, quòd discredit, & cum hac limitatione transit *Direct. part.* 2. *q.* 55. *num.* 10. *ibi Pegna V. Violenta, alijs citatis*, *Decian. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 23. *cum alijs Farinac. q.* 53
187. *num.* 46. In his enim violentissimis præsumptionibus venitur ad condemnationem etiam pœnæ corporalis, & capitalis, *Menoch. de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 41. *num.* 3. *&* 4. *Farinac. q.* 136. *num.* 24. *&* 53. *Buccaronus de different. inter Iudicia ciuilia, & crimin. Differ.* 133. *num.* 10. 54

Octauo respondetur, Hæreticum negatiuum, qualis est Ille, qui non obstante, quòd Testes legitimi, & integri probauerint, ipsum discredidisse, nihilominus persistit in negatiuâ, quòd non discrediderit, protestando se credere, & semper credidisse, quod docet Sancta Mater Ecclesia, non esse torturandum, cum veritas sufficiens habeatur de eius errore; vnde *Carena part.* 3. *tit.* 10 §. 24. *ante num.* 180. dicit, fatuum esse, qui reum conuictum torquet, non obstante Clausulâ *Citra præiudicium probatorum*. Ita docent *Simancb. de Instit. Catol. cap.* 13. *num.* 13. *&* 17. *Royas par.* 1. *num.* 184. *cum eis Farinac. q.* 179. *num.* 60. Qui cum alijs præcedenti num. 54. dixerat, cum, qui fecit ritus, & cæremonias hæreticales, non excusari, asserentem se non habuisse prauam Intentionem, sed hac qualitate reiectâ, esse 55

puniendum vt Hæreticum. Ego in hoc posteriori casu dicerem esse admittendum ad Torturam, si se excusat probando se id fecisse metu Mortis &c.

56 Sed quid dicendum, si in primo casu admittatur ad Torturam? Dico, tortum persistentem in suâ negatiuâ, non posse condemnari ad pœnam ordinariam, quia in aliquo debet ei prodesse Tortura, cum sit species

57 probationis, *ex allegatis à Giurba consil. 43. num. 9. & 30.* Carena loco citato, qui cum eis dicit, eam clausul. *Citra præiudicium probatorum* non prodesse, quia ea protestatio est contraria facto, quando reus in Torturâ interrogatur de ijs, super quæ est conuictus, *ex allegatis à Giurba cit. num.* 9. Et dixi cap. 35. num. 54.

58 Quid si neget delictum, paratus tamen facere quicquid illi imposuerit Iudex, protestando, quòd si præcipiat illi Abiurationem, abiurabit quidem, sed citrà præiudicium negatorum?

Dico, quòd illi non proderit talis protestatio, sed saltem indirectè fatebitur suum errorem, tum quia Abiuratio habet pro obiecto errorem Hęreticum ab abiurante commissum; tum quia factum Abiurationis elidit clausulam protestatiuam, sibi oppositam, cum non possint ambo stare simul. Quare cum sit legitimè conuictus puniendus, est, & nullatenus admittendus ad Torturam, nec ad eam Abiurationem, cum per eam intendat fugere pœnam ordinariam.

Quæres 6. An vnaquæque ex dictis Suspicionibus, Leui, Vehementi, & Violentâ habeat latitudinem secundùm magis, & minus, intra suam speciem? Dico intra suam speciem, quia certum est, maiorem esse Violentam reliquis duabus, & Vehementē maiorem Leui.

59 ℞. Sic, quod probatur ratione philosophicâ, nam qualitas intenditur, & suscipit magis, & minus, vt notum est, & sic habet latitudinem; sed suspicio est qualitas, ergo habet latitudinem. Confirmatur exemplificando in delictis inferentibus Suspicionem, nam quò ad Suspicionem leuem; minus est suspectus de Hæresi, qui blasphemauit semel Hæreticaliter; magis verò, qui blasphemauit ter, aut quater, & non ex habitu; est suspectus solùm leuiter, *Carena par. 2. tit. 7. nu. 20. Genuens. cap. 18 num. 11.* De hac latitudine, *Salelles Reg. 101. num. 164.* Quò ad vehementem, minus suspectus est solicitans verbo; magis verò si facto solicitet Fœminas in actu Confessionis; talis enim est vehementer suspectus de Hæresi, *Genuens. cap. 66. num. 2. Albergbinus cap. 31. §. 2. num. 3.* De hac latitudine idem *Salelles num. 172.* Quò ad violentam, minus est suspectus vtens vestibus Sacerdotis Idolorum; magis verò flectens genua; & multò magis incens sans Idolum. De hac latitudine idem Salelles num. 174.

Quæritur 7. An vna species Suspicionis transeat in aliam?

℞. Negatiuè, vna enim specificata in suo esse; non potest suam mutare naturam, nisi desinendo esse; sicut enim peccatum veniale iam commissum, & specificatum non potest fieri, & transire in mortale, cum sint illorum naturæ diuersæ in vnum non coeuntes ex eorum oppositione, ita neque leuis Suspicio iam constituta potest transire in vehementem, nec vehemens in violentam. 60

Dices, contrarium habetur *ex cap. cum contumacia 7. de haret. in 6.* vbi quòd contumacia facit vehementem Suspicionem transire in violentam in eo, qui excommunicatus propter contumaciam citatus ad respondendum de Fide, super qua erat suspectus, aufugit, & in Excommunicatione per annum permansit obstinatè non respondendo, per hoc illa vehemens Suspicio transiuit in violentam, vt ibidem notatur in casu, & à Gloss. V. vehementem, & violenta, non vehemens inducit condemnationem in contumacem, vt Hæreticum *Secundo* ex eodem Indicio hodie infero Suspicionem leuem, quam cras facio transire in vehementem, ergo in his concedendus est transitus, & sic de vnâ specie ad aliam. *Tertiò,* ex eodem Indicio vnus deducit Suspicionem leuem, alter grauem, nam Hispani Consultores ex abusu Sacramentorum, inferunt leuem Suspicionem, Itali vehementem, ergo vna transit in aliam.

℞. Vnam reuera non transire in aliam, sed remanere diuersas, vel saltem priorem desinere esse, & aliam excitari ex rationibus, & motiuis superuenientibus. *Ad primum* dico, eas Suspiciones esse reuerà diuersas in se ipsis, nam Vehemens oritur ex facto, vel verbo, seu delicto inferente illam; Violenta verò ex illa contumaciâ perseuerantis in Excommunicatione, nolentis respondere de Fide, & certe non datur transitus, cum condemnatio, vt dicit Gloss. citata prouenjat ex violentâ Suspicione, non ex vehementi, ergo sunt duæ permanentes, ac proinde vna non transit in aliam, non obstante, quòd Glos. in casu, & V. Vehementem vtatur verbo *Transire* nam illud verbum *transire,* vel importat productionem alterius Suspicionis, vel Glos. respexit magis ad effectum condemnationis, quàm ad substantiam vtriusque Suspicionis, nam vtraque Suspicio cooperatur ad condemnationem, vehemens dispositiuè, violenta principaliter, & terminatiuè. Et quòd vna Suspicio non transeat in aliam textus dicti capitis clarè dicit sic incipiens: *Cum contumacia in causâ præsertim Fidei Suspicioni præsumptionem adijciat vehementem,* non transit ergo, sed illi adijciatur, & ibi 61 62

ibi nomine Suspicionis intelligitur leuis, non vehemens, quia idem sibi ipsi, non ad-
63 ijcitur. *Ad secundum* dico, non transire, sed priorem desinere esse, & vehementem excitari ex meliori consideratione eiusdem motiui. *Ad tertium*, quamuis sit idem motiuum materialiter acceptum non tamen si accipiatur formaliter, & alijs adiunctis; & ideo non possunt in vnum coire, sed vnaquaque manet sub sua specie, immo hoc probat ipsa obiectio, cum Hispani, & Itali procedant per diuersa motiua, vt infra dicam sub q. 12. Sed hæc satis, quia ad praxim non conducunt.

64 Quæritur 8. An vna Suspicio oriatur ex alia Hæresis suspicione? Videtur, quòd non ex illo axiomate, quòd præsumptionis non datur præsumptio, ne detur processus in infinitum, deducunt *ex l.* 1. *C. de dotis prom. Farinac. consf.* 55. *num.* 25. *consil.* 114. *num.* 40. quia qualitas, cuiusmodi est Suspicio, non potest subsistere sine subiecto, ergo nec vna Suspicio in alia. In casu nostro idem est Suspicio, & præsumptio, vt notum est.

65 ℟. Vna Suspicio Hæresis oritur ex aliâ, quando ea venit in consequentiam, vt docet *Barb. in l. Si is, qui pro tempore, de Vsucapt num.* 71. *Bald. in l.* 1. *C. quando liceat ab empt. disced in fine*, Paulus Rubeus *part.* 3 *decis.* 12. *in Annotat num.* 5. *Rota part* 5. *dec.* 52. *num.* 6. *ex l Si is qui pro emptore ff. de vsucapt. Rota part.* 1 *decis.* 319. *num* 5 *& part* 6. *decis.* 226. *num* 9. *part* 9. *dec.* 40 *num.* 27 *&* 28. *Seraphin. dec.* 1042. *num* 4. dicit, quod non inducuntur duæ præsumptiones, actus scilicet gesti, & solemnitatis, quando actus, super quo fundatur præsumptio solemnitatis, non est plenè probatus, sed præsumptiuè tantùm, tunc enim non datur multiplicatio solemnitatis etiam extrinsecæ, *ex Alexand. lib.* 5. *consf.* 50. *num.* 7. *Ruino lib.* 4. *consf.* 29. *num.* 4. *ex illis* Rota *part.* 8. *dec.* 256. *num.* 12 *&* 13.

66 Ad rem nostram, Suspicio in causis S. Officij oritur ex Suspicione probato Indicio causante Suspicionem, vt patet, nam omittens
67 denuntiare non solùm Hæreticum, sed etiam suspectum de Hæresi, euadit suspectus de hæresi, ergo Suspicio Hæresis denuntiare omittentis causatur a Suspicione denuntiandi, qui est suspectus de Hæresi; necesse est tamen, quòd probatum sit Indicium suspecti de fide denunciati, & hoc colligitur ex doctrinâ traditâ *à Serafino dicta dec.* 1042. in aliâ simili materiâ de præsumptionibus. Vide quòd dixi cap. 10. q. 25. num. 96. & corrige ibi dicta, & emenda errores Impressoris, ibi *Cui tantùm fuit* lege *fauit*, sub num. 98. & in fine: *in fauente suspectum taliter probatum* lege *suspecto probato*. Præterea dele hæc verba: *Vtique verò præsumptio procedit à presuptione simpliciter acceptâ*, quæ superfluunt. Vbi idem collegi *ex cap. cum contumacia de Hæret.* Et ex his patet ad rationem dubitandi. Et in his terminis loquitur etiam *Carena part.* 3. *tit.* 12. *num.* 19. *&* 20. quòd Suspicio non oritur ex alia Suspicione, nisi probato delicto eam inducente.

Produco aliud exemplum in baptizante Magnetem, ex hoc enim casu sunt duæ Suspiciones, quarum vna oritur ex alterâ, nam Baptizans est suspectus Hæresis, cum præsumatur credere esse licitum Baptizare Magnetem, & hoc probato delicto, ex priori Suspicione oritur secunda, quòd sit suspectus de Sortilegio, ad hunc enim finem Magnes Baptizari præsumitur. 68

Quæritur 9. An ex duabus leuibus Suspicionibus oriatur Vehemens? Ex duabus verò vehementibus Violenta.

℟. Affirmatiuè, quia plus operari debent simul quàm singulæ seorsim acceptæ ergo inducunt vehementem, *Locatus V. Abiuratio num.* 1. *& V. Suspicio num.* 18. vbi deducit, eum, qui bis fuit suspectus de leui, & primò abiurauit de leui, debere secundò abiurare de vehementi, ex hac ratione, quia ex duabus Suspicionibus de leui oritur vna vehemens. Hæc opinio de Abiuratione videtur dura Farinac. q. 195. num. 24. in ordine ad relapsum, sed eam non mollit. Sicut ergo duæ leues producunt Vehementem, ita duæ vehementes vnã Violentam. *ex eodem Locato V. Relapsi num* 7. *Menoch. lib* 1. *de præsumpt. q.* 100 *num.* 14. *ex illis Farinac. q.* 195 *num.* 25. Et vtrunq; vlterius probatur, quia præsumptiones plures faciunt plenam probationem, quando tendunt ad eundem finem, *Rota p.* 1. *dec.* 434. *num.* 11. immo oritur plenissima probatio, *Bald lib.* 3. *consil.* 3. *num* 4. *Socinus iunior lib.* 2. *consf.* 32. *num.* 24. *consil.* 39. *num.* 14. *Ciriacus contr.* 291. *num.* 21. *Rota par.* 9. *dec.* 152. *num.* 12. Etiam si probatio resultet in graue damnum ex eisdem, & Rota Bichij apud Gratium Contrium I. C. Ferrariensem extendentem Bichij *decis sub num* 92. *num* 4. 69 70

Confirmatur, quia præsumptio Iuris æquiualet plenæ probationi, quinimmo liquidissimæ, *ex allegatis à Rota part.* 9. *decis.* 175 *n.* 47. Sed hic agimus de præsumptionibus Iuris, cuiusmodi sunt suspiciones Iuris, ergo hanc vim habent, vt leues inferant Vehementem, & vehementes inducant Violentam. 71

Quæritur 10. An hæ Iuris Suspiciones Hæresis tolli possint, & elidi per alias præsumptiones siue Iuris, siue hominis? Et videtur, quòd sic, quia vna præsumptio tollitur per aliam sibi contrariam, ex adductis *à Rota part.* 2. *dec.* 92 *num* 4. â fortiori per plures, *dec.* 507. *num.* 12. Fortior enim vincit debiliores, *Part.* 3. *dec.* 706. *num.* 20. *part.* 4. *tom.* 2 *dec.* 195. *num.* 20. Per vehementiorem excluditur, *ibidem decis.* 140 *num.* 8 *part.* 5. *dec.* 409. *num.* 24. *dec.* 201. *num.* 44. *dec.* 258. *num.* 20. 72

℟. Suf-

℞. Suspicione Hæresis elidi non possunt per alias Iuris præsumptiones, quia Ius Iuri non contrariatur, *cap. cum expediat 29. de elect. in 6.* Multò minus per Hominis præ-
73 sumptiones, quæ debiles sunt, & nihil possunt contra Iuris dispositionem. Indirectè verò euanescunt, quando per Testes probatur, non existere delictum, de quo quis querelatus fuit, iuxta quod dixi de probatione hic q.5. Vers. Secundo. Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam verùm est, quòd vna præsumptio tollitur per aliam, loquendo de præsumptionibus clarè non expressis in Lege, seu tantùm hominis præsumentis.

Quæritur 11. Quid dicendum, quando Suspicio Hæresis est dubia?

74 ℞. Resoluendum est ad fauorem Rei, iuxta regulam 11. in 6. Cum partium Iura sunt obscura, fauendum est potiùs Reo, quàm actori. Confirmatur, quia in dubio illa præsumptio est capienda, quæ dolum excludit *l. Diuus ff. de in integr. restit.* Bertazol. lib. 2. *cōs.* 251. *n.* 61. *Bursat. lib. 3 cons.* 135. *nu.* 17. *cum. alijs* Iulius Cæsar Caluinus Derthonensis in
75 suo lib. inscr. Communes in dubio Iuris conclusiones, concl. 796. Et quia dubia in meliorem partem ac benigniorem accipienda sunt *Resc.* 57. *ff. de reg. iur.* Ita Albertinus *q.* 34. *num.* 48. *Royas part.* 1. *num.* 201. Pegna ad Lucernam Inquisitorum Bernardi Comensis V. *Præsumptio, qui Vers. Non tamen*, ait, posse in dubijs quandoq; pro Hæresi præsumi, cum is, qui dubiam propositionem protulit, vel aliàs suspectus erat, vel de Prouinciâ Hæresi infectâ, & se refert ad dicta part. 3. super quæst. 62.

76 Quæritur 12. An melior sit Opinio Hispanorum affirmantium, abutentem Sacramentis esse solùm leuiter suspectum; an Italorum asserentium esse vehementer suspectum? Certum est Hispanos ita sentire, & Italos grauare Suspicionem. Ita vtrisq; citatis de Solicitatione Doctores citat *Dal Bene part. 2. dub.* 237. *sect* 20 *num.* 2. 3. & 4. De Poligamia, *dub.* 209. *num.* 7. quia in his duobus casibus præsumitur Solicitatio, & Poligamia procedere potiùs ex incentiuo libidinis, & respectu Poligamiæ etiam ex desiderio lucri dotis. Celebrantes non Sacerdotes, & absoluentes esse de Hæresi solùm leuiter suspectos, nisi sint de Prouinciâ suspectâ, idem *Dal Bene dub.* 210. *num.* 4. 6. & 11. Vide sect. 28. q. 4. vbi pluribus reiciam opinionem Hispanorum.

77 ℞. Melior est opinio Italorum. Probatur. Tum quia originem habet à fonte Officij S. Inquisitionis Vniuersalis Romanæ per vniuersum orbem. Tum quia causa finalis in omnibus est attendenda, & secundùm eam dispositio regulatur, *Bald. lib.* 1. *cons.* 115. *col.* 2. Decius *cons.* 46. *Crauetta cons.* 137. *num.* 14. *cum alijs Gratian. cap.* 558. *num.* 23. certum autem est, quòd causa finalis disponendi, ne Confessarij solicitarent ad turpia, & ne 78
nondum Sacerdotes celebrarent, & ne audirent Confessiones, ea est, & fuit, ne abuterentur Sacramentis, eisq; facerent iniuriam & vt quæ de illis sunt de Fide iam definita taliter conseruarentur, ne adesset periculum Catolicam Fidem violandi, signum euidens, quòd summi Pontifices ad sic disponendum inducti fuerunt, prudenter, arbitrantes tales Abusus futuros esse in graue præiudicium & periculum Fidem violandi, vt patet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes quòd qui de Fide catolicâ rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesiâ Dei institutis abutantur aut illis iniuriam faciant.* Pius IV. in sua 31. incip. cum sicut. Et Gregorius XIII. in sua 21. incip. *Officij nostri*, de celebrante, & confessario [illegible] verbis: *Animaduertentes, eos, qui Præsbiteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt facto catolicam veritatem impugnare.* Argumentum euidens, quòd per factum celebrationis & auditionis confessionis præsumuntur Fidem negare in his Sacramentis, non leuiter, sed grauiter, cum semper ex huiusmodi factis aliud præsumi non possit, nisi vehemens, aut etiam violenta Suspicio, quòd credant illis licere eam administrationem, taliter factam, ac proinde non solis Sacerdotibus, sed etiam alijs quibuscunque, quod est Catolicam Fidem violare, & hoc verum est non solùm respectu illorum, qui sunt de Regionibus infectis hac Hæresi, sed etiam de illis, qui extra illas Regiones sunt, quia tale factum manifestum, vt indicium Hæresis, ac proinde vehementem inducens Suspicionem in quibuscunque talia agentibus.

Confirmatur, quia huiusmodi actus semper inferunt Suspicionem Hæresis, vt colligitur ex dictis Bullis, & ex alia Gregorij XV. incip. *Vniuersis* 34. ibi: *Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, solicitando Pœnitentes ad* 79
turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem, & ex caelesti medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Item Clem. VIII. in sua incip. *Et si alias* 81. his verbis: *Non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verum etiam Christi Fideles decipere.* Cum ergo hi actibus semper Sacramento abutantur, & illius dignitatem contemnant, ac proinde sint suspecti de Hæresi, tales esse non possunt leuiter, cum leuis Suspicio oriatur rarò ex indicio eam inferente, vt ex eorum dictis, & aliorum, dictum fuit in eius definitione supra sub num. 11. Sed ex his actibus semper oritur, ergo est vehemens, immo Violenta.

Ad eorum rationem dico, non probare, 80
quia luxuria, & lucrum non sunt indicia alicuius

cuius Suspicionis Hæresis, & quia non sunt inducti à Iure, & quia aliter omnis luxuriosus, seu fur non indigens esset suspectus de Hæresi, quod nemo dicet, & tamen Hispani dicunt, tales esse suspectos, ergo debent inferre vehementer, non leuiter Hæresim; hinc oritur sequens quæstio.

Quæritur 13. An Suspicio semper oriatur à quolibet Indicio iuridico eam inferente? Videtur, quòd non, ex differentia specierum ipsius Suspicionis, nam leuis raro, vehemens sæpe, & violenta sæpissime, ergo non semper. Ex relatis hic sub. num. 11. 34. & 44.

81 ℞. Affirmatiuè Tum quia ex natura rei contrariantur catolicæ Fidei, ergo semper inferunt suspicionem Hæresis, cum sint causa in genere moris, ergo semper operantur suum effectum. Tum quia si talem non haberent necessitatem dispositā à Iure canonico super illis ad inferendum Suspicionem hæresis, remanerent incerta contra naturam Legis, quæ debet esse clara, & certa, non ob-

82 scura, neq; ambigua, *cap. fin. de const.* Tum quia Indicia non debent esse dubia, nec æquiuoca, sed certa, in productione sui effectus, *Farinac. conf. 56. num.* 13. Neque enim indicium delicti sumi potest ex actu, qui potest esse, & non esse delictum, *ex eod. consil.* 37. *num.* 20. Neque ex verbis dubijs, & obscuris, *consil. 56. num.* 14. Quare concludendum est. Indicia à iure inducta semper inferre proprium effectum, ac proinde in casu nostro, eo maximè, cum effectus Suspicionis Hæresis necessariò dependeat à delictis à Iure designatis, cum quibus habent necessariam connexionem ex illa contrarietate, quam præseferunt ipsa delicta, intercedente inter Hæresim, & Fidem. Vide supra num. 44.

83 Nec his obstat ratio dubitandi, quia Doctores communiter definientes Leuem per rarò, Vehementem per sæpius, & Violentam per sæpissimè, intelligendi sunt, quòd non semper contra querelatum infertur Suspicio Hæresis, in casu scilicet, quò affert legitimam excusationem, vt dixi supra num. 44. & dicam, vbi de Defensionibus Reorum, non verò sunt intelligendi, quòd negent hanc necessariam connexionem inter Indicium & ipsam Suspicionem, cum certum sit Indicium iuridicum quantùm est ex parte suà semper inferre suum effectum Suspicionis, non enim Iura laborant in æquiuoco. Vide sect. 59. q. 24. Vers. Ad rem nostram.

Quæritur 14. An huiusmodi Indicia iuridica sint proxima, an remota respectu ipsius Suspicionis?

84 ℞. Proxima, & immediata, cum ex illis inferatur Suspicio Hæresis nullo intermedio interiecto, in omnibus enim semper attendenda est causa proxima, *l. Vxori 14. ff. de auro, & arg. leg.*

Quæritur 15. An Suspectus de Hæresi incurrat pœnas Fautorum, de quibus in cap. Excommunicatus 13. §. Credentes de hæret. & alijs, de quibus in præced. sectione de Fautoribus?

℞. Si Suspicio oriatur ex delicto Fautoriæ est reus omnium pœnarum, quas incurrunt Fautores, iuxta dicta in præcedenti sectione & tradit *Castropal. tract. 4 disp. 7. par. 1. n.* 11. *Dal Bene Dub. 169. num.* 3. Quòd si suspicio oriatur ex alijs delictis extra Fautoriam non subditur pœnis Fautorum, vt docent præcitati. 85

Quæritur 16. An Suspectus de Hæresi sit irregularis.

℞. Suspectos ex Fautoriā esse irregulares ex dictis sect. 15. num. 83. ex præfatis Doctoribus, & deducitur ex cap. 2. de Hæret. in 6. §. Hæretici; vbi decernuntur inhabiles Hæretici, Credentes, Receptatores Defensores & Fautores hæreticorum, ipsorumq; filij vsq; ad secundam generationem, ad quodcunq; Beneficium ecclesiasticum, seu officium publicum, & attentata promotio dicitur irrita. Nihil ibi de obtentis. Aliter verò suspecti, scilicet ex alijs delictis sunt irregulares ex Infamia post condemnationem. 86

Quæritur 17. An dicta in præcedentibus 15. & 16. quæstionibus habeant locum etiam in suspectis leuiter?

℞. Negatiuè, quia nullibi reperitur, quòd leuiter suspecti sint Rei similium pœnarum; afficiuntur enim salutaribus pœnitentijs. Sermo ergo in illis est de suspectis vehementer, seu violenter. Quamuis *Castropal tract. 4. disp. 7. p. 1. num 9.* cum alijs dicit, Suspectum de leui posse condemnari, fustigatione, triremibus, & alijs pœnis; considera tu, quòd cum sit Hispanus, loquitur de more illius Regionis, tenens abusum Sacramentorum inferre suspicionem leuem. Deinde nostra responsio subsistit, quia loquimur de pœnis iuridicis, non arbitrarijs. 87

Quæres 18. An Suspecti de Hæresi sint priuati Beneficijs, & ad alia inhabiles.

℞. Suspecti vehementer de Hæresi extra Fautoriam, ex alijs delictis non sunt priuati, nec inhabiles ad Beneficia ecclesiastica, quia talis pœna contra eos non reperitur expressa in Iure. Ita multis citatis Carena *par. 2. tit. 1. num.* 148. *Ego in sacro Tribunali cap.* 12. *num.* 85. 88

Hic agendum esset de his, qui dicuntur suspecti de Hæresi, sed quoniam suspicio horum oritur ex diuersis delictis, ideo infra suis locis, cum agam de delictis inferentibus Suspicionem, constabit ex illis quinam dicantur suspecti de Hæresi, interim vide Lezanam part. 3. V. Hæresis num. 4. vbi refert plusquam triginta casus suspectorum de Hæresi.

Quæritur 19. An ad inducendam Suspicionem Hæresis supponatur in facto peccatum mortale?

℞.

Vers. quidam namque Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. num 5. Dal Bene Dub. 26 num 8.

74 Dixi 4. *Vel defendendo assertas Hæreses.* Talis defensor est formaliter Hæreticus, cum rationibus approbet falsas in se propositiones pro veris, & sic habet errorem in Intellectu contra Fidem, ac proinde est formaliter hæreticus. Iste est peior alio, qui solùm defendit Personam, quia iste vtrunq; defendit. Ita præcitati; Et ego in Sacro Tribunali *cap.* 10. *num.* 84. *&* 85.

Dixi 5. *Isti sunt notati de Hæresi* Idest,

75 qui defendit errorem hæretici est formaliter Hæreticus, vt probaui *in Dixi* 4. *Ita ibidem præcitati in* 3. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 72. *Castropal. num.* 5. *Ego cit. num.* 85. Qui verò solam defendit personam est suspectus vehementer, vel leuiter, iuxta qualitatem defensionis, à qua specificatur gradus Suspicionis. Ita *Direct par.* 2. *q.* 52. *num.* 3. *Pegna com.* 77 *Vers. Hic autem modus*, *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 73. *Dal Bene Dubit.* 26. *Corollar.* 2. *num.* 8.

Dixi 6. *Varias incurrere pœnas* Primò

76 enim sunt excommunicati in Bullà Cœnæ ibi: *Et generaliter quoslibet eorum defensores* Bonac. *hic p.* 3. *Castropal. de cens. Disput.* 3. *p.* 2. *num.* 6. Intellige intuitu Hæresis, & non ex aliâ causâ, vt superius dictum fuit, & docent citati *à* Dal Bene *Dub.* 28. *num.* 1. Alijs etiam pœnis afficiuntur, quæ exprimuntur *in cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, *de haret & in cap quicunq.* 2. *eodem in* 6. *vt dixi hic num.* 30. 39. *&* 68. explicatur id infrà sub. q. 13.

Quæritur 11. An hoc vocabulum Fautor habeat proprias actiones, per quas differat à Credentibus, Receptatoribus, & Defensoribus, nam ex titulo huius sectionis videtur colligi oppositum, nimirùm, esse genus ad prædicta.

℞. Accipi posse in genere; quatenus Fau-

77 toria est Beneficium alicui factum, & Fautor, qui Beneficium facit; ex dictis autem patet, Credentem, Receptatorem, & Defensorem benefacere suis actionibus Hæreticis. Quod si fauor, & fautor accipiantur in specie tunc est Fautor diuersus ab illis, ac proinde credens, per actum credendi; receptans, per actum occultationis, & defendens, per protectionem, ab eo sunt species diuersæ, quia fauor in specie non importat prædictos actus, sed alios, de quibus sub initium huius sectionis. Et ita est tenendum, quia præfati quatuor termini exprimuntur in dictis cap. 13. de hæret. & 2. eod. in 6. & in Bullà Cœnæ Domini, ergo necessariò dicendum est, in re esse diuersos, & vnum non esse declaratiuum alterius, cum cognoscantur diuersi sensus in eis ex diuersitate actionum. Carena par. 2. tit. 4. Sic intitolauit de Fautoribus hæreticorum, sumendo hoc nomen in genere, vt comprehendit Credentes, Receptatores, & Defensores.

Quæritur 12. An Fautores Schismaticorum incurrant pœnas, quib. afficiuntur Fautores hæreticorum?

℞. Affirmatiuè, nam primò sunt excom- 78
municati, & mulctandi priuatione totius ordinis sacri, & Communione Sacrà, non solùm, qui sibi arogant nomen Papæ, electus tantùm a tertià parte, sed etiam illum recipientes, recipere enim est species fauoris; non reseruatur *in cap. Licet 6. de elect.* Aliam Excommunicationem reseruatam incurrunt Fautores Sistentium in Schismate, secundùm actiones, quæ exprimuntur in cap. Vn. de Schism. in 6. quod cap. licet disponat contra Columnas quosdam, tamen Pontifex in fine illius capitis ibi expressas pœnas vult afficere deinceps quoslibet talia agentes. In Bullà Cœnæ excommunicantur Schismatici nihil tamen disponitur de eorum Fautoribus, ideò non sunt Rei eius Excommunicationis.

Nec dicas Schismaticos vt plurimùm esse Hæreticos, vt dico sect. 5. q. 2. quia tunc non vt fautores Schismaticorum, sed vt Hæreticorum, sunt excommunicati in Bullà, & non aliter. Alias verò pœnas, quæ contra fautores hæreticorum sunt, ex prædictis capitibus, & Bullà Fautores Schismaticorum non incurrunt, quia in illis non exprimuntur.

Nihilominus Paulus IV. Bulla 19. incip. 79
cum ex Apostolatus officio, innouat quascunq; censuras, & pœnas contra hæreticos, & Schismaticos Episcopos, Cardinales, & Legatos, ac Dominos temporales, & non alios quomodolibet promulgatas, & in §. 5. & eisdem hæreticis, & Schismaticis deprehensis, vel confessis, vel conuictis scienter fauentes, præter excommunicationem subijciuntur etiam pœnis Fautorum hæreticorum. Vide dal Bene Dub. 48. sect. 3. num. 6. Vers. Quamuis.

Quæritur 13. An pœnæ expræssæ in dicto cap. 13. §. Credentes, incurrantur ipso Iure, cum incurritur Excommunicatio ibidem inflicta, antequam Fautor in ea insordescat? Videtur enim, quòd Fautor eas pœnas incurrat postquam insorduerit per annum in ea, vt expressè ibi dicitur.

℞. Ante insordescentiam non incurri, vt 80
textus clare loquitur, Fautores tamen puniuntur pœnis arbitrarijs, *ex allatis à* Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 21. Dal Bene *Dub.* 33. *alijs citatis.* In casu verò allato in Bullà Pauli IV. cuius verba retuli paulo ante sub num. 79. incurrunt statim ante insordescentiam Fautores non solùm Hæreticorum, sed etiam Schismaticorum, Episcoporum scilicet, Legatorum, & Cardinalium, atq. Dominorum Secularium, etiam Regum, & Imperatoris,

cx

ex Thesauro Iesuitâ cap. 1. de Schismaticis.

Quæritur 14. An Fautor, credens, receptator, seu defendens sint Rei omnium pœnarum, quibus afficiuntur hæretici?

81 ℞. Negatiuè, pœnæ enim inflictæ contra delinquentes in vno genere delicti extendendæ non sunt ad alios delinquentes in alia specie criminis, ex probatis in sect. 13. num. 163. vbi quòd Fautores Hæreticorum, & de Hæresi suspecti non sunt Rei confiscationis suorum bonorum. Et sect. 12. Non perdunt patriam potestatem, sub num. 88 Nec perdunt dominium in seruos, num. 91. Possunt donare, num. 100.

Quæres 15. An liceat protegere, & fauere Fautoribus, & alijs de Heresi suspectis, Notarijs, Aduocatis, & Iudicibus?

82 ℞. Negatiuè, aliter priuantur suis officijs, Ita Innoc. IV. Bulla 18. incip. *Nouerit*, & Nicolaus III. in sua 2. incip. *Nouerit*, num. 15. ad 17. fere eisdem hisce verbis ambo: *Iudices, Aduocati, & Notarij nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuò sint priuati*. Sermo hic est de officialibus prædictis, non de personis priuatis. Quod eisdem ante prohibuerat Innoc. III. relatus cap. Si aduersus 11. eod. his verbis. *Inhibemus, ne hæreticis, credentibus, fautoribus, vel defensoribus eorundem in aliquo præstetis, auxilium consilium, vel fauorem, nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus vel sub eodem examine vestrum patrocinium præbeatis, & pro ipsis publica instrumenta, vel scripta facere nullatenus attentetis. Quòd si contra præsumpseritis ab officio vestro suspensos, perpetua vos decernimus Infamia subiacere*. Barbosa in hoc capite citat Doctores, quorum aliqui volunt has pœnas ipsos incurrere non solùm si eis faueant in causâ Hæresis, sed etiam in alijs, sed verius est, solum in causa Hæresis, *Toletus lib. 11. cap. 19. num. 7.* Verum quoque est protegentem fautorem non esse reum Excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini, cum ea sit solùm contra fautores Hæreticorum.

Quæritur 16. An fautor Hæreticorum, & Fautorum eorundem sit irregularis? De irregularitate ex Hæresi dixi sect. 10. num. 14.

83 ℞. Fautores Hæreticorum incurrunt Irregularitatem ex Infamiâ, nam in cap. 13. de hæret. §. Credentes, sunt infames. Item *ex cap. Si aduersus 11. cit. in præced. quæst.* etiam Iudices, Aduocati, & Notarij Fautores Fautorum sunt infames, vt ibidem dicitur, ergo & irregulares ex capite Infamiæ, Personæ verò priuatæ fauentes alijs fautoribus non sunt irregulares, cum non sint infames, nec irregularitas alia in Iure reperiatur contra illos, nisi postquam eorum fauor probatus est, inde enim contrahitur Infamia, & statim fit irregularis. Et ita intelligendus est *Suarez disp. 43. de Censur. sect. 2. num. 8. & 9. & ex eo Dal Bene Dubit. 71. Petit. primâ num. 19.* abiurata Hæresi, non amplius sunt irregulares, nec inhabiles ad Beneficia, & officia, vt ibidem insinuat num. 20. *ex Garzia de Benefic. part. 11. cap. 10. num. 88. Paris. lib. 4. de Resign. q. 3. num. 17. Sanch. lib. 2. cap. 25. num. 12.* Contra nonnullos, quorum opinio magis mihi placet, quia abiuratione non tollitur Infamia, sed potius ponitur ab ea.

Quæritur 17. An Fautores Fautorum sint excommunicati?

℞. Negatiuè, solùm enim in Iure, & in 84
Bullâ excommunicantur Fautores Hereticorum, quales non non sunt Fautores aliorum Fautorum licet Hæreticorum. Vide tamen sub num. 83. exceptionem, & aliam 78.

Quæritur 18. An Fautores Hæreticorum sint Rei Bullæ *Si de protegendis?*

℞. Affirmatiuè, vt expressè colligitur ex 85
§. 4. eiusdem; de qua re agendum infra in propriâ sectione, pro explicatione eiusdem Bullæ.

Quæritur 19. An furans cum Hæretico dicatur illius Fautor?

℞. Negatiuè, nisi furtum futurum sit in 86
opem, & fauorem Hæresis, aliter non dicitur Fautor, sed proprie Fur, sicut & homicida si in homicidio sit complex cum eo, vel Hæreticum defendat à suis inimicis volentibus illum occidere. *Dal Bene Dub. 28. Corollar. 1. in fine, cum Silu. V. Hæreticus 1. num. 10. Nauar. cap. 27. num. 55. & alijs.*

Quæritur 20. An contrahens affinitatem cum Hæretico sit illius Fautor?

℞. Affirmatiuè, quia per hanc parentelam 87
disponitur ad fauendum hæretico in causa Hæresis, ergo ambo euadunt Rei fautorum pœnarum, affinitas enim non excusat à fafauore Hæresis. Ita docent de consanguinitate, & affinitate *Pegna part. 2. com. 81. vers. Rursus Menoch. lib. 2. de Arbitr. cent. 6. casu 548. num. 8. Graffius lib. 4. decis. cap. 18. num. 35. cum alijs apud Dal Bene Dub. 13. num. 4.*

Quæritur 21. Numquid fœmina subijciatur pœnis Fautorum? Ratio dubitandi est negatiua, quia fœmina dicitur fautrix non fautor, qui de solis masculis dicitur, qua voce vtuntur Iura, in quibus non reperitur hæc vox fautrix.

℞. Fœminam, si faueat Hæreticis, & 88
Schismaticis, subijci pœnis fautorum, nam fœmina est capax actionum fautoriæ, nam facilius, quàm vir, credit, receptare potest, & alacrius defendere Hæreticum, quàm masculus, cum sit eo infirmior in intelligendo. Et patet ex eo, quòd si Vxor receptet Maritum, dicitur fautor illius, *ex allatis à Dal Bene Dub. 28. Corollario 2. num. 1. & 2.* dixi hic num. 62. vbi, quòd Vxor receptans

Maritum mitius punitur. Ita Ignatius Lupus in Edicto S. Inquisit. p. 2. lib. 14. Dist. 2. Diffic. 8.

89 Ad rationem dubitandi, esto sit in vsu etiam fautrix pro foeminis nihilominus in Iure nomen *Fautor* masculinum concipit foemininum, quandocunque actiones possunt esse communes vtrique sexui, vt est Fautoriâ, in sententia omnium, maxime quando agitur de Fide tuendâ, & quando quoque masculinum à Lege profertur, tunc enim concipit foemininum, vt patet ex cap. Si quis suadente, vbi comprehenditur etiam foemina, & rationem reddit S. Cyprianus de discipl. & habitu virg. cap. 2. his verbis:

90 *Quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur, & foemina* Relatis Lect. 6. de communi Virginum.

Quæritur 22. An nolens testificari contra Hæreticum sit Fautor eius, ac proinde sit suspectus de Hæresi, & incurrat poenas Fautorum Hæreticorum? Videtur, quòd non, quia supra hic sub quæst. 2. exemplificatum in publicis, quæ omissione sunt Rei.

91 ℞. Esse fautorem Hæretici, contra quem non vult testificari, quia hac omissione benefacit illi, ne puniatur in causâ Hæresis, ac proinde est suspectus de Hæresi vehementer, vel leuiter attentis circunstantijs, à quibus specificatur gradus Suspicionis; & est Reus poenarum aliorum Fautorum, & ita docet *Ignatius Lupus super* Edictum S. *Inquisit. lib.* 14. *dist.* 2. *diffic.* 3. Ad rationem dubitandi dico, propterea nos non exclusisse omissiones etiam Personarum priuatarum. Testis enim vocatus ex hoc tenetur ex officio deponere super interrogationibus sibi factis.

92 Non est verò Reus Bullæ *Si de protegendis.* Quia ibi nullum verbum de Testibus exprimitur in ratione omissionis.

Quæritur 23. An Receptor Hæretici, vel Schismatici excusetur à poenis, quando Hæreticus, vel Schismaticus capitur, non obstante illius occultatione?

93 ℞. Non excusatur, sed eas incurrit, quia vt quis sit receptator, & fautor sufficit, quòd illi faciat beneficium in eo, in quo potest, non enim fautoriâ absoluitur ab extraneis, nec perficitur ab obstantibus, sed à benefacientibus in eo, in quo possunt. Ita *Castro lib. de punit. Hæret. cap.* 17. *Suarez de Fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 4. *Graff. lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 34. *cum illis* Dal Bene *Dubit.* 26. *Corollar.* 1. *num.* 7. *Lupus lib.* 14. *dist.* 5. *art.* 3. *Diffic.* 2. vbi pro se citat *Farinac. q.* 182. *num.* 102. Contra *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. quia nihil profuit receptatio, & occultatio. Sed profectus, & commodum euitandi capturam accidunt receptationi, quæ in sua tantùm actione perficitur.

SECTIO DECIMA SEXTA,

De Suspicione in causis Hæresis.

SVMMARIVM.

1 *Suspicio Hæresis præcedit Abiurationem.*

2 *Hæresis voluntate imperante mente gignitur.*

3 *Contrariorum eadem est disciplina.*

4 *Homo iudicat ea, quæ Parent, Dominus autem intuetur cor.*

5 *Suspicio est præsumptio orta ex delicto expressè, vel implicitè contrario Fidei catollicæ.*

6 *Præsumptio est genus ad Suspicionem legalem, & hominis.*

7 *Delictum, a quo oritur Suspicio, est verbum, scriptum vel factum.*

8 *Hæc autem debent verè contrariare Fidei, aliter non inducunt Suspicionem.*

9 *Sufficit autem contrarietas implicita.*

10 *Suspicio triplex,* leuis, vehemens, & violenta.

11 *Leuis, quæ rarò, vel casu oritur ex delicto.*

12 *Leuis autem non est talis in se, sed in ordine ad vehementem.*

13 *Leuis propriè ea est, quæ oritur ex delictis coniunctum non habentibus abusum Sacramentorum, nec Sacramentalium.*

14 *Leuis Suspicio est iuridica, non placitum Hominis.*

15 *Contra Sortilegos olim non procedebant Inquisitores.*

16 *Leuiter suspectus denuntiatur.*

17 *Capitur, & examinatur.*

18 *Incipiendo etiam ab ipsâ capturâ.*

19 *Non obstat axioma:* A captura inchoandum non est. *explicatur.*

20 *Fuga si non timetur, non carceratur, nisi post semiplenam probationem.*

21 A

21 *A quo Iudex sumit Ius examinandi carceratum.*
22 *Torquetur, delicto semiplenè probato, si illud negat.*
23 *Non torquetur super intentione, confessus, vel conuictus, ex leui Suspicione.*
24 *Abiuratione in totum tollitur hæc leuis Suspicio.*
25 *Leuis ergo Suspicio non meretur Torturam.*
26 *Datur verò neganti delictum, quia in se est graue.*
27 *Abiurare debet leuiter suspectus.*
28 *Qualis est Suspicio talis debet esse Abiuratio.*
29 *Leuis Abiuratio fit secretò.*
30 *Suspectus de Hæresi punitur iuxta exigentiam delicti.*
31 *Abiurans de leui non prohibetur exercere actus Sacramentorum.*
32 *Decretum contra Religiosos abiuratos.*
33 *Pœnitentiæ salutares sunt illæ, quæ imponuntur extraiudicialiter implendæ secretò.*
34 *Vehemens Suspicio, est illa, quæ frequenter oritur ex indicijs eam inferentib.*
35 *Vel est, quæ oritur ex delictis coniunctum habentibus abusum Sacrorum, vel pactum Dæmonis expressum, vel tale sit delictum, quòd expressè sapiat Hæresim.*
36 *Dubia septem super vehementi Suspicione.*
37 *Hæc est Iuris, quæ habetur pro veritate, alio non probato.*
38 *Vnde admittit contra se probationem.*
39 *Negans delictum, & intentionem super vtrunq; torquetur.*
40 *Tortura non purgat Suspicionem, quia in toto rigore non datur.*
41 *Ac proinde abiurare de vehementi cogitur.*
42 Per*sistens in confessione bonæ Intentionis non punitur pœnis Hæreticorum.*
43 *Sed pœnis arbitrarijs.*
44 *Violenta Suspicio est illa, quæ cum delicto grauissimo habet necessariam connexionem.*
45 *Dubia octo super Suspicione violentà.*
46 *Est Iuris de Iure, ac proinde.*
47 *Non admittens directè contra se probationem.*
48 *Præsumptio hæc Iuris de Iure est manifesta probatio.*
49 *Probatio indirecta fit reprobatione Testium, vel Indiciorum.*
50 *Violenta, & vehemens Suspicio in modo procedendi non differunt.*
51 *Vnde negantes torquentur super delictum, & intentionem.*
52 *Pœnis eisdem ambo suspecti* vehementer, *vel* violenter *puniuntur.*
53 *Nolens abiurare, violenter suspectus, potest tradi morti.*
54 *Conuictus violentissimis præsumptionibus morte damnatur.*
55 *Hæreticus negatiuus, qui conuictus persistit protestando se credere.*
56 Per*sistens in Torturà, punitur extraordinariè.*
57 *Debet enim ei prodesse Tortura quò ad vitam.*
58 *Protestatio an, & quomodo illi prodesse potest.*
59 *Prædictæ tres Suspicionis species suam habent latitudinem.*
60 *Vna species Suspicionis in aliam non transit.*
61 *Excitari tamen potest vna, alià desinente.*
62 Transire *importat nouam productionem.*
63 *Vna desinit, & alià producitur ex nouis rationibus.*
64 Pr*æsumptionis non datur Præsumptio.*
65 *Vna præsumptio oritur ex alià, quando venit in consequentiam.*
66 *Suspicio oritur ex Suspicione probato*

to indicio illam causante.

67 *Denuntiare omittens non solùm hæreticum, sed etiam suspectum euadit Suspectus de Hæresi.*

68 *Baptizans magnetem contrahit duas Suspiciones.*

69 *Ex duabus leuibus oritur vehemens, & ex his violenta.*

70 *Præsumptiones plures plenam faciunt probationem.*

71 *Præsumptio Iuris æquiualet probationi liquidissimæ.*

72 *Præsumptio vna tollitur per aliam sibi contrariam.*

73 *Suspiciones Hæresis elidi non possunt per aliàs Iuris præsumptiones.*

74 *Suspicio Hæresis dubia prodest reo.*

75 *Dubia in meliorem partem accipienda sunt.*

76 *Hispani dicunt abusum Sacramentorum inducere leuem Suspicionem, Itali verò vehementem.*

77 *Opinio Italorum probatur melior.*

78 *Causa finalis in omnibus attendenda, & ex eà dispositio regulatur.*

79 *Abusus Sacramentorum semper infert Suspicionem Hæresis.*

80 *Luxuria, & lucrum dotis in Poligamis non inducunt Suspicionem Hæresis.*

81 *Suspicio semper oritur ab aliquo Indicio.*

82 *Indicia non debent esse dubia, nec æquiuoca.*

83 *Indicium iuridicum ex se semper infert Suspicionem.*

84 *Indicia debent esse proxima, vt ex eis sequatur effectus Suspicionis.*

85 *Suspecti vehementer ex Fautorià sunt Rei pœnarum cap. 13. de Hæret. non ex alijs.*

86 *Irregulares quoq; sunt.*

87 *Suspecti leuiter pœnis iuridicis non subduntur.*

88 *Suspecti vehementer extra Fautoriam non sunt priuati Beneficijs.*

89 *Suspicio oritur ex delicto, quòd est mortale.*

90 *Denuntiare negligens suspectus de Hæresi.*

91 *Testis pariter recusans deponere.*

QVoniam in omnibus causis S. Officij contra hæreticam prauitatem interuenire regulariter solent præter alia hæc duo; Suspicio scilicet, & Abiuratio hæresis, operæpretium esse duxi, tractationem eorum præmittere delictis, ex quibus infertur Suspicio Hæresis, quam deinde sequitur Abiuratio, vt Domini Consultores in promptu habeant qualitatem, & gradum Suspicionis, & Abiurationis consequentis Suspicionem respectu omnium delictorum, de quibus infra suis locis tractabitur. 1

Præmitto autem, crimen Hæresis esse de genere eorum delictorum, quæ mente voluntate imperante perpetrantur, & ibidem consumantur per actionem immanentem, illæ enim potentiæ, vt notum est sapientibus, immanenter operantur. Hæresis ergo corde concipitur, & quandiu stat sub actione immanente solius Dei Iudicio subditur; cum verò exterius manifestatur verbo, aut scripto vel facto, incipit esse sub eius Ministro, & Iudice humano ecclesiastico, vt de eà reportet vindictam ad fauorem Sanctæ Fidei. 2

Hæresis autem recipit esse eo modo, quo Fides eidem opposita, quia contrariorum eadem est disciplina, *Arist. 1. Topic. cap. 11. Instit. De his, qui sui, §. 1.* Nam sicut Fides in mente pio voluntatis affectu, generatur, ibidem radicatur, & perficitur, atq; exterius manifestatur ad honorem Dei, & vtilitatem proximi, ad Roman. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem* Et in Psalmo 116. *Credidi, propter quod locutus sum.* Fides igitur concepta manifestatur, vt per eius confessionem fideles consequantur Iustitiam, & dent laudem Deo, qui per Christum, & Apostolos eius ministros misteria suæ Fidei reuelauit omnibus, & in dies, cum opus est, per Romanum Pontificem controuersias super eam ortas, per assistentiam Spiritus Sancti specialem definit per suam reuelationem illi factam. Ita Hæresis mente cæcà, & errante, voluntate malignante, fit in corde, & ibi consumatur, & consumat hominem hæreticum, qui vt abducat discipulos post se & seducat, suam Hæresim eis manifestat, & docet, ad destructionem Fidei, & damnationem eorum, qui in eum credunt. 3

Quoniam autem *homo iudicat ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Regum 16. 7. consequenter non potest scire, quæ sunt 4

sunt in corde alterius, sicut est Hæresis; restat quòd ipse ex solà manifestatione delicti capiat, si non directè ipsam Hæresim saltem indirectè, & mediante Suspicione illius ortà ex delicto, cui Iura prudenter volunt esse Hæresim coniunctam ex quadam morali connexione eius cum delicto; e. g. percutiens Sacram Imaginem, vel eam deturpans ipso facto redditur suspectus de Hæresi, videtur enim ex prudenti cuiuslibet Iudicio malè sentire de sacris Imaginibus, quòd non sint dignæ veneratione, quòd asserere est hæreticum. Sed accedamus ad questiones.

Quæritur igitur 1. Quid sit Suspicio Hæresis? Farinacius q. 36. à num. 172. multa congerit de Suspicione, eam discernendo à præsumptione, coniecturà, Opinione, & Dubitatione; sed quia hæc ad rem nostram non conducunt, omitto contentus sequenti definitione in ordine ad Hæresim.

5 ℞. Suspicio Hæresis est præsumptio eiusdem orta ex delicto verborum, vel Scriptorum, aut factorum, contrariante expressè, vel implicitè Fidei Catolicæ Romanæ Ecclesiæ. De suspicione hæresis in genere fit mentio *in cap. fin. dist. 29. in fine cap Ad abolendam 9. de haret. cap. Accusatus 13. §. qui autem, eod. in 6. cap. Literas* 14. *de præsumpt. & alibi.*

6 Dixi primò, quòd Suspicio est *Præsumptio* hæc enim illius genus est, quia cum omnis res, quà definibilis habeat rationem speciei, necesse est, quòd sit sub suo genere, vnde præsumptio tamquam genus latius patet hac specie, & alijs, de quibus prædicatur, vt videri potest apud *Farinac. q. 37. à num. 67. ad* 135.

7 Dixi 2. *ex delicto verborum, scriptorum, aut factorum*; hæc enim bene intellecta inferunt Hæresim contra sic male agentem. Hi autem tres actus communi vocabulo appellantur *Indicia*, eo quòd indicant Hæresim.

8 Dixi 3. *Contrariante*, quia si delictum aliquo modo non aduersatur Fidei, nequit inducere potest Suspicionem Hæresis; e. g. occisio inimici, vel alterius hominis non potest inferre suspicionem Hęresis, quia nullo modo contrariatur Fidei. Quare verba, scripta, vel facta debent esse vniuoca, clara, & taliter specifica, vt ex illis inferri possit Suspicio heresis; non dubia, non æquiuoca, non incerta quæ possint habere plures sensus, bonum scilicet, & malum, *ex allatis à Farinac. q.* 187. *num.* 22.

9 Dixi 4. *Contrariante explicitè, vel implicitè*. Expresè contrariatur Fidei omnis propositio hæretica, vnde blasphemans hæreticaliter suspectus est de Fide, quòd male sentiat de diuinis perfectionibus. Impliciter contrariatur Fidei, qui abutitur Sacramentis, qui vtitur Astrologià iudiciarià, qui facit Sortilegia. Ita Petrus *de Soto de Proposit. haret. Corduba lib. 1. q. 17. §. 7. Vers. sequitur, ex illis Thomas Hurtadus Clericus Minor p. 1. Resol. Moral. tract. 5. cap. 1. num.* 14.

Quæritur 2. Quotuplex sit Suspicio Hæresis?

℞. Triplex, Leuis, Vehemens, & Violenta. De leui, quæ & modica dicitur, fit mentio *in cap. Accusatus* 8 §. 1. *de haret. in 6.* De Vehementi ibidem appellatà magnà, *& in cap Litteras* 14. *de præsumpt.* De Violenta dicta maximà in dicto cap. 8. fit etiam mentio in cap. *cum contumacia 7 eodem in 6. & in cap. contra 13. eod. in 6.* 10

Quæritur 3. Quid sit Leuis Suspicio heresis?

Respondent communiter omnes, quòd illa est leuis, quæ raro, seu casu oritur ex delicto, à quo consequentia deducta est leuis, quæ proinde non debet mouere animum Consultoris ad suspicandum tam graue crimen Hæresis, *Pegna part. 2. Direct. com. 80. Vers. Prima*; dat hoc exemplum. Petrus frequenter deierat, ergo non bene credit in Deum. Debilis est hæc consequentia. *Locatus V. Suspicio num. 2. & multi alij cum Farinac. q. 187. à num.* 24. reddunt rationem, cur vocetur leuis; excludunt autem temeritatem, & improbabilitatem ab eà, & dicunt appellari leuem ex pluribus motiuis, vel quia oritur ex leuibus Indicijs, vel quia debilis est ad inferendam Hæresim, vel quia eam rarò inducit, vel quia casu eam infert, vel quia tollitur per quamlibet defensionem. 11

Hæc mihi non placent, nec Carenæ viro in hac materia valde erudito, qui *part. 2. tit. 7. num. 66.* ait, à prædictis non appellari leuem in se, sed relatiuè ad vehementem, & Violentam, sicut percussio Clerici dicta leuis in ordine ad grauem, seu enormem, quæ tamen in se spectata non leuis, sed grauis est, cum sit iniectio manuum violentarum in Ecclesiasticum suadente diabolo, *cap. Siquis* 29. 17. *q.* 4. Ita Suspicio, leuis non est in se considerata, sed grauis cum oriatur à delicto graui, quòd contrariatur misterijs Fidei? 12

Confirmatur id ex praxi Hispaniæ Inquisitionis, quæ leuem Suspicionem deducit ex delictis Poligamiæ, Solicitationis in confessione, Celebrationis, & Absolutionis non existentium Sacerdotum. Videtur ergo ex his Suspicionem non bene dici leuem ex allatis motiuis tamquam debilibus. Insuper, si debilia sunt Indicia, ergo nec leuem possunt inducere suspicionem, vnde alio modo videtur definienda leuis suspicio. De prædicta autem leui Suspicione agunt *Farinac. q.* 187. §. 2 *à num. 24. Direct. part. 2. q. 55. ibidem Pegna com. 80. vers.* Prima. *Alberghinus cap. 15. dal Bene part. 1. dub. 166. Salelles Reg. 101. num. 163. Castropal. tract. 4. disp. 7. p. 1. initio, Sousa lib. 1. cap. 10. Ricciul. lib. 5 cap. 11. num. 5. Ego cap. 10. num.* 32.

32. *alios secutus*, *Albertinus de agnosc. assert. Catolic. q.* 34. *num.* 46.

13 Ego autem definio Suspicionem leuem eam esse, quæ oritur ex delictis, in quibus non admiscentur Sacramenta, nec sacramentalia, nec pactum dæmonis expressum, licet adsit tacitum. Do exemplum in blasphemante extra consuetudinem hæreticaliter, is enim est suspectus de Hæresi solùm leuiter, *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 20.

Super hanc quæstionem de leui Suspicione oriuntur sequentia dubia. *Primum*, An hæc Suspicio inducta sit à Iure, an tantùm ab homine? *Secundum*, an sit denuntiandus? *Tertium*, an carcerandus? *Quartum*, an examinandus? *Quintum*, an si neget delictum, sit torquendus pro eruendà veritate? *Sextum*, si illud fateatur, vel sit conuictus, debeat torqueri super Intentione? *Septimum*, an cogendus ad Abiurationem, & qualem, an leuem, an vehementem? secretò, an publicè? *Octauum*, quibus pœnis puniendus? *Nonum*, an sit prohibitus vsu Sacramentorum, & Promotione.

14 Primò respondetur, Suspicionem leuem esse ex dispositione Iuris, & non ex placito hominum, nam contra Sortilegos, quorum Sortilegium non sapiebat manifestam Hæresim, Iudices Sanctæ Fidei olim non procedebant, vt expresè dicitur *in cap. Accu-*

15 *satus* 8. *vers. Sane de hæret. in* 6. *Sixtus verò V.* eosdem subiectos decreuit, esto eorum diuinationes, & Sortilegia manifestam non saperent Hæresim, in suà Bulla 17. incip. *Cæli, & terra*. Diuinationes autem, & Sortilegia sapientia manifestam Hæresim arguunt vehementem, aut violentam Suspicionem Hæresis, ergo si careant illa manifestatione inferunt tantùm Suspicionem leuem Hæresis, ergo leuis suspicio dicitur inducta à Iure locis citatis. Confirmatur, quia delicta inferentia Suspicionem simpliciter exprimuntur in Iure, ergo & Suspicio omnis pendet à Iure, ac proinde etiam leuis.

16 Secundò respondetur leuiter suspectum de Fide esse denuntiandum, vt colligitur ex Edicto S. Officij, ibi: *Che siano Heretici, ò sospetti, ò diffamati d'Heresia &c.* Non enim limitatur ibi verbum *Sospetti*, quòd genus est ad triplicem eius speciem, inter quas est *leuis*, ergo de hac etiam prædicatur genus *Suspicio*. Et ne quis deinceps possit dubitari id expresè docet Alexander VII. in suà Bullà incip. *Licet alias* extensa per Dal Bene tom. 2. fol. 657. ibi: *Hæreticos, vel de Hæresi quomodocunque etiam leuiter suspectos deferant, & iudicialiter denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs*. Et ita tenendum est, cum lex clarè loquatur. Ita multis citatis *Lezana V. Hæresis num.* 3.

17 Tertiò respondetur, esse carcerandum, primò, si timeatur fuga, super qua Iudex informatus, potest procedere ad Censuram, *Carena part.* 3. *tit.* 2. *num.* 21. *Salleles lib.* 2. *cap.* 7. *initio*, *& num.* 32. *Sousa lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 6. *alios citat Farinac. q.* 185. *num.* 7. *& q.* 27. *num.* 115. dixerat apud dictum Sallelem num. 32. posse Iudicem in criminalibus quandocunque causam inchoare à capturà, etiam nullis præcedentibus indicijs; & 18
id valdè probabile est, quia periculum est in morà, & dum Iudex informatur, facilè reus potest deuenire in cognitionem, & fugam arripere, eludendo Iustitiam, positâ ergo querelà, deueniri potest ad capturam. Nec obstat axioma: *A capturà incohandum non* 19
est ex l. Nullus 2 *C. de exhibend.* reis, explicatur enim in sequenti Lege, nisi de mandato Iudicis; vel dic nisi fuga timeatur. *Secundò* si non est periculum fugæ non debet carcerari, nisi prius semiplenè delicto probato; 20
vt si carceratus neget delictum, possit torqueri ad eruendam veritatem, ita *Cantera cap.* 1. *de probat. in Rubr. de indic. num.* 60. *Genuensis cap.* 68. *secunda impres. & cap.* 84. *prima Diana part.* 4. *tract.* 8 *resol.* 11. *Sousa lib.* 2. *cap.* 26 *num.* 10. *Carena part.* 3. *tit.* 2. *num.* 24. *vbi num.* 25. si Persona est optimæ famæ, & insignis nobilitatis, maiora requiruntur Indicia, *ex Royas part.* 2. *Assert.* 1. *num.* 22. *Sousa lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 11. *Farinac. q.* 181. *num.* 7.

Quartò respondetur, esse examinandum, 21
nam cum sit carcerati delictum semiplenè probatum, Ius habet Iudex interrogandi eum, vt respondeat sibi obiectis. Est communis apud *Farinac. q.* 185. *num.* 54. *& seq. Royas q.* 2. *num.* 20. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *num* 7. *Pegna part.* 2. *com.* 12. *vers. Cæterum*, *& com.* 80. *vers. Atque ita crederem. Decian. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 21. *& cap.* 35. *num.* 20. *Dal Bene part.* 1. *Dubitat.* 168. *num.* 2 Distinguentes inter Personam vilem, & nobilem, probam, & improbam, vt vir probus non carceretur, neque proinde ex leuibus coniecturis contra eum inquiratur. Sed meo iudicio, nulla est facienda distinctio inter nobilem, & ignobilem, quando constat de delicto de Iure inferente Suspicionem Hæresis leuem, aliter abutentes Sacramentis, vt plurimùm euaderent ab his in graue præiudicium, & perniciem Fidei catolicæ; hi enim in Hispanijs dicuntur *leuiter suspecti*, ergo contra eos non esset procedendum, quod non est dicendum tamquam Absurdum.

Quintò respondetur, esse torquendum 22
pro eruendà veritate, si negat delictum legitimè semiplenè probatum, iuxta quod dicam de torturà Reis danda. Ita *Royas part.* 2. *de Hæresi num.* 404. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 66. *Vers. Hoc supposito*, *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 7.

Sextò respondetur Suspectum leuiter de 23
Hæresi,

Hæresi, siue confessum, siue conuictum non esse torquendum super Intentione, Tum quia pro leui Suspicione nemo est torquendus, *Farin. q.* 185. *num.* 141. *Genuens. cap.* 68. *num.* 8. *Pegna p.* 3. *com.* 110. *vers. Ex leuibus*. Tortura enim est grauis pœna, inferens damnum irreparabile, vnde requirit vehementia, aut violenta Indicia, *Pegna*
24 *ibidem Vers. Cognitis*. Tum quia Abiuratione tollitur affatim Suspicio Hæresis leuis, *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 66 *vers. Si verò*, ergo non est opus Torturà, quæ si datur, tunc non est cogendus ad abiurandum, cum euanuerit Suspicio, ideo melius est cessare à Torturà, vt locus sit Abiurationi.

25 Et ex his tollitur altercatio inter Doctores, alijs negantibus Torturam esse dandam Reis leuiter suspectis de Hæresi, alijs affirmantibus, quos refert *Castropal tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 5. *&* 6. *& Carena cit. num.* 64. vbi Campanilis, & Acugna volunt suspectum de leui nullo modo esse torquendum, quia leuia Indicia vix sufficiunt ad interrogandum Reum, tamen per ea non potest deueniri ad carcerationem, ergo multò minus ad Torturam.

26 Constat ergo ex dictis, Torturam relatam ad delictum inferens Suspicionem Hæresis, dari posse Reo neganti delictum semiplenè probatum, vt dictum fuit, non enim delictum in se spectatum est leue, sed graue, ex probatis, ac proinde sufficiens ad Torturam; si verò Torturam referamus ad intentionem, tunc non est Reus negans prauam intentionem torquendus, cum delictum eam inferens sit leue indicium, quod sola Abiuratione potest auferri, & sic euanescit suspicio, vt superius dictum fuit. Delictum ergo in se spectatum respicit Veritatem eruendam per Torturam, si illud negetur; relatum verò ad Suspicionem Hæresis indicium est leue, ac proinde insufficiens ad Torturam.

27 Septimo respondetur, cogendum esse ad abiurandum leuiter, quia Abiuratio regulatur à Suspicione, qualis ergo est Suspicio,
28 talis, quoque debet esse Abiuratio, vt pœna correspondeat culpæ. Ita omnes, *Direct. part.* 2. *q.* 55. *num.* 9. *&* 10. *ibi Pegna vers. Et vbi quis*. *Farin. q.* 187. *num* 31. *de Lugo disp.* 25. *de Fide num.* 27 *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *num.* 8. *Decianus lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 2. *Dal Bene part.* 1 *Dub.* 168 *num.* 10. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 5. Qui cum Candido *in Compend. Disquis.* 56. *art.* 32. *num.* 29. dicit, Relapsum in Hæresim propter leuem Suspicionem propriè non esse Relapsum, ac proinde neque de vehementi ab-
29 iurare, *Barb. ad cap. Accusatus num.* 5. Hæc autem Abiuratio, cum procedat à leui Suspicione, fit secretò ità docent *Royas sing.* 1. *num.* 26. *Genuens. cap.* 68. *num.* 9. *Farinac. q.* 194 *num.* 10. *Carena part.* 3. *tit.* 12. *num.* 28.

Octauo respondetur, suspectum de Hæresi leuiter non esse puniendum pœnis Hæreticorum, cum non sit formaliter probatus Hæreticus, sed tantùm condemnandum pœnis conuenientibus delicto, super quo fuit confessus, vel legitimè conuictus, vt expressè dicitur *in cap. Accusatus* 8. §. 1. *de Haret. in* 6. *Direct. part* 2. *q* 55 *num.* 2. *Farinac. q.* 187. *num.* 26 *Royas part.* 1. *Assert* 6. *num.* 148. *Castropal. tract* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *nu.* 4. *&* 9. *de Lugo disp.* 25. *de Fide num.* 26. Pœnæ autem sunt fustigationis, carceris, triremium, vel Pœnitentiæ salutares &c. attentà grauitate delicti, & conditione personæ. Ita *Castropal. cit. num* 9. *Dal Bene part.* 1. *dub.* 168. *num.* 12. Intellige in Hispanijs; in Italià puniuntur pœnitentijs salutaribus, cum in illis partibus velint delicta, quæ apud nos inferunt grauem Suspicionem apud illos solùm leuem, vt patet ex dictis hic sub num. 12. & Farin. q. 187. num. 33. loquitur tantùm de pœnis salutaribus. 30

Nono respondetur, eum, qui abiurauit de leui non prohiberi audire confessiones, & exercere Ordines, & alia Sacramenta administrare, quia nullibi talis prohibitio reperitur; vnde respondit Sacra Congregatio huius S. Tribunalis die 6. Martij 1596. à prædictis non prohiberi. Neque hoc prohibet Decretum eiusdem emanatum 1. Octobris 1626. in hæc verba. 31

Sanctissimus D. N. iustis de causis animum suum mouentibus, decreuit, & statuit, vt imposterum Regulares omnes cuiusuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit, salutaribus pœnitentijs exceptis, eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur; & deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtentà à S. D. N. vel ab hac Sacrà Congregatione coram Sanctissimo habendà speciali, & expressà rehabilitationis Gratià. Aliàs promotio quælibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum Officiorum, ac propterea vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem S. Congr. coram Sanctissimo habendà, non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religiosorum superioribus intimari mandauit Sanctissimus Dominus Noster. 32

Expenditur à *Diana part* 4. *fine*, *Dal Bene part.* 2. *fol.* 647. Hieronymo Trimarcho
Ordinis Minimorum de solicitat. Disput. vlt. 33
sect. fin. num. 4. vbi num. 51. ait nomine *Pœnitentiæ salutaris* venire ea, quæ extra

iudicialiter imponuntur, & secretò adimplentur, cum Peyrino ad constit. 9. Pauli V. extremis verbis post extensum Decretum.

Quæritur 4. Quid sit *vehemens* Suspicio Heresis? De qua fit mentio *in cap. Accusatus* 8. §. 1. *de hæret. in 6. & in cap. Literas* 14. *de præsumpt.* in quibus locis appellatur *Magna*.

34 ℞. Doctores communiter eam definiunt, quòd sit illa, quæ sepè, frequenter, & vt plurimùm oritur ex Indicijs eam inferentibus. Ita cum omnibus *Farinac. q.* 187. *num.* 36. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7 *p.* 1. *num.* 2. *de Lugo disp.* 25. *de* Fide *num* 24 *Alberghinus cap.* 15. *num.* 2. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 7. *Direct. part* 2. *q.* 55. *num.* 4. *Pegna ibidem vers.* Secunda. Candidus *Disquis.* 56. *art.* 32. *num.* 3. *Salelles Reg.* 101. *num.* 165. *Lezana V. Hæresis num.* 3. *tom.* 3.

35 Ego in Sacro Tribunali cap. 10. num. 36. eosdem secutus, dixi, quòd Suspicio vehemens est illa, quæ oritur ex verbis, vel factis, ex quibus, frequenter, & vt plurimùm deducitur, eum, qui talia dicit, vel facit, esse Hæreticum. Hic verò rem clarius explico, dicendo, quòd *Suspicio vehemens est illa, quæ oritur ex delictis grauibus expressè contradicentibus Misterijs* Fidei *Catolicæ, præsertim consistentibus in abusu Sacramentorum, & vbi probatur pactum* Demonis *expressum, aut graue delictum sæpius commissum contrarium* Fidei *Diuinæ*. Id patebit ex dicendis in sequentibus Sectionibus; Interim

36 Propono super hanc Suspicionem sequentia dubia. *Primum*, an sit hæc Suspicionis species inducta à Iure, vel solum ab homine? *Secundum*, an admittat contra se probationem? *Tertium*, an negans delictum, & prauam intentionem sit torquendus? *Quartum*, an Tortura purget Suspicionem? *Quintum*, an abiuret de vehementi? *Sextum*, an puniatur vt Hæreticus? *Septimum*, quibus pœnis sit plectendus?

37 Primo respondetur, Suspicionem vehementem esse à Iure inductam, ac proinde dici Iuris simpliciter, qualis est ea, quæ ex efficaci signo proueniens, alio non probato, habetur pro veritate, vt ex *Alciato de Præsumpt. part. 3. initio, docet* Pegna *par.* 2 *com.* 80. *vers. Secunda* Suspicio. *Sousa lib.* 1. *cap.* 10. *num. 6. Alberghinus cap.* 15. *num.* 2. *Salleles Reg.* 101. *num.* 168.

38 Secundo respondetur, hanc Suspicionem admittere contra se probationem, accidere enim potest, quòd delictum eam inferens inuitè, & coactè factum sit, aut ab ebrio, vel ex aliâ causâ, per quam probabiliter excludi possit Suspicio Hæresis; similiter quando verbum prolatum potest habere bonum, & malum sensum, vt suis locis dicam. Ita *Royas singul.* 165. *Pegna part.* 2. *Direct. com.* 80. *vers. Secunda*, *Farinac. q.* 187. *num.* 39. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 22.

Tertio respondetur, si negat vtrunque super vtrunque est torquendus, & quidem super delictum semiplenè tamen, & legitimè probatum, iuxta dicta præcedenti quæst. 3. vers. Quinto, si enim torquetur super delicto, ex quo oritur leuis Suspicio, à fortiori, si oriatur vehemens. Super Intentione quoq; torquendus est, si conuictus, vel confessus sit delictum inferens vehementem Suspicionem, Iudex enim Ius habet torquendi illum, dum tale Indicium in eo delicto mouet prudenter animum Iudicis ad credendum firmiter eum esse Hæreticum. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 59. *vers. Quod si, & part.* 3. *com.* 110. *vers. Ad hæc, Farinac. q.* 179. *num.* 54. *vers. Vide tamen, Carena part.* 2. *tit.* 1. *num.* 106. Vide infra de Negatiuo. 39

Quarto respondetur, Torturam non purgare Suspicionem Hæresis; quia non datur in toto rigore, quia sanctum Tribunal cum istis vtitur misericordia, vnde Torturà simul cum Abiuratione elidunt suspicionem Hæresis. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 66. *vers. Secundo*. 40

Quinto respondetur, quòd non obstante Torturà, debet abiurare de vehementi, qui tortus fuit super Intentione, quia, vt supra dixi, Tortura non purgauit Suspicionem vehementem. Ita *Direct. par.* 2. *q.* 55. *num.* 12. *Farinac. q.* 187. *num* 40. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 10. *Suarez de Fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 4. & 5. *Decian. lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 2. *de Lugo disp.* 25. *num.* 28. *Dal Bene part.* 1. *Dubit.* 169. *num.* 1. *Alberghinus cap.* 15. *num.* 6. *Genuens. cap.* 68. *nu.* 8. 41

Sexto respondetur, persistens in confessione bonæ intentionis, non potest puniri pœnis Hæreticorum, quia aliud est, esse Hæreticum, aliud esse de Hæresi suspectum. Ita *Farinac. q.* 187. *num.* 38. 40. & 42. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 21. 42

Septimo respondetur suspectum vehementer de Hæresi puniri pœnis extraordinarijs, & arbitrarijs, quæ sunt fustigationis, exilij, triremium, carceris &c. Ita omnes *cum Castropal. tract.* 4. *disp.* 7. *p.* 1. *num.* 10. *Farinac. q.* 187. *num.* 42. *Menoch. lib.* 1. *q.* 100. *num* 11. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 23. *Dal Bene part.* 1. *Dubit.* 169. *num.* 2. 43

Quæritur 5. Quid sit violenta Suspicio Hæresis?

℞. Est illa, quæ oritur ex verbis, vel factis, ex quibus semper colligitur, quòd illa faciens, vel dicens præsumitur Hæreticus, ex eo quòd habent necessariam connexionem cum Hæresi, adeo quòd ita mouent Consultorem, & Iudicem, vt aliter sentire non valeat, ita colligitur *ex cap. Excommunicamus* 13. §. *Qui autem, de Hæret. cap. Quicun.* 44

cunque 2. cap. Filij 3. cap. Cum contumacia 7. cap. Contra Christianos 13. eod. in 6. Et ita docent Director. part. 2. q. 55. num. 6. ibi Pegna vers. Tertia, Castropal. tract. 4. disp. 7. part. 1. num. 3. de Lugo disp. 25. num. 22. Alberghinus cap. 15. num. 3. Hurtadus tom. 1. tract. 5. cap. 1. num. 2. Ricciul. lib. 5. cap. 11. num. 24. Sousa lib. 1. cap. 10. num. 7. Farinac. q. 187. num. 45. Dal Bene part. 1. dub. 166. num. 10. Lezana V. Hæresis num. 3. Qui addunt ferè semper, vel non semper, vel sæpissimè, vt videri potest apud Farinac. cit. num. 45. Quod mihi non placet, quia Indicium iuridicum ex se semper infert Suspicionem, sic enim expedit, & ratio suadet in omnibus Indicijs, quæ à sacris Canonibus, & Bullis Pontificijs ponuntur, ne Indicia, quæ debent esse certa, remaneant incerta, & æquiuoca, ex quibus nihil certi colligi potest.

45 Super eam propono sequentia dubia. Primum, an hæc Suspicio sit Iuris de Iure? Secundum, an contra se admittat probationem? Tertium, an in modo procedendi sit differentia inter ipsam, & præcedentem de vehementi. Quartum, an torqueatur super delictum ab eo negatum? Quintum, an torqueatur super Intentione? Sextum, an debeat cogi ad abiurationem violentam. Septimum, quibus pœnis sit expediendus? Octauum, an Hæreticus præsumptus negatiuus sit torquendus.

46 Primo respondetur, hanc Suspicionem esse Iuris de Iure, Pegna part. 2. com. 80. vers. Est autem. Salleles Reg. 101. num. 173. Farinac. q. 187. num. 48. Castropal. tract. 4. disp. 7. p. 1. num. 12. Ricciul. lib. 5. num. 27. Alberghinus cap. 15. num. 4. Sousa lib. 5. cap. 10. num. 7.

47 Secundo respondetur, Suspicionem violentam non admittere contra se directam probationem, quia cum ab Indicijs indubitatis oriatur, pro manifestâ Veritate habetur, cap. 2. de præsumpt. vbi, quòd Iudex potest ferre Sententiam definitiuam ex præsumptione vehementissimâ, hoc est violentâ.

48 Confirmatur, quia præsumptio Iuris de Iure, non admittit contra se probationem directam, cum præsumptio hæc dicatur vera, propria, & manifesta Probatio, Iason in l. Imperator ff. de legat. 1. num. 13. Decius in Rubr. de Probat. num. 17. cum alijs Gratian. cap. 694. num. 22. Æquipollet plenæ probationi, immo liquidissimæ, Rota part. 9. dec. 175. num. 47. Sperellus decis. 27. num. 60. & decis. 174. num. 52. Sed hæc est Iuris de Iure, ex responsione ad primum dubium, ergo

49 non admittit probationem directam; sed tantùm, indirectam, quæ in eo consistit, quòd quærelatus potest probare depositiones Testium esse falsas, vel Indicia nullius esse momenti. Et ita docent Pegna part. 2. Direct. com. 80. vers. Nec contra. Farinac. q. 187. num. 50. Castropal. tract. 4. disp. 7. part. 1. num. 12. Alberghinus cap. 15. num. 4. Dal Bene part. 1. Dub. 170. num. 4. Royas singul. 165. vbi admittit simpliciter probationē contra præsumptionem Iuris de Iure; potest interpretari de indirectâ.

Tertio respondetur, in modo procedendi, & consulendi non esse differentiam inter Suspicionem violentam, & vehementem, vt seruat praxis Tribunalium Ita Farinac. q. 187. num. 51. Genuens. cap. 68. num. 8. Ricciul. lib. 5. cap. 11. num. 30. 50

Ad Quartū responsio deducitur ex Tertio, sicenim suspectus de Hæresi violenter debet tractari sicut suspectus vehementer, dicendum est, hunc negantem delictum esse torturandum ad eruendam veritatem, pariter super Intentione, & debere de vehementi abiurare, iuxta dicta præcedenti quæstione sub num. 39. Et sic patet etiam ad Quintum, & Sextum. 51

Septimo respondetur, taliter suspectum de Hæresi puniendum esse eisdem pœnis, quibus plectuntur vehementer suspecti, sed grauiùs, si grauiora sunt delicta suspicionem violentam inferentia. 52

Numquid condemnari potest ad mortem conuictus legitimè violentissimis præsumptionibus? Vtique, si nolit abiurare, quia in tali casu habetur pro formali Hæretico, & qui non vult abiurare impœnitens est, signum euidens, quòd discredit, & cum hac limitatione transit Direct. part. 2. q. 55. num. 10. ibi Pegna V. Violenta, alijs citatis, Decian. lib. 5. cap. 20. num. 23. cum alijs Farinac. q. 187. num. 46. In his enim violentissimis præsumptionibus venitur ad condemnationem etiam pœnæ corporalis, & capitalis, Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 41. num. 3. & 4. Farinac. q. 136. num. 24. & 53. Buccaronus de different. inter Iudicia ciuilia, & crimin. Differ. 133. num. 10. 53 54

Octauo respondetur, Hæreticum negatiuum, qualis est ille, qui non obstante, quòd Testes legitimi, & integri probauerint, ipsum discredidisse, nihilominus persistit in negatiuâ, quòd non discrediderit, protestando se credere, & semper credidisse, quod docet Sancta Mater Ecclesia, non esse torturandum, cum veritas sufficiens habeatur de eius errore; vnde Carena part. 3. tit. 10 §. 24. ante num. 180. dicit, fatuum esse, qui reum conuictum torquet, non obstante Clausulâ Citra præiudicium probatorum. Ita docent Simanch. de Instit. Catol. cap. 13. num. 13. & 17. Royas par. 1. num. 184. cum eis Farinac. q. 179. num. 60. Qui cum alijs præcedenti num. 54. dixerat, cum, qui fecit ritus, & cæremonias hæreticales, non excusari, asserentem se non habuisse prauam Intentionem, sed hac qualitate reiectâ, esse 55

S 2 punien-

puniendum vt Hæreticum. Ego in hoc posteriori casu dicerem esse admittendum ad Torturam, si se excusat probando se id fecisse metu Mortis &c.

56 Sed quid dicendum, si in primo casu admittatur ad Torturam? Dico, tortum persistentem in suâ negatiuâ, non posse condemnari ad pœnam ordinariam, quia in aliquo debet ei prodesse Tortura, cum sit species

57 probationis, *ex allegatis à Giurba consil. 43. num. 9. & 30.* Carena loco citato, qui cum eis dicit, eam clausul. *Citra præiudicium probatorum* non prodesse, quia ea protestatio est contraria facto, quando reus in Torturâ interrogatur de ijs, super quæ est conuictus, *ex allegatis à Giurba cit. num. 9.* Et dixi cap. 35. num. 54.

58 Quid si neget delictum, paratus tamen facere quicquid illi imposuerit Iudex, protestando, quòd si præcipiat illi Abiurationem, abiurabit quidem, sed citrà præiudicium negatorum?

Dico, quòd illi non proderit talis protestatio, sed saltem indirectè fatebitur suum errorem, tum quia Abiuratio habet pro obiecto errorem Hæreticum ab abiurante commissum; tum quia factum Abiurationis elidit clausulam protestatiuam, sibi oppositam, cum non possint ambo stare simul. Quare cum sit legitimè conuictus puniendus, est, & nullatenus admittendus ad Torturam, nec ad eam Abiurationem, cum per eam intendat fugere pœnam ordinariam.

Quæres 6. An vnaquæque ex dictis Suspicionibus, Leui, Vehementi, & Violentâ habeat latitudinem secundùm magis, & minus, intra suam speciem? Dico intra suam speciem, quia certum est, maiorem esse Violentam reliquis duabus, & Vehementē maiorem Leui.

59 ℞. Sic, quod probatur ratione philosophicâ, nam qualitas intenditur, & suscipit magis, & minus, vt notum est, & sic habet latitudinem; sed Suspicio est qualitas, ergo habet latitudinem. Confirmatur exemplificando in delictis inferentibus Suspicionem, nam quò ad Suspicionem leuem; minus est suspectus de Hæresi, qui blasphemauit semel Hæreticaliter; magis verò, qui blasphemauit ter, aut quater, & non ex habitu est suspectus solùm leuiter, *Carena par. 2. tit. 7. num. 20. Genuens. cap. 18. num. 11.* De hac latitudine, *Salelles Reg. 101. num. 164.* Quò ad vehementem, minus suspectus est solicitans verbo; magis verò si facto solicitet Fœminas in actu Confessionis; talis enim est vehementer suspectus de Hæresi, *Genuens. cap. 66. num. 2. Alberghinus cap. 31. §. 2. num. 3.* De hac latitudine idem *Salelles num. 172.* Quò ad violentam, minus est suspectus vtens vestibus Sacerdotis Idolorum; magis verò flectens genua; & multò magis incens sans Idolum. De hac latitudine idem Salelles num. 174.

Quæritur 7. An vna species Suspicionis transeat in aliam?

℞. Negatiuè, vna enim specificata in suo esse; non potest suam mutare naturam, nisi desinendo esse; sicut enim peccatum veniale iam commissum, & specificatum non potest fieri, & transire in mortale, cum sint illorum naturæ diuersæ in vnum non coeuntes ex eorum oppositione, ita neque leuis Suspicio iam constituta potest transire in vehementem, nec vehemens in violentam. 60

Dices, contrarium habetur *ex cap. cum contumacia 7. de haret. in 6.* vbi quòd contumacia facit vehementem Suspicionem transire in violentam in eo, qui excommunicatus propter contumaciam citatus ad respondendum de Fide, super qua erat suspectus, aufugit, & in Excommunicatione per annum permansit obstinatè non respondendo, per hoc illa vehemens Suspicio transiuit in violentam, vt ibidem notatur in casu, & à Gloss. V. vehementem, & violenta, non vehemens inducit condemnationem in contumacem, vt Hæreticum. *Secundo* ex eodem Indicio hodie infero Suspicionem leuem, quam cras facio transire in vehementem, ergo in his concedendus est transitus, & sic de vnâ specie ad aliam. *Tertiò*, ex eodem Indicio vnus deducit Suspicionem leuem, alter grauem, nam Hispani Consultores ex abusu Sacramentorum, inferunt leuem Suspicionem, Itali vehementem, ergo vna transit in aliam.

℞. Vnam reuera non transire in aliam, sed remanere diuersas, vel saltem priorem desinere esse, & aliam excitari ex rationibus, & motiuis superuenientibus. *Ad primum* dico, eas Suspiciones esse reuerà diuersas in se ipsis, nam Vehemens oritur ex facto, vel verbo, seu delicto inferente illam; Violenta verò ex illa contumaciâ perseuerantis in Excommunicatione, nolentis respondere de Fide, & certe non datur transitus, cum condemnatio, vt dicit Gloss. citata proueniat ex violentâ Suspicione, non ex vehementi, ergo sunt duæ permanentes, ac proinde vna non transit in aliam, non obstante, quòd Glos. in casu, & V. Vehementem vtatur verbo *Transire* nam illud verbum *transire*, vel importat productionem alterius Suspicionis, vel Glos. respexit magis ad effectum condemnationis, quàm ad substantiam vtriusque Suspicionis, nam vtraque Suspicio cooperatur ad condemnationem, vehemens dispositiuè, violenta principaliter, & terminatiuè. Et quòd vna Suspicio non transeat in aliam textus dicti capitis clarè dicit sic incipiens: *Cum contumacia in causâ præsertim Fidei Suspicioni præsumptionem adijciat vehementem*, non transit ergo, sed illi adijciatur, & ibi 61 62

ibi nomine Suspicionis intelligitur leuis,
non vehemens, quia idem sibi ipsi, non ad-
63 ijcitur. *Ad secundum* dico, non transire,
sed priorem desinere esse, & vehementem
excitari ex meliori consideratione eiusdem
motiui. *Ad tertium*, quamuis sit idem moti-
uum materialiter acceptum non tamen si ac-
cipiatur formaliter, & alijs adiunctis; & ideo
non possunt in vnum coire, sed vnaqueque
manet sub sua specie, immo hoc probat ipsa
obiectio, cum Hispani, & Itali procedant
per diuersa motiua, vt infra dicam sub q. 12.
Sed hæc satis, quia ad praxim non condu-
cunt.

64 Quæritur 8. An vna Suspicio oriatur ex
alia Hæresis suspicione? Videtur, quòd non
ex illo axiomate, quòd præsumptionis non
datur præsumptio, ne detur processus in infi-
nitum, deducunt *ex l. 1. C. de dotis prom. Fa-
rinac. consil. 55. num. 25. consil. 114. num. 40.*
quia qualitas, cuiusmodi est Suspicio, non
potest subsistere sine subiecto, ergo nec vna
Suspicio in alia. In casu nostro idem est Sus-
picio, & præsumptio, vt notum est.

65 ℞. Vna Suspicio Hæresis oritur ex aliâ,
quando ea venit in consequentiam, vt docet
*Barb. in l. Si is, qui pro tempore, de Vsucapt
num. 71. Bald. in l. 1. C. quando liceat ab empt.
disced in fine*, Paulus Rubeus *part. 3 decis. 12.
in Annotat num. 5. Rota part. 5. dec. 52. num.
6. ex l. Si is qui pro emptore ff. de vsucapt. Ro-
ta part. 1 decis. 319. num 5 & part 6. decis.
226. num 9. part 9. dec. 40. num. 27. & 28. Se-
raphin. dec. 1042. num* 4. dicit, quòd non in-
ducuntur duæ præsumptiones, actus scilicet
gesti, & solemnitatis, quando actus, super
quo fundatur præsumptio solemnitatis, non
est plenè probatus, sed præsumptiuè tantùm,
tunc enim non datur multiplicatio solemni-
tatis etiam extrinsecæ, *ex Alexand. lib. 5.
cons. 50. num. 7. Ruino lib. 4. cons. 29. num. 4.
ex illis* Rota *part. 8. dec. 256. num. 12 & 13.*

66 Ad rem nostram, Suspicio in causis S. Offi-
cij oritur ex Suspicione probato Indicio cau-
sante Suspicionem, vt patet, nam omittens
67 denuntiare non solùm Hæreticum, sed etiam
suspectum de Hæresi, euadit suspectus de hæ-
resi, ergo Suspicio Hæresis denuntiare omit-
tentis causatur à Suspicione denuntiandi, qui
est suspectus de Hæresi; necesse est tamen,
quòd probatum sit Indicium suspecti de fide
denuntiati, & hoc colligitur ex doctrinâ tra-
ditâ *à Serafino dicta dec.* 1042. in aliâ simili
materiâ de præsumptionibus. Vide quòd di-
xi cap. 10. q. 25. num. 96. & corrige ibi dicta,
& emenda errores Impressoris, ibi *Cui tan-
tùm fuit* lege *fauit*, sub num. 98. & in fine: *in
fauente suspectum taliter probatum* lege *sus-
pecto probato*. Præterea dele hæc verba: *Vti-
que verò præsumptio procedit à presuptione
simpliciter acceptâ*, quæ superfluunt. Vbi
idem collegi *ex cap. cum contumacia de Hæ-
ret*. Et ex his patet ad rationem dubitandi. Et
in his terminis loquitur etiam *Carena part.
3. tit. 12. num. 19. & 20.* quòd Suspicio non
oritur ex alia Suspicione, nisi probato delic-
to eam inducente.

Produco aliud exemplum in baptizante 68
Magnetem, ex hoc enim casu sunt duæ Sus-
piciones, quarum vna oritur ex alterâ, nam
Baptizans est suspectus Hæresis, cum præsu-
matur credere esse licitum Baptizare Magne-
tem, & hoc probato delicto, ex priori Suspi-
cione oritur secunda, quòd sit suspectùs de
Sortilegio, ad hunc enim finem Magnes Bap-
tizari præsumitur.

Quæritur 9. An ex duabus leuibus Sus-
picionibus oriatur Vehemens? Ex duabus
verò vehementibus Violenta.

℞. Affirmatiuè, quia plus operari debent 69
simul quàm singulæ seorsim acceptæ ergo
inducunt vehementem, *Locatus V. Abiuratio
num. 1. & V. Suspicio num.* 18. vbi deducit,
eum, qui bis fuit suspectus de leui, & primò
abiurauit de leui, debere secundò abiurare
de vehementi, ex hac ratione, quia ex dua-
bus Suspicionibus de leui oritur vna vehe-
mens. Hæc opinio de Abiuratione videtur
dura Farinac. q. 195. num. 24. in ordine ad re-
lapsum, sed eam non mollit. Sicut ergo duæ
leues producunt Vehementem, ita duæ ve-
hementes vnā Violentam, *ex eodem Locata
V. Relapsi num 7. Menoch. lib 1. de præsumpt.
q. 100 num. 14. ex illis Farinac. q. 195 num. 25.*
Et vtrunq; vlterius probatur, quia præsump-
tiones plures faciunt plenam probationem, 70
quando tendunt ad eundem finem, *Rota p.
1. dec. 434. num.* 11. immo oritur plenissima
probatio, *Bald lib. 3. consil. 3. num 4. Socinus
iunior lib. 2. cons. 32. num. 24. consil. 39. num.*
14. *Ciriacus contr. 291. num.* 21. Rota *par. 9.
dec. 152. num.* 12. Etiam si probatio resultet in
graue damnum ex eisdem, & Rota Bichij
apud Gratium Contrium I.C. Ferrariensem
extendentem Bichij *decis sub num 92. num* 4.

Confirmatur, quia præsumptio Iuris æqui-
ualet plenæ probationi, quinimmo liquidis-
simæ, *ex allegatis à Rota part. 9. decis. 175 n.*
47. Sed hic agimus de præsumptionibus Iu- 71
ris, cuiusmodi sunt suspiciones Iuris, ergo
hanc vim habent, vt leues inferant Vehe-
mentem, & vehementes inducant Violen-
tam.

Quæritur 10. An hæ Iuris Suspiciones
Hæresis tolli possint, & elidi per alias præsum-
ptiones siue Iuris, siue hominis? Et videtur, 72
quòd sic, quia vna præsumptio tollitur per
aliam sibi contrariam, ex adductis *à Rota
part. 2. dec. 92 num 4. à fortiori per plures, dec.
507. num.* 12. Fortior enim vincit debiliores,
*Part. 3. dec. 706. num. 20. part. 4. tom. 2 dec. 195.
num.* 20. Per vehementiorem excluditur,
*ibidem decis. 140 num. 8 part. 5. dec. 409. num.
24. dec. 201. num. 44. dec. 258. num. 20.*

℞. Sus-

℞. Suspicione Hæresis elidi non possunt per alias Iuris præsumptiones, quia Ius Iuri non contrariatur, *cap. cum expediat 29. de elect. in 6.* Multò minus per Hominis præ-
73 sumptiones, quæ debiles sunt, & nihil possunt contra Iuris dispositionem. Indirectè verò euanescunt, quando per Testes probatur, non existere delictum, de quo quis querelatus fuit, iuxta quod dixi de probatione hic q.5. Vers. Secundo. Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam verùm est, quòd vna præsumptio tollitur per aliam, loquendo de præsumptionibus clarè non expressis in Lege, seu tantùm hominis præsumentis.

Quæritur 11. Quid dicendum, quando Suspicio Hæresis est dubia?

74 ℞. Resoluendum est ad fauorem Rei, iuxta regulam 11. in 6. Cum partium Iura sunt obscura, fauendum est potiùs Reo, quàm actori. Confirmatur, quia in dubio illa præsumptio est capienda, quæ dolum excludit *l. Diuus ff. de in integr. restit.* Bertazol. lib. 2. *cōs.* 251. n. 61. *Bursat. lib. 3 cons.* 135. *nu.* 17. *cum. alijs* Iulius Cæsar Caluinus Derthonensis in
75 suo lib. inscr. Communes in dubio Iuris conclusiones, concl. 796. Et quia dubia in meliorem partem ac benigniorem accipienda sunt *Resc. 57. ff. de reg. iur.* Ita Albertinus *q.* 34. *num.* 48. *Royas part.* 1. *num.* 201. Pegna ad Lucernam Inquisitorum Bernardi Comensis V. *Præsumptio, qui Vers. Non tamen*, ait, posse in dubijs quandoq; pro Hæresi præsumi, cum is, qui dubiam propositionem protulit, vel aliàs suspectus erat, vel de Prouinciâ Hæresi infecta, & se refert ad dicta part. 3. super quæst. 62.

76 Quæritur 12. An melior sit Opinio Hispanorum affirmantium, abutentem Sacramentis esse solùm leuiter suspectum; an Italorum asserentium esse vehementer suspectum? Certum est Hispanos ita sentire, & Italos grauare Suspicionem. Ita vtrisq; citatis de Solicitatione Doctores citat *Dal Bene part. 2. dub.* 237 *sect* 20 *num.* 2. 3. & 4. De Poligamia, *dub.* 209. *num.* 7. quia in his duobus casibus præsumitur Solicitatio, & Poligamia prœue isse potiùs ex incentiuo libidinis, & respectu Poligamiæ etiam ex desiderio lucri dotis. Celebrantes non Sacerdotes, & absoluentes esse de Hæresi solùm leuiter suspectos, nisi sint de Prouinciâ suspectâ, idem *Dal Bene dub.* 210. *num.* 4. 6. & 11. Vide sect. 28. q. 4. vbi pluribus reiciam opinionem Hispanorum.

77 ℞. Melior est opinio Italorum. Probatur. Tum quia originem habet à fonte Officij S. Inquisitionis Vniuersalis Romanæ per vniuersum orbem. Tum quia causâ finalis in omnibus est attendenda, & secundùm eam dispositio regulatur, *Bald. lib. 1. cons.* 115. *col.* 2. *Decius cons.* 46. *Crauett. cons.* 137. *num.* 14 *cum alijs Gratian. cap.* 558. *num.* 23. certum autem est, quòd causa finalis disponendi, ne Confessarij solicitarent ad turpia, & ne 78
nondum Sacerdotes celebrarent, & ne audirent Confessiones, ea est, & fuit, ne abuterentur Sacramentis, eisq; facerent iniuriam & vt quæ de illis sunt de Fide iam definita taliter conseruarentur, ne adesset periculum Catolicam Fidem violandi, signum euidens, quòd summi Pontifices ad sic disponendum inducti fuerunt, prudenter, arbitrantes tales Abusus futuros esse in graue præiudicium & periculum Fidem violandi, vt patet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes quòd qui de Fide catolicâ rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesiâ Dei institutis abutantur aut illis iniuriam faciant.* Pius IV. in sua 31. incip. cum si ut. Et Gregorius XIII. in sua 21. incip. *Officij nostri*, de celebrante, & confessario his verbis: *Animaduertentes, eos, qui Præsbiteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt facto catolicam veritatem impugnare.* Argumentum euidens, quòd per factum celebrationis & auditionis confessionis præsumuntur Fidem negare in his Sacramentis, non leuiter, sed grauiter, cum semper ex huiusmodi factis aliud præsumi non possit, nisi vehemens, aut etiam violenta Suspicio, quòd credant illis licere eam administrationem, taliter factam, ac proinde non solis Sacerdotibus, sed etiam alijs quibuscunque, quod est Catolicam Fidem violare, & hoc verum est non solùm respectu illorum, qui sunt de Regionibus infectis hac Hæresi, sed etiam de illis, qui extra illas Regiones sunt, quia tale factum manifestum, vt indicium Hæresis, ac proinde vehementem inducens Suspicionem in quibuscunque talia agentibus.

Confirmatur, quia huiusmodi actus semper inferunt Suspicionem Hæresis, vt colligitur ex dictis Bullis, & ex alia Gregorij XV. incip. *Vniuersis* 34. ibi: *Sacrosancto Pænitentiæ Sacramento, solicitando Pænitentes ad* 79
turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem, & ex cælesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Item Clem. VIII. in sua incip. *Et si alias* 81. his verbis: *Non solùm Sacramenti pænitentiæ dignitatem contemnere, verum etiam Christi Fideles decipere.* Cum ergo hi semper Sacramento abutantur, & illius dignitatem contemnant, ac proinde sint suspecti de Hæresi, tales esse non possunt leuiter, cum leuis Suspicio oriatur rarò ex indicio eam inferente, vt ex eorum dictis, & aliorum, dictum fuit in eius definitione supra sub num. 11. Sed ex his actibus semper oritur, ergo est vehemens, immo Violenta.

Ad eorum rationem dico, non probare, 80
quia luxuria, & lucrum non sunt indicia alicuius

cuius Suspicionis Hæresis, & quia non sunt inducti à Iure, & quia aliter omnis luxuriosus, seu fur non indigens esset suspectus de Hæresi, quod nemo dicet, & tamen Hispani dicunt, tales esse suspectos, ergo debent inferre vehementer, non leuiter Hæresim; hinc oritur sequens quæstio.

Quæritur 13. An Suspicio semper oriatur à quolibet Indicio iuridico eam inferente? Videtur, quòd non, ex differentia specierum ipsius Suspicionis, nam leuis raro, vehemens sæpe, & violenta sæpissime, ergo non semper. Ex relatis hic sub. num. 11. 34. & 44.

81 ℞. Affirmatiuè Tum quia ex natura rei contrariantur catolicæ Fidei, ergo semper inferunt suspicionem Hæresis, cum sint causa in genere moris, ergo semper operantur suum effectum. Tum quia si talem non haberent necessitatem dispósita à Iure canonico super illis ad inferendum Suspicionem hæresis, remanerent incerta contra naturam Legis, quæ debet esse clara, & certa, non ob-

82 scura, neq; ambigua, *cap. fin. de const.* Tum quia Indicia non debent esse dubia, nec æquiuoca, sed certa, in productione sui effectus, *Farinac. consil. 56. num.* 13. Neque enim indicium delicti sumi potest ex actu, qui potest esse, & non esse delictum, *ex eod. consil.* 37. *num.* 20. Neque ex verbis dubijs, & obscuris, *consil. 56. num.* 14. Quare concludendum est. Indicia à iure inducta semper inferre proprium effectum, ac proinde in casu nostro, eo maximè, cum effectus Suspicionis Hæresis necessariò dependeat à delictis à Iure designatis, cum quibus habent necessariam connexionem ex illa contrarietate, quam præseferunt ipsa delicta, intercedente inter Hæresim, & Fidem. Vide supra num. 44.

83 Nec his obstat ratio dubitandi, quia Doctores communiter definientes Leuem per raro, Vehementem per sæpius, & Violentam per sæpissimè, intelligendi sunt, quòd non semper contra querelatum infertur Suspicio Hæresis, in casu scilicet, quò affert legitimam excusationem, vt dixi supra num. 44. & dicam, vbi de Defensionibus Reorum, non verò sunt intelligendi, quòd negent hanc necessariam connexionem inter Indicium & ipsam Suspicionem, cum certum sit Indicium iuridicum quantùm est ex parte suâ semper inferre suum effectum Suspicionis, non enim Iura laborant in æquiuoco. Vide sect. 59. q. 24. Vers. Ad rem nostram.

Quæritur 14. An huiusmodi Indicia iuridica sint proxima, an remota respectu ipsius Suspicionis?

84 ℞. Proxima, & immediata, cum ex illis inferatur Suspicio Hæresis nullo intermedio interiecto, in omnibus enim semper attendenda est causa proxima, *l. Vxori 14. ff. de auro, & arg. leg.*

Quæritur 15. An Suspectus de Hæresi incurrat pœnas Fautorum, de quibus in cap. Excommunicatus 13. §. Credentes de hæret. & alijs, de quibus in præced. sectione de Fautoribus?

℞. Si Suspicio oriatur ex delicto Fautoriæ est reus omnium pœnarum, quas incurrunt Fautores, iuxta dicta in præcedenti sectione & tradit *Castropal. tract. 4 disp. 7. par. 1. n.* 11. *Dal Bene Dub. 169. num.* 3. Quòd si suspicio oriatur ex alijs delictis extra Fautoriam non subditur pœnis Fautorum, vt docent præcitati. 85

Quæritur 16. An Suspectus de Hæresi sit irregularis.

℞. Suspectos ex Fautoria esse irregulares ex dictis sect. 15. num. 83. ex præfatis Doctoribus, & deducitur ex cap. 2. de Hæret. in 6. §. Hæretici; vbi decernuntur inhabiles Hæretici, Credentes, Receptatores Defensores & Fautores hæreticorum, ipsorumq; filij vsq; ad secundam generationem, ad quodcunq; Beneficium ecclesiasticum, seu officium publicum, & attentata promotio dicitur irrita. Nihil ibi de obtentis. Aliter verò suspecti, scilicet ex alijs delictis sunt irregulares ex Infamia post condemnationem. 86

Quæritur. 17. An dicta in præcedentibus 15. & 16. quæstionibus habeant locum etiam in suspectis leuiter?

℞. Negatiuè, quia nullibi reperitur, quòd leuiter suspecti sint Rei similium pœnarum; afficiuntur enim salutaribus pœnitentijs. Sermo ergo in illis est de suspectis vehementer, seu violenter. Quamuis *Castropal tract. 4. disp. 7. p. 1. num* 9. cum alijs dicat, Suspectum de leui posse condemnari, fustigatione, triremibus, & alijs pœnis; considera tu, quòd cum sit Hispanus, loquitur de more illius Regionis, tenens abusum Sacramentorum inferre suspicionem leuem. Deinde nostra responsio subsistit, quia loquimur de pœnis iuridicis, non arbitrarijs. 87

Quæres 18. An Suspecti de Hæresi sint priuati Beneficijs, & ad alia inhabiles.

℞. Suspecti vehementer de Hæresi extra Fautoriam, ex alijs delictis non sunt priuati, nec inhabiles ad Beneficia ecclesiastica, quia talis pœna contra eos non reperitur expressa in Iure. Ita multis citatis Carena *par. 2. tit. 1. num.* 148. *Ego in sacro Tribunali cap.* 12. *num.* 85. 88

Hic agendum esset de his, qui dicuntur suspecti de Hæresi, sed quoniam suspicio horum oritur ex diuersis delictis, ideo infra suis locis, cum agam de delictis inferentibus Suspicionem, constabit ex illis quinam dicantur suspecti de Hæresi, interim vide Lezanam part. 3. V. Hæresis num. 4. vbi refert plusquam triginta casus suspectorum de Hæresi.

Quæritur 19. An ad inducendam Suspicionem Hæresis supponatur in facto peccatum mortale?

℞.

89 ℞. Affirmatiue, vt probo infra sect. 25. num. 130.

Quæritur 20. An negligens denuntiare sit suspectus de Hæresi?

90 ℞. Affirmatiuè, infra sect. 18. q. 34. num. 69. ad 72.

Quæritur 21. An nolens testificari sit Suspectus de Hæresi, siue sit testis habilis, siuè inhabilis?

91 ℞. Affirmatiuè, & quidem vehementer, quia fauet Hæretico, nisi recuset depositionem ex causâ consanguinitatis, seu affinitatis; præsúmitur enim facere id respectu personæ, non ex causa Hæresis, vnde in priori casu puniendus est, vt Fautor Hæresis in posteriori habetur solùm pro inobediente. *Direct. par. 3. q. 62. ibi Pegna com. 111. Vers. Ego distinguendum, Farinac. q. 75. num. 3. Sousa lib. 2. cap. 17. num. 7. Ego cap. 33. num. 17.*

SECTIO DECIMA SEPTIMA

De Abiuratione Hæresis.

SVMMARIVM.

1 *Abiurare debent Hæretici, & de Hæresi suspecti.*

2 *Abiuratio definitur à Pegna.*

3 *Ab Auctore quòd exprimitur quinque iuramentis.*

4 *Solemnis detestatio, quia regulariter publicè fit.*

5 *Solemnitas enim importat actum publicè factum.*

6 *Missa solemnis, quæ cantatur omnibus de Choro interessentibus.*

7 *Detestatio est abominatio, & reuocatio Hæresis.*

8 *Detestatio Hæresum, quia omnes detestantur.*

9 Offendens in vno, omnium Reus est factus.

10 *Primum Iuramentum in Abiuratione est, quòd credit, quicquid credit Ecclesia.*

11 *Secundum, quòd nihil dicet, nec faciet contra Fidem.*

12 *Tertium, quòd non conuersabitur cum Hæreticis, & suspectis de Fide.*

13 *Quartum, quòd denuntiabit Hæreticos, & suspectos de Hæresi.*

14 *Quintum, quòd adimplebit omnes pœnas impositas.*

15 *Subijciendo se pœnis, si non adimplebit.*

16 *Iudex post latam Sententiam definitiuam desinit esse; Iudex explicatur.*

17 *Vnum est Iuramentum extensum ad plura obiecta.*

18 *Abiuratio quadruplex, formalis, de leui, de vehementi, & de violentà.*

19 *Posteriores duæ eodem modo fiunt.*

20 *Abiuratio regulatur iuxta qualitatem Suspicionis.*

21 *Probatio plena delicti præcedit de necessitate Abiurationem.*

22 Sicut audio iudico *Ioan. 5. 30.*

23 *Sententia non fertur, nisi in conuictum, vel confessum.*

24 *Abiuratio est pœna grauissima.*

25 *Suspicio Hæresis ex necessitate Iuris oritur ex certis delictis.*

26 *Minor ætate abiurat solùm de leui.*

27 *Abiurationis species in multis conueniunt.*

28 *Genus in est omnibus suis speciebus.*

29 *Differunt inter se.*

30 *Abiuratio generalis fit etiam à suspecto tantùm de leui.*

31 *Detestatio omnium* Hæresum *est actus Virtutis.*

32 *Abiuratio leuis non causat relapsum sicut aliæ.*

33 *Abiuratio de leni secretò fit, aliæ publicè. quæ*

34 *In certis casibus fiunt secretò.*

35 *Nobiles mitiùs puniuntur.*

36 *Caluinistæ, & Luterani abiurant de formali.*

37 *Mitioribus pœnis puniuntur abiurantes de leui.*

39 *Masculus post 14. fœmina post duodecimum.*

39 *Abiuratio fit coram vtroque Iudice.*

40.

1 QVuoniam in præcedentibus Sectionibus sæpius dictum fuit, Hæreticos, & de Hæresi suspectos, debere abiurare Hæreses, in quas probantur esse lapsos, ideo abs re non erit, hic agere de Abiuratione ab illis faciendà de mandato Iudicum Fidei, cuius vsus est antiquissimus, ex allatis à *Pegna in part. 3. Direct. com.* 40. Quare vt distinctè procedamus.

Quæritur 1. Quid sit Abiuratio? Pegna loco citato, *quem Farinac. q. 194. num. 1. Ca-*
2 *rena part. 3. tit. 12. num. 1. Sousa lib. 2 Aphor. cap. 40. num. 1. Ego cap. 12. in Tribunali, & alij sequuntur,* Abiurationem sic definit. Est solemnis detestatio Hæresum, cum assertione Catolicæ Veritatis, & obligatione, Iuramento, & pœnâ munita, permanendi in Fide Catolicâ. Eam deducit *ex cap.* 8. *Concilij Nicani primo; ex Epist.* 84. *Leonis* 1. *ad Nicetam Episcopum Aquileiensem; & ex cap. Ego Berengarius* 42. *dist.* 2. *de consecr.* Ego autem eam sic describo.

℞. Abiuratio est solemnis detestatio Hæresum, cum quintuplici Iuramento, vno assertorio, & quatuor promissorijs, cum obligatione pœnali adimplendi pœnas, & pœnitentias impositas abiurato, & permanendi in Fide Catolicâ. 3

Dixi primò *Solemnis detestatio*, quia fit publicè regulariter non solùm coram coniudicibus, Episcopo scilicet, & Inquisitore; vel coram hoc, & illius Vicario Generali, adhibitis testibus, cum eorum subscriptione, & ipsius Abiurantis, si scit scribere, aliàs facit propriâ manu signum Crucis, postquam eam legit vulgari linguâ, vt sciat, quid abiurauerit; verùm etiam coram multitudine populi, vt erubescat magis de suis erroribus toti populo notificatis per Notarium; & propter hæc Abiuratio appellatur solemnis, solemnitas enim importat actum, & ceremoniam publicè factam coram multis Cicer. apud Nizolium, hoc verbo id docet, dum Sacrificium suis Dijs inanibus factum vocat solemne. Missa tunc solemnis dicitur, cùm celebratur cum cantu, ad quam omnes de Choro conueniunt, & populus frequentior, ex tit. 5. num. 3. & alibi. 4 5 6

Verbum illud *detestatio* notat abominationem, reuocationem, anathematizationem, & maledictionem Hæresum, alio enim titulo Hæreses non sunt denominandæ, nisi maledictionis, & abominationis. 7

Dixi 2. *Detestatio Hæresum*, in numero plurali, quia Reus non solùm debet detestari eas, in quas probatur lapsus, anathematizando singulas suis nominibus per eum expressas, sed etiam omnes alias in communi generaliter debet abiurare, sequendo exemplum Berengarij, qui loco citato cap. 42. dist. 2. de consecr. abiurauit singillatim Hæreses, quas tenuerat, & docuerat, sed omnes alias, quarum non erat reus. 8

Nec obstat ibi Glos. *V. Omnem*, dicens, quod Berengarius hoc fecit ex abundantiâ, quia non tenebatur se purgare, nisi de Hæresi, de quà erat infamatus. Quia ibidem sibi opponit illud Iacobi cap. 2. 10. Qui offendit in vno factus est omnium Reus, quod propriè locum habet in Hæresibus, qui enim negat vnũ Articulũ de Fide, cetera non videtur credere, cum omnia à Deo reuelata pendeant ab vnicâ eius Veritate, à qua omnia de Fide reuelata pendent; negando igitur vnum Articulum, labefactat Dei veritatem, quæ vnica, & indiuisibilis, ergo illi detrimentum affert respectu omnium, quæ sunt de Fide, & 9

ideo Reus huius criminis cogitur abiurare omnes Hæreses, etiam eas, quas non tenuit. Et ita practicatur in quolibet Tribunali S. Fidei, vt docent *Sanctar. cap.* 42. *num.* 2. *Farinac. q.* 195. *num.* 45. *ex illis* Barb. *ad cap. Accusatus* 8. *de Haret. in* 6. vbi fit mentio de Abiuratione in generali, *num.* 12 *Dal Bene Dub.* 171. *Petit.* 2. *num.* 6. *Ego hic sect.* 7. *num.* 12.

Dixi 3. *Cum quintuplici Iuramento*; Abiurans enim plura iurat in actu Abiurationis, quæ in se nullum admittit Iuramentum, quod refertur ad alia obiecta expressa in formulà Abiurationis, vt videri potest in formulis relatis *à Pegna part.* 3. *com.* 40. *& ante à num.* 163. *& seq.* clarius ab Arsenali in omnibus formis Abiurationis etiam de leui fol. 201. Impræss. Romanæ Corbelleti anno 1639.

10 Primum Iuramentum dictum *assertoriam* exprimitur similibus verbis: Iuro, quòd semper credidi, credo nunc, & Dei auxilio semper in futurum credam omne id, quod tenet, credit, prædicat, & docet sancta, Catolica, & Apostolica Romana Ecclesia. *Patet ex præfatis formulis*.

11 Secundum Iuramentum, & primum *promissorium* his concipitur verbis: Iuro, me nihil facturum, nihil dicturum deinceps, quo quid quam suspicari possit de me contra Fidem. *Arsenale tantùm*.

12 Tertium, & secundum *promissorium* exprimitur his verbis: Iuro, me non conuersaturum cum Hæreticis, nec suspectis de Hæresi. *Arsenale tantùm*.

13 Quartum, & tertium *promissorium* formatur sic: Iuro, me denuntiaturum, quem sciuero esse Hæreticum, vel suspectum de Hæresi. *Arsenale tantùm*, iuxta dicenda infra quæst. 12.

14 Quintum, & quartum *promissorium* est eius tenoris: Iuro, & promitto, me adimpleturum omnes pœnas, & pœnitentias integrè, impositas, vel imponendas. *Arsenale*, *Pegna*.

15 Dixi 4. *Cum obligatione pœnali adimplendi, &c.* Reus in abiuratione si non adimplebit pœnas & pœnitentias se subijcit omnibus pœnis, & castigationibus à sacris Canonibus, & constitutionibus generalibus inflictis contra similes delinquentes. *Arsenale*, *Locatus* fol. 194. contra abiurantem de vehementi, Arsenale etiam de leui.

Direct. nihil de hac subiectione ob non adimpletas pœnas, sed tantùm dicit *ea par.* 3. *ante com.* 40. *num.* 163. *Quod si*, inquit Abiurans, *aliquid prædictorum fecero in futurum, quod Deus auertat pœnis Iuris taliter abiuranti debitis prompto animo me submitto, paratus subire omnem pœnitentiam*. Pro Abiuratione de leui prædicta dicit. De vehementi eadem verba repetit sub num. 168. De violenter suspecto, sub num. 176. habet hæc: *Quod si contra abiurata, vel iurata fecero in futurum, pœnis de Iure Relapsis debitis nunc pro tunc me obligo, & adstringo*. Iurauerat autem immediatè ante suspectus violenter adimplere pœnitentias, ergo non adimpletis se fecit Reum pœnarum Relapsorum. Eadem formulà vtitur Locatus prope finem contra violenter suspectos fol. 497.

Aliàs nonnulli dubitarunt circa potestatem Inquisitorum procedendi contra Abiuratos non implentes pœnitentias, *Decianus enim lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 40. *Decius consil.* 137. cum alijs id negant, quia Iudex desinit esse Iudex post latam Sententiam definitiuam, l. Iudex ff. de re iudicatà; Sed reuerà Inquisitor talem habet potestatem, vt multis citatis probaui *Sect.* 7. *num.* 29. *& Sect.* 14. *num.* 9. Et ideo iure merito in formis Abiurationis exprimunt ea verba, vel similia in *Dixi* 4. relata ad conseruandum suum Ius contra non adimplentes pœnitentias; præsumitur enim eorum Conuersio ficta, non vera, ac proinde eos perseuerare in suis erroribus Hæresis, vel Suspicionis Hæresis, ergo ex hoc capite adhuc subijciuntur. 16

Dubitari potest super hæc Iuramenta, an vnum sit, an plura? Vi detur vnicum, & quia in vno, & eodem contextu sententiæ definitiuæ repetitur, ad quod facit, quod dixi controuers. Moral. 46. *num.* 40. *impressionis Romanæ*, *& Resol.* 146. *eodem num.* 40. *tom.* 4. *impressionis Lugdunensis*. Et quia non obstat multiplicatio numerica, cum versentur circa eamdem materiam, & obiectum de Fide conseruandà, & Hæresi extirpandà, vnde repetitio potius est, quàm multiplicatio; ad quod facit *Auth. Hoc Sacramentum C. de iureiur.* Vbi quòd Iuramentum generaliter præstitum videtur in quolibet articulo repetitum; cum ergo in casu nostro in singulis articulis exprimatur, adhuc censeretur repetitum ex generalitate, si non exprimeretur taciti enim, & expressi eadem est virtus, ex vulgatis Iuribus. 17

Sed reuerà multiplex est numero, & si vnum specie, vt probant allatæ rationes, & probatur euidenter, quia vnum potest violari Iuramentum & non aliud, vt patet, quia vnus articulus ex iuratis potest non obseruari alijs obseruatis, tot ergo sunt periuria, quot transgressiones, ex diuersitate obiectorum iuratorum.

Quæritur 2. Quotuplex sit Abiuratio? 18

℞. Quadruplex, Leuis, Vehemens, Violenta, & Formalis. Quoniam autem Abiuratio, quò ad eius specierum denominationem, & eius pœna imponenda Reis cognoscitur, & regulatur ab Hæresi, & eius Suspicione, quæ sunt quatuor species, ideo ab his sumit specificationem hoc modo.

Hæresis formalis inducit formalem Abiurationem

rationem, nam qui negauit corde, & ore Purgatorium, debet hanc formalem Hæresim abiurare formaliter, asserendo esse Purgatorium, & antea falsò illud negasse. Secunda species Abiurationis vocatur de leui, quia fit ab eo, qui confessus est, vel conuictus de delicto inferente leuem Suspicionem Hæresis. Tertia species Abiurationis nuncupatur de Vehementi, quia fit ab eo, qui confessus est, vel conuictus de delicto inferente vehementem Suspicionem. Quarta species Abiurationis vocatur Violenta ab eo, qui confessus, vel conuictus fuit de delicto inferente violentam Suspicionem. Vide dicta de Suspicione præcedenti sectione.

Itaque Abiuratio facienda est à Reo sub ea specie, sub qua iudicatus fuit per Consultores, vel formaliter Hæreticus, vel Suspectus leuiter, vel vehementer, vel violenter.

19 Verùm quidem est, quòd nunc non est in vsu Abiuratio ex violenta Suspicione, sed omnes abiurant suspecti solùm de vehementi, licet quò ad pœnas differant, ob grauitatem delictorum. Ita *Farinac.q.* 187.*num.*52. *Castropal.par.*1.*tract.*4.*disp.*7.*p.* 1.*num.*12. *apud Carenam par.*3.*tit.*12 *num.*8. putantem, idem seruari etiam in Regnis Hispaniarum ex Paulo Garzias, qui de violentà nullam facit mentionem. Abiuratio ergo regulatur iuxta qualitatem Suspicionis probatam in

20 Iudicio *Direct.par.*2.*q.*42.*num. 6.Pegna par.* 3.*com.*40.*Vers. Abiurationem Carena par.* 3. *tit.*12.*num.*4 Qualis ergo est Suspicio, talis debet esse Abiuratio, quæ ab ea qualificatur.

Quæritur 3. An ad impositionem Abiurationis, necessariò prærequiratur probatio delicti Hæresis, vel alterius delicti inferentis Suspicionem, & qualitatem ipsius Suspicionis?

21 ℞. Requiri plenam probationem Hæresis; item probationem similiter plenam delicti inferentis Suspicionem; & demùm Iudicium Consultorum de qualitate suspicionis an sit leuis, an vehemens. Probatur de omnibus simul, quia Iudex secundum allegata, & probata iudicat, & fert Sententiam; & non aliter, Ioan. 5. num. 30. in-

22 quit Christus Dominus: *Sicut audio iudico*, cap. Iudicet, 4. 3. *q.*7. *cap. Si peccauerit* 19. 2. *q.* 1. *l. Illicitas* 6.§.*Veritas ff. de offic.Præsid.D.Thoma* 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. iuxta illud D. Augustini relatum cap. 1. 2. q. 1. *Nos*, inquientis, *in quemquam Sententiam ferre non*

23 *possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum*. Sed Abiuratio indicitur per Sententiam, vt patet ex vsu huius Tribunalis, ergo debet constare de delicto per conuictionem, vel per confessionem delinquentis, vt possit cogi, nam Abiuratio formalis præsertim, & vehemens sunt pœnæ grauissimæ, quæ pu-

24 blicè regulariter fiunt, cum maximo rubore, & cum periculo relabendi, quo casu relapsus traditur Curiæ sæculari, *Pegna part.* 3. *com.* 39. *vers. Non tamen*, *& com.*40. *vers. Præterea, vers. Denique Royas singul.*1. *num.* 26.

Et sic reuoco quod dixi cap. 11. num. 5. in Tribun. & si enim per Abiurationem tollatur Suspicio de corde audientium; non tamen per eam tollitur periculum relabendi, immo, & incurrendi pœnas ob non adimpletas pœnitentias. Et quòd ad Abiurationem requiratur antecedenter probatio delicti, & Iudicium Consultorum circa gradum Suspicionis docent omnes *cum Menoch. lib.* 1. *cons.* 82. *num.* 155. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *num.* 8. *& 9. Diana part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 39. §. *Notandum*, *Ego loco citato num.* 7. Et licet ex delictis quibusdam ex necessitate Iuris inferatur Suspicio 25
Hæresis; non tamen eius gradus, & qualitas, an sit Suspicio leuis, an vehemens, an violenta, sed id à Consultoribus determinandum est consideratis modo, quo delictum committitur, & circunstantijs personæ delinquentis, vt dixi præcedenti Sectione. Determinatà ergo qualitate Suspicionis per Consultores, Coniudices ferunt Sententiam contra Reum, quem cogunt abiurare de leui, si Suspicio fuit iudicata ab ipsis Consultoribus leuis, aut de vehementi, si determinata fuit Suspicio de vehementi, abiurationis enim gradus regulatur à qualitate Suspicionis, vt dictum fuit, nisi obstet ætas minoritatis, *ex Pegna Sousa lib.* 2. *cap.* 40 *num.* 26
15. Vbi minores quouis modo suspecti, solùm de leui abiurant.

Quæritur 4. In quo differant supradictæ quatuor species Abiurationis, & in quo conueniant?

℞. In primis, quòd supradictæ species in 27
eo conueniunt, in eo quod sub primâ quæstione definitum fuit, quòd Abiuratio est detestatio Hæresum cum quintuplici Iuramento, & obligatione permanendi in Fide catolicâ, & subeundi pœnas iuridicas inflictas de Iure Hæreticis, seu suspectis de Hæresi, nec non complendi pœnas impositas, iuxta explicationem factam super præfata definitione. Et id patet ex illâ communi doctrinâ logicorum, quia scilicet quidquid prædicatur de genere, prædicatur etiam de omnibus speciebus sub eo contentis; quam regulam amplectuntur etiam Iurisconsulti, genus enim inest speciebus cum omnibus suis qualitatibus, *Authent. Hoc Sacrosanctum*, *C. de* 28
Iureiur. & quicquid adscribitur generi, adscribitur etiam singulis speciebus sub eo contentis, *l. Si Chorus ff. de legat.* 3. *& leg.Gregė ff. de legat.* 2. *Rota par.* 5. *dec.* 194. *num.* 53. Fundatur in principio logico nuncupato *Dictum de Omni*, quod ab Arist. 1. Priorum cap. 1. sic explicatur. Quicquid prædicatur de subiecto, prædicatur de omni contento

subeo, ergo quæcunque diximus de Abiuratione, prædicantur de supradictis quatuor eius speciebus.

29 Differunt verò primò, quia in Abiuratione formali Hæreticus fatetur Hæreses quas tenuit, & eas detestatur cum cæteris. Suspectus verò quouis modo non fatetur, se Hæreses tenuisse, sed similibus verbis abiurat: *Sed quia propter causas in Processu formato contra me expressas ab hoc S.Officio iudicatus fui suspectus de Hæresi, scilicet me tenuisse &c.* referendo delicta inferentia Suspicionem, *propterea volens auferre à mente Fidelium hanc Suspicionem contra me iustè conceptam*, abiuro, & detestor *supradictas Hæreses, & generaliter, &c.* Abiuratio ergo debet fieri, non solùm de Hæresibus formalibus, seu de earum Suspicione commissis; sed etiam de non commissis generali Abiuratione, vt dixi sub num. 8. Et hæc generalis abiuratio fieri debet respectu omnium Suspicionum, etiam leuis. Ita de Praxi in Officio Vniuersalis Inquisitionis Romanæ testatur

30 de anno 1578. *Pegna par. 3. com. 40. vers. Hac dum scribo.*

Putauerat autem antecedenter, vt habet vers. Cæterum; omitti posse Abiurationem generalem respectu suspicionis leuis, ea ratione, quia etiamsi apponeretur, nihil operaretur cum eo, qui abiurat de leui, quia si incidat in Hęresim abiuratam, siue aliam, non censetur relapsus. Sed meo iudicio est necessaria generalis Abiuratio præter specialem, stante hac consuetudine legitimè præscriptà tot annorum in fauorem Fidei Catolicæ; & hoc videtur deduci ex fine Abiurationis, quæ illuc refertur, vt Hæreticus, vel de Hæresi suspectus detestatione omnium Hæresum firmius permanere possit in Fide non amplius ab eà aberrando; finis enim permanendi in Fide Catolicà persuadet detestationem non solùm Hæresum commissarum, sed omnium aliarum non commissarum; quælibet enim facit fidelem deuiare, ergo omnis Hæresis generaliter abiuranda est; qui enim vnam committit Hæresim, quæcunque ea sit in Fide non permanet, sed ab ea recedit, & euadit infidelis, cum ergo actus Abiurationis omnium Hæresum sit actus Virtutis operatur

31 Dei auxilio, vt fidelis remaneat in omnibus fidelis, sicut omnes Hæreses Abiuratione fugauit.

Ad rationem præfatam; verum est, quòd Abiuratio generalis respectu leuis Suspicionis non inducit relapsum, vt dicitur *in cap. Accusatus 8. de Hæret. in 6.* Sed solùm respectu formalis Hæresis, & vehementis, seu violentæ Suspicionis facta Abiuratio, vt dixi sect. 7. q. 5. num. 15. Quòd abiurans de leui anathematizet generaliter docent præter *Pegnam, Decian. lib. 5. cap. 47. num. 10. Zechius in sum. tom. 1. de Fide cap. 11. num. 5. Simancb. de catol instit. tom. 1. tit. 57. num. 7. cum alijs* Dal Bene *Dubit. 171. Petit. 2. num.* 8. vbi refert plures negantes teneri abiurare generaliter. Tamen isti audiendi non sunt, quia consuetudo in hoc habet vim Legis, ergo non est in arbitrio alicuius condonare talem Abiurationem generalem, vt dixi *cap. 11. num. 14. Diana part. 4 tract. 8. resol. 68. Carena p. 3 tit. 12. num. 38.*

Differunt secundò, quia leuis Abiuratio numquam est causa relapsus, sicuti est Abiuratio formalis, aut vehemens, seu violenta, vt dixi supra, & in sect. 7. Qui ergo de leui abiurauit non dicitur relapsus postmodum confessus, vel conuictus de Hæresi, vt clarè determinatur in cap. *Accusatus 8. §. 1. vers. Si autem, de Hæret.* Et ita omnes docent, cum id sit hoc Canone determinatum, *Mascard. concl. 863. Royas sing 1. nu. 26. cum alijs* Dal Bene *Dub. 162. num. 16. Pegna com. 40. vers. Denique.* 32

Differunt 3. quia Abiuratio de leui fit secretò, hoc est, coram Inquisitore, Consultoribus, & Testibus in suà aulà, & non coram populo, & publicè, sicuti fit Abiuratio de formali, aut vehementi, seu violentà, de communi *Pegna part. 3. com. 40. vers. Præterea, Genuensis in sua Praxi Neapol. cap 68. num. 9. Carena part. 3 tit. 12. num. 28. Farinac. q. 194. num. 10. Ego cap. 11. num. 10.* Quia leuitas Suspicionis non debet inferre suspecto taliter tam grauem ruborem, & verecundiam coram omni populo, æquum ergo est Abiurationem secretò recipere. Quare suspectus leuiter non debet cogi publicè coram populo abiurare de leui. *Ita cum Directorium 161. Pegna citatus, Genuens. cap. 84. num. 9. ex eis Barb. ad cap. Ad abolendam 9. num. 12.* In quo textu alij debent abiurare publicè, quia ita exigit grauitas Suspicionis, & multò magis ipsa formalis Hæresis confessa, vel conuicta, vt in eodem cap. docent *Butrius num. 6. Socinus num. 8. Anania num. 12. Direct. part. 3. num. 126 & 127. Pegna com. 42. num. 174. Menoch. casu 372. num. 1. ex illis Barb. ad cap. 9. de Hæret. num. 11.* 33

In nonnullis casibus formalis Hæreticus, aut suspectus de Hæresi vehementer, vel violenter cogitur abiurare in secreto, & non coram populo. *Primò*, quando comparet sponte ante denuntiationem suos errores accusando, vel antequam citetur. Ita *Locatus V. Ordinarius num. 2. Royas singul. 23. num. 8. & de Hæret. part. 2. num. 272. quos refert Barb. in cit. cap. 9. de Hæret. num. 12. Carena par. 3. tit. 12. num. 23. & 26.* quia aliquid deferendum est spontaneæ Comparitioni, arguit enim in comparente pœnitentiam ex corde suorum errorum. *Secundò* ratione Nobilitatis quandoque admittitur Abiuratio in secreto, *Carena cit. num. 27.* Nobiles enim mitius puniuntur, *Tiraquel. de* 34 35

de Pœnis temper Causa 31. *num.* 2. *& de nobil. cap.* 20. *num.* 19. *Farin. q.* 98. *num.* 97. Idem dic de Sacerdote, quia nobilis est ex dignitate Præsbiteratus, quamuis inueniantur aliqui discoli, ex abundantiâ, qui peiores sunt laicis, deturpantes suam nobilitatem, ideo more laicorum cogendi sunt abiurare. *Tertiò*, Confessarius reus de Solicitatione abiurat prudentiùs in secretò, quam coram populo, tum ex nobilitate Sacerdoti; tum quia ex abiuratione coram populo Sacramentum Pœnitentiæ fit graue laicis, qui suas Vxores, & Filias non ita facilè admitterent ad Confessiones, timentes proprij honoris aliqualis detrimentum. Ita *Carena par.* 3. *tit.* 12. *num.* 29. Ego cum sequutus *cap.* 11. *num.* 9. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *part.* 11. *num.* 2. In Hispaniâ, inquit Carena num. 30. ex alijs in hac causâ Solicitationis non vocari Consultores seculares.

36 Dixi eodem cap. 11. num. 11. Caluinistas, & Luteranos natos in suâ sectâ conuersos ad Fidem cogendos esse ad Abiurandum de formali omnes suas Hæreses publicè, vt ex ea cognoscantur conuersi ad Fidem; nec talis Abiuratio eis est grauis, nec in ruborem, sed in magnum decus, & honorem, quia falsam sectam reliquerunt, in quam non vitiosè inciderunt, sed ex conditione sui ortus. Nec opus est, quòd abiurent generaliter, quia vitiosè non sunt Rei Hæresis pertinaciter, sed ex naturâ, & conditione Parentum, vnde nec relapsi dicuntur, si post Abiurationem cadunt in Hæresim.

37 Differunt 4. in pœnis, nam abiuranti de leui imponitur minor pœna, quam abiuranti de vehementi, & de violentâ, vt pœna commensuretur culpæ. *Pegna cit. com.* 40. *vers. Tertia, ex eo Sousa lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 14. contra Ita abiurantes pœna erit quælibet non corporalis, vti stare ante valuas Ecclesiæ diebus festiuis cum candelâ accensâ, & alijs salutaribus. Contra abiurantes verò de vehementi, vel violenter, fustigatio, triremium, carcer, &c. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 7. *part.* 1. *num.* 9. ponit pœnam pecuniariam, vel carceris, vel fustigationis, vel triremium arbitrio Coniudicum. Sunt pœnæ acriores, quibus nostri in Italiâ non afficiunt leuiter abiurantes, aliter talis differentia vix haberet locum; vnde dicendum est, id habere locum apud Hispanos, qui in multis casibus Suspicionem, quam nos vehementem appellamus, leuem vocant in delictis quantumuis valde grauibus, ideo illis apponunt præfatas pœnas.

Quæritur 5. An omnes Hæretici, aut de Fide suspecti, & tales probati confessione, vel conuictione cogendi sint ad abiurandum, itaut nemo ex aliquo Priuilegio, vel aliter excusari possit?

38 ℞. Omnes Hæretici, aut de Hæresi suspecti masculi post decimum quartum annum Fœminæ post duodecim, etiam Imperator, & Reges tenentur abiurare Hæreses, vt statuit concilium Tholosanum cap. 11. Et Biterrense cap. 31. Et Institutio Valladiolitana 1488. cap. 12. quorum statutorum verba, refert Pegna *part.* 3. *com.* 40. *Vers. sed hac difficultas.* sequuntur hæc Statuta omnes *cum Farinac. q.* 194. *num* 31. *Carena par.* 3. *tit.* 12. *à num.* 40. *Sousa lib.* 2 *cap.* 40. *num.* 4. *Lupus super* 1. *dictum lib.* 3 *Dist.* 4. *art.* 3. *Diffic.* 4. *Ego cap.* 11. *num.* 15 *&* 16.

Quæritur 6. An facienda sit semper coram vtroque Iudice? scilicet corâ Episcopo, & Inquisitore? Vel coram hoc, & Vicario illius Generali?

℞. Facienda est coram vtroque; aliter 39
abiuratio nulla est, nec sic abiurans, si relabitur incurrit pœnas Relapsi; Hæreticus verò sponte comparens bene abiurat coram eo Iudice, ad cuius conspectum comparuit, alio non vocato ad actum Abiurationis.

Prima pars de Abiuratione faciendâ coram vtroq; colligitur ex Clem. I. de Hæret. sub §. Propter quod, ibi: *Aut ad Sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo.* Abiuratio autem pertinet ad Sententiam, in qua exprimitur, vt apparet ex formulis Sententiarum apud Direct. par. 3. Arsenale, & alios. Et ita docent Pegna ibidem com. 97. Vers. Veruntamen, citans Rescriptum Innoc. IV. ibi: *consultis Diœcesanis.* Farinac. *q.* 186. *n.* 79. *Azor. par.* 1. *lib* 8. *cap.* 18. *q.* 16. *Dal Bene Dub.* 195 *sect.* 25. *num.* 5. contra Zanchinum, & alios paucos. *Ego cap.* 11. *num.* 20.

Secunda pars, quòd Abiuratio facta coram vno sine alio sit nulla, probatur ex eadem Clement. ibi: *Et si secus præsumptum* 40
fuerit, nullum sit, & irritum ipso Iure. Verùm quidem est, quòd quilibet eorum potest supplere suam presentiam, vel mittendo alterum, vel per litteras significare suum consilium, & consensum, vt ibidem dicitur ante §. Sane quia. Et sic præseruatur valor Abiurationis factæ sine alterius personali præsentiâ. Abiuratio ergo ab vno recepta sine altero nulla est ex citata Clem. & ita docet etiam Dal Bene Dubit. 195. sect. 27. qui ibi citat Zanardum in contrarium, & *Farinac. q.* 186. *num* 79. *cum Campeggio, & alijs, Lucerna Inquisitorum V. Abiuratio arg. cap. Vt officium*, §. *Si verò aliquis, de Hæret. in* 6. vbi solus Inquisitor recipit Abiurationem; & *in cap. Ad abolendam de Hæret.* solus Episcopus & ad Clem. dicit, Abiurationem non esse de illis prohibitis, quæ vnus non potest sine altero; & Farinac. illo num. 79. vtitur illo communi axiomate: Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.

Quibus omnibus vnicâ responsione satisfacio, nam prædictis obstat citata Clem. quæ cum

cum sit posterior præfatis capitibus in tit. de Hæreticis illis derogauit; & prætereà inter prohibita contra Comensem comprehenditur etiam Abiuratio, cum pertineat ad Sententiam, quæ requirit vtriusq; Iudicis auctoritatem, ex eadem Clementina. Demùm axioma hìc locum habere non potest, cum Clem. habeat decretum irritans, vt visu m fuit, illud enim radicitus inficit actum contra se gestum, *cap. si ex eo tempore, de elect. in 6. Cassador. decis. 1. de Restit. spol. num. 2. cum alijs Pasqual q. 295. num. 5.* Vnde habet locum in simplici prohibitione decreto carente.

41 Tertia pars, quòd ex Abiuratione nulla non sequatur relapsus in eo, qui iterum cadit post inualidam Abiurationem, tum quia ex nihilo nihil infertur; tum quia causa nulla nullum potest producere effectum; Siquidem non entis nullæ sunt qualitates, nulli effectus, *l. Eius qui 41 ff. si cert. pet. cap. Ad dissoluendum 13 de desponf. impub. Glos. V. Accusari cap. Ad audientiam 5 de eccles. edif.* Et ita docet Dal Bene Dub. 195. sect. 27. contra Bursatum consf. 24. quem Pegna dicto com. 97. extremis verbis sequitur, asserentem hunc abiuratum coram vno tantùm esse relapsum, si denuò cadat in Hæresim, quia volunt, Abiurationem esse ritè, & validè factam coram vno tantùm Iudice, quorum argumentis iam satisfactum est.

42 Quarta pars, quòd sponte comparens ritè abiuret coram eo tantùm, cui apparuit, probatur *ex cap. Ad abolendam 9. de haret. & cap. Vt officium 11. eod. in 6.* In quibus locis fit etiam mentio de spontè comparentibus; & quò ad hanc partem hæc capita non fuerunt correcta per Clement. I. de Hæret. nisi respectu Hæreticorum denuntiatorum, ad quorum causam terminandam requiritur concursus vtriusq; Iudicis; non autem respectu spontè comparentium, de quibus nihil disponitur, sicut in præfatis capitibus. Ita *Molina de iust. tract. 5. disp. 28. num. 16.* ob duas rationes, & quia Abiuratio fit secretò, vt dixi hìc sub num. 34. Et quia nulla est dubitatio, quin talis ad reconciliationem sit admittendus, quod est causa, ob qu. m præsentia ordinarij non expostulatur.

Dal Bene Dubit. 195. sect. 26. quì ad talem Abiurationem requirit vtrunq; Iudicem, quia cum hæc Abiuratio imponatur per Sententiam, quà declaratur Reus fuisse Hæreticus, & ex vi illius omnia eius bona remanent confiscata, & morti subiectus, sine ambobus iudicari non potest.

Sed hæc ratio nihil probat, quia ea tantùm facit contra Hæreticos, quorum errores probantur per Testes ex præmissâ denuntiatione tales enim per solemnem Sententiam pœnarum, confiscationis bonorum, & Abiurationem publicam puniuntur indictam à Coniudicibus, quod nemo negat; contra verò spontè comparentes fertur Sententia Abiurationis, & pœnitentiarum salutarium non solemniter, nec publicè, sed in secreto. Ita *Simanch. de catol. instit. tit. 1. num. 24. Royas singul 23. num. 8. & de haresi par. 2. num. 272. Farinac. q. 194. num. 8. cum eis Carena par. 2. tit. 18. num. 9.* Ioannes Alberghinus Panormitanus ex nostro Tertiò Ordine Qualificator S. Officij Regni Siciliæ in suo Manuali Qualificatorum cap. 40. num. 5. Illi quoq; condonatur Mortis pœna, vt subiungit *Sub Vers. Sed tamen num. 11. ex Alphonso de Castro lib. 2. de iusta Haret. pun. cap. 2. Pegna par. 3 com 12. Vers. Sed quid si relapsus.* Comparens ergo siue pro primo delicto Hæresis, siue pro secundo pœnitentià ductus, vt prudenter à Iudice credi potest, immo & debet, meretur benignè tractari, vt dictum fuit, nec potest dici relapsus, quia, vt dicit Pegna loco citato, ille non potest dici relapsus, nisi bis de Hæresi sit conuictus, qui verò ore proprio fatetur Hæresim non conuictus bis super ea, non potest dici relapsus. Ita præter Pegnam *Farinac. q. 193. num. 33. ad 37. cum alijs à me citatis sect. 7. q. 12. num. 22.* cum quibus est etiam ipse *Dal Bene Dub. 162. num. 39. ad 41.* Qui cum alijs dicit, non condonari vitam si eius conuersio probatur ficta, vel metú pœnarum comparuisse. Dic tu hæc euitare securius, si ante denuntiationem compareat. Circa confiscationem bonorum, eidem parcitur, quia nullum fit Iudicium in Foro externo contra comparentem spontè, vt dixi sect. 13. num. 152. Itaq; ex his remanet impugnata ratio Dal Bene? 43

Qui dictâ sect. 26. impugnat rationes Molinæ, quia etiamsi non coram populo, sed solùm in Tribunali abiuret, subditur pœnæ Mortis, si reincidat, declaratur excommunicatus, eiusq; bona esse Fisco addicta, quæ est grauissima pœna, & sic non est cur ab Inquisitore, vel ab Episcopo solùm imponi possit contra Clem. Iam patet ex dictis, eius rationem replicatam esse probatam falsam; nam Clementina loquitur solùm de denuntiatis, vt supra probatum est.

Impugnat aliam Molinæ rationem his verbis. Neque valet dici, nullam dubitationem esse, quin talis ad reconciliationem sit admittendus; quin etiam nulla dubitatio, quin pœnitens Hæreticus publicus ad reconciliationem admittendus sit, & tamen hinc non sequitur, quòd is sine ordinario ab Inquisitore, vel e contra ad reconciliationem admitti possit.

Contra est, nam lata est disparitas, quia cum spontè comparentibus agitur gratiosè ex dispositione Iurium, at verò cum conuictis proceditur ad vindictam; aliter nullus Hæreticus puniretur, quia omnes pœniterent, vt pœnas euitarent, quod esse non potest

potest in spontaneis, cum ex nullo motiuo nisi Pœnitentiæ præsumantur comparere; alij verò præponunt Pœnitentiam ne tam rigorosè puniantur, de quo timere non possunt spontanei, qui tractantur solùm pœnitentijs salutaribus corporis non afflictiuis. Et ideo in hoc non opus est concursu Coniudicum, sicut est cum causa tractatur contra denuntiatum, & conuictum ad vindictam legitimam.

Quæritur 7. An Abiuratio præmittatur alijs pœnis, & Absolutioni ab Excommunicatione dandæ ab Inquisitore præsente Ordinario?

44 ℞. In Sententia primo loco exprimuntur pœnæ omnes etiam salutares, deinde cogitur ad Abiurationem Reus legendam per se; si nescit, legit pro eo Notarius, repetente Reo singula verba Abiurationis lingua vulgari, licet sit doctus, & demùm scribit, si scit; aliter facit manu propria signum Crucis. Demum absoluitur ab Excommunicatione, qui omnes actus fiunt coram eisdem Coniudicibus. Id totum est extra Controuersiam, quia ita se habent formulæ Sententiarum apud Arsenale; talis enim Ordo seruatur Romæ, vt testatur *Pegna part. 3. com. 41. vers. Veruntamen*; licet tempore Eymerici præmitteretur Abiuratio Sententiæ, immo & Absolutio, forsan, quia cum Hæreticis, & excommunicatis putabant non licere eis communicare, sed reuerà licet; includitur ergo Abiuratio in Sententià, quia reuerà est pœna, ac proinde per Sententiam inferenda. Prædictus ergo seruatur ordo. *Carena par. 3. tit. 12. num. 46.*

Quæritur 8. An Abiuratio aliquibus negetur, quamuis sint parati ad Abiurandum?

45 ℞. Negatur relapsis, quamuis se pœnitentes dicant, sed traduntur Curiæ seculari absque vlla audientià, vt dicitur in textu cap. Ad abolendam 9. de Hæret. quia non præsumuntur verè pœnitentes, sufficit enim, quòd semel Ecclesiam deceperint. Ita *Arsenale part. 10. Orac. 12. Carena part. 1. tit. 1. num. 127. vt dixi Sect. 7. num. 33.* Comparens verò spontè, sicut non traditur Morti, ita abiurare debet, quia non præsumitur velle decipere Ecclesiam, per Abiurationem confirmando suam conuersionem. Parcitur ergo spontè Comparenti, vt non tradatur curiæ seculari, vt dixi supra num. 42. Et docent *Locatus V. Abiurare num. 4 Pegna par. 3. Com. 12. vers. Sed quid si, Decian. lib. 5. cap. 56. num. 12. Menoch. cons. 32. num. 168. Farinac. q. 193. num. 36. ex illis Dal Bene Dub. 160. num. 3.*

Quæritur 9. Quid agendum sit cum nolente Abiurare?

46 ℞. Postquam sæpius fuerit monitus perseuerans in sua obstinatione nolendi abiurare, tamquam Hæreticus damnatur curiæ seculari tradendus, vt colligitur *ex cap. Ad abolendam 9. §. Præsenti, de Heret.* Clarius Martin. V. incip. *Inter cunctas* 1. in Bullar. tom. 1. §. 9. extensa in calce Direct. fol. 69. in meo Codice. Et ita docent *omnes cum Farin. q. 194. num. 34. Carena part. 3. tit. 12. num. 47.* Id intelligunt propriè de Hæretico formali confesso, vel conuicto, vnde Carena subiungit, suspectum de Hæresi vehementer, vel leuiter nolentem abiurare, non esse statim relaxandum, sed prius excommunicandum, & si in ea insorduerit per annum ex causa Fidei, postmodum, vt Hæreticus impænitens est condemnandus, & tradendus curiæ seculari. Ita *Direct. par. 2. q. 55. vers. Sed quid agetur, Pegna ibidem, Farin. num. 35. Sousa lib. 2. cap. 40. num. 16.* Martinus V. in præfatà suà Bullà §. 9. Loquitur clarè de suspectis dicendo his verbis: *Obstinatione damnabili iurare renuentes tamquam Haretici damnentur.* Per illud verbum *iurare* intelligo *abiurare*. Et quò ad insordescentiam in excommunicatione loquitur de eisdem, qui ex quadam negligentià, & desidià omittunt se purgare à Suspicione.

Quæritur 10. An conuictus solùm per testes singulares teneatur abiurare?

℞. Affirmatiuè, quia licet non sit conuictus circa delictum numero propter diuersitatem loci, seu temporis arguentium non vnicum actum, sed plura, ac proinde non sit puniendus pœnà ordinarià, sed tantùm extraordinarià, *ex Pegna par. 3. Com. 121. vers. Omissà*, cogi tamen ad abiurandum, *vt dicit vers. Quia verò*. Ratio est, quia Suspicio oriri potest etiam ex testibus singularibus, cum ea non procedat ex actu spectato singulariter, sed oriatur ex delicto inferente eam, spectato vt sic, cum enim Suspicio sit Iuris, sequitur Ius; quod delicta prohibet in genere, non in indiuiduo. 47

Quæritur 11. An Hæreticus purè mentalis abiuret?

℞. Abiurat, hoc est, non solùm dolet de mentali Hæresi nullatenus manifestatà, verum etiam detestatur illum tamquam errorem, cum proposito non amplius discredendi. Ratio est, quia sicut potest absolui à Confessario, ita coram eo in foro Dei eam abiurare sine tamen Iuramento, cum sufficiat simplex detestatio cum proposito non amplius peccandi. Dixi cap. 11. num. 21. vbi, quod Confessarius non potest recipere Abiurationem Caluinistarum, & similium, cum sint externi Hæretici subiecti Inquisitoribus, seù Episcopo, comparentes coram vno ex Iudicibus. 48

Quæritur 12. An, & quo Iure in Abiuratione Reus iuret se denuntiaturum, quos sciuerit esse Hæreticos, vel suspectos de Hæresi? De quo supra num. 13.

℞. De hac obligatione nihil reperitur 49

scrip-

scriptum in cap. Saluberrimum 21. 1. q. 7. & alijs capitibus antecedentibus, nec in cap. Ego Berengarius 42. dist. 2. de consecr. sed hoc inductum fuit ab Inquisitoribus ad conseruandum catolicam Fidem à calumnijs peruersorum hominum, apud Directorium par. 3. num. 176. in Iuramento 5. sic scribitur: *Immo si vnquam sciuero aliquem, qui illa Hæresi sit infectus, teneat seu doceat, vel alium qualemcunque, quòd vobis dominis Episcopo & Inquisitori, seu alicui vestrum, seu vestris Vicarijs, vel alteri eorum, vel successoribus vestris, citius quàm commodè, potero, denuntiabo.* Pegna ibidem com. 42. n. 176. dicit, hanc clausulam fuisse omissam in alijs formulis Abiurationis, expressam solùm in Abiuratione de violenta Suspicione. Direct. nec Pegna exprimunt hanc denuntiationis obligationem esse sub Iuramento, quam nihilominus Arsenale subiecit, & communem fecit omnibus Abiurationibus etiam de leui, vt scripsi sub num. 13.

Quæritur 13. An Catecumeni, & Iudæi si quid asserant contra fidem, tam Noui, quam Veteris Testamenti præter punitionem corporalem, cogantur abiurare Hæresim?

50 ℞. Negatiue, quia quod non receperunt, nec abiurare tenentur, cum Abiuratio obliget solum baptizatum, Baptismi enim Sacramentum continet Fidei professionem, quam baptizatus profitetur, & nemo potest esse verè, & propriè Hæreticus, nisi baptizatus ex probatis sect. 6. num. 10. Nec his obstat Bulla 70. incip. *Antiqua Iudaorum*, Gregorij X. qui solùm facit mentionem de punitione corporali, & non de Abiuratione. Contrarium exercuerunt Episcopus, & Inquisitor Barchinonensis. *Direct part. 2. q. 46. extremis verbis & ibi Pegna com. 71. pariter in fine.*

Confirmatur, quia Abiuratio est professio, & confirmatio Fidei christianæ abnegatæ potissimum cum iuratà obligatione permanendi in eadem Fide in vniuersum, sed ad nihil horum tenetur Iudęus, nec cogi potest, cum nemo ad bonum cogatur, D. *Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. Ricciul. multis citatis lib. 2. cap. 31.*

Quęritur 14. An Abiuratio non canonicè facta reiteranda sit?

51 ℞. Potest Iudex citare Reum, cui se excusanti satisfecisse Inquisitori, & abiurasse respondere potest, id non constare Sancto Officio legitimè, ac proinde inducatur ad abiurandum canonicè coram Inquisitore, & Ordinario scribente Notario, & testibus in scriptis. Arsenale par. 10. num. 17. Alij dicunt, Iudex imputet id sibi, si enim abiurauit, & detestatus est Hæreses, satisfecit muneri suo, & illi nocere non debet negligentia, & defectus officialis. Non malè loquuntur.

Quęritur 15 Quid agendum cum moriente ante exactam Abiurationem promissam? 52

℞. Legatur Sententia cum expressione pœnarum quaruncunque quibus erat puniendus, si vixisset, & absoluatur à Censurà, & demum tradatur sepulturę ecclesiasticę. Arsenale sub num. 18. addens, esse declarandum priuatum omnibus honoribus, officijs, & dignitatibus. Sed mihi videtur satis priuatus per mortem, quę omnia soluit, priuantur enim viui, non mortui, quos efficacirer mors ipsa denudauit omnibus.

Quęritur 16. An Abiuratio sit facienda verbis claris sine vlla ambiguitate, & conditione? 53

℞. Debet constare verbis claris, & apertis, non ambiguis, nec sub conditione, quia actus legitimi, & Abiuratio, non recipiunt ambiguitates, neque conditiones Reg. 50. in 6. Ita expressè S. Leo Papa in sua Epist. 84. cuius verba refert *Pegna part. 3. com. 40. vers. Iam quid obtinere, Farinac. q. 194. num. 11. Decian. lib. 5. cap. 47. num. 6.* Ac proinde Inquisitores formulam Abiurationis proponunt illis, cuius verba sine vlla detractione, vel additione legere debent.

Quæritur 17. Quos effectus gratiosos producat Abiuratio in abiurato?

℞. Duo sunt, in primis per Abiurationem magis in Fide confirmatur, & roboratur, dum abiurans Hæreses detestatur. Secundò per eandem abiurans Suspicionem, quam contraxerat ex delicto confesso purgat, & abstergit ab opinione omnium. Hæc patet ex dictis in explicatione Abiurationis. 54

Quæritur 18. Quinam sint effectus onerosi contracti in ipsa Abiuratione?

℞. Sunt sequentes, primò namque obligatur illis quinque Iuramentis explicatis in eius definitione. *Secundò*, si iterum reincidat in Hæresim incurrit crimen Relapsi, iuxta dicta hic sub num. 32. *Tertiò* sunt irregulares abiurantes ex Suspicione causatà à Fautorià ex dictis sect. 16. q. 16. ex alio capite, non nisi ex Infamià, vt ibidem dixi. Quòd dicit *Nauar. cons. 16 & 18. de Haret. & ex eo Farinac q. 192. num.* 80. intelligendum est, iuxta mox dicta, cum quibus sunt alij cum *Castropal. disp. 6. de censur. p. 19. §. 1. num. 5. & 6.* Neque enim Abiuratio vt sic est causa productiua Infamiæ, sed prout est coniuncta cum Sententià definitiuà. Vide quæ dixi cap. 12. q. 10. à num. 57. ad 64. *Quartò*, qui Abiurauit de Vehementi non potest amplius admitti ad audiendas confessiones fidelium, vtique de leui tantùm abiurans, vt dixi sect. 16. num. 31. Refero verba Sacræ Congreg. extensa apud Locatum prope finem fol. 476. & Dianam par. 4. his verbis. *Die 2. Septembris 1562.* 55 56

Illustrissimi Cardinales Inquisitores Generales decreuerunt, quod per quamcunq; Gratiam factam, vel fiendam quibuscunq; aliàs Hære-

Hæreticis, non intendunt eos restituere, vt possint Confessiones aliquorum secularium audire. Idem confirmatum fuisse reperitur in actis Sancti Officij sub die 15. Nouembris 1565. cum additione, seù declaratione, quòd illi, qui abiurarunt aliàs secretè, vel publicè aut aliàs quomodocunq; non admittantur ad audientiam Confessionum secularium.

57 Dubitatum fuit, an suspectus de Hæresi tantùm de leui prohibeatur admitti ad audiendas confesiones?

℟. Congregatio S. Officij 6. Martij 1596.
58 negatiue. Refert *Genuens. cap.* 45. *cum alijs Dal Bene* Dub. 171. *Petit.* 2. *num.* 12. Addo ego, cum hæc prohibitio restringatur ad audiendas Confessiones secularium, poterit admitti ad Confessiones Regularium vtriusq;
59 sexus, prohibitio enim vt odiosa extendi non debet, *Mascard. conclus.* 1243 *num.* 3. *Abbas consf.* 97. *num.* 41.

Quid si spontè Sacerdos compareat, & abiuret de formali, aut de vehementi in illo Foro secreto, vt contingit fieri, numquid est priuatus hoc ministerio? Puto quòd non, quia prohibitio procedit ex Sententià definitiuà condemnationis, quæ in casu comparitionis locum non habet.

Quæritur 19. An quandoq; sit abiurandum, non detestatà aliquà Hæresi in specie, sed tantùm in generali, vt contingit, cum offenditur, vel impeditur aliquis officialis S. fidei?

60 ℟. Si non constat, Reum esse Hæreticum neq; suspectum de aliqua Hæresi in specie, sed tantùm ex hoc capite, tunc abiurat tantùm generaliter, & non specialiter, quia pœna Abiurationis debet respondere, & commensurari culpæ, sed in hoc casu nulla est culpa, ex qua colligitur suspicio particularis Hæresis sed tantùm generaliter, ideo tantùm cogitur abiurare generaliter. Ita *Petrus Dusina Assessor S. Officij, & ex eo Pegna par.* 2. *com.* 79 *Vers. siv. aulus*, *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol* 13 *Vers. Verum his.*

SECTIO DECIMA OCTAVA

De Denuntiatione Hæreticorum, & Suspectorum de Hæresi.

SVMMARIVM.

1 *Edictum S. Officij aliud latinum, aliud vulgare eiusdem rationis de denuntiandis Hæreticis, & de Hæresi suspectis.*

2 *Est lex perpetuò obligans.*

3 *Per illud denuntiatio ordinatur ad punitionem.*

4 *Ommissà correctione denuntiatur Hæreticus, vel de Hæresi suspectus.*

5 *Alexandri VII. pars Bullæ ad hoc scribitur.*

6 *De leui tantùm suspectus est denuntiandus.*

7 Quomodolibet. *comprehendit omnem speciem, seu modum.*

8 *Cognitio propria, vel etiam aliena personæ Fide dignæ ad denuntiandum.*

9 *Suspicio alia Hominis, alia Iuris.*

10 *Suspicio non est certa cognitio, sed dubitatio insufficiens ad denuntiandum.*

11 *Diffamatus de Hæresi denuntiandus.*

12 *Denuntiare non tenetur non valens probare.*

13 *Vtique in S. Officio, nam reuerà.*

14 *Denuntiator non tenetur probare, vtique Accusator.*

15 Denuntiare *aliud à* nuntiare *Clem.* 2. *de Hæret.*

16 *Quilibet denuntiandus est.*

17 Omnes, & singulos, *comprehendit, qui aliàs non comprehenderentur.*

18 *Importat idem ac si singuli proprijs nominibus essent expressi.*

19 *Imperator est denuntiandus cadens in Hæresim.*

20 *Quilibet denuntiare tenetur etiam Imperator.*

21 Etiam *implicat casum minus dubitabilem.*

22 *Denuntiatio facienda est personaliter.*

23 *Secretum habens etiam iuratum tenetur denuntiare.*

24 *Pactum priuatum non tollit Ius publicum.*

25 *Hæresis ex confessione sacramentali audita non denuntiatur.*

26 *Neque audita ab alijs, licet pænitens clarà voce confiteatur.*

V. 27 *Via-*

27 *Viatores, & aduenæ non tenentur.*

28 *Denuntiatio fit Episcopo, vel Inquisitori.*

29 *Denuntiator simul & testis ad pænam extraordinariam.*

30 *Denuntiatus ab vno, denuntiatur etiam ab alio.*

31 *Crimina non debent remanere impunita.*

32 *Solicitationes omnes respectu plurium Confessariorum omnes denuntiandæ.*

33 *Socius denuntiat socium,*

34 *Solicitata tacet consensum præstitum.*

35 *Seipsum nemo denuntiat nisi sponte.*

36 *Malefica denuntiatur ex certà tantùm scientià,*

37 *Pater filium, & is illum, si non adsunt alij.*

38 *Filius remuneratur in bonis paternis, licet sit Hæreticus Pater.*

39 *Correlatiua non iudicantur ad imparia.*

40 *Pater & filius non denuntiat alterum in casibus suspicionis.*

41 *Frater denuntiat fratrem.*

42 *Coniux Coniugem.*

43 Sunt duo in carne vna *Gen. 2.25. quò ad officium generationis.*

44 *Amicus amicum denuntiat.*

45 *Affinis affinem.*

46 *Non autem in casu Suspicionis, si morantur in eadem domo.*

47 *Damnum graue sibi timens adhuc Hæreticum denuntiat.*

48 *Non verò suspectum de Fide.*

49 Voglio negar la Fede, e farmi Turco, *non denuntiandus.*

50 *Pœnitens statim adhuc denuntiatur.*

51 *Emendatus denuntiatur.*

52 *Denuntiatur etiam occultissimus.*

53 *Emendatus quis dicatur.*

54 *Emendatus verè cognosci non potest, cum pendeat à corde.*

55 *Duodecim dierum spatio denuntiandum est.*

56 *Obligatio sine die incipit ipso die contractus.*

57 *Tempus apponitur ad solicitandum non ad extinguendam obligationem.*

58 *Numeratur a die scientiæ tempus denuntiandi.*

59 *Seu ab impedimento sublato, statim tenetur denuntiare.*

60 *Mortui Hæretici aliàs ignoti denuntiantur.*

61 *Sepelientes Hæreticos puniuntur.*

62 *Hæretici mortui Hæredes citantur ad eius defensionem.*

63 *Et post 40 præscribunt eius bona.*

64 *Suspecti de Hæresi defuncti non amplius puniuntur.*

65 *Pœnæ de casu ad casum non extenduntur.*

66 *Neque de personà ad personam.*

67 *Hæredes suspecti si se obligarunt tenentur.*

68 *Non datur præscriptio in denuntiatione.*

69 *Non denuntians est suspectus dè Hæresi.*

70 *Sola omissio arguit leuem Suspicionem.*

71 *Nisi sit officialis, vel testis, vel ex alia causa; tunc enim est vehemens.*

72 *Omissio respectu suspecti arguit solum leuem.*

73 *Omittens denuntiare non est denuntiandus.*

74 *Omittens denuntiare euadit Fautor Hæretici non denuntiati.*

75 *Denuntiationis actus est personalis.*

76 *Inquisitor pergit ad domum nobilis, & ad moniales.*

77 *Auocans à denuntiatione, est suspectus de Hæresi.*

78 *Excommunicatus est negligens denuntiare.*

79 *Absoluitur habens propositum denuntiandi.*

80 *Excommunicatus est etiam in Bullà, non denuntians Hæreticum.*

81 *Of-*

81 *Officialis non denuntians est Fautor.*

82 *Immo & singularis persona.*

83 *Obligatio denuntiandi habet aliquando adiunctum Iuramentum.*

84 *Denuntiandi sunt Suspecti tantùm leuiter.*

85 *Semel delinquens Hæreticè, vel semel suspectus denuntiatur.*

86 *Denuntians, & denuntiandus debent esse sub eodem Inquisitore Iudice delicti.*

1 FOrmula Edictorum S. Officij in qua præscribitur modus denuntiandi Hæreticos, & de Hæresi suspectos, eadem est in omnibus locis, procedens ab Eminentissimis Cardinalibus S. Inquisitionis Generalibus Inquisitoribus per vniuersum Orbem. Et ne prolixus sim in rescribendo huiusmodi Edictum, remitto Lectorem ad Carenam illud extendentem part. 2. tit. 9. sub. §. 7. Ignatium Lupum Ordinis Minorum Reformatorum sub hoc tit. *Noua lux in Edictum S. Inquisitionis*. Ego illud extendi cap. 30. & ibi explicaui paucis, & in sequenti cap. egi de Denuntiatione; latius, & fusius de vtroque hic agam in gratiam Consultorum.

2 Præmitto primò Edictum S. Officij esse perpetuam legem, ac proinde siue moriatur Inquisitor, vel Episcopus, seu quilibet alius edicens, & publicans illud, non expirat Edictum, vt probaui cap. 30. q. 1. num. 4.

3 Secundò, Iudices S. Fidei intendunt per sua Edicta non solùm emendationem delinquentium, sed etiam eorum iustam punitionem; vt timore pœnæ omnes retrahantur à malis, quod late probaui cap. 31. q. 1. num. 2. His præmissis venio ad quæstiones.

Quæritur igitur 1. An Correctio fraterna necessariò præmittenda sit, an verò eà omissà possit Hæreticus, vel de Hæresi suspectus denuntiari?

4 ℞. Non est opus Correctione fraternà, etiamsi speretur emendatio, sed eà omissà non solùm Hæreticus, sed etiam de Hæresi suspectus denuntiandus est, esto per correctionem appareat emendatus. Ratio est. Tùm quia finis Edicti est, vt puniantur violatores sanctæ Fidei, vt præmisi, quod fere nunquam accideret, quia omnes fingerent se correctionem acceptare, & emendationem velle, & sic eluderetur S. Officium. Tùm quia ita declaratum, & statutum fuit in Bullà Alexandri VII. quam extendit Dal Bene in fine partis 2. fol. 657. illis verbis. Propterea idem Sanctissimus declarauit præfatos subditos absq. vlla participatione, etiam nullà petità veniâ à Superioribus; etiamsi nulla correctio fraterna, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & 5
obligatos esse accedere ad denuntiandum Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum quoscunq; etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis, & Religionis, quos nouerint esse de Fide quomodolibet etiam leuiter suspectos. Ac propterea eosdem debere omnes, & quoscunq; etiam alios à se consilium, vt supra, petentes, monere, & obligare ad denuntiandum; nec posse illos à denuntiando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quouis prætextu retrahere, vel retardare. Et licet Bulla loquatur de Regularibus tam subditis, quàm eorum Superioribus, qui debeant denuntiare quoscunq; non solùm Superiores subditos, sed etiam subditi Superiores, & ambo quoslibet alios extraneos, tamen non excludit seculares, qui pariter denuntiare tenentur, præmissà, vel non præmissà Correctione fraternà. Et ita ante hanc constitutionem tenuerunt *Royas par. 2. de Hæret. num. 54. Pegna par. 2. com. 2. Vers. Cæterum tutius, & com. 18 Vers. Ceterùm* Farinac *q. 197. num. 39. Albergbin. cap. 37. num. 2. Dal Bene Dubit.* 17. Quare à correctione fraternà præmittendà excipitur casus Hæresis non solùm in Hæretico, sed etiam in suspecto, qui omninò sunt denuntiandi, omissà correctione, vel etiam factà cum emendatione præsumptà.

Quæritur 2. An etiam de leui suspectus sit denuntiandus?

6 ℞. Affirmatiuè, vt expressè determinatur in dicta Bullà, verbis huiusmodi, *Quos nouerint esse de Fide quomodolibet etiam leuiter suspectos*, superius expressis.

Emanauit aliud Decretum perpetuum S. Congreg. sub anno 1623. relatum à Salelles par. 1. Reg. 156. num. 157. Dal Bene ad finem fol. 644. ex cuius hisce verbis: *Omnes & singulos* Hæreticos, *seu de Hæresi quomodolibet suspectos de quibus notitiam habuerint, debeant denuntiare &c.* infertur, etiam de leui suspectum esse denuntiandum, illa enim dictio *Quomodolibet* 7
comprehendit omnes gradus, seu species Suspicionis scilicet leuis, vehementis, & violentæ, cum omnem modum includat, quem aliàs non comprehenderet, *Alex. vol. 2. cons.* 155. *num.* 3. *Ruin. vol.* 4. *cons.* 68. *num.* 10. *Barb. dict.* 330. *num.* 4. omnia continet, nullumq; reijcit casum, ibidem in fine. Necesse fuit id declarare, quia in Hispanis Poligamus, Solicitator in Confessione, Non sacerdos absoluens, vel celebrans est solùm leuiter suspectus, ergo non denuntiandus? Id omnino falsum est, ergo omnis quacumque

 suspi-

Suspicionis specie notatus denuntiandus est. Ita *Carena part.2.tit 9. num.* 8. vbi refert *Genuens.cap.*18.*num.*10. *cum alijs, quos citat, & sequitur Lupus in Edicto lib.*14.*art.*3. *vers. Modo. Ego cap.* 31. *num.* 6. Horum igitur opinio est reprobata ab Alexandro VII.

Quæritur 3. Qualis debeat esse cognitio inducens obligationem ad denuntiandum?

8 ℞. Non solùm, quæ scimus cognitione personali ex proprio visu, aut auditu denuntiare debemus, sed etiam quæ ab aliquo Fide digno audiuimus. Vtrunq; colligo ex Edicto illis verbis: *Quali sapiano, ò habbiano hauto, ò haueranno notitia.* Verbum illud *Sapiano* refertur ad scientiam personalem; postremum *Notitia* ad cognitionem habitam ab alio Fide tamen digno. Et licet nomen *Notitia* de personali potissimùm dicatur, hìc tamen ab eà distinguitur, ne idem bis repetatur, nihilominus etiam propriè dicitur de eà, quæ ab alijs discitur, de qua Quintil. lib. 4.cap.2. dicit: P*rotinus Iudex notitia rerum instituendus videtur.* Et ita docent de notitià à Fide digno *Corduba lib.* 1. *q.* 43. D*ub.*2. *§.*6. *Gutier.lib.*1.C*anon.cap.*11 *num.*71.cum alijs *Carena par.*2.*tit.* 9 *num.* 31. *Ego cap.*31. *num.*21.Farinacius verò *q.*197.*num.*51.exigit solùm cognitionem personalem.

Quæritur 4. An Suspicio habita de aliquo, quòd commiserit delictum inferens suspicionem Hæresis inducat obligationem denuntiandi illum? Exempligratia. Habeo matrem multis ab hinc mensibus infirmam, & medici nondum inuenerunt remedium illi proficuum; suspicor eam fuisse maleficiatam à tali Strigà. Numquid teneor illam denuntiare, licet non viderim, nec audiuerim personam dignam Fide asserentem adhibuisse maleficium contra illam? Præmitto differre Suspicionem à Suspicione, nam prior suspi-
9 cio est Hominis coniectura proueniens ex leuissimis indicijs relinquentibus rem dubiam, ex allatis à Farinac. q. 36. num. 172. ad 193. Posterior verò Suspicio est Iuris oriens ex necessitate Iuris ab hoc, vel illo delicto, iuxta dicta sub sect. 16.

10 ℞. Suspicionem tantùm habens de commisso delicto inferente Suspicionem Hæresis non tenetur denuntiare, probatur, quia ad denuntiandum præ requiritur scientia personalis, vel aliena ex probatis præcedenti quæstione, sed in omnium Sententià Suspicio hominis non est scientia, sed dubitatio vt plurimùm temeraria, vt patet ex præmissis hic. Ita. *Nauar. cons.* 3. *de haret.ex eo Dal Bene Dub.*19.*in Petit num.* 7

Quæritur 5. An sit denuntiandus non solùm Hæreticus, & suspectus, sed etiam diffamatus de Hæresi? Ratio dubitandi est, quia in illo Decreto, de quo sub.q.2.nulla fit mentio de diffamatis, ergo non est obligatio illos denunciandi.

℞. Denuntiandus est, vt expressè dicitur 11
in Edicto. Diffamatus autem ille dicitur, qui pro tali habetur à maiori parte viciniæ, loci, aut Ciuitatis. Ita *Direct. par.* 2. *q.*57. *Pegna com.*82.*Farinac.q.*187.*num.*53.*ex illis Lupus lib.*14.*art.*4. Nec obstat ratio dubitandi, quia sub nomine *Suspectorum de Hæresi* veniunt etiam Diffamati, si enim denuntiandi sunt suspecti, à fortiori Diffamati, quorum iniquitas magis nota est populo, quàm nequitia suspectorum.

Quæritur 6. An occultissimus Hæreticus, seu suspectus sit denuntiandus, ab eo coram quo solo protulit errorem, vel delictum inferens Hæresis Suspicionem? Ratio dubitandi est, quia denuntiare non tenetur, qui probare non potest, multò minus accusare; *Na-* 12
*uar.cap.*17 *num.*136. *Genuens.cap.* 2.P*raxis num.*2.multis textibus citatis. Quia delicta occulta Dei iudicio reseruantur. Immo id expressè dicitur in Clem.2.de Hæret. *Quòd si taliter ea sciuerint, vt ea probare valeant, nuntiare solicitè debeant.* Notat Salelles Reg. 153.num. 38. in ratione dubitandi.

℞. Adhuc denuntiandus est, quia aperitur 13
via alijs denuntiatoribus, qui in testes propriè succedent primo denuntiatori, & interim Inquisitor vigilabit obseruado mores denuntiati. Est communis apud *Farin.q.*197.*n.*36.*Diana de denunt.resol.*1. *& par* 7. *tract.*12.*resol.* 21.*Salelles Reg.*153.*num.*39. *Genuens.cap.*18. *num.*5. *Alberghinus cap.* 34.*num.* 2. Referentes paucos asserentes contrarium, qui audiendi non sunt, cum eorum opinio non sit probabilis, nam denuntiator probare non tenetur ad differentiam accusatoris, ille enim est simul Testis in hoc tribunali *Genuens. cap.*18. 14
*num.*5. *Ego cap.*31 *num.*25. De quà differentià *Candidus Disquis.* 5. *art.*2. *dub.* 1.*ex eo Franc.de S.Iuliano Discalceat. Redempt.Captiu.in Tribunali Regul. cap.* 2. *Aduert.* 1. §.2. *num.*4. *Ego in Praxi Crim. tom.* 5. *Impress. Lugdun.cap.*3 *sect.* 4.*num.* 4.*& seq.*

Clem. non vtitur verbo *denuntiare*, sed 15
verbo *nuntiare* hoc est, accusare, quod requirit ad minus vnum Testem integrum, ex adductis a Barb. hic in fine. Vel dic, in ea agi de puniendis Inquisitoribus pecuniam extorquentibus, vel confiscantibus bona Ecclesiarum ob delictum Clericorum, non autem de denuntiandis Hæreticis.

Quæritur 7. An quilibet homo vtriusq; sexus Hæreticus, seu de Hæresi suspectus cuiuscunq; conditionis sit denuntiandus?

℞. Affirmatiuè, vt patet ex primo Edicto 16
Romæ publicato 3.Ianuarij 1623. de quo sub q. 2. hic, ibi; *Omnes, & singulos hæreticos &c.* Et in Edictis vulgaribus eadem verba repetuntur. Quæ clausula tantæ est efficaciæ, vt nullum excludat, immo comprehendat; qui aliàs non comprahenderentur, *Bart.* 17
in l.Generali §.V*xori ff.de Vsufr.leg.Anchar.*

par.

par.1.q.72 num.32. Natta cons.160. num. 29. Surd. dec. 265. num. 8. Et vlterius operatur
18 idem, ac si de singulis specialis mentio facta fuisset, *Ludouis. decis.* 315. *num.* 11. *cum. multis alijs Pasqualig in Cent.3.q.356. num.*
19 12. *&* 13. Quare Edictum loquitur etiam ad Imperatorem, Reges, & Principes, qui tenentur Sanctam Fidem defendere illibatam ab Hæreticis.

Quæritur 8. An quilibet homo vtriusque sexus, cuiuscunque sit conditionis teneatur denuntiare?

20 ℞. Affirmatiuè, inquit enim Edictum illud: ***Vniuersis, & singulis Christi fidelibus tam Ecclesiasticis, quam secularibus vtriusque sexus, cuiusuis status, gradus, Ordinis, conditionis, & praminentiæ existentibus, & quacunque dignitate, & auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie, &c.*** Explicatur in vulgari eodem modo. Nota illa verba: ***Auctoritate etiam maximà***, quæ comprehendunt Imperatorem, cuius dignitas, & auctoritas est maxima insuperabilis de Iure à quauis alià mundanà: & à fortiori Reges, vt insinuat dictio ***Etiam***, quæ implicat casum
21 minus dubitabilem, *ex allegatis à Barb. hac Dict.* 111. *num.* 1. De Regibus *Carena par. 2. tit. 9. num.* 28. citans alios.

Quæritur 9. An denuntiatio sit personaliter facienda, itaut aliter denuntians per Schedulam, seu Epistolam expresso nomine proprio ipsius denuntiantis per subscriptionem non satisfaciat suæ obligationi?

22 ℞. His verbis Edicti vulgaris: ***Auertendo, che à questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intendono sodisfare, chi con bolettini, ò lettere senza nome, & cognome delli Autori, ò in altra maniera incerti, delle quali niuno conto si tiene nel Sant' Officio, pretendessero reuelare i delinquenti.*** Farinacius q. 185 *num.* 68. *Dal Bene* Dub. 16. *num.*2. Qui vero subscribit denuntiationem, adhuc comparere debet coram Inquisitore, recognoscendo manum suam, & confirmando, quod in scripturà expressit.

Quæritur 10. An denuutiandus sit, qui petijt consilium ab amico super suà Hæresi præmisso pacto de secreto cum Iuramento, vel sine illo?

23 ℞. Adhuc denuntiandus est, siue secretum sit de Hæresi, siue eius Suspicione, quia promissio etiam iurata vti illicita, & nulla, non potest derogare, & tollere obligationem à Lege inductam ad denuntiandum; pactum enim priuatum Ius publicum tollere non po-
24 test, *cap.* Si diligenti 12. *§. Immemor, de foro comp. cap. Requisiti, de testam.* Et ita docent *Pegna par.* 2 *com.* 18. *Farin. q.* 197. *num.* 50. *Diana par.4.tract.* 4. *resol.* 24. *Suarez disp.* 20. *de Fide sect.* 4. *num.* 17. *Carena par. 2. tit.9. num.22.* Dal Bene Dub. 23. *num.* 1. *Alberghin. cap.* 34. *num.* 5. *Salleles Reg.* 153. *num.* 32. *&* 48.

Quæritur 11. An in aliquo casu Confessionis sacramentalis denuntiandus sit Hæreticus, vel suspectus non aliter cognitus talis nisi ex confessione?

℞. Negatiuè, quia Sacerdos ex lege naturæ, & diuinà positiuà tenetur ad sigillum, vt multis probat Scotus *in 4. dist. 21. q. 2. num.* 4. Et infra *sub num.* 19. *vers. Ad secundum* reprobat illum versum: *Hæresis est crimen, quod nec Confessio celat.* Quem ego sic verto in veritatem, *Hæresis est delictum, quod Confessio celat.* Ita docent omnes cum *Carena part. 2. tit. 9. num.* 20. Qui num. 21. ait, quòd si aliquis Hæreticus accederet ad Confessarium animo peruertendi illum, & non confitendi, tunc teneretur denuntiare illum, quia talis Confessio non fuit sacramentalis sed modus occultandi Hæresim, *ex Genuensi cap.* 18. *num.* 16. 25

Sed quid dicendum, si quis audiret pœnitentem confitentem suas Hæreses, vel delicta arguentia Suspicionem, siue confiteretur secretò, vt regulariter fit, siue publicè ad maiorem ruborem, numquid audientes debent sic confessum verè, & sacramentaliter, denuntiare?

℞. Negatiuè, quia non solùm Confessarius, sed alij audientes tenentur ad sigillum Confessionis, vt docet *Scotus loco cit. num.* 13. ibidem Antonius Hiquæus *alios citat sub num.8. vers. Secunda.* 26

Quæritur 12. An Viatores, & aduenæ teneantur denuntiare in loco, vbi quis Hæresim asserit, vel reddit se suspectum ob delictum?

℞. Negatiuè, ex Edicto vulgari: *Commandiamo à tutte, & ciascuna persona di nostra Giurisdittione.* Sed viatores, & aduenæ non sunt sub Iurisdictione Inquisitoris eius loci, per quem transeunt, ergo non tenentur; nisi ibi aduena maiori parte anni moretur, vt faciunt studentes. Vide cap. 30. num. 14. vbi de hac re dixi. 27

Quæritur 13. Cuinam Superiori facienda est denuntiatio?

℞. In arbitrio est denuntiantis eam facere coram Inquisitore, vel Ordinario loci, vt dicitur in Edicto latino, & in nonnullis vulgaribus; in alijs *Al S. Officio.* quo nomine venit Tribunal Inquisitoris; sed reuerà standum est huic arbitrio, licet vt plurimum denuntiatio fiat coram Inquisitore. Ita alijs citatis Carena *par. 2. tit.9. num. 36. Ego cap.* 30. *num.* 16. Non placet, quòd Episcopi debeant transmittere denuntiationes receptas ad Inquisitores, quia maior non subditur minori, nec æquali, & Bullæ Pontificiæ agentes de denuntiatione relinquunt id in arbitrio denuntiantis, nec aliquid dicunt de huiusmodi transmissione. 28

Quæritur 14. An denuntiator simul, & semel sit etiam Testis.

℞. A

29 ℞. Affirmatiuè, quando non agitur contra Hæreticum ad pœnam ordinariam. Quia in delicto Blasphemiæ denuntiator est simul Testis, vt decreuit Iulius III. in suâ Bullâ 23. incip. In multis §. 10. his verbis: *In condemnando pro hoc execrabili scelere stabitur duobus Testibus fide dignis, poterit haberi loco vnius denuntians, si medio Iuramento denuntiet, diligenter obseruatâ qualitate, integritate, & reliquis circunstantijs tum denuntiantis, tum alterius*. Ergo à fortiori etiam in delicto formalis Hæresis, & non tantùm in eius Suspicione; magis enim vrget formalis Hæresis, quàm eius Suspicio, ergo via facilior adhibenda est in eius destructione, intellige quò ad pœnas extraordinarias, nam in puniendo pœna ordinariâ denuntiator non admittitur in Testem, quia habet exceptionem hanc denuntiationis, sufficit enim illi, vt vno fungatur officio. Et ita docent *Genuens. cap. 28. fine. Farin. q. 185. num. 32. Ego cap. 31. num. 25.* Et alij communiter, ratio est, quia denuntiator non agit causam pro se, nec suis, sed Dei, vnde cum interesse non habeat in causâ non videtur reijciendus à testimonio.

Quæritur 15. An denuntiatus ab vno sit denuntiandus ab alio?

30 ℞. Quandocunq; Iudex non habet Testes sufficientes ad condemnandum reum in aliquam pœnam, alij tenentur denuntiare, qui magis Testes dicendi sunt, quam denuntiatores, quando præcessit denuntiator propriè dictus, qualis est ille, qui primò comparuit coram Inquisitore. Ratio est, quia crimina

31 non debent remanere impunita, l. *Ita vulneratus §. Quod si quis ff. ad leg. Aquil. cap. Est iniusta 23. q. 4. cap. Vt fama 35. de sent. excom* Irrationabile quoque est, quod Iudicium iam cœptum non sortiatur suum effectum.

32 Nec audiendi sunt qui dicunt, non esse denuntiandum Confessarium à personâ solicitatâ, qui iam abiurauit super vna Solicitatione, licet aliam personam solicitauerit ante Abiurationem, reddentes rationem, quia per eam Abiurationem censetur emendatus; fuit enim opinio quamplurium non esse denuntiandum iam emendatum, de quibus Dal Bene Dub. 18. Quia communior opinio, quam Alex. VII. transtulit in legem per suam Bullam apud Dal Bene par. 2. fol. 657. de qua agit sub dicta Dubit. num. 8. docet, emendatum adhuc esse denuntiandum, de qua re dixi sub q. 1. hic, vnde audiendi non sunt citati *à Diana par. 1. tract. 4. resol. 26. & à Trimarco Ordinis Minimorum de Solicitat. disp. 12. num. 37.* asserentes emendatum non esse denuntiandum.

Quæritur 16. An Socius in crimine teneatur complicem denuntiare?

33 ℞. Tenetur in duobus, *primò* si sit Discipulus dogmatizantis, tenetur denuntiare Magistrum hæreticum, quia per hoc directè non se accusat, nec denunciat, nec reuelat suam turpitudinem, nisi in consequentiam, dùm enim reddit rationem sui dicti in depositione Hæretici probando Hæreticum esse, qui illum docuit Hæreses, non se denuntiat, sed alium, & per rationem discooperit se Hæreticum, quasi sponte comparens, vt recipiat gratiam, sicut faciunt alij sponte comparentes. Quicquid dicant *Suarez disp. 20. de Fide sect. 4. num. 18. Megal. de Pœnit. cap. 4. num. 30. Portell. V. Denuntiare.* Quorum rationibus respondi cap. 31. q. 13. vbi sub num. 19. docui, complicem in alijs delictis inferentibus Suspicionem non teneri denuntiare. *Secundò* in casu Solicitationis persona solicitata, esto consenserit, ex quo 34 propriè dicitur complex, & socia in crimine, tenetur omninò denuntiare Confessarium, tacendo tamen consensum, quia simpliciter narrando Solicitationem, suam non reuelat turpitudinem, nec prodigit suum honorem, cum Solicitatio sine copulâ, sine consensu turpis sit solùm ex parte Confessarij.

Quæritur 17. An quis seipsum denuntiare teneatur?

℞. Negatiuè, nemo enim tenetur se directè prodere, *cap. Quis aliquando 87. de Pœnit. l. Nimis graue ff de testibus*. Nullus 35 enim tenetur immediatè turpitudinem suam reuelare, sine vtilitate propriâ, *l. Aliàs, ff. de iuretur.* Et ita docent omnes *Bossius de solicitat. num. 73. Diana resol. 8. de denunt. Sayrus in Claus lib. 12 cap. 16. num. 1. Carena par. 2. tit. 9. num. 30. Lupus lib. 12. dist. 1. art. 4.*

Quæritur 18. An Striga, & Mulier malefica sit denuntianda?

℞. Denuntianda est, quandocunque con- 36 stat ex propriâ scientiâ visus, vel auditus quod fecerit, vel dixerit aliquid ordinatum ad maleficium, licet id valde difficile probatu sit. Ita *Genuens. cap. 18. num. 14. ex 10 Carena par. 2. tit. 9. num. 32.* Si Mulier est ignorans, & bona fide procedat in Superstitionibus monenda est prius antequam denuntietur, & si prosequatur post instructionem tunc est denuntianda, ex prædictis.

Quæritur 19. An Pater teneatur, denuntiare Filium suum Hæreticum, seu de Hæresi suspectum? Et è contra Filius Patrem?

℞. Vterque tenetur, Pater scilicet, & Ma- 37 ter denuntiare Filium Hæreticum, & viceuersa Filius parentes, tàm fœmina, quàm masculus, licet non dogmatizent; in casu verò Suspicionis talem non habent obligationem. Primum probatur per tenorem Edicti illis verbis: *Vniuersis, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus, cuiusuis status* Quorum verborum tenorem explicaui sub q. 7. quòd comprehendunt eas personas, quæ

quæ alias non comprehenderentur; & quamuis obligatio inter Parentes, & Filios sit naturalis; tamen maior est Christianorum obligatio erga Deum primum Parentem, cui catolica Fides seruanda est illibata quam erga parentes progenitores. Probatur etiam per verba Deuter. cap. 13. num. 6. *Si tibi persuadere Frater tuus, Filius Matris tuæ, aut Filius tuus, vel Filia &c.* Quæ verba licet referantur ad Apostasiam, & Idolatriam, adhuc tamen non excludunt Hæresim, vt notat Lyranus *ibidem vers. Si tibi voluerit*. Ita docent Farinac. *q.* 197. *num.* 40. *Diana resol.* 4. *de denunt. Carena par.* 2. *tit.* 9. *num.* 10. *Ego cap.* 31. *num.* 13. *Dal*
38 *Bene Dubit.* 19. *num.* 11. Intellige si alia via non possit probari delictum Hæresis Patris, & Filij; qui Patrem hæreticum denuntiandos Inquisitoribus, à Federico Imperatore remuneratur, vt non subdatur punitioni paternæ in bonorum amissione, *Pegna part.* 2. *com.* 15. *vers. Hoc addiderim*.

Nonnulli, quos refert Dal Bene cit. Dub. 19. num. 7. docent, filium non teneri, licet possit denuntiare Patrem, sed tantùm ab hoc denuntiari, quia in Deuter. hoc præceptum fit Patri contra Filium hæreticum, non viceuersà. Sed esto id non exprimatur, tamen subintelligitur, quia ex vulgatis Iuribus
39 correlatiua non debent iudicari ad imparia, & dispositum in vno subintelligitur in altero *l. fin. de accept. l. fin. ff. de indicta. induit. Gabriel lib 6. de legib. concl.* 2. *num.* 1. *Gonzal. super Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 50. *num.* 12.

40 Secundum, quòd inter Patrem, & Filium non sit hæc obligatio denuntiandi, in delictis inferentibus Suspicionem Hæresis, probatur, & quia de his criminibus nihil agitur in Deuter. Et quia hæc non sunt tanti momenti, vt cogantur se inuicem denuntiare; deferendum est enim aliquid sanguine coniunctis in primo gradu. Et quia non est denuntiandus extraneus, quando timetur graue damnum, vt dicam infra, ergo nec in hoc casu suos denuntiare tenetur, & quidem à fortiori, cum sit minus delictum. Et ita docet *Lazar. de Blasphem. q.* 12. *num* 67. *Homobon de casibus reseru. par.* 2. *cap.* 1. *fol.* 141. *& in Exam Eccles part.* 1. *tract* 7. *cap.* 7. *q.* 32. *quos refert Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 6. & sequitur, dum eos non reprobat.

Quæritur 20. An Frater Fratrem denuntiare teneatur.

41 ℞. Affirmatiuè, si enim Pater, & Filius ad id tenentur à fortiori Fratres, inter se vt dicitur in Deuter. & sanguinis coniunctio non sit ita stricta, sicut inter Patrem, & Filium. Ita *Royas sing.* 5. *num.* 30. *Direct. p.* 2. *referens cap. Literas, de præsumpt. vbi Pegna com.* 15. *Riccius part.* 3. *dec.* 278. *fine Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 5. *&* 6. *Dal Bene Dub.* 20 *num.* 5.

Quæritur 21. An Coniuges teneantur denuntiare alterum Hæreticum? Ratio dubitandi est, quia sunt duo in carne vna, *Genes.* 2. 25. quod confirmatur 1. *Corint. cap.* 6. *num.* 16. Nemo enim tenetur seipsum denuntiare, vt dixi q. 17.

℞. Coniux Coniugem hæreticum denuntiare debet, ex Deuter. cit. cap. 13. num. 6. 42
Siue vxor, quæ est in sinu suo, maior est enim coniunctio sanguinis, quam cognationis, sed illa non excusat, multò minus hæc inter coniuges. Est communis, *Pegna part.* 3. *com.* 160. *vers. Plus tanto. Diana part.* 1. *tract.* 4. *resol* 5. *Farinac. q.* 197. *num.* 49. *Dal Bene Dub.* 20. *in fine*. Ad rationem dubitandi dico, coniuges esse duo in carne vna 43
ad procreationem Filiorum, vt dicit hic Lyranus, non autem vnus sunt, quo ad alias actiones, quia vnusquisque per se operari potest.

Quæritur 22. An Amicus Amicum Hæreticum denuntiare teneatur?

℞. Affirmatiuè, vt probatur illis verbis: 44
Aut Amicus, quem diligis. Deuter. 13. 6. Maior enim est coniunctio sanguinis, & coniugum, quam vinculum amicitiæ, sed illi tenentur denuntiare ex probatis supra, ergo amicus amicum. Confirmatur, quia non excusatur à receptione amici Hæretici, *ex dictis sect.* 15. *num.* 64. ergo nec à denuntiatione.

Quæritur 23. An Affinis Affinem Hæreticum denuntiare teneatur?

℞. Affirmatiuè, quia si tenentur sanguine coniuncti ex hactenus dictis, à fortiori af- 45
finitate proximi, cum hæc sit minor propinquitas. Confirmatur, quia affines admittuntur in Testes contra affines, *Farin. q.* 188. *num.* 146. ergo ad denuntiandum coguntur.

Quæritur 24. An supradicti, scilicet Frater Fratrem, Vxor Maritum, Affinis Affinem, & Amicus Amicum, non Hæreticos, sed tantùm de Hæresi suspectos debeant denuntiare?

℞. Negatiuè quò ad coniunctos sangui- 46
ne, & Matrimonio, & Affinitate in eadem domo habitantes, quia talium denuntiatio redundat in graue damnum, & dedecus totius familiæ, cum ergo id excuset à denuntiatione, vt mox dicam, etiam in casu præsenti Ita *citati à Carena part.* 2. *tit.* 9. *num.* 12. licet ipse teneat contrarium, nobiscum de Vxore *Pegna part.* 2. *com* 78. *vers. At non videtur, ex eo Lazar. de Blasph. cap.* 12. *nu.* 67. Si de Vxore, ergo à fortiori de sanguine coniunctis, cum maior sit talis vnio; Si de Vxore ergo, & de affinibus dependentibus à coniugio. De alijs extrà Familiam morantibus, & amicis aliter sentio, scilicet teneri ad

ad denuntiationem, quia graue damnum non incurrit denuntians, cum non sit de Familiâ. Quòd si dicas, tale damnum, & vrgentius occurrit Patri, & Filio, si vnus alterum denunciet, ergo & ipsi sunt excusandi à denuntiatione Hæretici, sicut excusantur à denuntiatione suspecti tantùm. Respondeo, maiorem esse obligationem denuntiandi Hæreticum, cuius error magis serpit, & facilius rempublicam damnificat, vt experientià Luteranorum, & Caluinistarum nos docet, & expertos facit, ad inferendum obligationem rigorosam esse debere contra Patrem, & Filium, & reliquos in causa Hæresis, quàm in alijs delictis, licet inferentibus Suspicionem Hæresis.

Quæritur 25. An timens probabiliter sibi graue damnum adhuc teneatur denuntiare?

47 ℞. Tenetur adhuc denuntiare Hæreticum, licet non dogmatizet, non tamen suspectum de Hæresi. Primum, quia vnusquisque tenetur ponere vitam pro Republicà, à fortiori pro conseruatione catolicæ Fidei.

Confirmatur, quia talis obligatio oritur à Iure naturali, diuino, & positiuo tam Ecclesiastico, quàm seculari. Et ita tenent fere omnes cum *Bonac. de onere denunt §. 3. num. 6. Ego cap. 31. num.* 11. *Dal Bene Dub. 21. num.* 2. *Royas sing. 3. num.*30. citatus à *Farinac. q. 197. num. 53. vbi ex Pegna par. 2. com.*78. *verf. At non videtur.* Excusat non denuntiantem Hæreticum, sequitur Genuens. cum alijs, nisi dogmatizet, quia tunc cum periculo etiam vitæ tenetur quilibet illum denuntiare.

48 Secundum, quòd in tali casu non sit obligatio denuntiandi suspectos de Hæresi, probatur, quia in alijs delictis Hæresis non serpit; & aliter puniuntur Hæretici, aliter suspecti, & dispositio loquens de Hæreticis, non habet locum in suspectis. Ita *Homob. par. 2. de casib. Trimarchus disput. 13. de solicit. num. 4 Ego cap. 31. num. 11. verf. Secundum Dal Bene Dubit. 21. initio multis citatis. Et Dub. 19. Petit. num. 9.* Etiam Hæreticum non dogmatizantem.

Quæritur 26. An denuntiandus sit, qui dixit: *Voglio negar la Fede di Christo, e farmi Turco?*

49 ℞. Negatiuè, quia Edicta præcipiunt, vt reuelentur delicta iam commissa, non committenda, pertinentia ad Sanctum Officium; dicta autem verba indicant id quod faciendum est, non quod factum est, quia nondum executioni demandatum est, quod ore expressum est. Deinde ille seriò ea verba non dixit, canebat enim Cantilenam. Quòd si quis iratus eadem verba proferat, vel similia. *Voglio più tosto negar la Fede, e farmi Turco, che seruire &c.* propter eandem rationem non est denuntiandus, quia delictum Apostatiæ non commisit, sed suæ voluntatis electionem futuram ostendit pro illo tunc, non exequendam, irà euanescente, sunt enim exageratiua, non adimplenda.

Quæritur 27. An ille, quem pœnitet statim delicti facti, Blasphemiæ, vel Hæresis prolatæ, ac proinde quasi emendatus, vel emendatus ad correctionem amici sit denuntiandus?

℞. Affirmatiuè, Sanctum enim Officium non solùm intendit emendationem, sed etiam punitionem, quæ suum non potest sortiri effectum, nisi præmittatur denuntiatio. Confirmatur, quia pœnitentia facti non potest tollere obligationem, aliter fortior esset voluntas subditi præcepto legis. Emendatus ergo adhuc denuntiandus est, quia quilibet hoc modo effugere posset Iudicium sacri Tribunalis. Ita docent *Royas sing. 3. num. 33. Paramus lib. 3. q. 8. num. 80. cum alijs Diana part. 1. tract. 4. resol. 3. Farinac. q. 197. num. 52. Carena part. 2. tit. 9. num. 24.* Ego cap. 31. *num 4. alios citat Dal Bene Dub.* 18 *initio* contra te. 50

Qui multis citatis, quos recenset etiam Diana loco citato, docet emendatum non esse denuntiandum, si erat occultus, & non dogmatizabat, probat sub num. 2. quia non potest intendi punitio à Iudicibus, *ex cap. Inquisitionis* §. 3. *de accusat.* Rationem reddit, quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ Reipublicæ per delictum commissum; sed quando crimen est occultum cessat iniurià, ac proinde etiam satisfactio, ergo restat solùm vt intendatur emendatio delinquentis, quà positâ, cessabit obligatio denuntiandi, cum cesset finis illius. Negat ergo finem denuntiationis esse correctionem publicam in delictis occultis, quam solam admittit in delictis publicis. 51

℞. Sanctum Officium procedere non solùm contra publicos, & diffamatos Hæreticos, seu de Hæresi suspectos, sed etiam occultos sibi denuntiatos, vt clarè dicitur in Edictis illis verbis: *Che siano Heretici, ò sospetti, ò diffamati d'Heresia.* Mandatur ergo denuntiatio non solùm eorum delinquentium, qui sunt publici, sed etiam eorum qui sunt occulti. De diffamatis dixi sect. 6. num. 110. Ex quo patet, allegatum textum à Dal Bene non facere ad rem, loquitur enim de delictis contra proximum, non contra Deum, & Fidem catolicam, quibus fit Iniuria non solum à diffamatis, sed etiam ab occultis, ideo omnes denuntiandi sunt, vt vindicetur irreuerentia facta Deo, cui omnia manifesta sunt, etiam intima cordium. 52

Sed quis dicitur emendatus? Felinus in cap. Testimonium, de testibus, ille præsumitur emendatus, qui sacramentaliter confessus est. *Genuens. cap. 18. num. 6.* si consecutus fuit Iubilæum anni Sancti. *Riccius par. 2. dec. 169. num.* 14. si bene vixit per triennium. 53

Illos

Illos refert Dal Bene *Dub.* 18. *num.* 5. 6. & 7. qui ait remittendum id esse arbitrio boni viri. Tandem concludit, priorem opinionem esse sequendam, relicta posteriore, cum prioris confirmatio deducatur ex Bullâ Alex. VII. quam extendit in fine *tom.* 2. *fol.* 657. Nihil tamen dicit de emendato, sed quod denuntiatio fieri debet, etiam non præmissâ correctione.

54 Non tamen per hoc, quod dixi quis inferat, esse probabilem opinionem quod emendatus non sit denuntiandus, quia à nobis vera emendatio cognosci non potest, cum procedat ab actu interno voluntatis, qui à nullo cognosci potest, nisi ab ipso eliciente illum, ideo venit denuntiandus, cum præsumi possit, ipsum fingere emendationem, vt pœnas effugiat.

Quæritur 28. Quorum tempus detur ad denuntiandum?

55 ℞. Ex Edictis latino, & vulgari, Cremonensi, Parmensi, & alijs dantur duodecim dies, ibi: *Mandamus quatenus infra duodecim dies proximè computandos*. Computatio horum dierum incipit a secunda die affixionis in locis solitis, dies enim termini in termino non computantur, *l. Vbi lex* 102 *ff. de regul. iur.* Cognitio enim Edicti non ita facile habetur ipsa prima die. *Freitas apud Dianam par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 41. *Vers. non desinam* In Bergomensi dies non numerantur, sed tempus exprimitur per particulam *Quanto prima*, quæ importat tempus incertum, certum tamen puto esse, si quis denuntiauerit intra duodecim dies, benefaciet, quia seruabit Edictum illud latinum Sacræ Congregat. Sancti Officij, à quo alia solent regulari vulgaria; cum autem illa particula *Quamprimùm* dicat tempus, vt dixi incertum, maiorem poterit habere dierum latitudinem, & numerum, Legistæ enim, vt videri potest apud Bub. hac dict. 302. dicunt importare spatium trium mensium in magnis, & duorum in paruis. Ego autem in casu præsenti puto, spatium viginti dierum admitti posse ad denuntiandum, vt constet differentia inter tempus numeratum, & incertum, nam illud debet esse minus fauorabile, id verò magis, dum caret arctatione, quà illud arctatur, vt vlterius procedi non possit.

Ignatius Lupus ordinis Reformatorum sub primâ Regulâ S. Francisci lib. 4. in Edictum hoc, dist. 5. art. 2. D ff. 1. rem nunc tract. t, & respondet, particulam *Quamprimùm*, importare, quòd denuntiatio statim moraliter, scilicet quamprimùm fiat, in omnibus enim obligationibus, in quibus non ponitur dies

56 præsenti die debetur, *l. in omnibus ff. de regulis iur.* Subdit, si sit periculum in morâ, statim & subitò denuntiandum. Lupus non determinat latitudinem huius temporis, sed videtur illud restringere ad primum diem ex eâ Regulâ, quæ est 14. quæ non est limitatiua, quia, vt ibi dicit Glos. *Præsenti die debetur* explicat debitum esse purum, ac proinde non esse opus, quòd primo die, aut sequentibus exequatur obligatio; cum Glos. ibi dicat: *Non debet venire creditor cum sacco paratus, sed modicum expectare*, ea ergo regula importat puram obligationem à die primo contractam, executionem verò esse faciendam non eodem die, sed sequentibus iuxta opportunitatem.

Quæritur 29. An supradictum tempus ad denuntiandum sit appositum in Edicto ad solicitandam denuntiationem, an verò ad terminandam eius obligationem, adeo quòd post illud tempus non amplius sit obligatio denuntiandi.

℞. Illud tempus indicare solicitationem, & diligentiam ad denuntiandum, non verò terminationem obligationis. Ratio est, quia obligatio denuntiandi non pendet à tempore sed à virtute Fidei, quæ omnes obligat ad protegendam illam à Calumnijs, & erroribus Hæreticorum. 57

Confirmatur, quia aliàs sequitur absurdum, transacto eo tempore siue certo, siue incerto, non amplius Edictum obligare, cum tamen habeat vim Legis perpetuæ, vt dixi hic num. 2. *Salelles Reg.* 156. *num.* 159. & 160. loquens de vtroque Edicto tam Romano, quam Inquisitorum particularium, cum quo etiam *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 41. *vers. sed ego*, licet videatur sibi contrarius dum initio dicit, Edictum Inquisitorum esse annuale, quòd tamen falsum est, si enim Edictum Romanum est perpetuum, vt ipsemet dicit, cur non Edictum Inquisitorum, cum hoc reguletur ab illo, sufficit ergo vnica publicatio illorum. Quare obligatio denuntiandi præfata tempore non terminatur, neq; extinguitur, vt probaui cap. 30. num. 30. & patebit mox.

Quæritur 30. An ea Edicti verba *Infra duodecim dies proximè computandos* referenda sint tantùm à die publicationis, an etiam à die scientiæ, vel impedimenti computandà?

℞. Numerantur dies non solùm à die publicationis, sed etiam à die scientiæ, de primo à die publicationis Edicti patet ex dictis q. 28. vt indicat illud verbum *proximè*, illi enim duodecim dies à puncto publicationis exactæ sine dubio erant proximi publicationi, quam quilibet alij dies subsequentes. Quare post illud tempus, ea verba *Infra duodecim dies proximè computandos*. referuntur ad diem scientiæ, a quo die excluso numerantur duodecim dies, infra quos facienda est denuntiatio, aliter incurritur Excommunicatio, vt dicam infrà. Ratio est, quia tempus præfatum datur ad solicitandum, non ad extinguendam obligationem denuntia- 58

 tio-

tionis, vt dixi in præcedenti quæstione Et ita docent à die scientiæ delicti contra Fidem, *Suarez disp.* 20. *de Fide sect.* 3. *num.* 14. *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 41. *ex illis Salelles Reg.* 156. *num.* 163. *Ego cap.* 30. *num.* 6.

59 In casu verò impedimenti legitimi, tunc incipit obligatio denuntiandi, quando sublatum est impedimentum, si impeditus sciebat hominem esse Hæreticum, vel suspectum de Hæresi, tempus illi currit, adeo quòd remoto impedimento, statim debet denuntiare, non expectato vltimo die duodenario; si verò simul erat ignorans, & impeditus adhuc tempus regulatur à die scientiæ. Ita *ex eodem Suarez Salelles num.* 164. *Lupus lib.* 4. *dist.* 1. *art.* 2. *diff.* 2.

Quæritur 31. An Hæretici mortui sint denunciandi?

60 ℞. Sic, quia ex cap. Sane 6. 24. q. 2. sunt declarandi excommunicati, ergo denuntiandi sunt, vt à Iudice possint excommunicati declarari. Immo eorum cadauera tradita sepulturæ ecclesiasticę exhumantur, si possunt à fidelium cadaueribus discerni, *cap. sacris.* 12. *de Sepult.* vbi de morientibus in Excommunicatione sine pœnitentiâ, & magis in spe-
61 cie *cap.* 2. *de haret. in* 6. *Glos. ibi* V. *Extumulent*, vbi Barb. num. 5. citat. Doctores. Sepelientès sunt excommunicati si scienter id fecerint, & non possunt absolui nisi prius proprijs manibus publicè illos extumulabunt, & deinceps locus ille carebit sepulturâ; vt dicitur ibi; intellige si scienter sepultum fuit cadauer Hæretici, non in quouis loco, sed in sacro tantùm ibi: *Sepultura ecclesiastica Farinac. q.* 192. *num.* 51. Quod si sepultus fuit in loco profano non ex caritate, & honore Hæretici sed ad effugiendum horrorem putredinis, nulla incurritur pœna, etiamsi sepeliatur in loco Sacro ob amicitiam, vel consanguinitatem, *ex adductis à Farinac. q.* 192. *num.* 50. Sed reuera id inteligendum melius, si sepeliatur tantùm in loco profano, ne aer inficiatur ex eius putredine, *Pegna par.* 3 *com.* 89. *Vers. Si quis verò hareticum*, *Dal Bene Dub.* 172. *Petit.* 2.

62 Eius memoria damnatur; debet tamen prius plenè, & concludenter constare de Heresi, *Simanch. de catol. instit. tit.* 18. *Rubr. de defunctis num.* 13. *& tit* 46. *Rubr. de pœnis num* 77. *Pegna par.* 3. *com.* 22. *Vers. Et ratio. Farinac. q.* 197. *num.* 103. Et quoniam mortuus non potest se defendere citandi sunt eius Filij, & Hæredes ad illum defendendum seu potius seipsos, quò ad famam, & bona ne confiscentur, *Calder. de haret. in Rubr. De ijs, qui fuerunt consolati ab haret. num* 1. *Locatus* V. *Cadauera num* 2. *& 4 atq.* V. *Filij n.* 14. *&* 15. *Royas sing.* 134. *num.* 11. *Pegna par.* 3. *com.* 92. *Vers. Hac accusatio*, *cum illis Farin. q.* 197. *num.* 106.

Quæ procedunt, licet dum viueret esset homo bonæ famæ, & aliàs de Hæresi non infamatus; *ex allegatis à Farinac. num.* 98. Comburuntur autem eius ossa, vel statua, si illa non reperiuntur, *ibidem num.* 94. *ad* 96. Demum eius bona confiscātur *cap. accusatus* 63
8. *§. In eo verò*, *de haret. in* 6. *iuncta Glos.* V. *Post. mortem*, & è manibus hæredum etiam Filiorum arripiuntur infra annum quadragesimum à die mortis Hæretici antea non cogniti, vt talis; si heredes bona fide illa possederunt, *cap. fin. de prascript. in* 6. *vbi Barb. cit. Farinac q.* 10. *num.* 82. *& q.* 25. *num.* 159. *Sanch lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 40. *&* 41. vbi, quòd præter quadragenariam possessionis bonorum bona fide, requiritur. quòd non detegatur infra id tempus Hæreticus, vt clarè dicitur in textu.

Quæritur 32. An suspecti de Hæresi, qui post mortem detecti sunt tales; sint denuntiandi, & expediendi sicut Hæretici iuxta dicta in præcedenti quæstione?

℞. Negatiuè, quia valdè diuersi sunt suspecti ab Hæreticis, ideo non licet inferre in 64
pœnis, & odiosis ab vno delinquente ad alium in diuersitate delictorum, quia pœna non extenditur de casu ad casum, *l. Pactum* 65
198. *§. in panal ff. de regul. Iur. c. in panis* 49. *eod. in* 6. *Barb. Axiom.* 181. *num.* 9. Neque de personâ ad personam, *l. Si quis ita §. penult. ff de testam. tutel. Aretin. in l. Gallus §. Et quid si tantùm ff de liber. & posth. Cephal. cons.* 66
107. *num.* 18 *Roland. à Valle vol.* 3. *cons.* 56. *num* 24. *Farinac. in Fragm. Crimin. par.* 1. V. *Extensio num.* 277. Ergo suspecti de Fide post mortem detecti non sunt tractandi, sicut agitur contra Hæreticos defunctos, cum longe grauiora sint delicta horum, quam sint illorum crimina. Et ita docent omnes cum textu cap. Accusatus 8. §. Si verò, in fine *Eius haredibus non est satisfactio pro extincto iam* 67
crimine de haret in 6. *iuncta. glos.* V. *Extincto* ibi enim sermo est de suspectis de Hæresi, & non de Hæretici; hæredes ergo defuncti tantùm suspecti de Hæresi, tenentur explere pœnitentiam temporalem iam impositam ante mortem ipsi suspecto, si Hæredes obligauerunt sua bona pro tali pænitentiâ cæptâ à sententiato, aliter non. Docent, inquam *Pegna par.* 3. *com.* 92. *vers. Alterum caput*, *Simanc tit* 4. *Rubr. de accusat. num.* 5. *Farinac. q.* 197. *num.* 104. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4 *disp.* 8. *p.* 16. §. 4. *num.* 6. *Diana par* 4 *tract* 7. *resol.* 28. *ex illis Albergh. cap.* 36. *num* 4. Quare principale intentum in hac Sectione, quòd non sit denuntiandus suspectus de Hæresi talis cognitus solùm post eius mortem, manet ex his probatum; si enim talis puniri amplius non potest, ergo frustra denuntiatur, ac proinde nulla est obligatio denuntiandi, cum ad nihil deseruiat.

Quæritur 33. An detur præscriptio inter denuntiatorem, & denuntiandum itaut

tali

tali tempore peracto, sciens quemquam multo tempore ante incidisse in Hæresim, vel eius Suspicionem, adhuc teneatur illum denuntiare?

68 ℞. Non præscribitur delictum Hæresis inter viuentes, & ideo obligatio denuntiandi semper viget, & patet clarè, quia viget respectu Hæretici mortui, vt probatum fuit supra, ergo magis inter viuos. Confirmatur quia Edictum hoc à singulis Inquisitoribus, dum loca mutant, publicatur, immo singulis annis bis; in Quadragesima, & Aduentu mandatur legi; & in quibusdam exprimuntur hęc verba: *Ne sono scusati da qualsiuoglia conditione, ò longhezza di tempo. Onde s'ingannano quelli, che pensano, per esser trascorsi dieci, quindeci, o vent'anni non esser piu obligati à denuntiare i casi al S. Officio, il che però s'intende di quelli che non hanno mai sodisfatto.* Retuli in Sacro Tribun. cap. 30. num. 8. & num. 10. & 11.

Quęritur 34. An non denuntians Hæreticos, vel de Hęresi suspectos fiat de Hæresi suspectus, & qualiter?

69 ℞. Primo quò ad Hæreticos, negligentes eorum denuntiationem in sententià omnium esse de Hæresi suspectos, *apud Pegnam par. 3. com. 160. Vers. Plus tantò, Carena par. 2. tit. 9. num. 41. Dal Bene Dub. 25. Castropal. tract. 4. disp. 3. p. 4. num. 21. Farinac. q. 197. n. 38. Salelles Reg. 159. num.* 205. Circa gradum Suspicionis, an omissio denuntiationis inducat vehementem, aut violentam, seu leuem suspicionem?

70 Ego dico esse solùm leuem suspicionem, si præcisè respiciatur omissio, & illius causa, quæ potest esse, vel negligentia, vel amicitia, vel parentela, vel metus grauis; hæc enim solùm leuem Suspicionem videntur inferre, vt docent *Farinac. q. 197. num. 53. Duardus lib. 2. Bulla can 1. q 33. concl. 1. num 17. Alterius de cens. lib. 5. disp. 2. Can. 5. Pegna par. 2. com 78. Vers. At non videtur apud Carenam par. 2. tit. 9. n. 44. & 45. vbi ex Sanch. ar. cap. 9. num. 16.* quod ex metu cadente in virum constantem nullo modo est suspectus omittens denuntiationem.

71 Quod si omissioni adiuncta sit alia causa, quæ possit arguere vehementem Suspicionem Hæresis, immo violentam, tunc non denuntians est vehementer suspectus de Hęresi; tales sunt, qui habent officium denuntiandi, vel Testes interrogati veritatem occultantes, vel negantes, quod fateri deberent; vel quando negligens habet magnam familiaritatem cum Heretico, vt docent Royas *sing. 5. num. 17. & 18.* Vbi interpretatur Paulum de Castro, qui dixerat, non denuntiantem Hęreticum esse violenter suspectum de Hæresi, intelligendum esse eius dictum, si conuersatur cum Hæretio à se non denuntiato, *Castropal. cit. num. 21. Vers. Secunda, Salelles num.* 210. 211. & 212. *Pegna par. 2. com. 81 Vers. illis ex Ioanne, Dal Bene Dub. 25. num. 2. Carena num.* 43. Fauent enim non denuntiantes Hæresi, non personę. Eosdem secutus sum *cap. 31 num. 23 & 24.*

℞. Secundò, quo ad suspectos de Hęresi, 72 non denuntiantes illos, esse suspectos de Hæresi leuiter, quod probaui supra sect. 16. num. 67. Et sic reuoco dictum cap. 31. num. 24.

Contrarium, quòd denuntiare omittentes suspectos de Heresi non fiant suspecti, docent *Carena par. 2. tit. 9. num. 46.* quia ex presumptione non oritur presumptio, neq; suspicio ex suspicione, *Lupus lib. 4. dist. 3. prope finem,* ex eadem ratione. Loco citato dictæ sect. respondi, & addo, suspicionem non oriri simpliciter ex suspicione, sed ex hoc complexo suspecti non denuntiati.

Quæritur 35. Cum non denuntians sit suspectus de Heresi iuxta superius dicta, numquid denuntiandus est? Ratio dubitandi est, quia in Edicto mandatur denuntiari suspectus de Hæresi, & quidem etiam leuiter, vt dixi sub q. 2.

℞. Negatiuè etiam respectu Hæresis, quia 73 id non exprimitur in Edicto, non enim dandus est processus in infinitum, ita Lupus dicit, sed non probat loco citato in præcedenti quæstione, auctores ab eo citati hunc punctum non tangunt. Ad rationem dubitandi respondetur Edictum præcipere denuntiationem suspectorum de Fide ex delictis perpetratis positiuis.

Quæritur 36. An omittens denuntiationem dicatur Fautor Hæretici, seu suspecti de Hæresi? etiam si sit persona priuata, infra num. 81.

℞. Affirmatiuè, quia illi non leue Bene- 74 ficium, & seruitium facit. Ita *Pegna par. 2. com. 78. vers. Postremò, Carena part. 2. tit. 9. num. 41. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 15. Lupus cum alijs lib. 4. dist. 7 art. 3. diffic. 2. Albergh. cap. 38. num. 6.* multis citatis.

Quæritur 37. An actus denuntiationis sit ita personalis, vt non possit expediri per tertium?

℞. Est personalis, ergo per tertium ex- 75 pediri non potest, cum enim Iudex experturus sit Fidem eius, qui veritatem dicturus est, id scire non potest nisi per depositionem personalem ipsis Testis siue denuntiantis, siue testificantis, cum debeat esse scientia de re visà, vel auditâ ab eo, qui deponere debet. Vt enim dixi q. 9. hic, non sufficit alienam amici præsentare scripturam denuntiationis, sed vocandus est denuntians, 76 vt suam agnoscat scripturam, & eam firmet per actum personalem, quæcunque ea sit talis persona. Immo si sit virgo nobilis, vel matrona, vel monialis; Inquisitor debet ad locum eius accedere per se, vel per alium prudentem, & recipere denuntiationem, vel

testimonium, vt dicit Arsenale fol. 28.

Quæritur 38 An auocans alium paratum denuntiare sit suspectus de Hæresi, & Fautor Hæreticorum, seu Fautor aliorum?

77 ℞. Affirmatiuè, quia eius auocatio prodest personæ denuntiandæ, siue hæc sit Hæretica, siue de Hæresi suspecta. Procedit hoc, siue auocans sit persona priuata, siue officialis. Confirmatur quia huiusmodi auersio est valde præiudicialis conseruationi S. Fidei. Rem tangit Lupus lib. 4. dist. 5. Diffic. 2. art. 4. sed non placet eius dictum.

Quæritur 39. An non denuntians cum possit incurrat Excommunicationem?

78 ℞. Sic, vt expressè habetur in vtroque Edicto, latino his verbis: *Sub Excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnâ, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant.* Vulgari. *Sotto pena di Scommunica.* Et infra in fine. *Et dalla detta Scommunica, & pene, nelle quali i disubidienti incorreranno, non potrà alcuno esser' assoluto, se non da Noi, ò dal supremo Tribunale del S. Officio di Roma; ne sarà assoluto, se prima giuridicamente, reuelando i detti Heretici, & come di sopra sospetti d' Heresia non haurà sodisfatto.* Etiam in Latino reseruatur. Itaque ab huiusmodi Excommunicatione, præter illos, nullus absoluere potest, nec Generalis suos subditos, cum & ipse, & Religiosi eius in omnibus delictis Hæresis, & Suspicionis eius, & in casu quoque denuntiationis subdantur huic Sancto Tribunali, legatur Bulla Alex. VII. sæpius allegata, & apparebit id totum verum, quod scribo.

Quæritur 40. An Confessarius possit absoluere bene dispositum dicentem, & promittentem se velle denuntiare, antequam denuntiet?

79 ℞. Potest, quandocunque habet firmum propositum denuntiandi, quia cum sit bene dispositus pœnitens, non est ei deneganda Absolutio, sicut non negatur, ei qui paratus est restituere. Ita *Peyrin. ad Bullam Gregor. XII. §. 9. num. 24. Sanctar. cap. 9. de Hæres. num. 16. Compend. Rodriq. resol. 131. num. 16. Carena ex illis part. 2. tit. 9. num. 48.*

Quæritur 41. An non denuntians Hæreticum, cum possit, sit Reus Excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini?

80 ℞. Sic, quia omnis Fautor Hæretici in causâ Hæresis est excommunicatus in dictâ Bullâ, ibi: *Ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores.* Certum autem est, quòd omittentes denuntiare sunt fautores ex probatis hic q. 35. Ergo Rei sunt huius Excommunicationis. Confirmatur, quia Fautoria committitur non solùm commissione, sed etiam omissione, ex probatis sect. 15. num. 3.

Castropal. *Tract. 4. disp. 3. p. 5. num. 7. vers. Inquare*, dicit, non esse Fautorem Hæretici contra omnium sententiam, nisi aduersus Iustitiam, & obligationem officij peccet, *ex Simanchâ tit. 15. num 13. Pegna part. 2. com. 78. vers. Ego. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 15. Suar. disp. 24. de Fide sect. 1. num. 6. Farinac. q. 182. num 27.* Quia cessante obligatione Iustitiæ, tibi imputari non potest Hæreticum non corrigi, cum sua non intersit illam corrigere; vtique obligaris si habes Officium capiendi illum, vel denuntiandi ex speciali mandato Inquisitoris. Ergo in eius opinione non denuntians singularis persona extra officium, & mandatum speciale, cui neutrum commissum fuit; non incurrit excommunicationem Bullæ, cum non sit fautrix. Adeo quòd non sunt fautores nisi qui ex officio tenentur denuntiare vt ex alijs docet etiam *Dal Bene Dub. 26. nu. 2.* 81

Sed meo iudicio non solùm, qui ex Officio tenentur denuntiare vti personæ publicæ, vt aiunt, sed etiam omnes priuatæ, de quibus in Edicto, omittentes denuntiare, cum possint, sunt Fautores Hæreticorum, quos non denuntiant; & certè *Pegna citatus à Castropal. in seq. §. Postremo*, loquitur etiam de priuatis, quos non denuntiantes appellat Fautores. Siue ergo ex Officio, siue non, negligant denuntiationem, sunt Fautores Hæreticorum, & tandem id clare dicitur in Edicto Latino his verbis extremis. *Certificantes huiusmodi conscientia sua immemores, ac aictam Excommunicationem contemnentes, quòd contra ipsos tamquam contra Hæreticorum Fautores &c.* Quare concludendum est, tales personas etiam priuatas omittentes denuntiare esse Fautores Hæreticorum, quos negligunt denuntiare, ac proinde incurrere Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, quæ excommunicat Fautores Hæreticorum, non distinguendo inter hunc, vel illum modum inducentem Fautoriam, sed omnes modos complectens. 82

Quæritur 42. An obligatio denuntiandi habeat adiunctum Iuramentum?

℞. Affirmatiuè, & quidem primò, cum Inquisitor committit alicui Officium hoc, secundò, cum quis abiurat Hæresim iurat se denuntiaturum Hæreticos, quos agnouerit tales, vt dixi sect. 17. num. 49. 83

Quæritur 43. An leuiter tantùm suspectus de Hæresi sit denuntiandus?

℞. Affirmatiuè, quia in Edicto præcipitur, vt denuntientur Hæretici, aut suspecti de Hæresi, nullâ factâ distinctione inter suspectos de *Leui*, aut de *vehementi*, ergo vtrosque comprehendit. Et id declarauit Alex. VII. in sua Bulla incip. *Licet aliàs*, extensa apud Dal Bene, in fine tom. 2. ibi: *Hæreticos, vel de Hæresi quomodocunque etiam leuiter suspectos deferant, & iudicialiter denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs.* 84

rijs. Sic docuit Carena part. 2. tit. 9. num. 8. contra *Castrum lib. 2. cap. 25. fine*, *Sanctar. cap. 9. num.* 16. *Lazar. q.* 12. *num.* 32. *Genuens. cap.* 18. *num.* 10. quos contra se citat Carena.

Quæritur 44. An qui semel tantùm commisit Hæresim, vel aliud delictum de Hæresi suspectum sit denuntiandus?

85 ℞. Affirmatiuè, probatur. Tum quia Edicta olim obligabant denuntiare eos, qui soliti erant blasphemare, vt notat Lupus lib. 23. dist. 5. art. 1. Nunc autem eâ clausulâ reiectâ, absolutè loquuntur. Tum quia vnicum committens ex delictis expressis delictum, dicitur vel Hæreticus, vel suspectus de Hæresi, cum quodlibet delictum inducens Hæresim, eam arguit, siue semel fiat, siue pluries fiat, quia Suspicio oritur non minus ab vno, quàm à pluribus delictis, maior verò, vel minor Suspicio colligitur à numero eiusdem delicti, non replicati, seu replicati.

Quæritur 45. Petrus scit Paulum fecisse Sortilegium in diœcesi v. g. Regiensi, vbi ambo erant eo tempore, & deinde recesserunt ambo, vnus abijt Bononiam, & alter Parmam. Numquid Petrus tenetur denuntiare hic Parmæ, vel Regij, vel Bononiæ Paulum Sortilegum, qui nunc moratur Bononiæ?

86 ℞. Ad nihil tenetur, quia vt dixi sub q. 12. singuli Inquisitores obligant fideles sibi subiectos ad denuntiandos Hæreticos, aut de Hæresi suspectos, qui in eadem diœcesi edicentis delicta huiusmodi commiserunt; sed Petrus esto sit modò Parmæ, sed non Paulus, qui nunquam fuit subditus huius Inquisitoris, ideo ad nihil tenetur; necesse ergo est, vt denuntians, & denuntiandus sint subditi ei Inquisitori, sub cuius Iurisdictione commissum fuit delictum.

SECTIO DECIMA NONA.

De offendentibus S. Officium, ad Bullam *Si de Protegendis*.

SVMMARIVM.

1 *Summi Pontifices varia statuerunt contra Offensores.*
2 *Statuta impedientia, vel retardantia Officium hoc, nulla sunt.*
3 *Pœnæ Bullæ* Si de protegendis *referuntur ad verbum.*
4 *Bulla hæc odiosa; proinde non extendenda de casu ad casum, nec de Personâ ad Personam.*
5 *Numerantur* Personæ *non offendendæ.*
6 *Numerantur* Personæ *prohibitæ offendere.*
7 Quicumq; *comprehendit etiam fœmininum.*
8 *Imperator, Reges, & Reipublicæ non comprehenduntur.*
9 *Ecclesiastici quicunq; comprehenduntur.*
10 *Nomen* Regularis *inducit vtrunq; sexum.*
11 *Numerantur ecclesiastici subditi huic Bullæ.*
12 *Cardinales excluduntur.*
13 *Offensio debet esse contra Officialem actu talem, & in causâ Fidei.*
14 *Offensor in causâ Fidei præsumitur, si fuit ante punitus in S. Officio.*
15 *Præsumptionem probat tàm Iudex, quàm offensor.*
16 *Qualitas dans Iurisdictionem probanda in primis est.*
17 *Probationes claræ quænam dicantur.*
18 Aut testem in Causa fidei *&c. explicantur.*
19 *Seruiens personæ Inquisitoris non subditur Bullæ.*
20 *Actiones prohibitæ respectu officialium sunt occisio, verberatio, deiectio & perterrefactio.*
21 Deiecerit *explicantur.*
22 Perterrefecerit.
23 *Metus leuis non habetur in consideratione, sed grauis.*
24 *Perterrefactio solis verbis sufficit.*
25 Seu *propriè cadit super diuersa.*
26 *Stat verò declaratiuè inter genus, & speciem.*
27 *Vulnerans letaliter, licet non moriatur læsus, est Reus Bullæ.*
28 *Conatus in deiectione, effectu non secuto remotionis ab officio, non inducit pœna.*

29 Ne-

29 Neque in perterrefactione.
30 Verberatio sola licet non impediat effectum, inducit pœnas Bullæ.
31 Prohibita in Bullà referuntur ad Officium, ad res Officij, & ad carceres, & carceratum.
32 Quænam sint res S. Officij.
33 Quiue quid importet.
34 Ædis nomine in Bullà venit habitatio Inquisitionis.
35 Res sunt Officij, & officialium ratione Officij, non Personæ.
36 Explicantur Expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit.
37 Res sancti Officij, aliæ materiales, aliæ ex intellectu, & manu procedentes.
38 Inermis idest sine vi.
39 Quid prohibuerit circa carceres, & carceratos.
40 Occuluerit idest absconderit.
41 Conuentus plurium à conueniendo in vnum.
42 Cętus, & turba idem ex decem, vel quindecim hominibus.
43 Accomodauerit idest dederit.
44 Scientia ad præstandum auxilium, consilium, & fauorem.
45 Non occisus non verberatus.
46 Qualibet actio sufficit, vt offendens sit Reus pœnarum.
47 Mandans, seu iubens quamlibet ex actionibus est Reus.
48 Conatus debet esse actus externus proximus.
49 Conatus non punitur rigorosè, nisi id exprimatur.
50 Iussio, auxilium, consilium, & fauor prohibentur principaliter.
51 Reuocans mandatum, consilium &c. adhuc est Reus Bullæ.
52 Obuiare, & impedire malum, vel ex iustitiâ, vel ex Caritate.
53 Mandauit illis vnicuiq. de proximo suo. Eccl. 17. 12.
54 Omissio duplex, pura, & cum influxu.
55 Non obstans etiam ex caritate Reus est Bullæ.
56 Cap. Sicut dignum, de homic. cap. qui potest 2. de Hæret. cap. Non inferenda 23. q. 3. De eo, qui debet obuiare, & cap. Quantæ, de Sent. Excom.
57 Explicantur quò ad peccatum, non quò ad pœnam.
58 Omissio pura, & simplex non prohibetur in Bullà 55.
59 Cap. Quantæ, de Sent. Excom. explicatur, si dolosè omisit obuiare.
60 Ratum habere non possum, quod non est gestum nomine meo.
61 De Ratificatione ne verbum quidem in Bullà.
62 Ratificatio non influit in gestum, cum iam sit.
63 Offendens Officialem iam absolutum, non est Reus.
64 Qualitas iuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi.
65 Neque enim debet grauare maleficium.
66 Carena probat Inquisitorem electum ante præsentationem literarum offendi sine violatione Bullæ.
67 Est violator Bullæ offendens solùm electum.
68 Officialis propriè est, qui habet in se Iurisdictionem.
69 Ad argumenta Carenæ respondetur.
70 Ante præsentationem litterarum officialis non habet Iurisdictionem, nisi in habitu.
71 Immo tunc eam aquirit multi dicunt, qui intelligendi sunt in ordine ad iudicandum subditos.
72 Prohibens seruari, & defendi res, & personas S. Officij est Reus Bullæ.
73 Omittens denuntiare non est violator Bullæ huius.
74 Lacerans, deturpans scripturam, seu Edictum violat Bullam.

75 Res *est nomen generale omnia comprehendens*.

76 Diripere, Interuertere *important lacerationem, & deturpationem* 37. 80.

77 *Iniurians solis verbis Officiales non est Reus Bullæ*.

78 *In Bullà nulla mentio de iniurijs solùm verbalibus*.

79 *Iniuriantes puniuntur ab hoc Tribunali*.

80 *Fur rerum S. Officij est violator Bullæ*.

81 *Non si furetur crumenā Inquisitori*.

82 *Vsurpans sibi Officium non transgreditur Bullam*.

83 *Fingens se Hæreticum, vt saluet verum Hæreticum non est reus*.

84 *Credendum Birruarijs circa capturam Rei, non quò ad ereptionem capti*.

85 *Quia aliud est captura, aliud ereptio, illa ligat, hæc liberat*.

86 *Attestatio Birruariorum sufficit ad torquendum*.

87 *Debent ostendere cartam capturæ*.

88 *Iudex secularis nolens punire Hæreticum sibi consignatum non est reus Bullæ*.

89 *Nec processum potest reuidere*.

90 *Punitur ab Inquisitore recusans punire*.

91 *Offendens ex causà soliùs Suspicionis subditur Bullæ*.

92 *Referuntur pænæ Bullæ*.

93 *Excommunicatio est reseruata*.

94 *Confiscatio bonorum, & priuatio omnium Officiorum, & Mors*.

95 *Violatores huius Bullæ sunt suspecti de Hæresi*.

96 *Vt plurimùm vehementer*.

97 *Offensores sunt torquendi super negatiuà Delicti, & Intentionis*.

98 *Abiurare coguntur*.

99 *Ignorantia aliquo modo minuit*

100 *Bulla hæc intimatur punitis. pænas*.

101 *Minoribus minuitur pæna*.

SVmmi Pontifices Romani Officium S. 1
Inquisitionis in suis Ministris, & Officialibus varijs Constitutionibus munierunt, corroborarunt, & confirmarunt contra prauos homines inimicos catolicæ Fidei, vt legi potest in Bullis Innocentis IV. incip. *Ad extirpanda* 8. lege 20. in B. N. Vrbani IV. in sua incip. *Licet ex omnibus* 2. §. 15. Relati ex parte *cap. Statutum* 9. *de Hæret. in 6.* vbi non valet statutum impediens, vel retardans Inquisitorem ab Officio suo, & *cap. Vt Officium* 11. *ibid.* Clementis quoque IV. 2
in sua incip. *Ad extirpanda* 13. lege 19. supradictam Innocentij IV. confirmantis. Demum Pij V. in sua incip. *Si de protegendis* 82. contra offendentes statum, res, & personas Officij S. Inquisitionis. Et ante ipsum Iulij III. in suà incip. *Licet à diuersis* 11. Super quibus quæstiones resoluemus de more, habito respectu ad Bullam Pij V. *Si de protegendis*, in quà magis exprimuntur impedimenta contraria Officio S. Inquisitionis.

Quæritur 1. An Bulla Pij sit odiosa, ac proinde strictè interpretanda, non extendenda de casu ad casum, & de vna Personà ad aliam?

℞. Affirmatiuè, imponit enim pœnas 3
grauissimas his verbis sub §. 4. Nihilominus is sit Anathemate præsentis canonis auctoritate legatus; idem quoque læsæ Maiestatis Reus; dominio, dignitate honore, feudo, ac quocunque alio beneficio temporali, & perpetuò eo ipso priuatus; secularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur; bonis, rebusque omnibus Fisci Iuribus applicatis; vti etiam de damnatis Hæreticis per sanctiones canonicas constitutum; eius Filij paternà infamià subiecti, omnis, & cuiuscunque Hæreditatis, Successionis, Donationis, & Legati, siue propinquorum siue extraneorum omnino sint expertes; eisdem præterea portæ nunquam pateant Dignita-
His pœnis, quibus grauiores non inue
tum.
niuntur, subiecit non solùm offendentes per actum perfectum, sed etiam per solum conatum, vt patebit infra sub q. 16. 4

Quare illæ non extendendæ de casu expresso ad non expressum, neque de vnà personà ad aliam, quæ in Bulla non continetur, vt in his terminis docet *Carena part.* 2. *tit* 13. *num.* 5. Adducit Riccium *part.* 1. *dec.* 74. vbi refert, quod Curia Archiepiscopalis Neapolitana decidit, quòd Bulla non comprehendit quamdam Mulierem, quæ percusserat Clericum, qui indicauerat Curori S. Officij, vbinam esset eius Mater inquisita aliàs de Hæreticalibus Superstitionibus, ex

eo

eo quòd Clericus ille, nec erat accusator, nec denuntiator, nec Testis, nec Minister, de quibus in Bullà.

Notandum est, dictas pœnas rarò exequi in leuibus impedimentis, vnde aut Inquisitores recurrunt ad Romanum Tribunal, aut Reos huius Bullæ puniunt pœnis arbitrarijs iuxta mensuram delicti; eos qui dicunt latam fuisse à Pio V. ad terrorem impugnat Carena initio.

Quæritur 2. Quænam sunt Personæ, quæ prohibentur impediri, vel offendi per hanc Bullam Pij V.?

5 ℞. Bulla sub §. 2. his verbis: *Quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis*, Procuratoribus, *Notarijs, alijsue Ministris prædicti Officij, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi, aut prouincià obeuntium; seu accusatorem, denuntiatorem, aut testem in causa Fidei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit deiecerit, seu perterrefecerit*. Septem nominantur Inquisitor, Aduocatus, Procurator, & Notarius, qui sunt quatuor Officiales. Et tres non officiales Accusator, Denuntiator, & Testis. Sub illis verbis *Alijsue Ministris* veniunt quicunq; alij, qui seruiunt pro Sancto Officio deputati, vt Consultores, Reuisores librorum, Vicarij eiusdem Inquisitoris ab eo nominati, qui etiam sunt in villis cum suis Notarijs, item Executores, idest Birruarij, Baroncellus, Seruitores loci, in quo custodiuntur carcerati, item Patentati. Quod dicitur de Ministris Inquisitoris, intelligitur etiam de alijs Officialibus electis, & nominatis ab Episcopo ad hunc effectum S. Officij.

Quæritur 3. Quinam prohibeantur offendere eos, de quibus dictum est in præcedente quæstione non esse offendendos?

6 ℞. Bulla in eodem §. 2. his verbis. *Quicunque siue priuatus, siue cuncta Ciuitas, siue populus, siue* Dominus, Comes, *Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris*. Sub illis

7 verbis: *Quicunque priuatus* comprehenditur primò tam masculus, quam fœmina, *l. Ait Diuus* 16 *de iure Fisci Barb. Dict.* 317. *num.* 7. Secundò, dictio *priuatus* includit quemcunque secularem, seu laicum licet officialem vt Procuratorem, Notarium &c. nam excludit solùm sub nominatos à se. Nomine *Cuncta Ciuitas* veniunt qui Ciuitatem gubernant, vt Prætor, Gubernator, Magistratus, Potestas, Antiani; isti enim siue sint personæ singulares, siue plures in vnum corpus morale, & politicum dicuntur tota Ciuitas, quia eam repræsentant in regimine, videtur enim incredibile, quod singuli, & omnes de Ciuitate velint offendere illos, de quibus in Bullà fit mentio. Bonac. in Bullà Cœnæ disp. 2. q. 2. part. 13. num. 5. super præsentem: Si *de protegendis*. dicit comprehendi Iudicem, Prætorem, Gubernatorem, comitem, &c. quem sequitur *Carena part.* 2. *tit.* 13. *num.* 84. Sed ego differo ab eo, nam illos comprehendo ex dictionibus *Cuncta Ciuitas*, ipse verò Bonac. ex illis verbis: *Omnes cuiuscunque dignitatis, & gradus sint, &c.* Quæ tamen verba non habentur in tota Bulla: S*i de protegendis*. Debent ergo hi officiales deduci ex illis verbis C*uncta Ciuitas*.

Adde, quòd Textus sub §. 4. hoc loquens de confiscatione non nominat Ciuitatem, ergo de ea non est sermo, sed de eius ministris. Idem dicendum est proportionaliter de sequenti verbo P*opulus* idest, qui populum regunt, siue sit Oppidum, siue Castrum aut Villa. Sequentia verba: *Siue* D*ominus*, C*omes*, *Marchio*, *Dux*. Sunt clara, ideo non egent explicatione. Subduntur tandem hæc alia: *Vel potiore titulo illustris*, sub quibus veniunt alij titulares laici cum maiori dignitate seculari, vt Archiduces, Magniduces, & huius generis, vt Vicereges, Proreges, vt dixi in Sacro Tribun. cap. 29. num. 5.

Quæritur 4. An sub dictis verbis explicatis in præcedenti quæstione comprehendãtur Imperator, Reges, & Respublicæ?

℞. Non comprehendi sub illis verbis, 8 nec Bullà, quia in Bullis pœnalibus non veniunt, nisi exprimantur, in hac autem non exprimuntur; nec sub illa clausulà: *Vel potiore titulo illustris*, comprehenduntur, cum non sit superlatiua, sed solùm comparatiua; Imperator autem, & Reges, nec Respublicæ illis comparantur ibi expressis. Confirmatur, quia Imperium, Regna, & Respublicæ non sunt confiscabilia.

Quæritur 5. An personæ Ecclesiasticæ comprehendantur, itaut si offendant prænominatas sub secundà quæstione, sint Rei huius Bullæ. 9

℞. Affirmatiuè, ex sequentibus verbis sub §. 5. *Quod porro de prædictis* idest secularibus, *eorumque Filijs statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Presbiteris secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam exemptorum regularibus, & quacunque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis; ac etiam priuilegio quomodocunque suffultis decernimus exequendum, itaut ipsi Beneficijs, & Officijs omnibus Ecclesiasticis, præsentium auctoritate priuati per Iudicem Ecclesiasticum Hæreticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi pœnis prædictis laicorum instar subijciantur*. Sub prædictis verbis claris comprehenduntur in primis omnes Religiosi vtriusque sexus, verbum enim *Regularibus* est promiscui generis, & hoc 10 patet etiam ex quæst. 3. & exemplo allato à Riccio hic sub quæst. 1. etiam Abbates, & 11 Generales. *Secundò* omnes Clerici seculares etiam Sacerdotes, & in Dignitate constituti,

ri, Officiales, Prælati, ac Canonici *Tertiò*
Episcopi omnes, Archiepiscopi, Metropolitani,
Primates, Electores Ecclesiastici ex
illis verbis: *Maiori Dignitate præditis*.

Quæritur 6. An Cardinales comprehendantur
sub eadem Bullà offendentes?

12 ℞. Negatiuè, quia in pœnalibus non
comprehenduntur, nisi exprimantur, sunt
enim maiores Regibus, cum sint pars corporis
Legislatoris, qui de eorum consilio præsentem
Bullam edidit, ac proinde pœnis
non subduntur. Dixi cap. 29. num. 8.

Quæritur 7. Quid requiratur, vt impedientes,
vel offendentes Officiales S. Inquisitionis,
de quibus dixi q. 2. sint Rei huius
Bullæ?

13 ℞. Requiritur, quòd impedimentum,
seu Offensio fiat contra Personam, quæ sit
actu officialis, & in causa Fidei. Id totum
patet ex verbis ipsius Bullæ relatis sub. q. 2.
& clarius in §. 5. *Qui tantùm nefas in contemptum,
& Odium huius Officij admiserit.*
Idem sub §. 1. *Qui omnibus malis artibus
prædictum Officium subuertere, Ministrosque
functionibus disturbare moliuntur, &c.*
Qui ergo non in causa Fidei, sed ex odio
priuato offendit officialem non est Reus huius
Bullæ. Ita *Farinac. q.* 180 *num* 80. *fine,
ex eo Sousa lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 9. *Carena
part.* 2. *tit.* 13. *num.* 23. qui num. 24. hoc
probat, quia offendens Principis officialem
& odio priuato non est Reus huius criminis
læsæ Maiestatis humanæ, ex allegatis ibi
Doctoribus.

Quæritur 8. Quid præsumendum in dubio,
an Offensio sit facta in odium, an ex aliâ
causâ priuatâ non tangente S. Officium?

14 ℞. Primò, si offendens Officialem fuit
ante ipse, vel alter eius consanguineus, affinis,
vel amicissimus, denuntiatus, vel etiam
punitus in S. Officio, præsumitur offendisse
intuitu, & ex causâ Officij, in quo ille
fuit denuntiatus, vel punitus. Ita *Carena
num.* 25. *vers. At attentâ*. Prudens enim Iudex
alium finem, quo ille offendit Officialem,
excogitare non potest, nisi id procedere
ex punitione factâ in Sancto Officio, ergo
in eius contemptum, non ex odio priuato,
cum non occurrat memoriæ. *Secundò* quòd
si offendens, non sit nec amicus, nec consanguineus
&c. Rei Sancti Officij, non præsumitur
offendere in contemptum Officij, si
officialem percutiat &c. aut denuntiatorem
seu Testes, qui nihil dixerunt contra offendentem.
Tunc enim prudens Iudex informatus
de offensione quærit, quâ ex causâ percussus
fuerit eius Officialis. Dixi cap. 29.
num. 11.

Quæritur 9. An Inquisitor tenens offensionem
factam fuisse in odium officij debeat
hoc probare? Idem quæritur, quando offendens
negat id fecisse in odium officij, sed
ex odio priuato tantum?

℞. Vterq; debet probare suum intentum. 15
Inquisitor tamen, quando habet præsumptionem
pro se, quam habet respectu primi
casus explicati in præcedenti quęstione, non
tenetur probare, sed in secundo casu tantùm,
cùm scilicet offendentis, nec consanguineus,
nec amicus &c. fuerat denuntiatus,
vel punitus. In hoc ergo casu Inquisitor
tenetur probare, cum nullam habeat
præsumptionem pro se; in tantùm enim talem
offendentem habet sibi subiectum quò
ad pœnam, in quantùm debet constare de
qualitate offensionis, factæ scilicet in causâ
Fidei, & in odium Officij S. Inquisitionis.
Hæc enim qualitas tribuit Iurisdictionem,
ergo est probanda ex parte Iudicis, vt dicunt
Canon in cap. Si Clericus, de foro compet. 16
Farinac. q. 8 *num.* 86. Allegata enim
qualitas probanda est, antequam ad vlteriora
procedatur, *l. Non ignorat* 9. *C. de ijs, qui
accusant*. In his terminis idem *Carena part.*
2. *tit.* 13. *num* 28. Et sicut offendens suum
assertum debet concludenter probare, vt effugiat
Iudicium S. Officij, vt mox probabo,
ita & viceuersa Iudex S. Officij; dicit ipse
Carena ibidem, vers. Bene verum est, quòd
sufficit probare qualitatem per coniecturas,
ex allatis à Farinac. q. 112. *num.* 154. Si quidem
correlatiua non iudicantur ad imparia
respectu eiusdem causæ, *ex allatis à Barbosa
Axiom.* 61.

Offendens verò suum assertum, quòd ex
odio priuato, & non in Contemptum officij,
percusserit debet concludenter probare, vt
dicitur in Bulla sub §. 5. *Nemo autem expurgationem
habere, aut causam vllam proponere
vel prætendere possit, qui tantum nefas
in contemptum, & odium huius Officij admiserit,
nisi contrarium per claras probationes
docuerit se fecisse.*

Sed videndum modo est, quid sint claræ
probationes, quas ex parte Offendentis exigit
Bulla, dum coniecturæ sufficiunt ex parte
Iudicis, vt dicit Carena?

℞. Clara probatio idem est, quòd plena 17
probatio; quæ multis modis contingit fieri,
per Testes, per Instrumenta, per euidentiam
facti; per iustam præsumptionem, seu coniecturam,
vt dicit *Mascard. q.* 2. *num* 22.
qui nihilominus q. 4. num. 13. dicit, probationem
per præsumptiones, & coniecturas
non posse dici probationem veram, & propriam;
tamen postquam definiuit probationem
plenam sub num. 15. constituit sub
num. 16. inter eius species etiam probationem
per iustam coniecturam, quam sub q.
10. num. 16. appellat veram probationem.
Et quamuis dicta videantur procedere in
præsumptionibus, & coniecturis Legis, &
Iuris, vt placet Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt.
q.* 36. *num.* 10. & *q.* 37. & 38. & non posse

habere locum in textu huius Bullæ requirentis claram probationem, tamen *Carena num.* 31. *&* 34. *ex Merenda lib.* 5. *cap.* 39. dicit, probationem ex coniecturis esse veram, legitimam, & euidentem. Quare, probatâ Inimicitiâ ex alio capite, quam ex causâ Fidei, clarè probata dicitur qualitas excludens à violatione huius Bullæ.

Quæritur 10. Quid importent illa verba sub q. 2. scripta: *Aut Testem in causâ fidei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit &c.* Ratio dubitandi est, quia Testis potest quandoque vocari non solùm pro causa Fidei, sed etiam pro aliâ causâ spectante ad Officium, non contra Reum, vel etiam in eius fauorem, quòd sit innocens, an in his casibus occidens, seu aliter offendens talem Testem, fit Reus huius Bullæ?

18 ℞. Bonac. in Bulla Cœnæ disp. 2. q. 2. p. 13. num. 3. dicit, offendentem talem Testem esse Excommunicatum per præsentem Bullam, quia illa verba referuntur ad solum Testem, & non ad accusatorem, nec ad denuntiatorem. Vera est responsio, sed displicet ratio, nam sub illis verbis duo illa considerantur: *In causis Fidei*, quæ specificant omnes illas actiones occidendi, verberandi, &c. vt patet ex dictis sub q. 7. & vlterius sequentia. *Quomodocunq; productum*; scilicet quouis ex modis recensitis in ratione dubitandi, quæ soli Testi applicari possunt, illa verò: *In causa Fidei*, sunt communia, vt dixi specificantia, & qualificantia actiones.

Quæritur 11. An offendens Macellarium, Calzolarium, Coquum, & alios artifices inseruientes personæ Inquisitoris incurrat pœnas huius Bullæ?

19 ℞. Negatiuè, quia seruiunt personæ ratione personæ non Officij, & quà est Inquisitor, vnde offensi nec sunt Ministri, nec officiales seruientes Sancto Officio, quod his non indiget. Idem dic de Medico, nisi sit ab Inquisitore destinatus ad Fidem faciendam de remedijs, quæ maleficæ faciunt contra personas, nam in hoc casu seruit Officio, non Personæ.

Quæritur 12. Quænam actiones prohibeantur offendentibus Ministros, & Officiales S. Officij?

20 ℞. Sunt quatuor expressæ his verbis: *Occiderit verberauerit, deiecerit, vel perterrefecerit*. Priores duæ actiones sunt claræ, & ideo non egent explicatione; important autem quamlibet corporalem læsionem, vt ipsemet indicant, obiectum enim occisionis, & verberationis est corpus humanum. *Dixi cap.* 29. *num.* 13. Reliquæ duæ remanet explicandæ.

21 Verbum *Deiecerit* significat expellere Officialem è suo loco, & Officio deturbare, procurando, vt suo munere priuetur, arg. cap. Et si clerici 4. de excessib. Prælat. ibi: *Et si Clerici fuerint, deÿciantur à Clero.* Bonac. *in Bullâ Disp.* 2. *q.* 2. *p.* 13. *num.* 3. *Dixi cap.* 29. *num.* 17. vbi quòd deiectio refertur non solùm ab Officio, quod deiectus habet ab Inquisitore, seu ab Episcopo, pro S. Officio, sed etiam à quolibet alio Superiore extra causam S. Officij, deiectio enim est communis omnibus Officijs, ad quæ est indifferens.

Verbum *Perterrefecerit* importat incussionem, & comminationem metus cadentis in constantem virum, quia de metu leui in Iure ratio non habetur, *l. Nec timorem ff de eo, quod metus* Bonifac. *Clem.* 1. *de foro compet. num.* 3. Sanch *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 10. quem vide *lib.* 4. *disp.* 7. *num.* 10. *à me citatum cap.* 29. *num.* 15. Requirentem quinq; conditiones ad inducendum metum cadentem in constantem virum, quas recenset Carena num. 64. 22 23

Difficultas est, an sufficiat sola perterrefactio verbis sine factis? Vtrunq; requirit *Carena par.* 2. *tit.* 13. *num.* 65. Adeo quòd non sufficiunt sola verba, sed requiritur factum aliquod, vt perterrefaciens sit Reus huius Bullæ. Et hoc probat per doctrinam ab Alterio acceptam, qui *tom.* 1. *Bulla Cœna lib. disp.* 14. *cap.* 3. *Vers. Superest explicandum.* Verba hæc: *Bona spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, comminantur* explicat, quòd Perterrefactio fit cum verbis facto mixtis; comminatio verò fiat solis verbis. Carena ergo hæc aplicat huic verbo *Perterrefactionis* nostræ Bullæ. Sed quia interponitur particula *Seu*, quæ de sui natura propriè importat diuersitatem, *ex allatis à Barbosa hac Dict.* 363. *à num.* 1. *ad* 6. inter eas actiones hoc modo: *Occiderit, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit*. Vt excludat ab eâ particulâ *Seu* præfatam diuersitatem, dicit, illam stare ibi declaratiuè, *ex Glos. in cap. Bona il primo de postul. Prælat.* Declaratio autem nihil ponit in esse, nec nouam inducit dispositionem *l. Hæredes palam §. Si quid post factum ff. de testam*. Et hanc interpretationem dicit esse rationabilem, quia in valdè odiosis, & pœnalibus, vt est præsens Bullà, verba strictissimè sunt intelligenda. Lupus *lib.* 24. *Dist.* 2. *art.* 2 *Diffic.* 2. sequitur Carenam. 24 25

Sed contrarium omninò dicendum est; nempe solis etiam verbis incutientem metum grauem sine aliquo facto, esse reum huius Bullæ, quia solis minis, & terroribus impeditur Officium, & Iurisdictio superioris *arg. cap.* 1. *de Offic. de leg. Farinac. q.* 182. *num.* 84. Aliud enim est terrefacere, aliud corpus lædere, priores enim duæ actiones pertinent ad læsionem corporis, posteriores sunt sine læsione corporis; dum enim quis remouetur ab Officio in corpore non læditur, sed in honore, & cum verbis quis molestatur dicitur perterrefieri, licet non lædatur in corpore aliquo

quo

quo euidenti signo. *Zanardus super primum Decalogi praeceptum cap.* 5. §. 23. *fol* 60 *ex eo Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 13. *Vers. Non desinam*, huius verbi mentionem faciunt, sed nihil de hac difficultate dicunt.

Marius Alterius in suis terminis benè loquitur; fuit enim illi necessaria supradicta Interpretatio diuersificatiua, ne alterum ex illis verbis superflueret, lex enim non debet continere verba superflua, *cap. solita de maior.* In Bullà autem Piana non multiplicantur verba in idem redunantia, itaut necessarium sit ad euitandam superfluitatem in vnum sensum reducere diuersa verba, per illam distinctiuam *Seu*, quæ declaratiuè stare ibi non potest, cum illæ quatuor actiones de se notæ sint, & vna esse possit sine aliâ in suo genere perfecta, & completa.

26 Adde, quòd tunc particula *seu* potest stare declaratiuè cùm ponitur inter genus, & speciem consequentem ipsum genus, vt citatis Doctoribus tradit *Rota par.* 6. *dec.* 310. *num.* 21. *vbi num.* 22. dicitur stare declaratiuè, quando ponitur inter verba idem significantia, alijs citatis; certum autem est, quòd illæ quatuor actiones sunt valdè diuersæ inter se, nec rationem generis, & speciei habent, quia vna non prædicatur de alterâ.

Quæritur 13. An vt quis incurrat pœnas huius Bullæ necessarium sit, quòd secutus sit effectus occisionis, verberationis, deiectionis, & perterrefactionis?

27 ℞. Esto vulneratus etiam lætaliter non moriatur, adhuc vulnerans taliter est reus pœnarum non ratione occisionis, sed ratione conatus ad occidendum, ex illis verbis: *Licet nemo occisus, nemo verberatus*, de his duabus actionibus, & non alijs fit mentio in Bullâ §. 4. Sed qua ratione non verberans est reus? Si nullam ex alijs tribus actionibus commisit? Certe id ego ignoro, nisi fortè ex aliquo adiuncto conuincatur malus animus, vt si gladio euaginato, vel baculo erecto persequutus fuerit fugientem &c. Simplex enim omissio verberationis cum careat conatu, & voluntas verberandi lateat in animo, inducere non potest violationem huius Bullæ, quò ad pœnas, quia peccata purè mentalia non deducta ad actum externum solus Deus punit, qui solus nouit abscondita cordium.

28 Conatus licet dari possit in deiectione, cum scilicet quis procurauit ablationem Officij ab Officiali, & non obtinuit, tamen quia hæc actio deiectionis expressa non fuit cum alijs prioribus duabus sic. *Nemo deiectus*, non est reus harum pœnarum nisi sequatur effectus remotionis ab Officio.

29 In perterrefactione duo sunt spectanda. *Primò*, quòd non dicitur perterrefactio nisi sit præsens, audiens, & intelligens is, cui metus incutitur. Hinc est, quòd non fuit iudicatus huius Bullæ Reus, qui coram quibusdam S. Officij non Officialibus exagerabat clamando, Birruarios, & alios seruientes Inquisitori esse persequendos sono campanæ, & occidendos, ne capiant &c. Nihilominus propter huiusmodi iactationes, & oblocutiones S. Officio præiudiciales punitus fuit. *Secundò* in perterrefactione assignari conatum, scilicet qui metum incutit quantùm est ex verbis terrentibus, sed nihilominus is, cui incutiuntur, non timet, sed prosequitur suum Officium, cum non obstantibus minis denuntiator e.g. & Testes, ille denuntiat, & isti deponunt coram Iudice ad Fauorem Fidei. Et in isto casu neq. est reus huius Bullæ, quia perterrefactio non est facta, vt exigit hoc verbum *Perterrefacere*; importat enim effectum intentum à terrefaciente; impedire scilicet, ne denuntiet, ne testificetur perterrefactus. Adde quòd in Bullà non est hæc clausula. *Nemo perterrefactus*, sicut est in prioribus duab. actionibus. Ita Carena *par.* 2. *tit.* 13. *num.* 66. cum Perterrefactio denotet consumationem actus intenti, vt scilicet non sequatur denuntiatio, vel testificatio, aut captura, &c.

Quæritur 14. An offendens Biruarium, vel denuntiatorem, aut testem, antequam exequantur suum officium præuisum ab illo, sit reus huius Bullæ?

℞. Si offensio referatur ad perterrefactionem, iam dictum mox fuit, non esse Reum Bullæ; vtique verò respectu verberationis, 30
quia licet sequatur effectus capturæ, denuntiationis, seu testificationis, non tamen tollitur verberationis effectus, cum verberatus sit passus in odium Officij.

Notandum, quòd prohibita in hac Bulla reducuntur ad tria capita *Sub primo* ne of- 31
fendantur Personæ seruientes S. Officio tam ex parte Inquisitoris, quam Episcopi nominatæ, de quibus hucusq. actum est, & infra dicam datâ oportunitate. *Sub secundo* numerantur res spectantes, ad sanctum Officium. *Sub tertio* continentur carcer, & carceratus, à quibus prohibentur carceratorum Fautores.

Quæritur 15. Quænam sint res sancti Officij non vsurpandæ ab illis, de quibus facta est mentio sub q. 3.

℞. Referuntur sub §. 3. his verbis: *Quiue* 32
Ecclesias, ades, aliasue res, siue publicas, siue priuatas Officij, aut Ministrorum, expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit. Aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, Scripturas, aliaue instrumenta siue publica, siue priuata, vbicunq. posita combusserit, diripuerit, seu interuerterit; seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumq. modo illa exportauerit; seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis; siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit; siue res,

 siue

siue personas seruari, defendiue prohibuerit. Singula sunt explicanda pro clariori omnibus intelligentiâ.

33 In primis se affert dictio relatiua *Quiue* scilicet in præcedenti §. 2. quem explicaui sub. q.3. omnes ergo ibi expressi prohibentur ab actionibus prohibitis in præsenti §.3. extenso hic: *Quiue* namque est compositum ex *ve*, quæ significat copulatiuam Et ac proinde copulat tertium præsentem paragrafum cum secũdo, itaut prohibiri à certis actionibus in §. 2. prohibeantur etiam ab alijs expressis in 3. §. & ex relatiuo *Qui*, cuius natura est referre præcedentia, cum omnibus suis qualitatibus, *ex allegatis à Barb. quò ad dictionem priorem 419. num. 2. & quò ad posteriorem dict. 322. num. 2.* Et ad hoc propositum facit quod allegatis Iuribus, & Doctoribus dicit Ciarlin. de hoc relatiuo *Qui*, nempe, quòd stat restrictiuè, & declaratiuè, iuxta scilicet, quod dictum fuit sub q.3.

Res autem, quæ prohibentur male tractari sunt hæ, Ecclesiæ, ædes, & aliæ res tam publicæ, quàm priuatæ Officij, aut Ministrorum. Nomine *Ecclesia*, venit, quæ propiè pertinet ad S. Officium, vt hic Parmæ Ecclesiola adhærens parti Ecclesiæ S. Petri Martyris ex parte Epistolæ, & versus Palatium

34 Ducale, Et licet nomine *Ædis* veniat idem quod Ecclesia, nihilominus quia solet adiunctum habere sic *Ædes sacra*, quo hic caret adiectiuo, ideo sumitur pro habitatione ipsius Inquisitoris, Sequentia verba: *Aliasue res siue publicas, siue priuatas Officij, aut*

35 *Ministrorum.* restringunt res spectantes ad Officium Inquisitionis, aut Ministrorum, quę tamen sint ipsius Officij, non propriæ Ministrorum ad alium vsum. Supradictæ autem res prohibentur male tractari per quatuor actiones scilicet expugnationis, inuasionis incendij, & expilationis.

36 Verum *Expugnauerit* importat per vim auferre, & extorquere præfatas res. *Inuaserit*, hoc est alienum cum impetu occupare, & armis. *Incenderit*, idest, igne comburere aliquid ex prædictis. Demum *expilauerit*. importat diripere, & spoliare Officium, vel Ministrum S. Inquisitionis illis rebus, de quibus supra. In iure ciuili adest hic tit. *De crimine expilatæ Hereditatis*, tam in ff. quam in C. Azo in summa prædictorum titulorum dicit, illos esse expilatores, qui surripiunt aliquid ex rebus vacantis Hereditatis, Expugnatio, & inuasio fit contradicente expugnato, seu inuaso; incendium, & expilatio contingit non videntibus, quandoq; offensis in prædictis rebus? Expilator autem est propriè fur, non quilibet, sed si expilauerit in odium Officij, vel Ministrorum.

37 Res Sancti Officij, aut eius Ministrorum sunt in duplici differentia, aliæ materiales aliæ intellectuales: de primis actum est modo; de secundis, quæ per operationem Intellectus, & manus extenduntur inscriptis, agendum est, quæ numerantur his verbis: *Aut libros literas &c.* Quæ per sequentes malas actiones prohibentur male tractari, quæ sunt combustio, direptio, interuersio, & exportatio. Illud verbum, *diripuerit*. denotat in diuersas partes res rapere, & trahere. *Interuerterit* idest, cum astutiâ, & fraude intercipere, & auferre. *Asportauerit* de loco scilicet ad locum portauerit res incensas, conflagratas, expugnatas, seu direptas; *etiam* 38
inermis, idest, sine vi. Non solùm comburentes, diripientes, interuertentes, & exportantes sunt Rei huius Bullæ, sed etiam, qui prædictorum sunt causa. Demum & qui prohibuerit defendi supradictas res, & seruari easdem, & personas.

Quæritur 16. Quid prohibuerit Bulla circa carcerem, & carceratum in S. Officio?

℞. In §. 4. sic scribitur: *Quiue carcerem,* 39
aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumue eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri; qui cœtum, concursumue fecerit; siue vt aliquid prædictorum fieret, omnes accommodauerit, siue aliàs auxilium, consilium, aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit. Licet nemo occisus, nemo verberatus extractus, nemo emissus, vel ereptus nihil expugnatum, nihil effractum succensum direptumue, nullum deniq; damnum re sit ipsâ secutum.

Diuido nunc paragraphum in quatuor partes In primâ agitur de carcere & carcerato. In secundâ de cœtu, & concursu ad male agendum. In tertiâ de auxilio, consilio, & fauore ad malum in prædictis. In quartâ de prædictis actionibus prohibitis imperfectis, nullo ex illis secuto damno.

De primo nihil dicendum de carcere, & 40
carcerato, quia sunt clara. Verbum *Occuluerit* significat abscondere carceratum extractum, ne iterum possit capi, Quòd autem occulere sit abscondere, Ouid. 2. Fastorum. *Iupiter occuluit aerem nubibus*. Alia exempla refert Passeratius in Dictionario Calepini. Illa verba: *Qui facultatem fugiendi dederit*, referuntur ad quemcunq; captum dimittentem illicitè, siue sit custos, siue alius aperiens carcerem. Non solùm qui sponte suâ liberat è loco captum, sed etiam qui iubet alijs, vt extrahatur. *seu iusserit id fieri.* in quibus verbis desinit hæc prima pars.

In secundâ parte, nomine *cœtus* venit con- 41
uentus, vel congregatio à coeundo idest à conueniendo in vnum, cap. 1. dist. 15. In lege 4. incip. *Prætor ff. de vi bonorum rapt.* pro eodem accipitur cœtus, & turba, quę vt dicitur 42
ibidem, decem, aut quindecim homines faciunt

ciunt turbam, & cœtum. Et ita intelligi potest præsens textus Bullæ, ac proinde idem erit cœtus, & concursus tot hominum ad liberandum captum, seu carceratum concurrentium. Hic autem sermo est non solùm de iam carcerato, sed etiam de capto nondum carcerato, immo & nondum capto, sed capiendo, ibi: *capiendum prohibuerit cap-*
43 *tumq; eripuerit*. Sequentia verba: *Omnes accommodauerit*, scilicet de cœtu, & concursu, tribuerit, dederit, hoc est, *haurà imprestato*, iuxta illud Euangelij Lucæ 11. num. 5. *Amice commoda mihi tres panes*.

44 In tertiâ parte disponitur de auxilio, fauore, & consilio scienter non præstando in quolibet prædictorum, idest, in qualibet ex dictis actionibus prohibitis supra enumeratis in §. 2. 3. & 4. Bullæ. Nota verbum *Scienter*, si enim dans auxilium, consilium, vel fauorem ignoret esse contra sanctum Officium, vel Ministrum, excusatur à pœnis.

45 In quartâ parte referuntur quamplures ex prædictis actionibus prohibitis licet singulæ in suo genere non sint perfectæ, & completæ existentes tantùm in prauo affectu, & conatu; non sortitæ suum effectum completum. Pro quarum maiori intelligentia, & quandonam transgressores incurrant pœnas huius Bullæ, sequuntur aliæ quæstiones.

Quæritur 17. An pro qualibet actione ex prædictis incurratur pœna huius Bullæ?

46 ℞. Affirmatiuè, vt patet ex illis verbis: *Vt aliquid prædictorum fieret* ex §. 4. cum vna stare possit sine alia, ac proinde pœnæ ad singulas diuisim referuntur.

Quæritur 18. An mandans, seu iubens quamlibet ex illis actionibus sine aliâ, sit Reus huius Bullæ, licet postea non sequatur effectus?

47 ℞. Affirmatiuè ex illis verbis: *seu iusserit id fieri*, nam illud relatiuum *id* refertur singulariter, & diuisim ad omnes actiones antecedenter expressas in singulis §. 2. 3. 4. vt patet ex dictis in 4. parte de ipsis actionibus imperfectis, quæ in prædictis paragrafis recensentur.

Quæritur 19. Qualis actio imperfecta, hoc est, conatus requiratur, vt offendens sit Reus harum pœnarum?

48 ℞. Requiritur aliquis actus externus proximus, non remotus, vt dicit Carena *part. 2 tit. 13. num. 52. & 53.* Et probat per Doctores explicantes *cap. Felicis, de Pœnis in 6.* Farinac. *de crim. læsæ maiest. q. 116. num.*
49 *252. & 254.* Et quamuis in sententia omnium, & de consuetudine non solùm totius Italiæ, sed mundi, conatus non puniatur ordinariâ pœnâ sui effectus, nisi ipso effectu secuto, vt dicit *Quaranta* V. *Sodomia in Addit. Giurba cons. 64. num.* 13 nisi id exprimitur, vt fit hic, & in cap. 1. de homic. in 6. contra Assassinos; tamen id certum est, conatum puniri in Bulla præsenti, esto non sequatur, vt patet ex verbis supra allatis, & iuxta, superius dicta.

Quæritur 20. an iussio, auxilium, consilium, & fauor, cum accomodatione hic prohibeantur principaliter, an solùm accessoriè, secuto scilicet effectu?

℞. Prohibentur hic æque principaliter 50
istæ actiones morales, ac aliæ physicæ actiones, vt patet extremis verbis rescriptis supra sub q. 16. ita docet *Bonac. in Bulla disp. 2. q. 2. part. 13. fine*, quem citaui *cap. 29. num. 24.* Carena *part. 2. tit. 13. num. 48. & 49.* loquens de istis, dicit, illos puniri pro certo actu ab illis præstito in ipso delicto, non autem post delictum, *ex Farinac. q. 132. num 41. & 42.* Hoc de auxiliatore sequor, quia actio eius physica, ita quòd auxiliator debet adiuuare occisorem, seu verberatorem, vel extractorem, vel receptorem, vel occultatorem extracti de carcere, ita quòd auxiliator post præfatos actus expressos, in Bulla, in alijs non est Reus huius Bullæ. Quò ad actiones verò morales iussionis; consilij, & fauoris, hæc præstans solis verbis, statim est Reus pœnarum, licet nihil fiat ab illis, quibus præstitum fuit consilium, &c.

Quæritur 21. An reuocans mandatum, consilium, & fauorem antequam alter incipiat offendere, vel extrahere, eripere captum &c. sit Reus huius Bullæ?

℞. Reus est Bullæ, quia hic prohibetur 51
principaliter, & ex equo non solùm offensio physica, sed etiam moralis actio, vt probaui sub q. 20. Quicquid dicat Carena num. 59. & 60. de mandante; credens, mandantem reuocato mandato, non esse Reum huius Bullæ, sed esse puniendum pœna extraordinariâ, requirens aliquem actum proximum ex parte ipsius; sed reuerà id non est necessarium in eo, cum iussio, seu mandatum sit talis actus moralis perfectus in se, alterius non capax, nisi velit preter mandatum physicè operari, & tunc non dicetur mandans, sed physicè operans. Subsequenter allata ab eo differentia, quòd mandatum sit in gratiam mandantis, & Consilium in in gratiam illud requirentis, ac proinde hoc difficilius reuocari, parum refert ad præsens negotium, cum ad contrahendum violationem huius Bullæ non consideretur effectus mandatarij, & consiliati, sed solùm ipsorum mandantis, & consiliantis actio non accessoriè, sed principaliter prohibita.

Quæritur 22. An non obuians, cum potest, supradictis actionibus prohibitis sit Reus pœnarum huius Bullæ?

Notandum est, quod quis tenetur obuiare, & obstare, atque impedire imminens 52
malum à suo proximo; primò ex Iustitiâ, & id pertinet ad Iudices, ad Filium erga Patrem, ad Seruum erga Dominum &c. aliàs

non

non impediens tenetur ad damnum illatum. Secundò ex Caritate, quod conuenit cæteris omnibus, iuxta illud Ecclef. 17. 12.
53 *Mandauit illis vnicuique de proximo suo*, quod mandatum refertur ad vtrunque, & ad nostrum Propositum dicitur in cap. 2. de hæret. *Qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat*. De his modis ex Iustitia, & Caritate Scotus in 4. dist. 15. q. 2. num. 30. ibidem eius Comentator num. 164. Vbi, quod Pater tenetur Filium, & Dominus Seruum ex Iustitiá impedire. Extraneus ergo extraneum impedire tenetur solùm ex Caritate. *Carena part. 2. tit. 13. num. 43. ex Farinac. quæst. 51. num. 26.*

54 Qui Carena ex num. 35. distinguit duplicem omissionem, vna est merè, & purè negatiua, quæ nullum habet influxum positiuum physicum, neque moralem in effectum, vt cum quis videt Ministrum S. Officij offendi, & non impedit, habens se negatiuè, vt dicitur. Altera omissio habet adiunctum aliquem influxum positiuum, vt occultare arma, ne Minister possit se tueri, claudere Custodem in cubiculo, vt carceratus possit facilius extrahi è carcere; retinere verbis, vel alio modo retardare birruarios, dando eis aliquid ad manducandum, vel dicendo eis, fugit illuc, currite, cum non discesserit è domo suà, vel amici.

55 ℞. Non obstans, cum possit, siue teneatur ex Iustitia, siue ex Caritate, si omissio sit cum influxu positiuo, incurrit pœnas huius Bullæ; non autem, si ommissio careat quouis influxu. Vtrumque probatur ex verbis ipsius Bullæ sub §. 3. relato sub q. 15. *Seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit.* Restringitur tamen hæc causa ad prædictas actiones. Probatur amplius ex §. 4. sub q. 16. illis verbis: *Auxilium, aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit.* Hæc auctoritas latior est, quam præcedens, & illi conformantur allata exempla influxus positiui.

Manet quoque probata ex illis auctoritatibus posterior pars, quòd scilicet pura omissio obstandi non inducat pœnas Bullæ, quia talis omissio, cum non influat, nec causam, nec auxilium, aut fauorem importat, cum nihil positiuum habeat adiunctum, sine quo non præstatur auxilium, nec fauor, dum consistunt in actibus positiuis.

56 Prædictis obstant cap. *Sicut dignum*, §. *illi etiam de Homic.* vbi dicitur, quod, qui potest hominem à morte liberare, & non liberat, illum occidit, fere idem dicitur *cap. Non inferenda 23. quæst. 3. cap. Qui potest cap. Quanta fine, de sent. excom.* Vnde omnes dicunt, Superiorem non prohibentem, dum potest, percussionem Clerici, incidere in Excommunicationem, *Carena par. 2. tit. 13. num. 46.* qui videtur sentire sub num. 43. & 44. puram omissionem in obligato ex Iustitia inducere in eo pœnas huius Bullæ, quod videntur confirmare supradictæ auctoritates etiam in eo, qui ex solà Caritate tenetur obuiare, licet omittat tantùm purè obuiare; & rem hanc exagerat valde Barbosa super dictum cap. Non inferenda 7. 23. q. 3.

Respondetur in genere, quòd præcitata loca intelligenda sunt quò ad peccatum, non quò ad pœnam, & cum præfata Iura loquantur interpretatiuè, & non secundùm veritatem, cum animus in omissione qualis sit, sit ignotus; ideo interpretatur in malam partem, licet ex parte Rei possit esse id falsum; ideo tàlis interpretatio non afficit in Legibus pœnalibus, vt dicit ipse Carena *num. 37.* licet *sub num. 46. vers. Non obstat*, vt dixi etiam supra; sentiat, omittentem obuiare quouis modo obligatum ex Iustitiá esse Reum harum pœnarum; id enim non approbo ex probatis, quia nulla simplex omissio, & pura prohibetur in Bulla, sed solùm in causa, auxilio, & fauore, quæ non stant cum purà omissione, vt probaui. Hinc est, quod Superior, qui non permisit dolosè sui Clerici percussionem, sed purè omissiuè, non est Reus Excommunicationis, vt dicitur in cit. cap. Quantæ, vbi Barbosa num. 2. dicit, hanc esse veriorem, & conformiorem textui eius Capitis. 57 58 59

Quæritur 23. An ratum habens actiones hic prohibitas perpetratas ab aliquo, sit Reus harum pœnarum.

Ratum autem habetur, quod nomine ratificantis gestum est, Reg. 9. in 6. Videtur, quòd sic, quia ratificatio comparatur mandato, & eàdem pœna punitur ratum habens, quà punitur delinquens, qui nomine eius delictum perpetrauit, *ex allegatis à Barb. cap. Cum quis 23. de sent. excom, num. 2.* Sed de mandato fit mentio in Bulla ibi: *Siue iusserit id fieri*, ergo quod dicitur de mandato, locum habet etiam in ratificatione. 60

℞. Negatiuè, quia ratificatio est actus positiuus, de quo ne verbum quidem in Bulla, & ita docet *Carena part. 2. tit. 13. num. 40.* Qui obiectioni respondet, per fictionem Iuris ratificationem esse mandatum, & non propriè tale, in pœnalibus autem verba sunt strictè, & propriè intelligenda. Deinde ratificatio non influit positiuè in delictum, sicut mandatum, neque influere potest, cum ratificatio referatur ad delictum iam absolutum; mandatum verò ad illud faciendum. 61 62

Quæritur 24. An offendens Ministum ab Officio suo iam absolutum sit Reus huius Bullæ? Videtur sic, quia offendens Officialem postquam finiuit suum Officium transgre-

greditur statutum loquens in offendente Antianos, vel alios, *ex Alber. l. Ordine ff. de public. iudic.* vbi dicitur, quòd sublato ordine remanet pœna, cum alijs.

63 ℞. Negatiuè, quia in Bulla punitur offendens Officialem quà Officialis est, ibi: *Alijsue ministris prædicti officij* sub §. 2. &
64 quæst. 2. hic, Qualitas enim iuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, *l. in delictis* 4. §. *Si damnum ff. de noxal. act. l. Titius*
65 *26. ff. de testam milit.* Quia qualitas, quæ non fuit tempore delicti non habet aggrauare maleficium, vt ibidem dicitur, *Rota par. 4. tom. 1. dec 645. num. 5.* Ita *Carena par. 2. tit. 13. num. 16.* multis probans, qui limitat num. 19. nisi offensio probetur facta intuitu Officij præcedentis, vti præsumeretur, si offendens nullam causam offensæ posset assignare.

66 Quæritur 25. An offendens Ministrum electum ante præsentationem literarum patentium sit violator huius Bullæ?

Negat Carena par. 2. tit. 13. num. 21. Probat *primò* ex Baldo, qui *per tex. in l. Sed & milites §. Quæsitum, de excuss. tutor.* dicit, quod Priuilegium concessum ratione Officij requirit Officium in actu, nec sufficit habitu tantùm; Inquisitor autem ante præsentationem literarum habet Officium tantùm habitu, non actu, ergo. *Secundò*, ante commissionem, & delegationem ipsius præsentatam commissio illius non sciebatur, igitur, non potest dici offensus Inquisitor. *Tertiò*, in exceptione factà ab indulto generali Philippi III. Regis Hispaniarum de occidente Officiali regio, non includuntur Officiales electos occidentes, ante præsentiationem literarum, &c.

67 ℞. Est violator Bullæ, quia offendit Inquisitorem propriè acceptum, habet enim expeditas literas à Papa, seu à S. Congr. Generalis Inquisitionis, ac proinde collatam sibi Iurisdictionem exercendi suum Officium,
68 quandocunq. occasio se obtulerit, nam habens Iurisdictionem sibi collatam à Superiore est propriè, & actu Officialis, *ex allegatis à Giurba cons. 79. num. 5.*

Confirmatur; Iurisdictio aquiritur delegato per delegantem, *l. Eum qui 13. ff. de iurisd. omnium iud. cap. fin. de iudice ordin. cap. cum Episcopus 7. eod. in 6.* ergo supponitur esse in delegato ante præsentationem literarum, cum in eis exprimatur collata Iurisdictio in expeditione ipsarum.

69 Ad primum Carenæ argumentum dico Inquisitorem habere actu Iurisdictionem à puncto literarum expeditarum, vt ex tenore literarum ipsarum manifestè colligitur, quod nec Carena negat par. 1. tit. 5. §. 3. à num. 9. ad 12.

Ad secundum dico, eius Officium ignorari quò ad manifestationem publicam, quæ contingit, cum Edictum de denuntiandis Hæreticis, & alijs affigitur in locis solitis, ex hoc tamen non infertur, incipere tunc habere Iurisdictionem, & Officium, cum illud iam habeat, & ostendat se esse talem non solùm tunc sed etiã antea, cum dicat se specialiter à Sede Apostolicà ad tale Officiũ deputatum, & delegatum. Preterquàm quòd antequam Ciuitatem ingrediatur à toto populo cognoscitur futurus nouus Inquisitor, ergo si offenditur cognoscitur offensus vt Inquisitor.

Tertium argumentum nihil probat, quia illud indultum generale est quid speciale, & diuersum à nostris Inquisitoribus.

Demùm licet multi dicant, delegatum ante præsentationem literarum, habere quidem Iurisdictionem in habitu, & non in 70
actu, cuius exercitium aquirit per præsentationem literarum *Decius in cap. Prudentiam, de offic. deleg. num. 22. Gratian. Discept. 170. num. 20.* quia sua Iurisdictio pendet ex productione rescripti, *Bald. in l. Falsus C. de furtis*; immo multi *à Carolo de Graffis Effectu* 71
1. num. 36. citati, dicunt aquiri Iurisdictionem à præsentatione literarum. Nihilominus cum id intelligatur in ordine ad subditos, qui iudicandi sunt, vt colligitur *ex cap. Pastoralis 14. de Rescript. extremis verbis* respectu quorum Iudex deputatus dicitur habere Iurisdictionem tantùm in habitu, & nondum in actu, dum non potest illam exercere, nisi prius præsentet literas. Ac proinde nihil contra nos, qui non loquimur in ordine ad iudicandos subditos, sed de illis offendentibus suum Inquisitorem, qui talis in effectu est, licet nondum exerceat munus suum.

Quæritur 26. An prohibens res Sancti Officij, vel eius Personas seruari, & defendi sit Reus harum pœnarum.

℞. Affirmatiuè, nam hæc verba exprimuntur in §. 3. relata sub q. 15. Hæc autẽ prohibitio contingere potest verbis, minis, & 72
factis, & quouis modo prohibeatur incurruntur pœnæ; prohibitus autem non dicitur violator huius Bullæ, quia per eum non stetit benefacere pro Sancto Officio, & eius Officialibus, cum etiam talis omissio sit purè negatiua, quæ non prohibetur in Bullà iuxta dicta sub q. 22. Vers. Manet, num. 55. & 58.

Quæritur 27. An omittens denuntiare Hæreticum, vel suspectum de Hæresi dicatur violator huius Bullæ?

℞. Negatiuè, quia in eà de nullà omisione purè spectatà fit mentio, ideo tali omissione non violatur hæc Bulla, vt patet ex §. Manet sub q. 22. dictis num. 55. & 58. 73

Quæritur 28. An lacerans Edictum de denuntiandis Hæreticis sit violator huius Bullæ?

Respondi negatiuè cap. 29. num. 27. quia in Bullà fit mentio de Rebus quæ actu sunt sub potestate Inquisitorum, Edictum affixum non amplius est sub potestate eius; ideo

ad

ad eius conseruationem comminatur Ex-
communicatio, quod ab eo non fieret,
si is actus prohiberetur in Bullâ, inter cuius
74 pœnas est Excommunicatio latæ sententiæ.
Muto sententiam, &

℟. Lacerantem, seu etiam deturpantem
Edictum, vel quodlibet aliud scriptum affi-
xum, esse violatorem huius Bullæ, vt clarè
75 patet ex illis verbis in §. 3. sub q. 15. Est enim
Edictum Res S. Officij, ibi: *Aliasue Res Of-
ficij* Nomen autem *Res* est generale, *l.* 1. *ff.
si cert. pet.* compræhendens omnes, & qual-
cumq. Res, *ex allegatis à Barb. Appellat.*
235. Et clarè exprimitur Edictum in illâ dic-
tione, *Scripturas.*

Quòd si dicas, actionem lacerationis, seu
deturpationis non exprimi in Bullâ, vbi ha-
bentur solùm hæ: *Combusserit, diripuerit,
seu interuerterit*; cum ergo non prohibeatur
laceratio, nec deturpatio, neq; erit ibi ser-
mo de Edicto, cum nomen Rei, & Scriptu-
76 ræ limitetur ab illis actionibus prohibitis.

Respondetur, lacerationem contineri sub
verbo *diripuerit*, qui enim lacerat, diripit,
& in diuersas partes trahit, dum vnam par-
tem Edicti separat ab alia per lacerationem.
Deturpatio continetur sub alio verbo *Inter-
uerterit*, per eam enim intercipitur, & au-
fertur sensus Edicti, quod non potest amplius
legi. Ad argumentum prioris opinionis di-
co, Edictum affixum adhuc esse sub actuali
potestate Inquisitoris, ex affixione enim
non desinit Inquisitor esse illius auctor, &
adhuc est Res S. Officij.

Quæritur 29. An iniurians, vel oblo-
quens contra Inquisitorem, & alios ministros
77 S. Inquisitionis sit violator huius Bullæ?

℟. Negatiuè, quia omnes actiones in
Bullâ prohibitæ consistunt in facto, vel in ver-
78 bo incutiente grauem metum, ex illo verbo,
Perterrefecerit, & nulla sit mentio de *Iniurijs*
quæ verbis fiunt. Ratio autem cur Pius V.
non disposuerit contra illos, ea est, quia iniu-
riatus magis accenditur ad fauorem S. Offi-
cij, quam contra, nam læsus vindicat ho-
norem S. Officij, puniendo, si est Inquisitor;
si denuntiator, ab eo quærit Castigationem
contra iniuriantem. Habet autem Inquisitor
auctoritatem castigandi huiusmodi iniuriato-
79 res non solùm suæ personæ, sed etiam alio-
rum Officij ministrorum, *ex allegatis à Ca-
rena par. 2. tit.* 17. *à num.* 27.

Quæritur 30. Numquid furans aliquid
Inquisitori, vel alicui ex eius Officialibus sit
Reus pœnarum Bullæ? Videtur, quòd non
quia ne verbum quidem de Fure legitur in
Bullâ. Nec actiones prohibitæ in eo § 3 sub
q. 15. possunt illi applicari, nempe *Expugna-
uerit, Inuaserit, Incenderit, Expilauerit,
Combusserit, Diripuerit, Exportauerit.*

80 ℟. Fur secretò, vel palàm auferens Res
quascunq; pertinentes ad S. Officium, est
Reus huius Bullæ, nam fur propriè dicitur
exportare, dum extra locum rem ablatam
secum portat, dicitur etiam alienum diripere
& inuadere, dum per direptionem aufert, &
trahit in diuersas partes, & per inuasionem
aufert cum impetu alienum, hæc ergo ver-
ba in genere significant ablationem, quæ est
actio furtiua, licet dicant diuersos modos
auferendi, per quos non destruitur genus
ablationis. Et ex hoc patet ad rationem
dubitandi. Dixi Res pertinentes ad S. Offi- 81
cium, si enim furatur res proprias illorum,
vt crumenam, Breuiarium, arma &c non
est Reus huius Bullæ, ex quo non sunt Res
S. Officij, sed Officialium, de quorum bonis
Bulla nil disponit.

Quæritur 31. An vsurpans Officium hu-
ius Tribunalis, cum reuera Officialis non sit 82
euadat Reus pœnarum Bullæ?

℟. Negatiuè, quia actiones in Bullâ pro-
hibitæ non continent hanc de vsurpatione
Officij. Confirmatur, quia in §. 3. sub q. 15.
vbi agitur de ablatione rerum S. Officij, hoc
non dicitur nisi de rebus ipsius Officij ibi:
*Aliasue res, siue publicas, siue priuatas Of-
ficij*. De pœnis inferendis contra vsurpato-
res Officij agunt *Carena par.* 2 *tit.* 17. *§.* 13.
num. 53. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 16.
§. 7 *num.* 4.

Quæritur 32. An se fingens Hæreticum,
cum non sit submittendo se, vel alium in
carcerem, vt hac fictione verum Hæreticum
à potestate Inquisitoris liberet, sit Reus hu-
ius Bullæ?

Innoc. IV. in sua incip. *Ad extirpanda*
sub Bulla 8. l. 22. §. 23. confirmata à Cle-
mente IV. quæ incip. *Ad extirpanda* 13. l.
21. §. 23 inquit: *Si quando aliqui, vel ali-
qua non Hæretici pro captis Hæreticis, ipsis
non contradicentibus, fuerint assignati, vel
se forsitan assignauerint, prædicti suppositi
perpetuò carceri mancipentur, & Hæretici ni-
hilominus reddi, & assignari cogantur, &
qui hunc dolum fecerint, iuxta Legem præ-
dictam bonis omnibus publicatis in perpe-
tuum relegentur*. De quibus *Farinac. q.* 182.
num 98. *Castropal. cit.* Videtur reus Bullæ
ex illis verbis: *Siue auxilium, consilium, aut
fauorem*, nam sic se fingens Hæreticum pro
amico vero Hæretico fert auxilium, & fauo-
rem, ergo est Reus huius Bullæ, & valde 83
suspectus de Hæresi.

℟. Non est Reus huius Bullæ, quia nihil
de suppositione, fictione, vel submissione
vnius pro alio disponitur, ergo Reus non
est. Ad rationem dubitandi dico illa verba
auxilij, & fauoris restringi ad actiones ibi
prohibitas, vt colligitur ex sequentibus:
In quolibet prædictorum scienter præstiterit.
Sufficit ergo punitio præscripta in dictis Bul-
lis Innocentij, & Clementis.

Quæritur 33. An credendum sit Birruarijs
dicen-

dicentibus, captum Hæreticum raptum fuisse ab illorũ manibus; negantibus raptoribus.

84 ℞. Credendum est, vt expresse dicitur in Bullis Innoc. IV. sub Bullâ eius 8. l. 6. §. 7. his verbis *Officialibus verò prædictis plena Fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum Officium pertinere noscuntur; aliquo specialiter præstito Iuramento, probatione aliquâ in contrarium non admissâ, vbi duo, vel tres, vel plures præsentes fuerint ex eisdem*. Clementis IV. incip. *Ad extirpanda* 13. l. 5. §. 7. Duobus ex punctis, Iuramento, & Probatione, his verbis; *Officialibus verò prædictis plena Fides de his omnibus adhibeatur, quæ ad eorum Officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito iuramento, vbi duo, vel tres, seu plures præsentes fuerint ex eisdem*. Clemens sustulit Iuramentum speciale, quia illud generale; quod promittunt, de quo in sequentibus Legg. videtur sufficere Per Innoc. reijciebatur omnis probatio ad fauorem asserti *Raptoris*, de qua exclusione cum non fiat mentio in illâ Clementis, sequitur, quòd sit admissa, nulli enim negandæ sunt defensiones. Non sufficit vnus testis, dum textus vtrobique requirat ad minus duos birruarios.

Plena Fides illis adhibenda est quò ad ea, quæ spectant ad eorum Officium, ac proinde, quòd capturam fecerint; is enim actus spectat ad eorum Officium. Quod captus ereptus sit de eorum manibus, hunc actum ad eorum spectare officium nonnulli negant

85 *apud Carenam part. 2. tit. 13. num 68.* quia hic duo spectantur actus, *captura vnus*, qui ad eorum spectat officium, *alter ereptionis*, qui non potest pertinere ad eorum officium, cum Birruarij non liberent, sed ligent, ergo plena Fides, de qua in dictis textibus refertur ad primum actum, & non ad secundum, ac proinde in nostro casu standum esse Iuri communi.

86 Quare concludendum est, attestationem Birruariorum S. Officij iuratorum ad formam dictarum legum vtriusque Papæ sufficere ad torquendum Raptorem, non verò ad conuincendum, vt docet ex Farinac. q. 188. *à num. 70. Carena cit. num. 68. vers.*

87 *Certum est, qui num.* 8. ait Birruarios debere ostendere mandatum capturæ, aliàs illis impunè resisteretur, *Repert. Inquisit.* V. *Captura, vers.* Nota qualiter. Quòd si dictum illorum adminiculis roboretur sufficiens erit etiam ad pœnam extraordinariam, ex allegatis.

Quæres 34. Nolens Iudex secularis Hæreticum sibi traditum punire, an sit Reus huius Bullæ?

88 ℞. Non esse Reum huius Bullæ, quia de tali fauore ne verbum quidem, nam fauor, de quo ibi, restringitur ad actiones ibi expressas, vt dixi in quæst. 32. Certum quoq; est, Iudicem laicum teneri exequi, quod Inquisitor illi mandauit, neque eius processum examinare potest, nec illum declarare 89 nullum, sed omnino obedire debet. Ita *Innoc. IV. Bulla* 8. *l.* 24. §. 25. *Alex. IV. Bulla* 17. *incip. Ad audientiam*, *Clemens IV. Bulla* 13 *l.* 23. §. 25. *Innoc. VIII. incip. Dilectus* 10. prohibens reuisionem Processus, quod & fecit Leo X. in sua 43. incip. *Honestis*. Vide Pegnam part. 3. com. 85. Et contra hos 90 Iudices nolentes exequi procedit Inquisitor ex direct. ibi, & Pegnâ.

Quæritur 35. An offendens Inquisitorem, vel alium eius Officialem ex causâ solius Suspicionis Hæresis, & non Hæresis incurrat pœnas huius Bullæ?

℞. Sic, ex illis verbis, *in causâ Fidei*, ex- 91 pressis sub quæst. 1. & explicatis sub q. 10. Nam causæ de Hæresi formali, & de eius Suspicione sunt tractandæ à Iudicibus S. Inquisitionis ad conseruandam Fidem illibatam ab Hæreticis tam formalibus, quàm suspectis, ex quo patet in vtroque sensu causam dicendam esse Fidei. Ita Zanardus de Præceptis cap. 5. fol. 60. ex eo Carena part. 2. tit. 13. num. 67.

Quæritur 36. Quænam sunt pœnę contra transgressores inflictę in hac Bullâ?

℞. Sunt sequentes expressę in §. 4. Ni- 92 hilominus is sit Anathemate præsentis Canonis auctoritate ligatus. Idem quoque læsæ Maiestatis Reus: Dominio, Dignitate, Honore, Feudo, ac quocunque Beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus. Secularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ Legis per constitutiones legitimas irrogantur; Bonis, rebusque omnibus Fisci iuribus applicatis; Vbi etiam est de damnatis Hæreticis per sanctiones Canonicas constitutum; eius Filij paternâ infamiâ subiecti, omnis, & cuiuscunque Hæreditatis, Successionis, Donationis, & Legati, siue propinquorum, siue extraneorum omninò sint expertes. Eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum. Et quia hæc referuntur solùm ad seculares, subiungitur etiam contra Ecclesiasticos in §. 5. *Quod porrò de prædictis, eorumque filijs statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Præsbiteris secularibus, & regularibus, &c.*

Prima igitur pœna contra delinquentes 93 est Excommunicatio reseruata, per illa verba *Cæterum eam omnium, & quarumcunque absolutionum rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationum, & restitutionum &c.* Sub §. 9. Rogat enim ne nouus Papa concedat absolutionem, nisi, &c. Absolutio autem non magis cadit super crimina, quàm super Excommunicationem, immo prius absoluitur excommunicatus ab hac Censurâ, quam à peccatis. Et ita tenent Sayr. *lib.* 3.

cap. 31. *num.* 7. *Scortia Epitome* 106. *Theorem* 278. *vers. Pœna prædictorum apud Carenam part* 2. *tit.* 13. *num.* 103. contra *Filliuc. Viualdum*, *Nauarrum*, *& Bonac.* tenentes, non esse reseruatam, *arg. cap. Nuper* 29. *de sent. Excom.* Sed eius reseruatio patet ex mox dictis.

94 Secunda pœna est confiscatio omnium bonorum. Tertia priuatio Dignitatum, Officiorum, Beneficiorum tam temporalium, quam ecclesiasticorum. Quarta Mors, quæ non infertur, nisi à supremo tribunali, & rarò; nam vbi non interuenit Mors, delinquentes puniuntur, pœnis arbitrarijs, Fustigationis, Triremium &c. Vide *Carenam num.* 100. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 16. §. 7. *num.* 3. Neque proinde est in vsu Confiscatio bonorum.

Quæritur 37. An violatores huius Bullæ sint suspecti de Fide?

95 ℞. Sunt suspecti, vt colligitur ex illis verbis; *Qui tantùm nefas in contemptum, & odium huius Officij admiserit.* sub §. 5. Et infra §. 7. *Quicunque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in easdem illas pœnas, quæ in Hæreticorum Fautores à sacris Constitutionibus inferuntur, ipso facto se nouerint incidisse.* Si eorum intercessores comparantur in pœnis Fautoribus Hæreticorum; sequitur eos esse suspectos de Hæresi. Ita *Castropal. cit. num.* 2. *Direct. part.* 2. *q.* 56. *num.* 2. *&* 3. *Pegna com.* 81. *vers. Secundus casus*, *Farinac. q.* 182 *num.* 70. *Ego cap.* 29. *num.* 34. Qui licet loquantur de impedientibus S. Officium, huius Bullæ mentione non factâ, tamen prædicta intelligenda sunt etiam ex vi eius, quia vexare, offendere & similia facere est propriè impedire Sanctum Officium à suo munere. Vrbanus IV. in sua incip. *Licet ex omnibus* 2. §. 15. mandat, quòd qui præsumpserint se opponere, seu aliqualiter impedire Officium, contra eos tamquam contra Hæreticorum Fautores, & defensores Inquisitores procedant, ex hac ergo auctoritate, & præcedentibus infertur violatores Bullæ nostræ esse de Hæresi suspectos.

Contrarium tenet Zanardus cap. 5. fol. 60. dum illis negat abiurationem sicut facit Carena num. 99. quia non perturbant gratia Hæresis, sed amore carnali, vel pretio, ex quibus non dicuntur suspecti de Hæresi, *ex Pegna*, *& Farin. q.* 182. *num.* 87. Sed ex præcitatis auctoritatibus huius Bullæ, & Vrbani IV. præsumitur in huiusmodi delictis Suspicio Hæresis, vnde pro talibus habentur, nisi contrarium probetur.

96 Gradus autem Suspicionis secundum Direct. q. 56. num. 2. est de Vehementi, Pegna ibidem *vers. Secundus*, temperat non habere locum respectu eius, qui indirectè impedit; *& in vers. Et quamquam*, dicit, quòd non est credendus vehementer suspectus, qui fauit consanguineis, vel qui hæc agunt, si sunt idiotæ, rustici, & plebei ex ignorantiâ rerum Fidei.

Respectu violationis nostræ Bullæ videtur vehementer suspectus perpetrans vnam ex illis quatuor actionibus prohibitis, de quibus sub q. 2. Similiter, & in his frangendo carceres, extrahendo, eripiendo captum è manibus executorum, iubendo, congregando cætum, scienter præstando auxilium, consilium, & fauorem, licet non sit secutus effectus, quia Suspicio oritur ex actione prohibitâ.

Quæritur 38. An offendentes S. Officium, & eius Ministros sint torquendi tàm super negatiuâ, quàm super Intentione?

℞. Super vtrumque sunt torquendi, delicto semiplenè probato, si negetur, in quo non est difficultas, vt dicit *Carena part.* 2. *tit.* 13 *num.* 96. Super intentione torquentur suspecti de Hæresi vehementer, vt probaui sect. 16. num. 39. quod non negat *Carena num.* 97. *vers. Et in casu*, loquitur tamen sub conditione, si sunt suspecti, sunt autem suspecti, vt probatum est; ergo torquendi. 97

Quæritur 39. An debeant cogi ad abiurandum?

℞. Sic, ex nostris principijs, quia quilibet suspectus de Hæresi debet abiurare, vt probatum fuit Sect. 17. q. 5. num. 38. Carena nihilominus dicit num. 99. Sanctum Officium in Italia non præsumere regulariter reos Bullæ impedimentum præstantes, non intuitu Hæresis, & in odium Fidei, sed potius ex affectu carnali, seu ex aliâ causâ, ac proinde Iudices non iniungunt abiurationem. Ego autem ex probatis sub q. 37. violatores huius Bullæ esse Fautores Hæreticorum, seu suspectorum, ac proinde contra eos esse præsumendum, nisi aliter probent, pauci enim essent, qui non se excusarent eludentes Iuris præsumptionem. 98

Quæritur 40. An Ignorantia excuset, & alleuiet ab his pœnis?

℞. Allegatio Ignorantiæ, quæ vocatur Iuris regulariter non excusat *ex cap.* 2. *de constit vbi Barb. num.* 4. *plura dicit*, tamen Bulla nostra excusat in §. 4. verbis hisce *Ignoranter præstiterit*, sub q. 16. relatis, quod maximè habet locum in Personis idiotis, & rusticis, vt notat *Carena part.* 2. *tit.* 13. *num.* 93. *qui num.* 95. ait, Bullam hanc intimari, & declarari Reis abiuratis, ne quemquam offendant, ex quo se defendi non possunt ab Ignorantiâ, dum sciunt prohibitionem sibi intimatam. Minuitur pœna quandoque ex Ignorantiâ, & de ordinariâ in extraordinariam ex allegatis à Carena num. 87. & 93. 99 100

Quæritur 41. An minori ætate minuatur pœna huius Bullæ?

℞. Af-

101 ℞. Affirmatiuè, & probatur à simili in alijs delictis, & sicut in Iudicio seculari mitius agitur cum delinquente adolescentulo, ita & à fortiori in hoc Tribunali Misericordiæ, vt docet *Pegna part. 1. com. 13. Carena part. 2. tit. 13. num.* 86. Quare Vrbanus VIII. *in suâ 79. incip. Apostolatus* contra non Sacerdotes celebrantes Missam, aut sacramentales Confessiones audientes tradendos Curiæ seculari præuià degradatione, ad omnes etiam minores vigintiquinque annis extendit hanc pœnam, dummodo vigesimum ætatis annum compleuerint. Mitius ergo agitur cum minori ætate.

SECTIO VIGESIMA

De Abusu Sacramentorum imprimentium Caracterem.

SVMMARIVM.

1 *Abusus est malus rei vsus.*
2 *Quandoq; importat rei consumptionem, vel diminutionem in re.*
3 *Sumitur pro illicito vsu confectionis Sacramenti; scilicet cum peccato.*
4 *Et pro vsu alicuius effectus, ad quem non fuit institutum Sacramentum.*
5 *Caracterem solùm tria imprimunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, de Fide.*
6 *Caracter signum spirituale, indelebile impressum in animà, de Fide.*
7 *Sunt hæc tria irreiterabilia.*
8 *Reiteratio Sacramentorum imprimentium Caracterem inducit vehementem Suspicionem Heresis.*
9 *Sortilegium Hæreticale arguit vehementem Hæresis Suspicionem.*
10 *Baptizans, Confirmans, & Ordinans magnetem &c. est suspectus vehementer.*
11 *Abusus est de re iam existenti.*
12 *Non entis nullæ passiones, nec qualitates,*
13 *Iniuria fit ratione vtentibus, Irreuerentia alijs.*
14 *Sacramenta conseruantur in Caractere.*
15 *Faciens baptizare se, vel alium, seu confirmare, vel ordinare per Hæreticum extra necessitatem, est suspectus vehementer de Hæresi.*
16 *Petens infirmus consolationem Spiritualem ab Hæretico suspectus est vehementer.*
17 *Familiaritatem habens cum Hæretico est suspectus vehementer de Hæresi.*
18 *Sicut & audiens eius prædicationes etiam semel.*
19 *Contrahentes pariter parentelam cum illis.*
20 *In Baptismo, & Confirmatione baptizantes, vel tenentes.*
21 *Nolens suos recipere Sacramenta est suspectus vehementer de Hæresi.*
22 *Non communicans in Paschate ob contemptum est suspectus vehementer.*
23 *Matrimonium, & ordo excipiuntur ab eà prohibitione.*
24 *Imponens nomen commune Iudeis, & alijs non est suspectus.*
25 *Vtique si imponat nomen Arrij, Caluini, seu Luteri.*
26 *Probanda est Reiteratio depositione verborum formæ prolatorum.*
27 *Rebaptizans, & rebaptizatus sunt irregulares à promotione.*
28 *Antistes amittit Sacerdotium, ambo digni sunt vltimo Supplicio.*
29 *Baptizantes rem incapacem puniuntur pænis Sortilegorum.*
30 *Reconfirmans, & reordinans cum reconfirmatis, & reordinatis eodem modo videntur puniendi, sicut supradicti.*
31 *Dilatio Baptismi non inducit suspicionem Hæresis.*
32 *Negligentes Baptismum infantium vltra nonum diem sunt excommunicati in primo Concilio Mediolanensi.*

33 *Abusus rerum pertinentium ad Baptismum inducit Suspicionem Hæresis?*

34 *Similiter ad Confirmationem.*

35 *Et ad Sacramentum Ordinis.*

1 QVamuis Abusus propriè malum vsum significet, & re aliquâ male vti, *Glos. V. Abutentes, cap. Nonnulli 28. de Rescr.* tamen quandoque accipitur pro consumptione, seu diminutione rei, *l. Hoc 5. §. Si pecunia ff. de vsufr. ear. rer.* Ad nostrum propositum Abusus in Sacramentis est malus, & illicitus vsus eorum, quod contingere potest
2 duobus modis. *Primò* adhibendo rem ad eum finem, ad quem instituta est, sed modo illicito, & peccaminoso, vel quia in eius confectione Minister est in peccato mortali, & sic dicitur Minister illo abuti, vnde & peccat mortaliter; vel reiterat, quod reiterandum non est, vt accidit in iteratione Baptismi, & aliorum imprimentium Caracterem, quæ ritè, & validè collata reiterari non possunt *Se-*
3 *cundò* Abusus contingit, cum res adhibetur non ad eum finem, ad quem instituta est, sed ad alium effectum illicitum, & malum, vt si quis vtatur Hostiâ consecratâ ad captandam impudicè mulierem: finis enim Eucharistiæ, est ad reficiendam animam, non ad amorem lasciuum sibi reconciliandum. Et quoniam in confectione, & administratione Sacramentorum, & eorum malo vsu potest contingere Abusus. In hac Sectione agendum est de Abusu Sacramentorum imprimentium Caracterem in ordine solùm ad Sanctum Officium, quatenus sufficit talium Abusus ad inducendam suspicionem Hæresis, vel Hæresim ipsam in abutente illis.

4 Præmitto autem vnum; Sacramenta scilicet Caracterem imprimentia esse tantùm tria Baptismus, Confirmatio, & Ordo, vt de Fide definitum est Can. 9. sess. 7. his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Bapti-*
5 *smo scilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi Caracterem in animâ, hoc est, signum*
6 *quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possint. Anatema sit.* Hæc omnia sunt de Fide credenda; Impressiò Caracter
7 in animâ non in corpore; quòd Caracteres sit signũ spirituale indelebile, & negans vnum ex illis tribus Hæreticus est, asserens reiterari posse illa Sacramenta validè collata similiter Hæreticus est. Sed proponamus Quæstiones.

Quæritur 1. An reiteratio Baptismi tàm ex parte rebaptizantis, quàm rebaptizati, qui aliàs fuit validè baptizatus inducat Suspicionem Hæresis in vtroque, & qualis ea sit?

8 ℞. Est suspectus de Hæresi, quouis modo fiat reiteratio Baptismi, vel solâ intentione rebaptizandi, vel ad consequendum aliquem effectum siue bonum, vt sanitatis, vel prauum. Nec solùm qui rebaptizat, sed etiam rebaptizatus, si sit adultus, immo & tenentes scienter ad Baptismum; hi autem omnes sunt tales vehementer. Probatur Tum quia isti præsumuntur Fautores Anabatistarum. Tum quia ille est vehementer suspectus de Hæresi, qui facit Sortilegium hæreticale ex allegatis à *Carena par. 2. tit. 12. num. 242. Diana par. 4. tract. 7. resol. 10. §. Ideo* 9
dico; sed est Sortilegium Hæreticale, quando aliquis rebaptizatur, *vt multis allegatis docet Farinac. q. 181. num. 23.* Ergo iteratio Baptismi inducit vehementem Suspicionem. Et ita colligitur *ex Glos. V. Saperent, cap. Accusatus 8. de haret. in 6. Lucerna Inquisit. V. Sacramentis abuti ego sect. 3. num. 34.* & citati à Farinacio, qui licet ita expresse non loquantur; tamen intelligendi sunt iuxtà nostrum responsum, quia omnes concurrunt ad huiusmodi reiterationem, quæ in quolibet inducit suspicionem Hæresis, siquidem omnes supradicti præsumuntur tenere licitam esse rebaptizationem; vel eam posse ordinari ad eum effectum, ad quem Baptismus non fuit institutus secundùm veritatem. Idem dicitur respectu Confirmationis, & Ordinis, in quibus talis abusus contingere potest.

Quæritur 2. An baptizans, confirmans, vel ordinans aliam rem, exempli gratia canem, magnetem, hostiam &c. incapacem fiat suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia præsumitur tenere 10
huiusmodi res esse capaces horũ Sacramẽtorũ quod tamen repugnat catolicæ Fidei, ergo est suspectus de Hæresi vehementer. Confirmatur, quia talis actus est Sortilegium hæreticale, cum sit cum abusu Sacramentorum, cum illis irreuerenter applicetur forma Sacramentorum à Christo Domino instituta pro salute animarum. Ita *ex Delrio lib. 5. sect. 15. Vers. Dico quarto, Alberghinus cap. 18. sect. 2. §. 1 num 10 cum alijs Farinac. q. 181. num. 24. & 25.* Ex eo, quod est Sortilegium hæreticale sicut præcedens, & quidem magis graue, quia maior irreuerentia fit formæ Sacramentali turpiter applicatæ subiecto incapaci.

Dices contra prædicta, non dari abusum 11
in dictis Sacramentis, neq; fieri iniuriam, aut irreuerentiam eisdem, isti enim actus habent pro obiecto aliquid actu existens; nam nemo abutitur, sicut nec vtitur re non extante; nec iniuria, aut irreuerentiâ afficitur id, quod non est; siquidem non entis nullæ sunt passiones, nec qualitates, *l. Nec vllam, §. Si* 12
quis absentis ff. de petit. hered. cap. Ad dissoluendum 13. de desponsl impuberum Glos. V. Accusari. Et iniuria non potest. fieri incertæ Personæ, multò minus nulli. Adde quòd iniuria fit Personis, non alijs rebus, & Sacris dicitur fieri irreuerentia, quando malè trac- 13
tantur; quod autem non est, non potest dici

malè

malè tractari, cum attingi non possit. Sequitur ergo ex his, inferri non posse prædicta contra prælibata Sacramenta, dum reuerà non sunt, nec ex iteratione inefficaci conficiuntur, ergo nulla inducitur suspicio Hæresis, dum nullus in eis apparet Abusus.

14 ℞. In illis adesse abusum, & iniuriam, hoc est, irreuerentiam, dum per illicitam actionem attentantur prolatione formæ Sacramentalis in seipsa applicatæ inutiliter materiæ, cui proinde non dat qualitatem sacramentalem, quia cum ea non potest facere compositum in subiecto incapaci pro tunc.

Est & alia responsio respectu prioris quæstionis, quia Sacramentum in Baptismo, confirmatione, & Ordine conseruatur causaliter in caractere indelebili, ac proinde dum fit irreuerentia caracteri, fit etiam Sacramento in eo causaliter existente. Respectu posterioris questionis fit irreuerentia partibus, quæ propter incapacitatem non coniunguntur ad confectionem Sacramenti, quod impedimentum certè iniuriosum est Sacramento, quod non fuit sortitum suum effectum, nec ex parte attentantis, nec ex parte subiecti ob eorum incapacitatem.

Quæritur 3. An faciens baptizare, confirmare, vel ordinare se, vel alium per Hæreticum, cum recipi possint commodè hæc Sacramenta à Ministris catolicis, sit suspectus de Hæresi?

15 ℞. Vterque est de Hæresi suspectus, faciens scilicet baptizare &c. Puerum ab Hæretico, vel adultus offerens se Hæretico pro receptione illorum Sacramentorum.

Ratio est, quia per has actiones est manifestè fautor Hæretici, dum illi confitetur super re spirituali. Confirmatur, tum quia petens in infirmitate suà consolationem spiritualem

16 ab Hæretico, cum eam possit habere à Catolico, est suspectus de Hæresi *ex cap. 3. de Hæret. in 6.* talem petijt faciens baptizare se, vel puerum ab hæreticis consolationem, ergo

17 suspectus. Tum quia contrahens familiaritatem cum illis fit suspectus vehementer. *Locatus V. Suspicio num. 15. Farinac. q. 182. num. 168.* Tum quia audiens eorum prædicationes etiam semel, est suspectus de Fide,

18 *Farinac. q. 182. num. 120.* ergo & ab eis recipiens Sacramenta. Tum quia tales sunt, qui

19 cum eis contrahunt parentelam, *Ibidem num. 176.* Sed Hæreticus Baptizans, vel confirmans contrahit cognationem spiritualem cum suscipiente hæc Sacramenta, ex Trident. sess. 24. cap. 2. Et licet id non exprimat respectu hæreticorum, non propter hoc excluduntur, quia locutio est generalis, & subduntur Hæretici Ecclesiæ, cum sint baptizati, ac proinde ministrantes, vel suscipientes baptizatos, seu confirmatos, contraheat hanc co-

20 gnationem, *ex Sanchez lib. 7. disp. 60 num. 2. Bonac. de Matrim. q. 3. p. 5. §. 2. num. 22. Barb. hic num. 9. & Allegat. 30. num. 35. Castropal. part. 4. tract. 19. p. 11. num. 7.* subdens num. 8. aliorum dubiorum resolutionem. Ex his ergo infertur, prædictos esse suspectos de Hæresi.

Quæritur 4. An nolens baptizari, vel confirmari, aut Ordinari Filios suos, sit suspectus de Hæresi.

℞. Affirmatiuè, quia præsumitur ea spernere tamquam non necessaria homini ad salutem, quod credere hæreticum est definitum can. 4. sess. 7. Confirmatur, quia in opinione aliquorum, qui singulis annis semel non confitetur, nec sumit sacram Communionem est suspectus de Hæresi, quos refert, sed non sequitur *Carena part. 2. tit. 17. num. 2.* ergo à fortiori, qui illa negat Filijs, & pariter qui iam baptizatus cætera nunquam vult recipere; Nec obstat præcedens opinio non admissa *à Pegna, & Farinac. q. 178. num. 79. apud præfatum num. 4.* eos sequentem, cum limitatione; quòd sunt suspecti, si omittant recipere illa ob contemptum, qui sine dubio debet præsumi in illis, qui negant illa recipere, vel dare alijs. Excipiuntur Matrimonium, & Ordo, quæ simpliciter necessaria non sunt homini in specie, sed tantùm vt sic. 21 22 23

Quæritur 5. An imponens in Baptismo, vel extra Filio suo nomen, quo vtuntur Hæbrei, Pagani, vel Hæretici sit suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia videntur communia ex vsu introducta sine aliqua temeritate. Quòd si quis vocaret Filium suum Arrium, Caluinum, aut Luterum, esset valdè suspectus de Hæresi; præsumeretur enim cupere, vt Filius sic nominatus imitaretur illorum errores. Confirmatur, quia sic Filium denominando fit Fautor Hæreticorum, quia nomen tale imponit ob aliquam virtutem repertam in illo, quam fortassis imitabitur Filius. Et id comprobatur, quia sicut Pater imponit nomen alicuius sancti Filio suo eo fine, vt imitetur illius virtutes, per eius intercessionem, vt dicitur in Cathechismo de Baptismo sect. 75. ita & hunc finem præsumitur habere denominans Filium suum nomine Hæretici, ergo reddit se suspectum de Hæresi vehementer, cum in eo alius finis præsumi non possit. 24 25

Quæritur 6. Quomodo probetur reiteratio Sacramenti, & illius confectio super materia incapaci?

℞. Probatur per depositionem Testium asserentium ministrum protulisse, & applicasse verba omnia expressa in formà pro confectione Sacramenti illi subiecto, cui tribuitur Sacramentum, abluendo baptizatam rem, vngendo confirmatam, porrigendo Instrumentum ordinato, confectio enim Sacramentorum consistit in prolatione verborum 26

borum super materiam eius subiecti, quod habet recipere Sacramentum. In casu, quo proferuntur verba super subiectum siue capax, siue incapax sine materià ablutionis vnctionis, & tactus adhuc probatur conficiens suspectus de Hæresi vehementer, quia verba vti forma sunt potiora, quàm materia, quæ vt passio non specificat compositum morale Sacramenti sicut facit forma, quæ vtrunque actuat.

Quæritur 7. Quibus pœnis puniatur reiterans Baptismum tam agens, quam patiens?

27 ℞. Rebaptizans, & rebaptizatus, vterq. sciens esse iam baptizatum, est irregularis, nec excusatur ex ignorantià Iuris. Colligitur ex cap. 2. de Apostatis, licet ibi sermo sit tantùm de Acolito seruienti Sacerdoti rebaptizanti, tamen Canonistæ interpretantur sub hac pœnà comprehendi etiam ipsum rebaptizantem, vt omnes docent, quos recenset *Barb. hic num.* 2. docet idem Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. *& Brancatus de Sacram. tom.* 1. *disp.* 15. *art.* 7. *num.* 105. *Subdens num.* 106. ignorantiam facti inuincibilis excusare ab incursu Irregularitatis, cum Scoto, Vers. Dico tunc, respectu vtriusq; num. 107. rebaptizatio siue sit occulta, siue publica, num. 108. impedit promotionem, non exercitium num. 109. Ignorantia verò Iuris non excusat, num. 110. multa alia ibi dicit, omitto, quia casus non solet accidere. Quod rebaptizatus incurrat irregularitatem dicitur clarè *in cap. Qui bis* 117. *dist.* 4. *de consecrat.* vbi Barb. quod non excusat Ignorantia etiam probabilis.

28 Ius ciuile l. 1. C. Ne sanct. Bapt. iter. Antistitem rebaptizantem decernit ipsum vt indignum amittere Sacerdotium, & quod acrius est l. 2. C. eod. vtrumq; punit vltimo supplicio.

Quæritur 8. Quibus pœnis sit afficiendus Baptizans rem incapacem?

29 ℞. Puniendi sunt pœnis Sortilegorum, & Superstitiosorum, ad minus pœna triremium, cum sit grauius delictum, quàm iteratio, immò & mortis supplicio, ex quo est maius delictum.

Quæritur 9. Quibus pœnis puniantur reconfirmantes, & reordinantes cum reconfirmatis, & reordinatis?

30 ℞. Nihil inuenio de his. Puto nihilominus procedendum esse contra istos, sicut contra rebaptizantes, & rebaptizatos, cum videatur par ratio.

Quæritur 10. An differens baptizare suum Filium sit suspectus de Hæresi, & Reus alicuius pœnæ?

31 ℞. Non esse suspectum, quia nonnulli Sancti Patres hortantur dilationem Baptismi etiam ad tempus discretionis, cum aliqualem habent vsum rationis, vt tantum Sacramentum dignè recipiant. Vide, quæ dixi cap. 22. q. 2. Non est ergo tempus determinatum de Iure communi, deducitur tamen ex verbis Christi. *Euntes &c.* quamprimùm esse dandum maximè infantibus, qui aliud remedium non habent, vnde in Concil. Mediol. primo excommunicatur ille, per quem aliquis puer detinetur, ne baptizetur, vel 32 non curat baptizari, antequam transeat dies nonus à natiuitate eius, Ioannes Baptista Bizozerus de Sacram. de Baptism. cap. 7. q. 3.

Quæres 11. An abusus in rebus pertinentibus ad Baptismum inducat Suspicionem Heresis in abutentibus illis?

Res sunt, Aqua baptismalis præparata per benedictionem; ablutio per eam facta super personà, quæ baptizatur, hæc duo sunt Baptismi materia; illa remota, hæc proxima. Sal benedicitur, & modicum illius immittitur in os infantis baptizandi. Saliuà proprià Sacerdos tangit aures, & nares infantis. Pollice intincto oleo catecumenorum vngit infantem in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, Vasculo, seu vrceolo aquam baptismalem fundit per modum Crucis super caput infantis, cum prolatione verborum, quæ sunt forma huius Sacramenti. Vngit sacro Chrismate in sumitate capitis per modum Crucis baptizatum. Bombacio, vel re alia simili abstergit pollicem suum, & caput inunctum. Imponit capiti eius linteolum candidum. Demum dat illi candelam accensam. Prædicta comitatur cum pluribus orationibus.

℞. Si quis vnà, vel pluribus ex dictis rebus, seu orationibus abutatur ad aliquem 33 actum superstitiosum, seu sortilegum, tam agens, quàm patiens sit suspectus de Hæresi vehementer, cum præsumptio sit contra eum, quod credat, huiusmodi res sacras posse producere malum effectum, quod credere Hæreticum est.

Quæritur 12. An abusus rerum concurrentium ad conficiendum Sacramentum Confirmationis inducat Suspicionem Hæresis, tam in agente, quam in patiente;

Res autem concurrentes ad confectionem huius Sacramenti; materia remota est Chrisma ex oleo, & ballsamo confectum, oleum ex oliuis debet esse consecratum. Vnctio verò cum dicto Chrismate facta in fronte baptizati est materia proxima. Forma sunt verba hæc: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* Prolata ab Episcopo in vnctione. Vide Scotum in 4. dist. 7. q. 1. cum suo Commentatore Antonio Hiquæo Hiberno multa congerentem. Demum ligatur frons confirmati quousque Chrisma desiccetur, & sic eodem die in sero auferatur ligatura igne comburenda. Episcopus verò tergit cum mica panis, & aqua lauat pollicem, & manus; & aqua cum pane lotionis funditur in sacrarium.

℞. Si

34 ℟. Si quis abutatur prædictis materiâ, & formâ non solùm, sed etiam alijs, vt ligaturâ, vel aquâ, seu pane ex lotione, ad malum finem, est suspectus de Hæresi vehementer, quia præsumitur non credere in hoc Sacramento, vel esse licitum eo vti ad faciendum aliquod malum.

Quæritur 13. An abutens rebus concurrentibus ad confectionem Sacramenti Ordinis sit suspectus vehementer de Hæresi?

Materia remota huius Ordinis est illud Instrumentum, quo ordinatus vtitur vngendo suo officio, & proxima est illius tactus. Materia Ostiariatus sunt Claues Ecclesiæ. Lectoratus Liber Lectionum ex Missali. Exorcistatus liber exorcismorum. Acolitatus Candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus Subdiaconatus Calix, & Patena vacui, atque liber Epistolarum Diaconatus Impositio manus Episcopi super caput ordinandi, & Liber Euangeliorum. Præsbiteratus est Calix cum vino, & patena cum Hostiâ non consecratis, in ordine ad consecrationem, & impositio manuum in ordine ad absolutionem. Episcopus vngit ambas manus Sacerdotis ordinandi oleo Catecumenorum vngit cum pollice dextro in modum Crucis, quas iniunctas simul vnitas palmas minister paniculo lineo alligat. Lauat manus, & tergit suas Episcopus cum aquâ, & medullâ panis lotione proiectâ in Sacrarium. Idem faciunt Sacerdotes circa suas manus, vt fecit Episcopus. Ex prædictis tot rebus non sunt benedictæ Claues, nec linteolum, sed adhuc remanent res profanæ. Missale, Calix, & Patena, & Hostia, sicut dicetur sess. sequenti num. 26. & 27. sunt benedicta. Lotio vtraque participat de benedictione vnctionis.

35 ℟. Abutens formâ cuiuslibet Ordinis est vehementer suspectus de Hæresi, quia præsumitur malè sentire de virtute huius Sacramenti, quod eius potestas referri possit ad prauos effectus. Abutens Clauibus Ecclesiæ, candelabro, vrceolis, linteolo, & lotione ad malum finem est leuiter suspectus. Linteolus differt à ligaturâ confirmati, nam ille non tangit oleum sicut hæc Chrisma, ideo Abusus illius inducit suspicionem solum leuem, Ligaturæ verò vehementem.

SECTIO VIGESIMA PRIMA

De Sacerdote abutente Sacramento Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Degradatus celebrans non est suspectus de Hæresi.*

2 Tu es Sacerdos in æternum. *Verificatur etiam de alijs.*

3 *In Natali Domini tres Missæ, vna mediâ nocte, aliæ post Auroram.*

4 *Pluries celebrare eodem die non inducit Suspicionem Hæresis.*

5 *Grauius peccatum est celebrare fingendo consecrationem, quam consecrare in peccato mortali.*

6 *Celebrans sine consecratione est vehementer suspectus de Hæresi.*

7 *Moribus discedens ab alijs Fidelibus est suspectus de Hæresi.*

8 *Item faciens opus laudabile ab Hæreticis.*

9 *Infirmus pariter recipiens scienter Hostiam non consecratam.*

10 *Item Sacerdos non consecrando, sed hostiolam iam consecratam consecrando.*

11 *Consecrans super re aptâ ad Sortilegium committit Sortilegium Hæreticale.*

12 *Celebrans, vt quis moriatur, vel ei aliud malum accidat, est suspectus.*

13 *Vtens nouis cæremonijs est vehementer suspectus.*

14 *Non communicans, nec confitens semel in anno quando suspectus de Hæresi.*

15 *Sacerdos malæ famæ non visus confiteri celebrans quotidie est suspectus.*

16 *Celebrans in mortali tenetur quamprimum confiteri.*

17 *Docens contrarium pertinaciter, vel disputans est ipso Iure excommunicatus.*

18 *Man-*

Actum est in præcedenti Sectione de Abusu Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & Ordinis ob conuenientiam, quam habent ex impressione Caracteris, hìc autem agendum est de Abusu Sacramenti Eucharistiæ, quod in ordine est tertium. De quo tria tractabimus in ordine ad abusum secundùm nostrum institutum pro informatione Consultorum S. Officij. Primum erit de Sacerdote malè celebrante. Secundum de Sacrà Communione malè, vel non receptà. Tertium de non Sacerdote celebrante Missam. Priora duo simul coniungemus in hac Sectione.

Quæritur 1. An Sacerdos depositus, vel degradatus, celebrans fiat suspectus de Hæresi?

1 ℞. Negatiuè, quia per depositionem, aut degradationem non perdit potestatem Ordinis consecrandi radicatam in caractere indelebili, de Fide definitum in Tridentino, Sess. 7. can. 9. vt dixi præced. sect. num. 7. quòd sit indelebilis, ergo nulla ratio videtur assignabilis, quà possit præsumi in eo aliqua Hæresis Suspicio; non enim desinit esse Sacerdos per degradationem, cum dicatur de Christo in Psalmo. *Tu es Sacerdos in* 2 *æternum*, & in ipso de omnibus quantumcunque malis. Per nullam ergo pœnam etiam degradationis, aut Hæresis aufertur potestas, nec Sacerdotium, quin Presbiter possit celebrare. Ita ex *Scoto in 4. dist. 13.* 3 *q. 2. num. 2. Brancatus tom. 1. de Sacram. disp. 24. num. 4. D. Thom. part. 3. q. 82. art. 7. 8. & 9.* Nullus contradicit. Dixi cap. 22. num. 19.

Quæritur 2. An bis celebrans eodem die sit suspectus de Hæresi? Pluralitas celebrationis conceditur solùm pro die Natalis Domini,

mini, *cap. Nocte Sancta 48. de consecr. dist. 1. vbi Barb. num.* 3. refert opinionem, quòd non possint tres ante auroram celebrari, alij affirmant, & ipse hos sequitur num. 4.

4 ℞. Nequaquam esse suspectum de Hæresi, probatur, quia in cap. Consuluisti 3. de celebr. dicitur, quòd plures eodem die possunt celebrari ex causà necessitatis, quod non admitteretur, si ex pluralitate celebrationum resultaret suspicio Hæresis. Confirmatur, quia Sacerdos ad id mouetur, vel ex indirectà deuotione, vel ex auaritià, vel rogatus ab amicis; qui cupiunt audire Missam, vel alicitur pretio; sed in his non potest oriri Suspicio, ergo sic celebrans non est suspectus. Causæ necessitatis pluries celebrandi bis, & pluries eodem die referuntur à Doctoribus citatis à Barbosa super dictum cap. 3. de celebrat. Missar. Dixi cap. 22. num. 7.

Quæritur 3. An celebrans fingendo consecrationẽ scilicet Omittendo verba cõsecratoria, dicendo aliquid aliud super Hostiam,
5 & Calicem, sit suspectus de Hæresi? *in cap. De homine 7. de celebr. Missar.* dicitur, quòd Sacerdos propter peccatum mortale fingens se consecrare, & non consecrando grauius peccat, quàm qui consecrat cum peccato mortali.

6 ℞. Est de Hæresi suspectus vehementer, si pluries id fecit. Probatur. Tum quia suspec-
7 tus est de Hæresi, qui moribus discedit ab alijs Fidelibus, *ex cap. Excommunicamus 13. §. Adijcimus, de haret.* Sed taliter celebrans discedit in moribus celebrationis ab alijs Sacerdotibus, ergo est suspectus de Hæresi.
8 Tum quia faciens opus ab Hæreticis laudatum est suspectus de Hæresi, *Sotus in Relect. de haresi, apud* Carenam *par. 2. tit. 11. num. 2.* Sed Hæretici non admittentes Sacramentum Eucharistię, neq; in eo realem existentiam Christi sub speciebus consecratis, laudabunt talem celebrationem sine consecratione verà, quia approbat eorum errorem, quo negant illius existentiam realem sub speciebus consecratis. Tum quia infirmus recipiens
9 Hostiam non consecratam scienter præsumitur male sentire de hoc Sacramento, *ex allatis à* Farinac *q. 178 num. 49.* Vnde & dicitur vehementer suspectus de Hæresi *ab Albertino par. 6. de Haret. q. 13. num. 66. Simancb. in catol. instit tit. 30. de haret num. 19.* apud eundem Farinacium *cum alijs Carena par. 2. tit. 11. num. 15. Albergbinus cap. 24. num. 4.* A fortiori præsumendus est de Hæresi suspectus
10 celebrans fictè. Tum quia si Sacerdos nolens consecrare Hostiam ad euitandum peccatum, consecret hostiolam extractam de tabernaculo iam consecratam, puniendus est ab Inquisitore, *ex Bariola Diana par. 4. tract. 7. resol. 12. fine dal Bene Dubit. 220. num. 9. alijs citatis Carena num. 16.* ergo est suspectus de Hæresi. Inquisitor enim non punit delicta, nisi habeant coniunctam Hæresim, vel eius Suspicionem.

Circa hanc Suspicionem dubitat Pegna ad Lucernam V. Sacerdos celebrans, nam ait ad id decernendum, multa capita oportet distinguere. Intentionem, & propositum esse exploranda a Sacerdote celebrante sine consecratione, quem sequitur ad verbum Carena num. 17. qui num. 16. dixerat esse suspectum de Hæresi si hoc facere erat assuetus. Sed meo iudicio videtur vehementer suspectus, nec eum excusat, quòd id fecit ad euitandum mortale, quia vt dicitur in eo cap. 7. de celebr. Missar. grauius peccauit; poterat enim sibi prouidere de expiatione peccati per Confessarium, vel contritionem, aut cessando à celebratione, quorum omissione dicta Suspicio arguitur, & augetur in casu, quo reconsecrauit hostiolam iam consecratam, incapacem secundæ consecrationis vti frustratoriæ, cum effectus existat irreproducibilis.

Quæritur 4. An Sacerdos celebrans super re aptà ad Sortilegium faciendum, sit suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, & quidem vehementer, 11
quia præsumitur malè sentire de hoc Sacramento, quod cum sit institutum pro salute, & refectione animæ, non est applicandum pro damnatione animarum, neq; ad perpetranda delicta accommodandum, is ergo abusus est pessimus, ac proinde arguens vehementem Suspicionem, non solùm in celebrante, sed etiam in vtente illo Sortilegio hæreticali.

Confirmatur, quia Sortilegium hæreticale faciens est vehementer suspectus de Hæresi vt dixi præced. sect. num 9. Sacerdos sic celebrando constituit Sortilegium hæreticale, ergo est suspectus vehementer, talis enim res ab eo recipit denominationem hæreticalis Sortilegij, quod antecedenter tale non erat. De his agunt *Menoch de arbitr. casu 388. Diaz cap. 43. Farinac. q 20 num. 107.* Quòd sunt deponendi, & priuandi Beneficijs, nihil dicunt de Suspicione.

Quæritur 5. An celebrans Missas de mortuis pro viuis, vt citò moriantur, vel eis occurrat aliquod malum, sit suspectus de Hæresi vehementer?

℞. Sic, quia abutitur Sacrificio ad male- 12
ficium, ac proinde præsumit esse licitum vti Sacramento ad malum finem. De hoc casu agitur expresè in *cap. Quicunq. 13. 26. q. 5.* vbi tam Sacerdos, quam illum incitans ad tale Sortilegium perpetuo exilij ergastulo relegantur, de quo *Farinac. q. 20. num. 106. Eman de Valle, de Ensalm. & incant. sect. 3. cap 5. num 35* Hurtadus ex Minoribus clericis *par. 2. tract. 5. cap. 6. resol. 57. num. 1177. qui num. 1182.* dicit, esse suspectum de Hæresi,

sed non specificat gradum Suspicionis, *Farinac. nihil de hoc*, *nec Diaz cap. 40*.

Quaeritur 6. An inueniens nouas ceremonias, vel illis vtens in celebratione Missæ sit suspectus de Hæresi?

13 ℞. Esse vehementer suspectum de Hæresi maximè si aduersantur inuentis ab Ecclesia; id enim est contrarium definitionibus Tridentini sess. 22. can. 7. & 9. & in Decreto seq. ex illis verbis: *Postremo ne Superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caueant ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, neue ritus alios, aut alias cerimonias, & praces in Missarum celebratione adhibeant*.

Noua ergo cerimonia est sub genere Superstitionis, & Sortilegij, ac proinde inducit suspicionem Hæresis, quod docet Hurtadus cit. num. 1182. sed non specificat illam, quam ego dixi vehementem, quia est circa obiectum perfectissimum, quod non patitur nouas inuentiones, cum Ecclesia sufficienter, immo abundanter prouiderit tanto Misterio.

Quæritur 7. An non communicans in Paschate, nec confitens sit suspectus de Hæresi?

14 ℞. Sunt suspecti vehementer, non solùm qui per plures annos hæc Sacramenta non receperunt, sed etiam, qui post monitionem sibi factam à suo Parocho, nolunt obedire, ex hoc enim incipiunt esse de foro Inquisitoris, quia ex omissione, & inobedientiâ, vel etiam ex omissione plurium vicium redduntur valde suspecti de Hæresi, quia rationabiliter præsumuntur non credere his Sacramentis, dum recedunt à communi vitâ spirituali, quam tenent alij Fideles, & spernere Sacramenta tamquam non necessaria, sed superflua, & inutilia. Ita docent *Royas sing 98. num. 6. Lesius Zechius tom. 1. tit. de fide cap. 11. num. 5. cum illis Diana par. 4. tract 8. resol. 38.* vbi quòd est Suspicio vehemens. Contrarium, quòd non sit suspectus non communicans in Paschate tenent alij *cum Farinac. q. 178 num. 79. quos sequitur Carena par. 2. tit. 17. num. 4.* nisi omiserit hæc sacramenta per plures annos. Dixi eodem cap. 22. n. 50. In nostris partibus ab Episcopis tantùm excommunicantur, vel interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ ad formam cap. omnes 12. de Pœnitent.

Quæritur 8. An qui quotidie celebrat non visus confiteri peccata suà, sit suspectus de Hæresi?

15 ℞. Si sit habitus malæ vitæ, habendus est pro suspecto de Hæresi vehementer, quia præsumitur tenere, esse licitum celebrare in peccato mortali, aut sufficere solam Fidem ad dignè sumendum hoc Sacramentum, quod est Hæresis. Trident. sess. 13. Can. 11. iuxta illud D. Pauli I. Corinth. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Qui enim *manducat, & bibit indignè*, idest sine probatione sui per Confessionem, vel contritionem, cum est in peccato mortali; *iudicium sibi manducat, & bibit*, idest, peccat mortaliter, *non dijudicans corpus Domini*, idest nullam faciens differentiam inter corpus Christi, & quoduis aliud cibarium, dum manducat.

Hinc fit, quòd Tridentinum ibidem præcipit Sacerdotem existentem in peccato mortali celebraturum necessariò debere præmittere Confessionem Sacramentalem esto existimet se esse contritum, si tamen habet copiam Confessarij; quòd si quis docet contrarium, pertinaciter asserendo, vel publicè disputando præsumens hoc defendere, est ipso iure excommunicatus, vt ibidem dicitur. Et ibidem in cap. 7. habentur in fine 16 17
hæc verba: *Modo non desit illis copia confessoris. quòd si necessitate vrgente, Sacerdos absque præuià Confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur*. Pro cuius exactâ obseruatione Alex. VII. inter propositiones damnatas proposuit hanc sub num. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium non præceptum*. 18
Subditur alterius propositionis sub num. 39. alia censura his verbis. *Illa particula quamprimùm intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. 19

Rem hanc fusè tractant Hurtadus par. 1. tract. 3. resol. 14. cuius doctrinam corrige ad mentem huius Pontificis. Melius, & clarius Barbosa ad cap. 7. de celebr. Missarum, vbi 20
num. 5. refert, Petrum Ledesmam, & Villalobos tenuisse, hoc mandatum non esse præceptum, sed consilium, reprobatum sub censura 38. vbi quoq; tenet cum Binsfeldio, Moisesi, & Fagundez sufficere, si confiteatur suo tempore, idest ante aliam celebrationem, quod, vt supra patet, reprobatum fuit per secundam censuram.

Rem hanc fusè tractat de Lugo disp. 14. de Sacram. sect. 4. quòd præceptum confitendi est de Iure diuino à num. 69. statim post 21
Communionem confiteri est præceptum ecclesiasticum à num. 135 Varios refert modos explicandi illud *Quamprimùm* sub nu. 158. & 22
sub n. 162. & 163. restringit etiam ad diē sacræ Cōmunionis factæ, si habet copiā Confessarij, & timetur periculum non habendi illum in sequentibus etiam paucis diebus.

Modestus Gauatius Minorum Conuentualium disp. 11. de hoc Sacramento cap. 2. præceptum confitendi quamprimùm post sacram Communionem, ait sub cap. 4. num. 178. nullum esse præceptum sub mortali obligans, & num. 187. esse ecclesiasticum sc. obligans sub veniali, nisi velit sibi contradicere.

Concludendum est ex hactenus dictis, non confitentem non solùm quamprimùm, sed

ſed fere nunquam, & quotidie celebrantem eſſe ſuſpectum vehementer de Hæreſi, quia præſumit ſibi licere in peccato mortali celebrare, quod eſt hæreticum.

Quæritur 9. An ſeipſum communicans ſiue ex deuotione, ſiue ex neceſſitate infirmitatis, licet ſit Sacerdos non celebrans, aut laicus, ſit ſuſpectus de Hæreſi?

23 ℞. Nullus eorum eſt ſuſpectus, quia ſic ſumens non conficit Sacramentum, ſed à Sacerdote iam confectum diſpenſat, vnde
24 multi tenent in caſu extremæ neceſſitatis licere etiam laicis ſumere proprijs manibus ſacram Communionem, ergo inde nulla ſuſpicio Hæreſis deducitur. Vide quæ dixi *cap.22.num.41.& 42. Hurtadus par. 1. tract. 5.cap.6.reſol.64.* dicit, ſi non adeſt copia Sacerdotis, Laicus debet communionem moribundo porrigere, ſi non timeat contagium. An hoc ſit benè dictum, cogitent alij; quia id munus eſt Sacerdotis, ſeu Diaconi in eius abſentià, nec eſt neceſſarium neceſſitate medij ſimpliciter.

Quæritur 10. An res pertinentes ad Sacrificium Miſſæ coniunctæ cum ſortilegio inducant vehementem Suſpicionem Hæreſis in agente, & ſuſcipiente. Plures ſunt huiuſmodi res, quæ reduci, & referri ad tria capita poſſunt, ad Celebrantem, ad ornatum Altaris, ad materiam, & formam, quibus fit conſecratio, & Sacramentum Euchariſtiæ.

25 ℞. Res pertinentes ad Sacrificium applicatæ alicui ſiue ad bonum effectum e.g. ſanitatis, ſiue ad malum, arguunt ſortilegium Hæreticale, iuxta quod infra dicetur, & perſonam reddunt ſuſpectam de Hæreſi vehementer. Ita P*egna par. 2.com.67.* F*arinac.q. 181.à num.2.Carena par. 2.tit. 12. num. 23. ad 29.Genuenſis cap.* 18.*num.* 11. *Zanardus par. 2.cap.64.* D*iana par.4.tract.7. reſol.* 10.*Verſ. Ideo dico, Ricciul lib 5.cap.* 11. *num.* 12 *Ego cap.* 18.*num.* 28. *Albergbinus cap* 18.*ſect.* 2. *num.*2.De ſingulis aliquid dicendum.

26 Hoſtià conſecratà abutens eſt vehementer ſuſpectus de Hæreſi. Nemo contradicit. Immo ſic abutens hoc Altaris Sacramento traditur brachio ſeculari, vt decreuit Paulus IV.17. Febr. 1559. *apud Locatum fol.* 476. *Dal* B*ene fol.*646. B*ariola in Floribus Directorij in fine* B*ullarum*. Idem dicendum de ſpeciebus vini conſecratis.

Hoſtia non conſecratà ſiue in miſsà adhi-
27 bità, ſiue non, ſublatà ex quouis loco abutens dicitur committere Sortilegium hæreticàle, quouis modo illa abutatur, ſiue ad bonum finem, ſiue ad malum, ac proinde eſt vehementer ſuſpectus de Fide, quia habet in ſe Crucem Chriſti, quæ eſt adoranda cultu latriæ, vbicunq; reperiatur. Et prætereà eſt materia ordinis Presbiteratus, cum porrigatur ſuper patenà tangenda ab eo, qui or-
28 dinatur in Presbiterum, ea enim non eſt conſecrata.

Vlterius repræſentat nobis Myſterium ſacrificij incruenti Ieſu Chriſti, vnde qui eà abutitur conſequenter ſpernit Sacramentum Altaris. quod ſine illa confici non poteſt. Ita *ex Zanardo par.2. cap.64.* V*erſ. Immo teneo,* C*arena par. 2. tit.* 12. *num.* 53. Scaccia de Iudicijs *lib. 1.cap. 12.num. 34.Verſ. Sortilegus*, Limitat, ſi ſuper ea celebrata ſit Miſſa, quia intendit virtutem Miſſarum ſortilegijs miſcere. Hunc ſequuntur S*ouſa lib. 1. cap. 57.num.*11.*Moura de incant. opuſc.* 1.*ſect.*3. *cap* 5.*num.*29.quos citat, & ſequitur D*iana par.4.tract.7.reſol.* 10. V*erſ. ſed ego, Salelles* R*eg.124.num.*345. E*go cap.* 18. *num.* 30. Vbi verſ.Adhibens, dixi, abutentem Hoſtià, ſuper quam non fuit celebratum, eſſe ſolùm leuiter ſuſpectum. Si eà vſus ſit ad effectum bonum.

Contrarium tenent nonnulli quos pro ſe citat Farinac. q. 181. num. 20. dicentes, non eſſe ſortilegium hæreticale, & hoc poteſt probari reſpectu Hoſtiæ remotæ à Miſsà, ſuper quam ſcilicet non fuit celebratum, non enim eſt materia Sacrificij proxima, niſi quę offertur in Miſsà, & benedicitur, vt fiat digna conſecratione, qualis non eſt illa ſuper quam non celebratur, quæ conſeruatur in Sacriſtia, ergo ex eius vſu non videtur poſſe induci Sortilegium hæreticale. Confir- 29
matur, quia quandoque Clerici hoſtiolis, immo hoſtijs diuiſis vtuntur ad ſigillandas literas, vel ad affigendam imaginem in muro, vel ad recipiendam medicinalem pillulam in eà inuolutam per infirmum, quod paſſim fit ſine vllo ſcrupulo peccati, ergo & ſine ſuſpicione Hæreſis. His tamen non obſtantibus.

Reſpondeo, quamuis Hoſtia, ſuper qua 30
non eſt celebratum, non ſit materia proxima, tamen quia ſigno Crucis eſt inſignita, ideo ex hoc Sortilegium eſt hæreticale, quia abutitur ſigno Crucis non ad eum finem, ad quem, ſcilicet latriæ, inſtitutum fuit. Nec obſtat vſus ſigillationis, affixionis, & inuolutionis, quia eſt diſpar ratio, nam Hoſtia, non quà habet annexam Crucem ſigillat &c. ſed quà eſt panis azimus conglutinat coniunctus cum aquà, vel ſaliuà melius, & inuoluit cum aqua pillulam, vt poſſit traijci in ſtomachum ſine amaritudine. In alijs verò abuſus eſt, non relatus ad panem, ſed ad Crucem in eo expreſſam, nam ſortilegus ſperat, & credit illà Cruce mediante obtinere ſuum effectum intentum.

Vinum in ordine ad Sacrificium conſide- 31
ratur *primò*, vt eſt materia remota quæ per Calicem, in quo eſt, tangitur ab ordinando in Presbiterum. *Secundò* vt eſt materia conſecrabilis proximè facta per vini oblationem, & benedictionem in Calice, per quas diſponitur digna materia, vt ex vino tran-

substantietur in sanguinem Christi. *Tertiò*, prout reperitur in vrceolis præparatum ad celebrationem Missæ.

32 Abusus vini sub primâ consideratione inducit sacrilegium, & sortilegium Hæreticale, cum sit abusus materiæ sacramentalis
33 sacri Ordinis Præsbiteratus. A fortiori si quis abutatur vino Calicis oblati in Missâ, cum sit tunc materia non Ordinis, sed Sacrificij, quod excellentius, & præstantius est, quàm
34 Presbiteratus, incurrit Sortilegium hæreticale. Sub tertiâ consideratione non apparet talis vsus malus inferens Sortilegium, nec suspicionem Hæresis, quia licet sit præparatum, nondum tamen benedictum, & sic nec materia proxima Sacrificij. Et sic differt ab Hostiâ non consecratâ, quæ habet Crucem, & est potissimùm destinata proximè ad Sacrificium; adde quòd vinum carens illis, vsum proprium â Naturâ destinatum habet ad bibendum, & non ad consecrandum, & ideo in eius vsu non cadit abusus.

35 Calix, & Patena, cum quibus conficitur Sacrificium debent esse consecrati, vt omnes docent, cum id præscribatur in Missali, & Rituali, cum *Cardinali de Lugo disp.* 20. *num.* 91. *Auersa q.* 11. *sect.* 13. *vers. Debent hæc vasa*. Si autem Sacerdos cum Calice, & Patenâ non benedictis celebret; non ideo per hunc sacrum vsum dicitur consecratus, vt probat de Lugo; contrarium tamen probo infra sect. 29. V. Calix. Tamen ad rem nostram sufficit celebratio, quæ æquiualet ad inducendam Hæresis suspicionem per abusum illius, vt si quis eo vtatur in conuiuio ad bibendum; magnam enim facit iniuriam Sanguini Christi, cuius est vas proprium Consecrationis, & cum ex hoc præsumatur non credere, sed potius spernere tantum Sacramentum, fit suspectus vehementer de Hæresi. Idem dic si super patenam cibos accomodet, in his enim abusus videtur tendere
36 in contemptum tanti Mysterij. Sacerdotes, & alij Clerici in feriâ quintâ Cœnæ Domini post Communionem Sacram purificantes os, non malè faciunt; quia purificatio ordinatur ad deglutiendum reliquias Sacramenti, si quæ in ore remanserunt. Reus huius criminis volens se defendere Calicem non
37 esse benedictum cum Patenâ, vel fractum esse, cum eo vsus fuit, hæc omnia probare tenetur, quia est præsumptio Iuris contra ipsum.

38 Ornamenta Calicis, & Patenæ sunt Corporale, Palla, Purificatorium, Velum, & Bursa. Corporale cum Pallâ benedicitur. Re-
39 liqua tria non exigunt benedictionem, quia Corpus Christi non tangunt, vt dicitur *in Rubricâ de Præparat. Sacerd. ibi Gauantus*.

Abutens Corporali, & Pallâ est suspectus de Hæresi vehementer, quia præsumitur credere licitum esse vti illis; quod Hæreticum est dicere, cum immundis non liceat miscere munda. De alijs vide sect. 29. V. Purificatorium, V. Bursa.

Aquæ parum adiungitur vino in Calice. 40
Numquid abutens aquâ, quæ remansit in ampullâ, ad sortilegium, fiat suspectus de Hæresi?

Respondetur sic, quia illa benedicta à Sacerdote fuit, vt dicitur in Missali *in Rubr. de Offertorio, &c. Rubr.* 7. *num.* 4. his verbis; *Producit signum Crucis super ampullam*. Vbi Gauantus inquit. *Aqua significat populum, benedictioneq; eget cum Cruce, vt Christo vniatur ex Durando lib.* 4. *cap.* 30. Idem dic, si quis abutatur purificatione secundâ mixtione vini, & aquæ pro digitis post sumptionem, non autem primâ factâ pro ore, quia fit solo vino non benedicto; quo solo sine aqua si fiat secunda, idem non est dicendum, quia ex sola benedictione aquæ ab illius abusu oritur Sortilegium. Itaque si probatur purificatio digitorum facta cum vino, & aquâ non benedictâ, non incurritur sortilegium ex eius abusu. Suspicio autem hæc erit leuis, cum procedat à re, quæ est remotior à Sacramento. Vide alia sect. 29. V. Vrceoli.

Vestium Sacerdotalium, quæ sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, quæ & Planeta vocatur, Abusus ad vanas obseruantias, ad incantationes, & similia inducit Suspicionem vehementem, cum sit sacrarum Vestium benedictarum, quarum vsus est solius Sacerdotis; dum celebrat, ordinatus ad honorem, & decorem tanti Sacramenti, præsumitur enim illis vtens dare honorem, & cultum creaturæ, qui soli Deo, & Sanctis eius conuenit in celebratione Missarum. De earum benedictione in Missali *in Rubric. De præparat. Sacerd celebr. ibi Gauantus*, *Auersa q.* 11. *sect.* 13. *vers. Quarto De Lugo disp.* 20. *num* 98. Præsumuntur ergo de iure benedictæ. Iterum infra sect. 29. V. eodem. 41

Altaris verò ornamenta sunt Pallium, Tobalcæ, Candelabra, & Candelæ quæ omnia seruiunt ad Consecrationem Corporis, & Sanguinis Christi, quæ in solo Altari fit. Est autem duplex, Altare seù magnum fixum & Altare paruum, & portatile, dictum. *Pietra Sagra*, quia consecratur, sicut & fixum, cum reliquijs Sanctorum vtrunque. *In Missali in Rubr. de præparat. Altaris* 20. *Auersa q.* 11. *sect.* 13. *initio*, *De Lugo disp.* 20. *num.* 67. 42

Si quid super vnum, vel alterum fiat indignum arguens contemptum ergà Sacramentum, in laudem, seu honorem creaturæ, vel aliter ad malum finem, inducitur ex huiusmodi abusu vehemens Suspicio Heresis, cum talis actus sit sortilegium. Dicam sect. 29. V. Lapis sacratus.

Idem

43 Idem dic de simili abusu Pallij, Toballearum, Candelabrorum, & Candelarum, quæ fuerunt accensæ pro Sacrificio Missæ, lumen enim importat honorem, & cultum erga Deum, & Sanctos eius, ergo non tribuendum creaturis nisi cum Suspicione Hæresis.

44 Quod verum est, etiamsi candela non fuerit adhibita ad celebrationem, quia lumen eius de seipso facit præsumere in tali casu pro effectu malo Idolatriam. Lumen siquidem importat Fidem Catolicorum, quos denotat Candelabrum ferens; lumen candelæ. Fidem illuminantem illos. Significat etiam Christum, vt ignem consumentem rubiginem peccatorum; lumen excitat etiam deuotionem, *ex allatis à Gauanto ex Missali par. 1. tit. 20.* De lumine *De Lugo disp. 20. num. 77. Auersa q. 11. sect. 13. vers. Requiritur*. Dicam infra sect. 29. V. eisdem.

45 Notandum denique non esse abusum in repræsentationibus spiritualibus adhibere sacras Vestes pro expressione alicuius honesti facti, quia tunc id non fit in contemptum, sed ad repræsentandum hystoriam prout in facto accidit.

46 Quæritur 11. An non ieiunus celebrans sit suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia actus intemperantiæ nullam arguit oppositionem ad Fidem, solùm ergo peccat mortaliter.

SECTIO XXII.

De Non Sacerdote Missam celebrante.

SVMMARIVM.

1 *Citantur Decreta, & Bullæ contra istos.*

2 *Celebrans non Sacerdos est suspectus vehementer de Hæresi.*

3 *Solus Sacerdos potest celebrare Missam.*

4 *Denuntiandus est fictus Sacerdos celebrans.*

5 *Super intentione est interrogandus.*

6 *Torturatur si neget delictum, & super Suspicione.*

7 *Abiurat de vehementi, licet sit tradendus curiæ seculari.*

8 *Nomine* non Sacerdotis *veniunt viri non solùm laici, sed etiam fœminæ, & Clerici, vsque ad Diaconum inclusiuè.*

9 *Raro accidentia, quandoque sunt in consideratione.*

10 *Negatiò est malignantis naturæ negans quicquid ad illam sequitur.*

11 *Pæna est Mortis maioribus post annum 20. expletum.*

12 *Incipiendum à Baptismo, non à natiuitate.*

13 *Vt sit pro tempore ordinandorum in Sacris.*

14 *Missam captam non absoluens traditur Curiæ seculari.*

15 *Indutus sacris vestibus non incipiens Missam non est reus Mortis.*

16 *Est tamen vehementer suspectus de Hæresi.*

17 *Celebratio connotat ornatum.*

18 *Sine sacris vestibus celebrans est reus Mortis.*

19 *Peccat mortaliter celebrans sine illis.*

20 *Degradatus celebrans non violat Bullas.*

21 *Irregularis fit non Sacerdos celebrans.*

22 *Etiam si sit merus laicus.*

23 *Rubrica regulatur à textu, & extenditur.*

24 *Minor ætas infra annum 20. & fatuitas excusant celebrantem.*

25 *Stultus in culpà, fit sapiens in pænà.*

26 *Falsi penà puniri aliàs poterat.*

27 *Qualitas Sacerdotij probatur ab ipso celebrante.*

28 *Sacerdos nemo præsumitur, omnis enim laicus nascitur.*

39 *Negatiua Clericatus dicitur probata, non probato Clericatu.*

30 *Clericatus probatur documento sigillato, & subscripto à solo Cancellario.*

32 *Exhibens falsas literas Sacerdotij adhuc traditur Curiæ seculari.*

32 *Negat Carena; qui impugnatur.*

33 *Tri-*

33 *Tribus modis probatur celebratio. Primò per contestes in omnibus audientibus totam vnicam Missam, & hæc est perfectissima probatio.*
34 *Secundò per testes contestes per partiales auditiones vnius Missæ, perfecta probatio.*
35 *Tertiò per testes solùm contestes in substantiâ duarum celebrationum, diuersis temporibus, sufficiens ad condemnationem Mortis.*
36 *Negatur hoc à Carena,*
37 *Cuius rationes impugnantur.*
38 *Missa, & Vesperæ differunt.*
39 *Homicidij contestes debent esse loco, & tempore.*
40 *Consecratione non probatâ, Morti non traditur.*

1 EManarunt in primis duo Decreta breuia Pauli IV. Primum sub die 20. Maij 1557 contra non Sacerdotem Missam celebrantem tradendum curiæ seculari sine aliquâ disputatione. Secundum sub die 17. Februarij 1559. Contra omnes non existentes in sacris audientes Confessiones, celebrantes Missas, & abusos Sacramento Altaris tradendos brachio seculari. Referuntur à Diana, & alijs. Subsequenter extenduntur contra istos non Sacerdotes audientes Confessiones, vel Missam celebrantes tres Bullæ, *Prima est* Gregorij XIII. incip. *Officij nostri* 21. in qua Papa dat licentiam Inquisitoribus puniendi prædictos. *Secunda*, Clem. VIII. incip. *Et si alias* 81. quòd degradati tradantur Curiæ seculari. *Tertia* Vrbani VIII. incip. *Apostolatus* 79. quòd tradantur etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleuerint. His præmissis.

Quæritur 1. An, & qualiter nondum Sacerdos celebrans Missam sit suspectus de Hæresi? De hoc nihil expressè dicitur in præcitatis Bullis.

2 ℞. Est vehementer suspectus de Hæresi, quia præsumitur credere licere omnibus indifferenter celebrare Missam, cum tamen id munus sit solius Sacerdotis, vt de Fide tene-
3 tur ab omnib. ex Can. 10. sess. 7. *Si quis dixerit, Christianos omnes in Verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Anathema sit.* Et in cap. 1. §. Vnâ verò, vbi quòd solus Sacerdos conficit hoc Sacramentum, *Scotus in 4. dist. 13 q. 2. vers. Loquendo, vbi comment. concl* 1. probat id esse de Fide, *allegatis pluribus Concilijs, Brancatus disp. 24. de hoc Sacram. num. 3.* Est ergo vehementer suspectus de Fide non Sacerdos celebrans. Ita *Carena part. 2. tract. 11 num. 3. Thesaurus de Pœnis V. ordo cap. 32. num.* 3. & omnes Itali contra Hispanos, qui tenent, esse solùm de leui suspectos, *Sousa lib. 1. cap. 32. num. 14 Castropal. part. 1. tract. 4 disp. 8. part. 16. §. 9. num. 2 Diana part. 4. tract. 7. resol. 11. Albergh. cap. 25. num. 2.* Si tamen sunt de Prouinciâ infectâ hac Hæresi, quòd liceat omnibus celebrare, etiam de vehementi sunt suspecti habendi.

Quæritur 2. An non Sacerdos celebrans Missam denuntiandus sit? Ratio dubitandi est, quia in præfatis Bullis nihil super hoc disponitur?

℞. Affirmatiuè, esto enim in illis hoc non 4
exprimatur; præcipitur tamen in omnibus Edictis. Immo & si hoc specialiter in illis non diceretur, adhuc non Sacerdos esset denuntiandus, quia in omni Edicto non solùm Hæretici, verùm etiam suspecti etiam leuiter sunt denuntiandi, vt dixi sess. 18. Sed taliter celebrans est vehementer suspectus ex probatis in priori quæstione, ergo denuntiandus. Id nemo negat.

Quæritur 3. An super Intentione sit interrogandus quid sentiat de Ministro, & Sacramento Altaris?

℞. Affirmatiuè, quia cum per talem cele- 5
brationem de Iure, vt probaui q. 1. præsumatur suspectus de Hæresi, ac proinde Iudex nondum sciat, an reuerà sit formaliter Hæreticus, cum id dependeat ab eius Intentione; ideo debet is, qui non Sacerdos celebrauit, interrogari, an credat sibi licere, & posse celebrare, & verè conficere Corpus, & sanguinem Iesu Christi consecratione? Si enim hoc affirmat, fatetur, se Hæreticum esse formalem; cum pateat ex definitione Ecclesiæ sub q. 1. solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Eucharistiæ, & nullum alium hominem, etiam si sit Papa electus, & nondum Sacerdos.

Quæritur 4. An in hoc casu celebrationis locum habeat Tortura tam respectu delicti, quam respectu Suspicionis?

℞. Probato semiplenè delicto per vnicum 6
Testem omni exceptione maiorem, si reus neget delictum, Torturæ subijcitur, & si fateatur delictum, tunc subsequenter torquendus est super Intentione, ex probatis sect. 16. num. 39. quia in hoc casu est vehementer suspectus de Hæresi, ex quæst. 1. Et hoc procedit in Italiâ, non in Hispanijs, vbi non Sacerdos celebrans præsumitur tantùm leuiter suspectus, & ideo eximitur à Torturâ super Intentione dandâ. *Diana part. 4 tract. 7. resol.* 11. excipit eos, qui sunt de Prouinciâ Luteranâ, qui sunt torquendi, quia pu-
tat,

tur, & optimè esse vehementer suspectos de Hæresi; quem sequitur *Sallelles part. 3. Reg. 394. num. 384. Ego cap. 22. num. 32. Carena tit. 11. num. 24.*

Quæritur 5. An confessus, vel conuictus super Celebratione cogendus sit ad abiurandum, esto tradendus sit Curiæ seculari?

7 ℞. Affirmatiuè, quia probata Suspicio dat Ius Iudicibus indicendi Abiurationem talem, qualis est ipsa Suspicio, ex probatis sect. 17. num. 20. Ratio est, quia vna pœna non obuiat alteri. Itali abiurant de vehementi, alij de Leui, quia taliter iudicantur suspecti; Itali verò vehementer. De abiuratione *Carena part. 2. tit. 11. num. 24. Diana part. 4. tract. 7. resol. 11. Salelles part. 3. Reg. 394. num. 382. ad 386.* est cum Italis.

Quæritur 6. Quid importet negatio in hac clausulà; *Huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbiteratus ordinem non promotos Missarum celebrationem vsurpare præsumentes?*

8 ℞. Importat carentiam Formæ sacerdotalis in subiecto ibi expresso, non solùm priuatiuè ad ea subiecta, quæ sunt capacia Presbiteratus, vt sunt omnes clerici à Primà Tonsurà vsq; ad Diaconatum, & laici quoq; viri, qui carent Sacerdotio, cuius tamen capaces sunt, ad quod disponi possunt per receptionem preuiam aliorum Ordinum, vt ritè recipiatur. Sed etiam negatiuè, quò, scilicet, ad mulieres, quæ sunt Ordinum incapaces, ac proinde comprehenduntur sub hac prohibitione, vt patet ex prælibatis verbis expressis in Bulla Clementis VIII. *Nepharios homines*, esto enim adiectiuum restringat substantiuum ad masculinum, ac proinde textus videatur loqui solum de masculis, non ideo tamen excludit fœminas, quæ præsumerent celebrare, maior enim esset error, & grauius sacrilegium in fæmina, quam in masculo, ratione incapacitatis Ordinis suscipiendi. Non exprimitur autem hic fæmina, quia leges ad ea, quæ accidunt frequentius, aptantur, *l. Nam ad ea 5. de Legib.* non tamen excluditur, sed comprehenditur, cum casus dari possit in ludibrium tanti Sacramenti, quod à solis Sacerdotibus confici potest.

Immo etiam quæ rarò accidunt sunt in consideratione, vt Iuribus citatis docent
9 *Glos. V. Vt quandoq. cap. Statutum 11. §. Assessorem, de rescr. in 6. & in cap. Literas 4. de despons. impub. V. Placere consueuerint.* Itaque prohibitio huiusmodi comprehendit quálibet personã vtriusq; sexus laicam, & clericum etiã Daconum. Ita *Salelles par. 1. Reg. 125 num. 2. & 7. par. 3. Reg. 394. num. 365. & 385.* & alij communiter, licet non se explicent, nec vllum verbum dicant de fæminis; implicitè nihilominus de omnibus loquuntur, nam qui caret Presbireratu, certè Sacerdos non est, cuiusmodi sunt laici, & clerici sine Sacerdotio; negatiua enim est malignantis naturæ, negat enim quicquid sequitur, *l. Filiusfamilias §. 1. C. de donat. Glos. 1. in l. Iuris gentium, §. Sed si fraudandi ff. de pactis.* 10

Queritur 7. Quibus pœnis afficiatur non Sacerdos celebrans missam?

℞. Pœna mortis, modo compleuerit annum suæ ætatis vigesimum. Primum statuit Clem. VIII. in suà 81. §. 3. vbi, & quòd degradatur, si quos habuerit Ordines, & sic à degradatione solus Tonsuratus eximitur, quia Tonsura non est Ordo. Secundum ordinauit Vrbanus VIII. in sua 79. §. 3. & §. 4. comprehendens quemcunq; laicum, & clericum secularem, religiosum cuiuscunq. Ordinis etiam ex necessitate exprimendi, & Militiarum etiam S. Ioannis Ierosolimitani. Nullus ergo excipitur à præfata pœna mortis, nisi qui nondum expleuit vigesimum annum. Quæ ætas numeranda est non à die ortus, sed à collatione Baptismi, sicut enim Papa se ostendit misericordem erga taliter delinquentem compatiens illius teneram ætatem, ita, & Consultores numerando delinquentis ætatem à Baptismo imitantur benignitatem Pontificis, qui interogatus idem respondisset, ne commiserationi suæ detraheret, odiosa enim sunt restringenda. Nec his obstat, quòd in ordinatione ætas numeretur pro susceptione Ordinum maiorum à natiuitate non à Baptismo, vt notat ex Responso S. C. *Barb. ad cap. 12. sess. 23. num. 4.* quia agitur ibi de re gratiosà, in casu autem nostro de re odiosà, & sic intrat pro vtroq. Reg. 15. in 6. Odia conuenit restringi, & fauores ampliari. 11 12 13

Quæritur 8 An cęptam Missam non finiens sit tradendus curiæ seculari?

℞. Affirmatiuè, quia non minus celebrat, qui incipit, quàm qui Missam finit, & nó minus vsurpat Missarum celebrationem, qui eam inchoat, quam qui eàm absoluit, & hoc deducitur ex ipso textu illarum trium Bullarum, nam Gregorius inquit: *Qui in Presbiteratus Ordine non constituti Missas celebrant.* Clemens VIII. *Missarum celebrationem vsurpasse.* Vrbanus VIII. *Missam celebrare præsumpserit.* Actus autem celebrationis denominat recitantem tam in principio, sicut in fine; nec fit distinctio inter principium, & finem, ergo sub prohibitione comprehenditur quælibet pars celebrationis à principio ad finem, ac proinde tam est Reus Mortis incipiens, quam absoluens Missam. Et ita docent *Carena par. 2. tit. 11. num. 15 Vers. in has. Diana par. 4. tract. 7. resol. 12. Salelles par. 1. Reg. 125. num. 10. & par. 3. Reg. 394. num. 391. Albergbin. cap. 25. num. 5.* Etiamsi non consecrauit, vt omnes docent, siquidem celebrare dicitur, qui etiam nondum conseruauit. Et sic reuoco, quod dixi cap. 22. q. 10. Vers. secundum. 14

Quæ

Quæritur. 9. An indutus sacris vestibus si Missam non incepit, sit Reus Mortis?

15 ℞. Negatiuè, etiamsi accesserit paratus ad Altare, quia non dicitur celebrare, qui Missam non incepit. Et ita docent præcitati. *Salelles loco citato, & par. 1. Reg. 125. num.* 12. An autem per id fiat suspectus de Hæresi solùm leuiter, an vehementer? In primum inclinat Salelles num. 394. debere abiurare de leui.

16 Ego autem dico, esse vehementer suspectum, ac proinde debere abiurare de vehementi, nam proxima præparatio celebrandi & initium celebrationis arguunt eundem gradum Suspicionis, dum ambo isti actus ordinentur ad abusum huius sacri Misterij, dum sacris indutus præsumitur credere omnibus indifferenter licere Missam celebrare. Pœna contra istum meo Iudicio ad triremes esse condemnandum censeo, in hoc enim delicto rigorosè procedendum est.

Quæritur 10. An qui sine sacris vestibus Missam recitat sit Reus pœnæ harum Bullarum?
17 Videtur, quod non, quia celebrare est laudare cum ornatu Deum, nam apud Ciceronem in Nizolio, celebrare significat etiam ornare, sed sine vestibus abest ornatus ergo non celebrat, qui sine illis recitat Missam; sed se habet sicut nouellus Sacerdos, qui dum illam discit, non dicitur crelebrare, cum sine vestibus sacerdotalibus illam addiscat.

18 ℞. Esse reum mortis, quia reuerà præsumitur celebrare, & sibi vsurpare officium Sacerdotis, ergo tradendus est Curiæ seculari.

Confirmatur, quia omissione sacrarum vestium dicitur occultare suum errorem; immo & augere malitiam sui delicti, cum per eam omissionem præsumatur sentire, licere celebrationem sine sacris vestibus, quod tamen falsum est, quia sine dubio celebrans sine illis peccat mortaliter in sententia omnium
19 *Diana par. 1. resol* 57 *Brancatus de Sacram. disp.* 24. *num.* 16 *&* 20. Hæc procedunt, licet non consecret, quia adhuc dicitur celebrare ex dictis sub q. 8. Ad rationem dubitandi dico sacras vestes esse quidem ornamentum ad celebrandum, non tamen esse actum ipsius celebrationis, & recitationis Missæ, siquidem celebratio Missæ potest esse sine vestibus, secundum suam essentiam.

Quæritur 11. An depositus, seu degradatus celebrans sit Reus harum Bullarum?

20 ℞. Negatiuè, quia adhuc est verè Sacerdos, cum habeat in animà impressum caracterem humanà potestate indelebilem, de Fide tenendum, vt dixi Sect. 20. num. 6 Bullæ autem loquuntur de non Sacerdote, vt clarum est, Solùm ergo illicita est celebratio, licet valida in sententià omnium, cum ei nihil desit de substantialibus, & essentialibus, *Couar. lib. 1. cap.* 10. *num.* 8. *Nauar. com. 2. de Regul. num.* 56. *cum alijs. Barb. ad cap. 2. fine de Pœnis in 6.*

Quæritur 12. An non Sacerdos celebrans incurrat aliquam censuram, aut irregularitatem?

℞. Non inueni censuram, sed solùm irregularitatem contra exercentem actum Ordinis maioris, quo caret, *ex cap. 1. & 2. de cler. non ordin min.* Non solùm Clericus, sed etiam laicus fit irregularis ministrans in Ordine maiori, quo caret. Non obstante tit. & Rubr. loquente de Clerico, quia non excluditur laicus ab hoc canonico impedimento, quandocunq; in nigro disponitur etiam contra laicum non expressum in titulo; sufficit enim quòd de eo agatur in capite, vt agitur hic in primo cap. in quo disponitur generaliter, & indifferenter sic: *Si quis baptizauerit &c.* laico autem non negatur baptizare saltem in necessitate. Et subditur. *Aut aliquod diuinum Officium exercuerit non ordinatus.* Laicus autem propriè dicitur non ordinatus, ergo non excluditur ab hoc textu. In secundo cap. fit solùm mentio de Diacono, & tamen non excluduntur alij Clerici, ergo nec laicus à primo capite, in quo locutio est generalis, & hoc multis probaui cap. 22. in Sacro Tribun. q. 20. num. 36. Ita Scotus *in 4. dist.* 13 *q.* 2. *num.* 10. *ibidem comment. num.* 137. Multis citatis Carolus Antonius Thesaurus Iesuita *de Pœnis eccles. V. Ordo cap.* 32. *initio.* Contra Dianam *resol.* 56. *de irregul. Carenam par.* 2 *tit.* 11 *fine. Barbosam in præfatum cap.* 1. *num.* 5. Vide Dal Bene dubit 93. 21 22 23

Quæritur 13. An non Sacerdos celebrans excusetur aliquando à pœna mortis?

℞. Excusatur in duobus casibus, primus ex ætate viginti annorum nondum completorum ex Bullà Vrbani VIII. sub q. 7. Secundus est, si celebrans probatur semifatuus mente læsus, quia in eo non censetur celebratio præsumpta, vsurpata nec valde temeraria, neq; facta à nefario homine, quas qualitates exigunt Bullæ. Dixi cap. 22. q. 18. num. 33. 24

℞. Inde expungo alios duos casus fundatos in vanagloria, & ioco, quos reprobo re melius consideratà, quia glorianter, & ioco celebrans abutitur Sacramento, & approbat Hæresim Luteranorum, & supradictæ qualitates Bullarum istis applicantur, cum non sint mente læsi per vanam gloriam, & iocum. Mente læsus cum à morte excusetur, non tamen ab aliquà pœnà extraordinaria fustigationis, aut carceris, vt stultus in culpà fiat sapiens in pœnà, vt dicitur cap. Qui 10. dist. 38. iuxta illud Hieremiæ 31. *Castigasti me, & eruditus sum.* Cui consonat illud Ouidianum. *Æacus in pœnas ingeniosus erit.* 25

Quæritur 14. An pœnam falsi incurrat non Sacerdos celebrans?

℞. Posse puniri inquiunt *Abbas in cap.* 1. *de* 26

de Cler. non ord. ibidem Anchar. num. 3. *Barb. ibidem cap.* 2. *citans alios num.* 3. *&* *Thesaur. V. Ordo cap.* 32. *num.* 4. Quâ pœnâ puniri potest quilibet exercens actum Ordinis scilicet maioris, quem non habet. Sed talis pœna nostris temporibus attendenda non est, quò ad celebrationem Missæ, cum adsit pœna determinata.

Quæritur 15. Ad quem spectat probare qualitatem Sacerdotij?

27 ℟. Ad denuntiatum, quia nemo præsumitur ordinatus, cum sit quid facti, nullus enim nascitur ordinatus, sed in puris natu-
28 ralibus laicus censetur, *cap. Presbiteri* 2. *dist.* 68. *Gloss. V. Et consecrentur*, *Caualcan. lib.* 2. *decis.* 602. *Decian. lib.* 4. *Crim. cap.* 9. *nu.* 117. apud Ioannem Mariam Nouarium Lucanum *de elect. fori part.* 2. *q.* 53. *num.* 2. 3. *&* 4. vbi quòd negatiua Clericatus dicitur eo ipso probata, quando contrarium non
29 probatur, de quâ re *Grassus in Pralud. de Effect. Cler. num.* 184. vbi in seq. plura pro Clericatus probatione, & eius possessione, cum eodem Nouario; & in terminis nostris *Carena part.* 2. *tit.* 11. *num.* 21.

Parum ergo immo nihil prodest assertio denuntiati dicentis se esse Sacerdotem, dum non probat suum assertum exhibendo authenticum Episcopi, qui eum ordinauit, documentum in formâ probante; tunc autem est autenticum, & ei credendum, quando est sigillatum, & subscriptum à Cancel-
30 lario Episcopali; sic enim practicatur in omnibus Episcopatibus. Vide eundem Nouarium de hac re plures congerentem Doctores requirentes subscriptionem ipsius Ordinatoris; sed reuerà melior est subscriptio Cancellarij, qui scribit in Libro ordinandos, & eos tempore ordinationis singillatim vocat, vnde exactam illorum cognitionem habet, quàm quilibet alius.

Quæritur 16. An exhibens literas falsas pro Sacerdotio probatas tales per fiscum sit tradendum curiæ seculari, dum non probat, se Sacerdotem esse?

31 ℟. Affirmatiuè, quia asserta qualitas nullatenus probata pro nullâ habetur, ac proinde in nullo potest mouere Iudicem ad excusandus Reum à pœnâ ordinaria. Aliter sequeretur absurdum, quemlibet sibi fingere literas posse, & sic eludere Iudicem, & Iustitiam.

Confirmatur, tum quia quis admitti non debet ad excusationem, vel ad aliud sibi vtile, nisi probet se talem esse, qualem ipsum exigit excusatio, seu vtile, quod consequi intendit per suam assertionem, *ex l. Non ignorat* 9. *C. de his, qui accus.* Tum quia qualitas transferens delictum ad aliam speciem, vel actum spolians à ratione delicti, omnino probanda est, *ex Baldo lib.* 1. *cons.* 98. *num.* 7. *Sperell. dec.* 102. *num.* 11.

Carena part. 2. tit. 11. num. 21. dicit, hunc esse vehementer suspectum, quòd non sit Sacerdos, vnde Fiscus debet acceptare actum celebrationis ab eo assertum, & reiectâ qualitate Sacerdotij, de qua non constat, indicere ei pœnam extraordinariam; & quia confessus qualificatè nunquam punitur pœnâ ordinariâ; & quia ex indicijs etiam violentis nullus condemnatur pœnâ ordinariâ, allegatis Doctoribus. 32

Respondetur, præfatas rationes non ab omnibus probari, maximè in casu nostro, in quo qualitas Sacerdotij est principale consideratum, à quo pendet Iudicium, & expeditio causæ, quare de ipso debet plenè, & concludenter constare, sit ne qui celebrauit, Sacerdos, an non, vnde negatiua destruitur per probationem claram, & constantem Sacerdotij, quâ non positâ, manifestè constat de violatione Bullarum, ac proinde intrat pœna ordinaria in eis expressa.

Quæritur 17. Quomodo probetur celebratio Missæ facta per non Sacerdotem?

℟. Tribus modis contingit huius proba- 33
tio; *Primò*, per plures Testes ad minus duos contestes super vnicam celebrationem Missæ auditam totaliter ab omnibus à principio ad finem super idem Altare. Et hæc est potissima probatio vsquequaque, & plenè concludens, cum contestitas sit circa eundem actum numero, loco, & tempore, ex qua infertur condemnatio ad pœnam ordinariam. Nullus contradicit.

Secundò, per plures Testes contestes in 34
actu, loco, & tempore eisdem numero talibus, existente solùm differentiâ circa partes Missæ auditæ, eo quòd vnus audiuit initium, alter peruenit, dum legeretur Epistola, alter ad eleuationem Hostiæ, & Calicis, aut vnus ad *Credo*, alter ad finem Missæ. Probatur ergo celebratio Missæ talis personæ ex auditionibus partialibus. Talis autem probatio sufficit ad condemnationem pœnæ ordinariæ, quia omnes concordant in actu celebrationis, quæ ex suâ naturâ est indiuisibilis, & sic probatio vnius auditionis de necessitate extenditur ad alias partes, & etiam in loco, & tempore, cum celebratio vnica non contingat fieri diuersis locis, & temporibus ex conditione eius intrinsecâ, & propriâ, cum sit continua super eodem Altari.

Confirmatur, quia vt quis sit Reus pœnæ sufficit Missæ inceptio, ex probatis q. 8. Ita docet *Carena part.* 1. *tit.* 11. *num.* 21. *Sousa de confess. solic. tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. *&* *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 9. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 12. quos sequitur *Salelles par.* 1. *Reg.* 125. *num.* 10.

Tertiò, per duos Testes omni exceptio- 35
ne maiores contestes circa actum celebrationis factum diuersis temporibus, vt vnus deponit celebrasse hodie in tali Altare, alter ve-

rò ibidem, vel alibi sequenti die. Talis autem probatio vti plena in facto substantiali sufficit ad pœnam ordinariam.

Probatur, tum quia ambo sunt concordes in substantiâ actus celebrationis, quod est potissimùm considerabile, quod Bullæ intendunt extirpare tamquam factum arguens licitam esse cuique Missæ celebrationem, quod est manifesta Hæresis Luteranorum. Tum quia locorum, seu temporum diuersitas est extrinseca huic delicto, quod perfectè cognoscitur, & probatur sine illarum diuersitate, vel vnitate, vnde nec spectatur in hoc delicto pluralitas, vel vnitas, cum delinquens puniatur Morte tam pro vnâ celebratione, quàm pro pluribus, vnicâ enim Morte satisfit Iustitiæ vindicatiuæ; non magis pluribus, quàm vni celebrationi, neque enim quis pluribus vicibus mori potest. Et ita à simili tenent, qui dicunt, per duos testes omni exceptione maiores plenè probari quem esse Hæreticum, qui sunt *Conradus Brunus lib. 4. de haret. cap. 9. prope finem, Albertinus de agnosc. assert. q. 14. num. 2. Simanch. de Catol. instit. tit. 64. num. 75. & 76. alijs citatis à Dal Bene Dub. 198. sect. 16.* Qui tamen tenet oppositum.

36 Carena par. 2. tit. 11. num. 17. vers. Secus, dicit hoc tertio modo celebrationem plenè probatam non esse in ordine ad pœnam ordinariam, sed tantùm extraordinariam. Probat talem probationem non esse plenam, quia illi testes cum sint singulares nullo modo possunt dici contestes. Subdit num. 18. se id colligere *ex Abbat lib. 1. cons. 42. num. 2. & 3.* qui celebrationem Missæ factam ab excommunicato ad probandam irregularitatem incursam, ait, probari, si vnus deponat de Epistolâ, & alter de Euangelio, quia sunt partes indiuiduæ Missę; secus si vnus deponat de Missâ, & alter de Vesperis, quia deponunt super rebus diuiduis, ac proinde cum sint singulares non probant celebrationem. Abbatem sequitur *Tuscus tom. 8. lit. concl. 765. num. 97.* Subiungit Carena ibidem differentiam ex eodem Abbate inter partes indiuiduas, & diuiduas prędictas. Quia, inquit, omnes Testes in sensu sunt singulares, nam ego video per meum visum, & tu per tuum; vnde quando Doctores dicunt, quòd Testes debent esse contestes, hoc intelligitur respectu obiecti, super quo deponunt, itaut obiectum eodem tempore se repræsentans sensibus Testium operetur, quod sint contestes; propterea est impossibile, quòd deponentes super actibus diuiduis probent, quoniam idem obiectum non potest se eodem tempore repræsentare sensibus Testium; secus in partibus indiuiduis, quia moraliter loquendo, & à communiter accidentibus, qui dixit partem Missæ, totam dixit.

Sed contra, quia sunt contestes in substantiâ facti, vt notum est, quod verò discrepantia sit in loco, aut tempore, hoc parum refert, quia cum ea sit extrinseca delicto, eius identitatem non tollit: & id confirmatur hoc exemplo, vnus deponit de furto sublato, & alter de eodem furto reperto sequenti die in domo furis, diuersitas temporis non facit discrepare inter se Testes, cum furtum idem remaneat, sic deponentes vnus hodie super celebratione Missæ, & alter sequenti die, non variant substantiam huius celebrationis; nec obstat, quòd duæ sint numero celebrationes, & vnicum furtum, quia vnitas numerica non tollit specificam, Petrus enim, & Paulus sunt duo numero, & vnum specie. 37

Ad exemplum Abbatis dico Missam, & Vesperas differre specie, non verò duæ celebrationes, quæ licet sint diuersæ numero, sicut illæ, non tamen specie, sicut Missa, & Vesperæ. Ad eiusdem rationem respondeo, quemlibet Testem per proprium sensum, & non per alienum deponere semper hoc modo, siue Testes sint contestes in substantiâ rei, siue omninò singulares. Nec verum est, quòd necessarium sit, vt Testes ad plenè probandum debeant esse semper simul simultate obiecti, scilicet quòd eodem tempore, & horâ viderint actum celebrationis, prolationis Blasphemiæ, seu Hæresis, vel numeratæ pecuniæ fœneratitiæ, in his enim actibus reiterabilibus sufficit concordia in substantiâ actus, vnius enim testificatio ita alterius Testis depositionem corroborat, & confirmat, vt Iudex aliter sentire prudenter non possit, ac proinde tales depositiones ex diuersitate temporum sunt plenæ, & concludentes. 38

Quòd autem Testes ad plenè probandum debeant esse contestes non solùm in substantiâ actus, sed etiam tempore, & loco, hoc procedit in delicto homicidij, eo quòd non est reiterabile contra eandem personam, quæ naturaliter semel moritur, vnde Testes, quorum vnus asserit Petrum esse occisum hoc mane, & alter hoc sero, vel crastinâ die, nihil omnino probant, quia sunt singulares non tantùm singularitate diuersificatiuâ, sed magis obstatiuâ, per quam dictum vnius destruit dictum alterius; impossibile enim est, quòd hodie mortuus, cras moriatur; Et in hoc sensu intelligitur illud Papæ Leonis relatum cap. Nihilominus 16. 3. q. 9. ibi: *Nec eorum voces tamquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit.* Vt notat ibi Glos. V. simul, licet illi id non placeat. In casu autem nostro, & alijs in hac materiâ sacri Tribunalis actus sunt reiterabiles, ac proinde cum singularitas diuersificatiua non habeat adiunctam obstatiuam, nec articuletur numero delictum, ideo ex his habetur plenà probatio. 39

De

De singularitate Testium dixi *Contr. 1. impressionis Romanæ*, *& Resol.* 101. *tom.* 4. *impressionis Lugdunensis q.* 23. *& in Practicâ criminali tom.* 5. *cap.* 19. *& in sacro Tribun. cap.* 33. *num.* 45. *& seq.* Et infra iterum sect. 65.

Quæritur 18. Quid dicendum in casu, quo non potest probari, quòd celebrauerit totam Missam, sed tantùm partem e. g. vsque ad Canonem exclusiuè, numquid dignus sit morte?

40 ℞. Esto ipse fateatur celebrasse vsque ad Canonem, & pœnitentia ductus cessasse, & nullatenus consecrasse, subijciendus est Torturæ, & si illam sustineat, Morti tradi non potest, quia celebratio non probatur perfecta quæ potissimùm consistit in Consecratione, sed ad triremes condemnandus est ad decennium. Probatis consequentibus consecratione, ipsamet & consecratio dicitur probata, quia ex probatione consequentis sequitur probatio antecedentis, à quo pendet consequens.

SECTIO XXIII.

De non Sacerdotibus audientibus Confessiones Sacramentales.

SVMMARIVM.

1 *Ad valorem Absolutionis requiruntur tria, Sacerdotium, Potestas Ordinis, & Iurisdictio.*
2 *Solus Sacerdos ministrat Sacramentum Pœnitentiæ, est de Fide.*
3 *Iurisdictio est coæua Sacerdotio, sed data ab Ecclesiâ.*
4 *Iurisdictio exercetur solùm in subditos.*
5 *Etiam in Sacramento hoc.*
6 *Tribuitur autem ab Ecclesiâ immediatè ordinato in ordine ad moribundos.*
7 *Vnde non est de Iure diuino, sed ecclesiastico tantum.*
8 *Laicus in nullo casu etiam Mortis ministrat.*
9 *Pauli IV. Decretum.*
10 *Gregorij XIII. Bulla* 21.
11 *Clementis VIII. Bulla* 81.
12 *Vrbani VIII. Bulla* 79.
13 *Non Sacerdos audiens Confessionem est vehementer suspectus de Hæresi.*
14 *Sub nomine* Non sacerdotis *veniunt Laici, & alij Clerici, immo & Fœminæ.*
15 *Denuntiandus non Sacerdos audiens Confessiones.*
16 *Torquendus negans delictum, & prauam Intentionem.*
17 *Confessus, vel conuictus super hoc delictum abiurat.*
18 *Curiæ Seculari traditur.*
19 *Quod est affici Morte.*
20 *Audiens solùm, & non absoluens est Reus Mortis.*
21 *Contrarium docent nonnulli.*
22 *Confessio facta laico cognito non est sacramentalis.*
23 *Verba Gregorij sunt in narratiuâ.*
24 *Ideo non probant, nec pertinent ad dispositiuam.*
25 *Causa limitata effectum producit limitatum.*
26 *Confessio est sacramentalis, licet eam non sequatur Absolutio.*
27 *Confessio est sacramentalis facta non Sacerdoti ignoto, vt supponunt Bullæ.*
28 *Circunstantiæ sedendi, standi, vel genuflectendi sunt extra naturam Confessionis.*
29 *Audiens peccata ritè semel remissa est Reus huius pœnæ.*
30 *Audiens solùm* Confiteor *non est Reus.*
31 *Supponitur Inquisitori, & abiurat de vehementi.*
32 *Vnicum etiam veniale confessum inducit pœnam Mortis.*
33 *Audire semel Confessionem inducit eam pœnam.*
34 *Pluralitas resoluitur in vnitatem.*
35 *Vbi eadem militat ratio.*
36 *Audiens Confessionem ioco est Reus huius penæ.*
37 *Confessio publica ex humilitate non est sacramentalis.*

38 *Fictus pœnitens, & Confessarius subduntur Inquisitoribus.*
39 *Est irregularis.*
40 *Rubrica interpretatur textum.*
41 *Diuinum magis est exercitium Sacramentorum, quam recitatio Horarum Canonicarum.*
42 *Falsarius est non Sacerdos audiens Confessiones.*
43 *Excusatur in duobus casibus.*
44 *Confessio proprij oris est melior, quando est contra se.*
45 *Et plenè concludit.*
46 *Superat quamlibet aliam probationem.*
47 De ore tuo te iudicio. *Matth.* 12. 22.
48 *Affirmanti incumbit probatio.*
49 *Nascitur nemo Clericus.*
50 *Testes possunt esse ipsi Pœnitentes.*
51 *Duo sufficiunt confessi, vel eodem die, vel alter sequenti.*
52 *Duo pariter vnus pænitens, & alter videns alium confiteri.*
53 *Literæ non sufficiunt, sed Sacerdotium est probandum.*
54 *Literæ Confessionis dantur solis Sacerdotibus.*

1 AD hoc, vt Minister Sacramenti Pœnitentiæ ritè, & validè audiat Sacramentales Confessiones, & à peccatis absoluat, tria sunt necessaria in eo, Sacerdotium, potestas Ordinis, & Iurisdictionis. Sacer-
2 dotium quidem, quia solis Sacerdotibus, & non alijs tribuitur hoc ministerium, de fide definitum in Concilijs Florent, & Trident. sess. 14. can. 10. De potestate Ordinis idem dicendum ex eisdem can. 3. Et de potestate quoq. Iurisdictionis siue ordinariæ, siue delegatæ ex eisdem can. 9. vbi definitur, quòd Absolutio sacramentalis est actus iudicialis exercendus à Sacerdote; ac proinde ex necessariâ consequentiâ, Sacerdoti non sufficit sola potestas Ordinis, & caracteris, quam vo-
3 cant potestatem *Clauium*, sed necessaria est potestas quoq; Iurisdictionis, quæ ab Ecclesiâ confertur Sacerdotibus habens adiunctam populi assignationem virtualiter factam à concedente exercitium Absolutionis super suos subditos, nam Iurisdictio exercetur so-
4 lùm in subditos. *l. Si idem* 11. *ff de iurisd. omn. Iudic. l. Est receptum* 14. *eod. & l. fin. eod.* in terminis nostris *cap. omnis* 12. *de Pœnit. cap.* 7. *Sess.* 14 *initio*, vbi dicitur, quòd natura, & ratio Iudicij postulat, vt feratur solùm in subditos, vnde subdit, quòd semper in Ecclesiâ Dei Seruatum fuit; nullius momenti esse eam Absolutionem quam Sacerdos pro- 5
fert in eum, in quem non habet Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam; ergo Sacramentum hoc ab initio, huiusmodi cum Iurisdictione institutum fuit, dandâ non in 6
ordinatione, sed ab Ecclesiæ Pastoribus, vnde Papa statim Sacerdotibus ordinatis tribuit hanc Iurisdictionem pro existentibus in articulo Mortis, non habentibus copiam 7
Confessarij. Vide *Scotum in* 4. *dist.* 19. *Vers. De quarto*, *num.* 12. ibi Comment. num. 20. & quod hæc Iurisdictio non sit de Iure diuino, sed ecclesiastico pro bono regimine, deducit ex Tridentino *cap.* 7. *comment. sub num.* 30 *Brancat. de Pœnit. disp.* 5. *art.* 7. *à num.* 168. *Meldul. in* 4. *disp.* 5 *q.* 19. *à num.* 517.

Patet ergo ex his solùm Sacerdotem; ac proinde exclusis non solùm laicis, sed etiam alijs clericis, posse audire Confessiones sacramentales, & absoluere à peccatis, & aliter asserens est Hæreticus. Quare non sunt audiendi quidam dicentes in periculo Mortis, 8
vt in naufragio licitum esse confiteri laico, id deducentes ex D. Augustino relato *cap. Sanctum* 36. *dist.* 4. *de consecr.* Sed errant, quia ibi sermo est de collatione Baptismi, quod in periculo mortis confertur à laico, vt colligitur ex ipso textu, & notat *Brancatus disp.* 19 *de Pœnit. art.* 3. *num.* 17. Luterus autem cum suis sectatoribus dixit omnes Christianos esse Confessarios, quod esse hæreticum omnibus sanæ mentis constat.

Quoniam autem is error à nonnullis temerè inducebatur, Romani Pontifices occurrentes huic malo statuerunt pœnas contra præsumentes exercere, & ministrare hoc Penitentiæ Sacramentum.

Paulus IV. die 17. Februarij 1559. his 9
verbis: *In Congregatione S. Officij commisit, quod omnes qui audierunt Confessiones non existentes in sacris tradi debeant bracchio seculari.* Apud Locatum, Dianam, & dal Benecicatos in præcedenti Sectione initio. Nota illud *in Sacris* explicandum esse idest *in Sacerdotio*, vt colligitur ex sequentibus Bullis.

Gregorius XIII. in suâ 21. incip. *Officij no-* 10
stri, illos subiecit Officio S. Inquisitionis his verbis: *Qui in Præsbiteratus Ordine non constituti confessiones audiunt cognitionem, & punitionem etiam ad Inquisitionis officium &c.* Clemens VIII. in suâ 81. incip. *Etsi aliàs* 11
punit illos Morte his verbis: *Statuimus, vt quicunq. non promotus ad sacrum Præsbiteratus Ordinem repertus fuerit, sacramentalem Confessionem audiuisse, à Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs tamquam Eccle-* sia

sia misericordiâ indignus à foro ecclesiastico abijciatur, & ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim curiæ seculari tradatur, per Iudices seculares debitis pœnis plectendus. Demum Vrbanus VIII.
12 in suâ 79. incip. *Apostolatus officium*. Prædictam traditionis pœnam applicat solùm ijs, qui expleuerint vigesimum suæ ætatis annum sequentibus verbis: Aut Sacramentalem Confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis vigintiquinq. non excusetur, quò minus eidem constitutioni Clementis subijciatur; dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleuerit; ipseq; non promotus sic delinquens nullâ habitâ consideratione præfatæ minoris ætatis, siue laicus, siue clericus secularis, aut cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimendæ, regularis, aut cuiusuis alterius instituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, Nobisq; & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti; nec non militiarum quarumcunq. etiam S. Ioannis Hierosolimitani fuerit, tradatur Curiæ Seculari pœnis debitis plectendus. Sub illis verbis *Societatis etiam de necessitate exprimendis* veniunt Iesuitæ, qui dicuntur non comprehendi in dispositionibus odiosis, nisi specialiter nominentur. Sequentia verba *cuiusuis alterius instituti* comprehendunt clericos congregationis S. Philippi Nerij. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæritur ergo primò, an nondum Sacerdos audiens Confessiones Sacramentales sit suspectus, & qualiter de Hæresi?

13 ℞. Est suspectus vehementer de Hæresi, quia nefario suo facto præsumitur credere sibi licere audire Confessiones, quod de Fide definitum est, non licere carentibus Sacerdotio; proprio ergo facto impugnat Fidem, ergo est vehementer suspectus de Fide. Ita docent *Carena par. 2. tit. 11. num. 3. Thesaurus V. Ordo cap. 32. num. 3. Salelles part. 3. Reg. 394. num* 386. Quod tantum de leui suspectus tenent Hispani, quos citat *Diana part. 4. tract. 7. resol. 11. Alberghin. cap. 25. num. 2.*

Quæritur 2. An nomine *Non Sacerdotis* veniat non solùm laicus, sed etiam quilibet Clericus, aut Religiosus?

14 ℞. Omnes veniunt etiam Diaconus, qui Sacerdoti est proximior, qui si audeat confessiones audire, sine dubio est violator Bullarum, siquidem omnes præfati carent Sacerdotio, ergo non sunt Sacerdotes. Ita *Salelles part. 1. Reg. 126. num. 14. & part. 3. Reg. 394. num. 365. & 385* Nec puto alios aliter sentire. Locum habet etiam respectu Fœminæ, iuxta dicta præced. sect. q. 6 quia est possibile, quòd Fœmina hoc sibi velit vsurpare, cum non careat ambitione, quæ omnibus placet, quæ omnes torquet, vt dicit S. Bernardus lib. 3. de consid.

Quæritur 3. An denuntiandus sit?

℞. Affirmatiuè, quia non solùm Hæreticus formalis, sed etiam de Hæresi suspectus denuntiandus est, & hoc exprimitur in Edictis Inquisitorum, vt dixi de non Sacerdote celebrante præced. sect. q. 2. 14

Quæritur 4. An super Delicto, & Intentione torquendus sit, quando vtrunque negat?

℞. Affirmatiuè, super illud quidem, quando delictum fuit semiplenè probatum, per illam enim semiplenam probationē Iudex Ius habet negantem torquendi: si verò sit Confessus, vel conuictus, tunc non est opus Torturà, cum constet de delicto; sed tunc negans prauam Intentionem torquetur, quia contra ipsum est præsumptio iuris, quod sit suspectus de Hæresi ideo torquendus super Intentione. Iuxta dicta de celebrante præced. sect. q. 3. & 4. 16

Quæritur 5. An confessus, vel conuictus super auditione Confessionis sacramentalis cogatur abiurare?

℞. Affirmatiuè, & quidem vehementer secundùm Italos, de leui secundùm Hispanos, abiuratio enim regulatur à qualitate Suspicionis, ex sect. 17. num. 20. Ita *Carena part. 2. tit. 11. num. 24. Diana part. 4. tract. 7. resol. 11. Salelles part. 3. Reg. 394. à num.* 382. ad 386. & dixi præced. sect. q. 5. 17

Quæritur 6. Quibus pœnis afficitur non Sacerdos audiens sacras Confessiones?

℞. Traditur curiæ seculari degradatus, vt vltimo Mortis supplicio affligatur, vt patet ex Bullis Clementis, & Vrbani, quorum verba retuli sub num. 11. Et si non specificetur pœna Mortis, sed solùm dicatur, *Debitis pœnis plectendus*, nihilominus quandocunque quis traditur curiæ seculari plectendus intelligitur Morte, quia ad alium finem Reus non traditur, nisi vt Morte puniatur, arg. eorum, quæ dicuntur *à Gloss. V. Legitimas cap. Ad falsariorum 7. de crim. falsi. Boer. dec.* 82. *Farinac. q. 151. num* 4. Et colligitur ex *cap. Ad abolendam 9. de Haret.* vbi Hæretici impœnitentes traduntur Iudici seculari, non nisi vt Morte puniantur, quod & ipsa degradatio satis indicat, & grauissima delicta, quæ inducunt degradationem, nonnisi Mortem merentur in suo auctore. Vide *Carenam num. 32.* 18 19

Quæritur 7. An audiens sacras Confessiones, sed non absoluens sit Reus huius pœnæ?

℞. Affirmatiuè, quia Bullæ omnes, vt apparet sub num. 11. nihil dicunt de Absolutione sed tantum sic loquuntur. *Sacramentalem Confessionem audiant*. Ergo is actus sufficit ad eam pœnam incurrendam, esto non absoluat; nam Confessio, sacramentalis est de se, sine ordine ad absolutionem, à quâ non recipit esse sacramentale; dum de se pars est 20

est essentialis huius Sacramenti. Et ita docent *Sousa de solicit. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 3.4. & 7. & *in Aphor. lib.* 1. *cap* 33. *num.* 3 *Freitas de solicit. q.* 13. *num.* 36. *Trimarchus* disp. 7. sect. 2. num. 11. quos contra se citat Alberghinus *cap.* 25 *num.* 6. *Vers. Prima*, Salelles nobiscum *part.* 1. *Reg.* 126. *num.* 14. & 20. Quia ex solà Confessione redditur suspectus de mala credulitate circa hoc Sacramentum.

21 Contrarium, quòd scilicet audiens, & non absoluens non sit Reus huius pœnæ, docent *Rodriq. tom.* 2. *quæst. Regul. q.* 28 *art.* 2. *in fine*, *à Cugna de confess. solicit. q.* 13. *num.* 14. *Sanctar. de Hæresi cap.* 42. *num.* 5. *Vers. Refert*, *Barb. in cap.* 1. *de cler. non. ordin. Ioannes Sanchez disp.* 11. *num.* 36. *Diana par.* 4 *tract.* 7. *resol.* 11. *Carena part.* 2. *tit.* 11. *num.* 14. quos sequitur, & citat *Alberghin. cap.* 25. *num.* 7. cui videtur probabilior, qui cum illis ait esse puniendum pœnà extraordinarià. Probant ex illis Bullis; in eà enim Gregorij dicitur *Et Confessiones audire, & absolutionem impertire.* Copulatiua enim requirit concursum illorum duorum. Et in eà Clementis VIII. in qua fit mentio de constit: Pauli IV. & Sixti V. habentur hæc verba *Dum scilicet iniquè sibi assummunt gradum sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis* Ergo requiritur Absolutio, cum de eà fiat mentio à Clemente VIII. de mente Pauli IV. & Sixti V. Ratio est, quia catolicam Religionem, quò ad veritatem Sacramentorum impugnant non Sacerdotes se ingerentes in administratione Sacramentorum; qui autem non absoluit nullum administrat Sacramentum, nec administrare intendit, ergo non absoluens non afficitur pœnà Mortis.

22 Confirmatur, quia Confessio non est sacramentalis, nisi sequatur Absolutio, vt hæc Confessio distinguatur ab eà, quæ ob ruborem fit publicè, vel cum laico, qui non absoluunt; Confessio enim pœnitentialis, seu sacramentalis requirit idoneum Ministrum, *Brancatus de Pœnit. disp.* 10. *art.* 1. *num.* 6.

23 Respondetur tamen allata verba, tam ex Bullà Gregorianà, quàm Clementinà nihil probare, quia sunt in parte narratiuà referentia quod acciderat, quæ cum non repetantur in dispositiuà, in quà solùm fit mentio de Confessione sacramentali, & nihil dicitur de
24 sacramentali Absolutione, vt patet legenti eas; ideo eius Auctores nihil probant; Argumento eorum, quæ dicunt Doctores, quod narratiua non probat, *Ciriacus lib.* 2. *controu.* 244. *num.* 59. *Ciarlin. cap.* 108. *num.* 10. Vnde magis attendenda sunt verba dispositiua, quàm posita in narratiuà *Rota part.* 3. *dec.* 702. *num.* 5. quia enunciatiua non disponunt, *ibidem decis.* 231. *num.* 2. quæ enim supponuntur, non disponunt *Rota part.* 4. *tom.* 3. *decis.* 632. *num.* 7.

Cum ergo dispositio limitata, vt in casu nostro, sit clara, & manifesta, nullà factà mentione de Absolutione, limitatum debet producere effectum *arg. l. Cum seruo* 63 *ff.* 25
de contrab. empt. l. Exportandus 2. *ff. de seruis export.* Sequitur ad incurrendam pœnam mortis sufficere audire Confessionem sine Absolutione. Demùm Pauli IV. Decretum nullum verbum facit de Absolutione, sed solum dicit *Qui audierunt Confessiones*, vt rescripsi illud supra sub num. 9. Immo ea verba in terminis prædictis non reperiuntur in Bulla Clem. VIII. cuius verba sunt hæc; *Et Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt*. Non solùm qui absoluit dicitur ministrare, sed etiam qui audit peccata, vterque ergo actus, etiam diuisim; arguit ministrationem, sicut dicitur celebrans non solùm, qui absoluit Missam, sed etiam qui eam incipit.

Ex quo respondetur ad rationem; non solùm absoluentem nuncupari ministrantem, 26
sed etiam qui audit peccata, vt patet in vero Confessario, qui auditis omnibus peccatis inuenit pœnitentem habere casum reseruatum, à quo absoluere non potest, & tamen ministrauit illi Sacramentum secundum Confessionem, quæ sine dubio fuit pars sacramentalis, & essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, *Medina in cod. de Pœnit. tract.* 3. *q.* 7. *vers. Nec obstat*.

Ad confirmationem dico, talem quidem 27
confessionem non esse sacramentalem, quia nec sic confitens, nec audiens peccata intendunt confessionem Sacramenti, sed inde elicere dolorem ex erubescentià. Deinde Summi Pontifices benè, & rectè supponunt confessionem factam non Sacerdoti habito pro Sacerdote esse sacramentalem, quia pœnitens vt talis accessit putans illum esse verum Confessarium.

Quæritur 8. An non Sacerdos audiens Coonfessiones, se debeat exterius gerere sicut verus Confessarius, e. g. sedendo in Confessionali, vel in alio loco Ecclesiæ decenti, & similiter pœnitens confiteri genuflexus, vt faciunt alij pœnitentes, vt possit probari violator harum Bullarum, & Reus pœnæ Mortis?

℞. Quouis modo audiat Confessiones siue 28
sedendo, siue stando, siue ambulando, in quouis loco, violator est harum Bullarum, quia Confessio adhuc sacramentalis dicitur, cum non dependeat eius qualitas sacri à sedendo, neque à genuflexione pœnitentis, aliàs Confessio infirmi non esset sacramentalis.

Quæritur 9 An sit Reus huius pœnæ non Sacerdos qui audiuit solùm peccata aliàs ritè remissa?

℞. Affirmatiuè, quia talis pœnitentis 29
Confessio reuerà fuit sacramentalis, ergo Reus est huius pœnæ. Confirmatur, quia non minus est sacramentalis Confessio peccatorum

catorum aliàs ritè remissorum, quàm Confessio nondum remissorum, cum ergo par qualitas in vtroque casu inspiciatur, non est maior ratio, cur in vno casu puniatur Morte, & non in altero.

Quæritur 10. An audiens solùm *Confiteor*, nullis peccatis auditis sit Reus pœnæ Mortis?

30 ℞. Non est Reus Mortis, quia talis Confessio non est sacramentalis, cum sine ea multi pænitentes incipiant à peccatis; est enim Confessio, spiritualis accusatio suorum peccatorum in specie. Confirmatur, quia huius Sacramenti administratio incipit à cõfessione peccatorum in particulari. Ita Salelles *Reg.* 126. *n.* 19. *& p.* 3. *Reg.* 394. *num.* 390. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 11. *in fine*, *ex Sousa in Aphor. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. *& de solicit. tract.* 1. *cap.* 9. Puniendus tamen est ab Inquisitore, non tamen tenetur abiurare, subiungit Salelles eo num. 390. Sed meo iu-
31 dicio debet abiurare de vehementi, quia se reddidit vehementer suspectum illà auditione Confessionis generalis, hoc enim auditionis facto impugnauit Fidei articulum, quo nemini licet audire Confessionem pœnitentialem, nisi verò Sacerdoti.

Quæritur 11. An vnicum tantùm mortale, vel solùm veniale audiens sit Reus huius pœnæ?

32 ℞. Affirmatiuè, quia vnicum Confessioni à pœnitente expositum inducit Confessionem sacramentalem, ad quam sequi potest absolutio, ergo cum in hoc casu verificetur dispositio Bullarum, verificabitur quoq; reatus pœnæ in illis expressus. Confirmatur quia in Bullis fit mentio de sacramentali Confessione, non expressis vno vel pluribus Peccatis sed Confessio fit sacramentalis expressione vnius solius peccati, quodcunq; illud sit, veniale quoq; cum sit obiectum & materia sufficiens Confessionis. Ita *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 11. *in fine ex Freita, & Sousa.*

Quæritur 12. An ex vnicà tantùm confessione incurratur pœna Mortis?

33 ℞. Affirmatiuè, vt colligitur ex Bullis Clementis, & Vrbani, qui singulariter loquuntur sic *Sacramentalem confessionem*. Nec obstat, quòd Paulus IV. in suo Decreto, & Gregorius loquantur in plurali *Confessiones audiunt* quia sermo est de non Sacerdotibus in plurali, præterquam quòd in locutione plurali continetur etiam vnicus actus, vnde
34 Scotus *in* 1. *dist.* 2. *q.* 7. *Vers. Dico tunc* dicit, quòd pluralitas resoluitur in vnitatem, *& Glos. V. Et perpetuò cap.* 2. *de rescr. Iuribus allegatis*, ait, pluralitatem quandoq; resolui in singularitatem. Nec obstat, quòd pluralitas non possit resolui in singularitatem, quia id verũ est, quando militat diuersa ratio, non
35 autem cum eadem ratio reperitur tam in singulari, quàm in plurali. *Curt. Iunior cons.* 128 *num.* 7. *Decius cons.* 362. *num.* 2. *Lauor. tit.* 4. *de elect. cap.* 19. *num.* 79. In casu autem nostro militat eadem ratio, scilicet conculcandi doctrinam Catolicam de Fide certam, quòd solus Sacerdos est minister huius Sacramenti Pænitentiæ, quod non Sacerdos impugnat suo facto tam vnà auditione, quàm pluribus audiens Confessiones. Ita *Freitas, & Sousa citati à Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 11. *in fine.*

Quæritur 13. An ioco non Sacerdos audiens Confessionem sit Reus Mortis?

℞. Affirmatiuè, quia approbat Luteranam Hæresim, quòd liceat omnibus indifferenter audire Confessiones, ac proinde licere illà ioco abuti, quod prohibetur Canon. 9. sess. 14. sub Anathemate etiam Sacerdotibus, ijs, qui asserunt, Sacerdotem non seriò; sed ioco absoluere, ac proinde non Sacerdos ioco absoluens censetur approbare, hanc Hæresim, & sic sit vehementer suspectus de Hæresi respectu vtriusque; consequenter meretur pœnam Mortis violando Bullas Summorum Pontificum. *Salelles par.* 3. *Reg.* 394. *num.* 399. *sequendo Carenam par.* 2. *tit.* 17. *num.* 9. *Vers. eodem modo*, vbi non assignat pœnam Mortis, sed tantùm dicit, quod debent puniri ab Inquisitoribus, nullà contra illos expressà pœnà. Qui *tit.* 11. *num.* 35 *ex Castropal. tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 16. *§.* 9. *num.* 2. dicit, quemdam Iuuenem simplicem fuisse per annum reclusum in Monasterium, quia se finxerat Sacerdotem confessionem alterius excipientem, vt postea posset illum irridere. Subdens, in hoc Mortis pœnam non habuisse locum, ratione ætatis, simplicitatis, & quia non seriò, sed irrisionis gratià alterius confessionem audierat. 36

Hoc mihi non placet persistendo in ioco, quia iocus non solùm refertur in personam, sed eo magis in Sacramentum, quo abutitur tamquam medio ad illudendum proximo, & sic maior est irreuerentia illata Sacramento, quàm irrisio facta confitenti, cui ignoranti conditionem ficti Confessarij sine dubio nocuit; fuit ergo irrisio præiudicialis, & non iocosa prohibita in Bulla Clementis his verbis: *Confessiones autem audientes, non solùm sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere; verùm etiam Christifideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.* Patet ergo etiam ex ioco decipi proximum, & sequi scandalum, & periculum animæ eius, qui putat se absolutum, & non est. Quare siue ioco, siue seriò absoluat, putans sibi id licere, violat Bullas, dum in neutro prodest pænitenti, sed illi semper nocet.

Quæritur 14. An humilitatis causà se inuicem confitentes non Sacerdotes sint Rei harum Bullarum?

℞. Ne-

37 ℞. Negatiuè, quia talis confessio non est sacramentalis, nec pro sacramentali fit à pœnitente, nec pro tali ab audiente recipitur, sed solùm fit ex humilitate, & ad erubescentiam propriorum peccatorum, ergo in his locum habere non possunt præfatæ Bullæ, quæ agunt contra nefarios homines non Sacerdotes iniquè, temerariè, & præsumptuosè audentes Confessiones sacramentales audire; qualiter non se gerunt confitentes alter ad alterum humilitatis causâ, sine vllà absolutione; cum enim is sit actus virtutis non potest arguere impugnationem catolicæ Fidei in Sacramento Penitentiæ, quod nullo modo exercetur in hoc casu. Salelles Reg. 126.num.23.exemplificat in eis, qui tempore naufragij in mari sibi inuicem confitentur, defectu Sacerdotis.

Quæritur 15. An quando conueniunt simul in confessione fictus pœnitens, & non Sacerdos audiens illum ioco, & mutua irrisione in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, ambo sint violatores harum Bullarum, & Rei pœnæ Mortis?

38 Respondetur, solus non Sacerdos est violator, & Reus pœnæ, quia de eo solo fit mentio in bullis, nequaquam de ficto pænitente. Et facit can.9. sess. 14. ibi *Aut sacerdos non seriò sed ioco absoluat* qui hoc dicit anathema sit. Ergo & non Sacerdos siue seriò, siue ioco absoluat, facit iniuriam Sacramento, & se suspectum reddit de Hæresi, quòd hoc Sacramentum nihil operetur. Respectu verò pænitentis iocantis Bullæ nihil disponunt, cum in eis sermo sit de verè pænitentibus, qui credunt, audientes esse veros Sacerdotes, & non fictos. Nihilominus & isti puniendi sunt à Iudicibus S.Inquisitionis, quia suspecti sunt vehementer de Fide, dum abutuntur per *irrisionem* Sacramento quasi quodam deliramento, & re inutili ad salutem.

Quæritur 16. An sit Reus alicuius censuræ, vel irregularitatis fictus Sacerdos audiens Confessiones, licet non absoluat?

39 ℞. Solùm est irregularis *ex cap. 1. & 2. de cler. non ordin. ministrante* Qui enim audit Confessiones, licet non absoluat, dicitur ministrare, vt probaui sub. q. 7. De hac irregularitate dixi præced. sect. num. 21. Ita *Carena par.2.tit.11.fine*, multos citat *Barb. ad dictum cap. 1. num. 7.*

Obstat Diana par.4.tract.2.irregul. resol. 56. cum alijs, quia in dicto cap. 1. non fit mentio de exercitio actus cuiuslibet sacramenti, sed tantùm Baptismi, ibi enim sic scribitur. *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum Officium exercuerit non ordinatus &c.* Confirmatur, quia Baptismus ibi contradistinguitur à diuinis Officijs, ergo sub his non compræhenduntur actus cuiuslibet ordinis Sacri, seu aliorum Sacramentorum.

Sed reuerà nomine *diuini Officij* propriè hìc venit exercitium cuiuslibet ordinis sacri seu Sacramenti nam id specificatur à titulo, & Rubrica huius tenoris, *De clerico non ordinato ministrante*, ab eà enim Lex interpretationem accipit, *l.Imperator ff. de in diem addict.Megal.cons. 33. num. 2.* In titulo autem fit mentio de ministrante non ordinato, 40
ergo de ministratione, quæ solet fieri ab ordinatis, consistente in exercitio Ordinum, officium enim ordinatorum in omnium sententià est exercere actus conuenientes ipsis ordinatis; ac proinde ad rem nostram sacerdos, vel non sacerdos audiens confessiones dicitur exercere diuinum officium; idest actum ordinis Sacerdotalis in Sacramento Pænitentiæ, qui sine dubio est diuinum officium, cum dependeat ab ordine Sacerdotali quod maximè diuinum est.

Ad confirmationem dico, Baptismum non contradistingui à diuinis Officijs, Sed ibi exprimi Baptismum in exemplum, & alia Sacramenta implicitè comprænhendi sub sequentibus verbis: *Aut aliquod diuinum Officium*, alterius scilicet sacramenti; exercitium 41
enim Sacramentorum est magis Diuinum Officium, quam recitatio Horarum Canonicarum, quæ dicuntur Diuinum officium, cap.13.dist. 12. quia pendet à Sacramento, cuius auctor est solus Deus, Horarum verò Canonicarum auctor est Ecclesia. Demum omnibus notum est exercitia ordinatorum appellari Officia eorum, vnde textus cap. omnis 12. de Pænit. loquens de Sacerdote ministrante Pænitentiæ Sacramentum vocat eius ministerium officium sacerdotale, ergo nomine *Officij diuini* venit actus cuiuslibet Sacramenti.

Quæritur 17. An fictus Sacerdos audiens confessiones dicatur falsarius, & subijciatur pœnis illorum?

℞. Vtique, vt dixi præced. sect. num. 42
26.

Quæritur 18. An in aliquo casu excusetur à pœna Mortis?

℞. Excusatur in duobus casibus iuxta dicta præced.sect.q. 13. num. 24. 43

Quæritur 19. Quomodo probetur auditio Confessionis contra non ordinatum, qui Sacramentum hoc ministrauit?

℞. Si Reus confitetur suum delictum, super quo fuit denuntiatus, non est opus aliâ 44
probatione, cum nulla verior, & concludentior inueniatur, quam confessio proprij oris facta contra se, *l.Generaliter 13.C.de non numer.pecun.cap.per tuas 10 de probat.Caphalus cons.192.num.8.vol.2. Mar. Anton. lib.1. resol.95.num. 4.* Tanis enim confessio superat 45
omne genus probationis *Surd. dec. 326. num. 28. Honded.cons.15 num. 22.* Et à Christo au- 46
thenticata fuit hæc probatio cum dixit Math. 19. 22. *De ore tuo te iudico Serue nequam.* 47
Si

Si autem auditione confessionis concessâ, affirmet se Sacerdotem esse, id probare debet, si pœnam Mortis vult effugere; ei enim in-
48 cumbit probatio vt affirmanti, *cap. Quoniam 11. de Probat. cap. Bona memoria 23 de elect. ibi Glos. V. Per rerum naturam*. Quod si non probat, ipso iure negatiua Sacerdotij censetur probata, quia quilibet nascitur laicus, & nullus præsumitur clericus, multò minus
49 Sacerdos, B*ald. in cap. fin. de præsumpt. num. 4. Ripa in cap. 2. de iudic. num. 4. Crauetta cons. 72 num. 2. Notarius cum alijs de elect. Fori par. 2. q. 53. num. 4.*

50 Delictum autem probandum est per Testes, hoc est, vel per ipsos, qui confessi sunt sua peccata coram ficto Sacerdote eorum enim depositio legitima est, quia cum illo non sunt complices in delicto, dum credunt confiteri peccata sua legitimo Sacerdoti dum vident indutum vestibus clericalibus, & se gerere in officio, vt faciunt alij Sacerdotes. Secus est, si ambo sint ficti, pænitens, & Confessarius, iuxta quòd dixi sub q. 15. quia in tali casu pœnitens dicitur complex in delicto, & sic patitur hanc exceptionem.

Quoniam autem probatio huius delicti est difficilis, cum peccata secretò dicantur Confessario; nihilominus tunc probatio est ple-
51 na, & concludens, quando duo pœnitentes ad minus dicunt se sua peccata fuisse illi confessos, & à Confessario tractatos fuisse, sicut solent veri Sacerdotes agere cum suis pœnitentibus, siue vnus pœnitens alteri successerit siue altero die confessus fuerit, quia concordant in substantia facti, quod Iudex ex officio suo quærit ad extirpationem Hæresis, iuxta dicta præced. cap. à num. 35.

Idem dicendum est de duorum depositio-
52 ne, quorum vnus confessus fuit, & alter deponit de genuflexione eius coram eodem in eisdem loco, & tempore, concordant enim in substantiâ rei de Confessione factâ, non obstante, quòd alter non audierit pœnitentem sua peccata narrantem, quia ex genuflexione coram illo in loco decenti in Ecclesiâ in Confessionali, vel extra, aut in Sacristiâ, vel in domo infirmi indubitanter probatur pœnitenti administratum fuisse Sacramentum, nemo enim genuflectitur coram Sacerdote, nisi vt illi confiteatur. Dixi cap. 22. q. 10. Vers. secundum, & q. 12. vbi in fine dixi. Eum, qui non consecrauit, aut non absoluit, pœnitentiâ ductu tam grauissimi criminis; extraordinarie esse puniendum. Nunc autem reuoco, quod ibi dixi, quia vt Reus quis sit Morte, sufficit probare celebrationem Missæ, & auditionem Confessionis, ex q. 7. hic, & de celebratione missæ præcedenti sect. num. 14.

53 Quid si exhibeat litteras testimoniales de facultate audiendi confessiones?

Hoc non sufficit, quia potissimùm probandum est Sacerdotium receptum ab Episcopo; litteræ enim dantur solis Sacerdotibus & non alijs, quia Iurisdictio siue ordinaria, siue delegata ad audiendas Confessiones supponit potestatem Ordinis, quæ in ordina- 54
tione Presbiteri datur à Deo ministerio Episcopi ordinantis. Sufficit ergo probare Sacerdotium, quia Bullæ loquuntur de non Sacerdote celebrante, vel audiente Confessiones.

SECTIO XXIV.
De Vsu, vel non Vsu peccaminoso in Pœnitentiâ.

SVMMARIVM.

1 *Vsus Sacramenti peccaminosus non semper est abusus, sed solùm, quando applicatur extraneo effectui.*

2 *Negans pœnitentiam esse Sacramentum, à Christo institutum, conferre gratiam, & remittere peccata, est Hæreticus respectu singulorum diuisim.*

3 *Sacerdos ministrans hoc Sacramentum sine Iurisdictione non est suspectus de Hæresi.*

4 *Absoluens absentem à peccatis non est suspectus de Hæresi.*

5 *Nec laicus absoluens ab excommunicatione moribundum.*

6 *Cui tamen nihil prodest ea absolutio.*

7 *Actus, qui est sub opinione, non potest inferre Suspicionem Hæresis.*

8 *Sigillum confessionis frangens non est suspectus Hæresis.*

9 *Priuatur officio Confessionis.*

10 *Non confitens admonitus est suspectus de Hæresi.*

11 *Non satisfacit præcepto confessionis, qui voluntarie nullam fecit Confessionem.*

12 *Opinio damnata exuitur omni probabilitate, & opposita fit Scientia.*

13 *Ecclesia præcipit Confessionem, quam Christus instituit, assignando tempus.*

14 *Suspicio contra non confessum est vehemens.*

1 VSus, & abusus quamuis ambo cõueniāt in actu illicito, & peccaminoso, nihilominus differunt in eo, quòd ex vsu licito, vel illicito non sequitur effectus extraneus, esto quandoque non sequatur effectus, ad quem Sacramentum fuit ordinatum. Abusus verò importat Sacramentum non ordinari ad effectum, ad quem fuit institutum, in ordine scilicet ad salutem animæ, quod contingit, quando quis Sacramento vtitur ad Sortilegium faciendum, iuxta; quod dixi sect. 20 sub initium, & dicam infra, cùm de Solicitatione in Confessione sacramentali, & Sortilegijs egero. Hic autem agendum est solùm de illicito vsu Sacramenti Pœnitentiæ tam ex parte dantis, quàm recipientis, & non vsu, seu omissione vsus eiusdem in ordine ad materiam Hæresis, vel eiusdem Suspicionis.

Quæritur 1. An negans existentiam Sacramenti Pœnitentiæ, vel ipsius auctorem esse Christum; vel conferre gratiam, aut remittere peccata, sit Hæreticus?

2 ℞. Negans vnum ex prædictis est Hæreticus formalis. Nam *Primum*, quòd sit Sacramentum definitur can. 1. sess. 7. vbi inter septem hoc numeratur, & can. 1. sess. 14. appellatur propriè Sacramentum pro fidelibus post Baptismum peccantibus. *Secundum*, quòd Deum habeat auctorem, habetur ex eodem can. 1. sess. 7. *Tertium*, quòd conferat gratiam, docet eadem S. Synodus can. 6. eiusdem sess. 7. si non ponat obicem recipiens. *Quartum* de remissione peccatorum, sess. 14. can. 3. & sequentibus. De his nemo sanæ mentis dubitat. Hæc autem negans est formaliter Hæreticus, quia expressè, & directè Fidem in his negat. Quare pœnis Hæreticorum subijcitur.

Quæritur 2. An Sacerdos carens Iurisdictione ordinariâ, quia non est Parochus, nec eam habens delegatam à Superiore, si ministret Sacramentum Pœnitentiæ sit suspectus de Hæresi?

3 ℞. Negatiuè, quia per talem actum nullum Fidei articulum impugnat, nullibi enim talis actus præscribitur inferre suspicionem Hæresis, simpliciter enim opponitur præcepto Ecclesiæ, quæ omnibus Sacerdotibus, præter potestatem Ordinis adiunxit Iurisdictionem, sine quâ non conficitur Sacramentum hoc, vt dixi initio præcedentis Sectionis.

Confirmatur, quia *Rodriq. tom. 2. q. 28. art. 2. fine, cum alijs Carena part. 2. tit. 11. num. 15.* dicunt Bullas Gregorij, Clementis, & Vrbani, de quibus præcedenti sect. sub initium non afficere Sacerdotes audientes Confessiones sine Iurisdictione, quia loquuntur de non Sacerdotibus vsurpantibus sibi hoc ministerium, ergo nec talis actus arguit suspicionem Hæresis. Nihilominus puniendus est à suo Superiore, à quo debebat petere licentiam. In articulo autem Mortis omnes Sacerdotes eam Iurisdictionem habent, si desunt Confessarij, sicut etiam in naufragio, & alio imminenti periculo, in quo non est copia recurrendi ad Confessarium. Et in hoc omnes conueniunt.

Quæritur 3. An absoluens per literas absentem pœnitentem sit suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia Clemens VIII. in sua Bullâ 87. incip. *Sanctissimus* nihil dicit de Hæresi, nec de eius suspicione, nec subijcit Inquisitoribus Confessarios audientes per literas peccata, & ab eis absoluentes pœnitentes absentes, sed solùm hanc propositionem. *Licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Ad minus falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, & prohibuit.* Præcipiendo ne doceatur, defendatur, imprimatur, nec ad praxim deducatur, sub pœna Excommunicationis soli Papæ reseruatæ, & alijs pœnis arbitrio Sanctitatis suæ. Vide com. Scoti in 4. dist. 17. num. 138. vbi explicat Decretum Clementis. 4

Quæritur 4. An laicus in articulo Mortis absoluens ab Excommunicatione fiat suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia per talem actum nullum Fidei articulum, aut propositionem de Fide impugnat, ergo non fit suspectus per talem Absolutionem. 5

Confirmatur, quia talis actus an sit licitus, necne, cadit sub opinione, nonnullis affirmantibus, alijs negantibus, ergo non potest inducere Suspicionem, cum ex opinionibus non oriatur suspicio Hæresis. Idem dixi cap. 22. num. 44. & 45. vbi reieci opinionem affirmatiuam, cum ea Absolutio data à laico nihil prodesse possit moribundo, dum post mortem egeat Absolutione per habentem potestatem, neque enim ea laicalis Absolutio dat illi Ius ad sepulturam. *Diana part. 5. tract. 9. resol. 7.* refert vtramque opinionem, & videtur stare cum affirmatiuâ, quòd laicus possit absoluere moribundum ab Excommunicatione. 6 7

Quæritur 5. An frangens sigillum Confessionis sit suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia Confessarius reuelans peccata in Confessione audita non impugnat Fidem facto, nec verbo, per quod possit reddi suspectus de Hæresi, sed solùm magnam facit irreuerentiam Sacramento, & iniuriam pœnitenti, in sententiâ omnium. Quòd non sit suspectus docent *ex Molfesio Diana part. 4. tract. 8. resol. 95.* Vbi quòd priuandus est officio, & detrudendus in Monasterium *ex cap. Omnis 12. de Pœnit. Carena part. 2. tit. 17. num. 91. Ego ex illis cap. 22. num. 47.* 8 9

Quæritur 6. An omittens Confessionem ante

ante Communionem sacram celebrans, aut aliter extra celebrationem nondum Sacerdos, seu qui per multos annos non est confessus, sit de Hæresi suspectus?

10 ℞. Si pluribus annis omisit confiteri, quinquennio v. g. est suspectus de Hæresi, si admonitus non vult se disponere; ex hac enim inobedientiâ sumitur non leue argumentum ipsum non credere in hoc Sacramento. Quare puniri poterit ab Inquisitore ob alias rationes adductas præced. sect. 21. q. 7. num. 14. Ita, præter citatos ibi, *docent Pegnapar. 3. com.* 24 *Zerola in praxi Episc. part.* 1. *V. Casus*, *Vers.* Confessionem, *Menoch. lib.* 5. *Præsumpt.* 6. *num.* 27. *Beia part.* 4. *casu* 4. *apud* Barb. *ad cap.* 12. *de* Pœnit. *num.* 11.

11 Alexander VII. damnauit hanc propositionem, quæ est 14. *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Olim extabant opiniones oppositæ, quas refert ambas probabiles *Diana part.* 3. *tract.*

12 4. *resol.* 120. Nunc per dictam censuram affirmatiua denudata fuit suâ probabilitate, & negatiua facta est scientifica, ex quo non est amplius opinio habens radicalem formidinem, destructis omnibus eius, quæ illam constituebant.

Probatur autem dicta affirmatiua de se falsa, quia vt dicit Brancatus *de Pœnit. disp.* 24. *num.* 92. *ex* Scoto *in* 4. *dist* 17. *q. Vn.* confessio, quam præcipit Ecclesia est eiusdem ra-

13 tionis cum confessione, quam præcipit Christus, & solum tempus limitauit; Christus, autem præcepit validam Confessionem, ergo & Ecclesia hanc præcipit.

14 Huiusmodi autem Suspicio videtur vehemens in eo, qui per quinquennium non fuit confessus, quia talis negligentia diuturna, & inobedientia adiuncta Iudicem persuadent ad credendum, ipsum contemnere hoc Sacramentum, & in eo non credere, sed esse inutile.

SECTIO XXV.

De Solicitatione in Confessione Sacramentali.

SVMMARIVM.

1 *Solicitatio sumitur in bonam, & malam partem, hic secundo modo.*

2 *De qua* Pius *IV. & Gregorius XV.*

3 *Solicitatio definitur ex* Bullâ *Gregorianâ.*

4 *Sacerdotes etiam carentes approbatione, si solicitant in Confessione sunt Rei huius Bullæ.*

5 *Contrarium solos scilicet Sacerdotes actu Confessarios solicitare.*

6 *Laici, & Clerici etiam Diaconi solicitantes non sunt Rei huius Gregorianæ.*

7 *Solicitans etiam masculos subditur huic tantum Bullæ.*

8 *Contra nonnullos putantes comprehendi in aliis Bullis antecessorum.*

9 *Nomen* Personæ *indicat vtrunq; sexum.*

10 *Declaratio nihil ponit de nouo, sed dubium demonstrat.*

11 *Fit autem super re dubiâ, non clarâ.*

12 *Solicitare pro alio, & facere Lenonem prohibetur.*

13 *Solicitare sufficit, vel pro se, vel pro alio tantùm.*

14 *In alternatiuis sufficit adimpletio vnius.*

15 *Attentatio sufficit in Solicitatione.*

16 *Et si pœnitens consensit, non tenetur hoc exprimere in denuntiatione.*

17 *Solicitare dicitur faciens Lenonem pro alio.*

18 Quomodolibet *quid importet?*

19 *Mandans, vel rogans Confessarium, vt pro se solicitet. non est Reus Bullæ.*

20 *Mandans non subijcitur pœnis facientis, nisi ille exprimatur.*

21 *Qui mandat, verè facit. Qui est causa causæ &c.*

22 *Idest est Reus eius peccati, quod alter facit.*

23 *Et sic explicantur illa verba* Is uerè committit *cap.* 6. *de senten. Excom.*

24 *Mandans nihilominus fit de Foro sacri Tribunalis.*

25 *Mandans ratione contractus fit de Foro mandatarij.*

26 *Lenocinium etiam in Bullis alijs prohibetur cum sit species Solicitationis.*
27 *Habet locum siue fiat immediatè ante, siue in, siue post.*
28 *Tempora tria notantur pro solicitatione.*
29 *Immediatè, incontinenti, seu statim factum, idem sunt.*
30 *Factum die interposito non dicitur immediatè factum.*
31 *Primum tempus incipit à petitione Confessionis vsq; ad expressionem primi peccati exclusam.*
32 *Solicitans in Ecclesià ante petitam confessionem non est Reus Bullæ.*
33 *Solicitans personam, quæ petijt confessionem non hodie, sed cras faciendam est Reus Bullæ, ex prætextu, & occasione, non ex primo tempore.*
34 *In actu confessionis solicitans Reus est.*
35 *Solicitans immediatè post confessionem, vel absolutionem.*
36 *Occasio est oportunitas, ex qua casu euenit effectus, causa est remotissima, dicitur pars temporis oportuni.*
37 *Prætextus species, color, causa falsa, velamen ad obtinendum malitiosè.*
38 *Solicitans, ex occasione peccati carnalis auditi in confessione, eodem die est Reus Bullæ.*
39 *Interrogans si velit confiteri, & statim solicitet, licet non sequatur confessio, est Reus Bullæ.*
40 *Locus quicunq; aptus ad confessionem, non solùm confessionarium ad nihil aliud seruiens.*
41 *Confessionale aliud ordinarium ad nihil aliud seruiens, & extraordinarium.*
42 *Simulatio est fictio vnius rei pro alià.*
43 *Simulatio confessionis actu exercenda est.*
44 *Simulatio alia intentionis, alia operis, vtraque simul esse debet.*
45 *De mutuà simulatione Bulla non disponit.*
46 *Simulatio potest esse mutua inter Confessarium, & pœnitentem.*
47 *Est enim simultas actuum inter duos.*
48 *Solicitatio habet locum in vtroq; Confessionario.*
49 Ibidem *est relatiuum ad loca præcedentia.*
50 *In Confessionali prohibentur actus inhonesti etiam sine ordine ad confessionem.*
51 *Actus simulantes Confessionem sunt necessarij, in Confessario, & Pœnitente.*
52 *Simulatio importat vnum verum, alterum fictum.*
53 *Sermones, & tractatus inhonesti prohibentur.*
54 *Solicitatio verbis, & factis sine verbis contingit.*
55 *Hispani cur non receperint Gregorianam?*
56 *Gregoriana constituit Ius nouum in sequentibus.*
57 *In masculis solicitatis.*
58 *Solicitationem etiam ante, & post confessionem sex casibus.*
59 *Per vniuersum orbem extenditur.*
60 Per te *restringit dispositionem.*
61 *Non solùm Inquisitores, sed etiam Episcopi procedunt contra Solicitatores.*
62 *Denuntiandos ex solà Bullà Gregorij, non aliorum.*
63 *Specificantur Pœnæ in solà Gregoriana.*
64 *Gregoriana est odiosa.*
65 *Octo casus solicitationis verbalis, vsq; ad 79. inclusiuè.*
80 *Delicta præter Hæresim formalem præscribuntur.*
81 *Puella ignorans vim verborum solicitationis non tenetur denuntiare.*

82 Ho-

129 *Ex-*

129 *Excommunicatio maior non incuritur, nisi propter mortale.*
130 *Delictum veniale non arguit suspicionem Hæresis.*
131 *Leuis Suspicio dicitur per ordinem ad vehementem, non ad paruitatem.*
132 *Solicitans est vehementer suspectus de Hæresi.*
233 *Argumentum à contrario sensu est validissimum.*
134 *Hispani docent solicitantem esse suspectum solùm de leui.*
135 *Respondetur eorum argumentis.*
136 Simulata *confessio cum solicitatione inducit vehementem suspicionem.*
137 *Determinatio æquè determinat omnia sub se contenta, si adest eadem ratio.*
138 *Sodomia nullam Hæresis suspicionem infert.*
139 *Responsum* Clementis *est apocritum.*
140 *Responsum Cardinalis Aragona videtur apocrifum.*
141 Solicitans *ad alia delicta est vehementer suspectus.*
142 Lenocinium *inducit vehementem Suspicionem.*
143 *Solicitatus Confessarius à fœminà est cum eà suspectus vehementer.*
144 *Confessarius solicitans est denuntiandus à solicitatà.*
145 *Dubia septem proponuntur pro denuntiatione solicitantium.*
146 *Sub mortali denuntiandus est solicitans.*
147 Mandare *importat præceptum.*
148 *Absolutio dari potest ante denuntiationem.*
149 *Si dicat se velle obedire, aliter non.*
150 *Solicitata siue masculus, siue fœmina debent denuntiare.*
151 *Participium compræhendit vtrunque sexum.*
152 *Denuntiare sufficit Episcopo, vel Inquisitori.*
153 *Confessarius negligens monere pænitentem ad denuntiandum punitur ab vtroque.*
154 *Denuntiandi obligatio oritur ex Gregorianà.*
155 *Occultus non diffamatus in populo adhuc denuntiatur.*
156 *Illud verbum* Diffamatos *refertur ad Iudices, & importat denuntiationem.*
157 *Semel solicitatus denuntiat.*
158 *Consensus non denuntiatur, sed sola solicitatio.*
159 *A casu ad casum non extenditur lex odiosa.*
160 *Turpitudinem suam nemo tenetur manifestare.*
161 *Solicitata tenetur denuntiare Confessarium ab alio denuntiatum.*
162 *Nisi denuntiatio præcedens fuerit adæquata.*
163 *Dubia verba non obligant ad denuntiandum.*
164 *Denuntiatio non habet locum, vbi materia est solùm leuis.*
165 *Benefactor magnus adhuc denuntiandus.*
166 *Audiens tenetur denuntiare.*
167 *Denuntiare debet habens sub secreto solicitationem.*
168 *Confessarius solicitatus non denuntiat fœminam solicitantem.*
169 *Non ipse ab eà, licet consenserit.*
170 *Denuntiatio non habet locum in mutuà solicitatione vtrobique.*
171 *Quidam probat contrarium.*
172 *Mutua solicitatio non est subiecta denuntiationi mutuæ.*
173 *Solicitatio ad alia crimina inducit debitum denuntiandi.*
174 *Mandans venerea in Confessione est denuntiandus.*
175 *Emendatus adhuc denuntiatur.*
176 *Damnum graue excusat à denuntiatione.*
177 *Bulla:* Si de protegendis, *non impedit efficaciter voluntatem,* ne

222 *Offi-*

Solicitatio, quæ est cura, & mentis inquietudo, accipi potest in bonam, & malam partem; in malam quidem cum versatur circa obiectum malum, ad quod facit illud, quod legitur l. 2. §. Interdum ff. de vulgar. & pupill. substit. *Improbum esse Iulianus existimat eum, qui solicitus est de viui hæreditate*. Debet enim expectare eius Mortem sine solicitudine, non desiderando alteri mortem, vt eius capiat Hæreditatem. Vnde qui exardescunt amore venereorum dicuntur solicitatores, attentantes labefactare Mulierum pudicitiam, in quo sensu l. 1. ff. de extraneis crim. incipit sic: *Solicitatores alienarum nuptiarum*. 1

In bonam partem loquitur Paulus ad Corinth. Epist. 1. cap. 11. num. 28. his verbis: *Solicitudo omnium Ecclesiarum*, importans curam cum diligentiâ erga fideles sibi commissos. In hoc sensu hic agendum non est, sed in priori. Scilicet de Solicitatione venereâ in Confessione Sacramentali.

Super hac materiâ emanarunt duæ Bullæ Pontificiæ, vna Pij IV. incip. *Cum sicut nuper* 31. in qua datur Inquisitoribus in Regnis Hispaniarum facultas procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu Confessionis ad actus inhonestos prouocare, & allicere tentant. Quam Gregorius XV. confirmauit, & ampliauit in suâ Bullâ incip. *Vniuersi Dominici* 34. Vtranque extendi cap. 23. in sacro Tribunali, & sunt apud Dianam part. 4. fine, & apud Dal Bene tom. 2. in fine. Vt autem consueto ordine procedamus. 2

Quæritur 1. Quid sit Solicitatio in Confessione sacramentali?

℞. Solicitatio est prouocatio cuiuscunque personæ ad venerea facta à Sacerdote prætextu auditionis veræ, vel simulatæ, in actu Confessionis sacramentalis siue immediatè ante Confessionem, vel in actu Confessionis, siue post immediatè. In hoc conueniunt omnes, quia talis definitio colligitur ex Bulla Gregorij XV. cuius verba sunt hæc, quæ sequuntur. 3

Statuimus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes, tam seculares, quàm quorumuis ordinum &c. regulares, qui personas, quæcunque illæ sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs, quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa Confessione non secutâ, siue extra occasionem Confessionis in Confessario, aut in loco quocunque, vbi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis seuerissimè, vt infrà, puni-

puniantur. Quæ dispositio infra in suis quæsitis explicabitur, & per eam resoluetur quæstiones proponendæ.

Diuido præfatam Gregorij dispositionem in octo partes. *Sub primâ* agam de Sacerdotibus solicitantibus. *Sub Secundâ* de personis solicitatis. *Sub tertiâ* de Solicitatione interpositione tertij. *Sub quartâ* de tempore Solicitationis. *Sub quintâ* de solicitatione occasione, vel prætextu Confessionis. *Sub sextâ*, de simulatione, & loco Confessionis. *Sub septimâ* de actibus inhonestis. *Sub octauâ* de Iudicibus contra solicitatores.

Quæritur 2. Quinam solicitatores sint Rei Bullæ Gregorianæ quò ad primam partem?

4 ℞. Omnes Sacerdotes, nulli autem alij, siue laici, siue Clerici carentes Sacerdotio. Primum probatur verbis ipsius Bullæ tenoris sequentis: *Omnes, & singuli Sacerdotes, tam seculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutionum, Societatis, & Congregationum Regulares, cuiuscunque dignitatis, & præminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant*. Est communis, nullus contradicit, quia Papa clarè loquitur. Quare quicunque Sacerdos, siue secularis, siue regularis, siue Iesuita, siue Philippinus, siue Episcopus, vel Cardinalis, aut Confessarius Papæ, Imperatoris, aut Regum, siue Inquisitor, dicitur Reus huius Bullæ, si contra ipsam solicitauerit. Procedit siue habeat licentiam audiendi Confessiones, siue non; textus enim vtitur verbo *Sacerdos*,

5 non dicit *Confessarius*. Ratio est, quia non minus carens facultate iniuriam facit Sacramento, immo magis, quàm habens facultatem. Ita *ex Acugna de solicit. q. 4. num. 4. Diana par. 1. tract. 4. resol. 17. & par. 4. tract. 5. resol. 8.* Scobar q. 2. num. 11. eos citans cum alijs, qui contrarium tenet verius esse cum *Sousa de solicit. cap. 11. num. 9. & in Apbor. lib. 1. cap. 34. num. 16. Portellus V. Solicitare num.* 13. Ego hos secutus sum *cap. 23. num. 64. ad 68.* respondens argumentis aliorum præsertim *Trimarchi disp. 7. num. 24.*

Nunc autem eam reuoco ex adductis rationibus. Nam Pius IV. Clemens VIII. Paulus V. cum Gregorio præfato in suis dispositiuis Decretis vtuntur verbo Sacerdotij, non Confessarij, ideo de eorum mente dispositio, non solùm Sacerdotes facultatem habentes, sed etiam non habentes compræhendit.

6 Secundum, quòd carentes sacerdotio non compræhendantur, probatur, quia in Bullis nulla fit mentio de laicis, sed solùm de Sacerdotibus, quo nomine nullo modo veniunt laici, immo nec Clerici, etiam Diaconi, in odiosis, & pœnalibus ipsis subditis. Ita *Bonac. de Denunt. disp. 6. part. 3. num. 8. Portell. V. Solicitare num. 14. Peyr. cap. 11. num. 3. Castropal. p. 9. num. 5. Trimarch. disp. 7. num. 3. Sousa Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 13. Diana part. prima tract. 4. resol. 15. Ego cap. 23. num. 63.* Dicentes ex hoc capite non esse denuntiandum. Non effugit tamen denuntiationem eo, quòd administrauit Sacramentum Pœnitentiæ, iuxta dicta præced. sect. 23. non existens Sacerdos.

Quæritur 3. Quid importent sequentia verba sub parte 2. de personis solicitatis eius tenoris: *Qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta solicitare, aut prouocare tentauerint?*

℞. Nomine *Personas* veniunt non solùm Fœminæ, sed etiam Masculi, vt dicunt *Rota vol. 2. dec. 125. num. 36. alijs iuribus, & Doctoribus citatis Barb. Appellat.* 198 *num.* 12. Quod in [illegible] confirmatur per particulam *Quæcunque illa sint*, supple siue Masculi, siue Fœminæ, *ex Bursato lib. 1. cons. 32. num. 14. & 16.* super quâ dictione Rubeus *ad dec. 576. part. 4. tom. 3. num. 53.* suo dicit, eam dictionem esse tanti, & talis vigoris, vt tamquam effrenata nullo obice contineri possit, quòminus omnia compræhendat, etiam per improprijssimam significationem, & de illâ alia plura dicit; non ita tamen latè, subdit, interpretanda in odiosis; quod tamen nobis non obstat, quia nomen *Persona* est proprium vtrique sexui in sententiâ omnium, cum persona sit natura intellectualis negans sui communionem alteri, certum autem est, quod tam masculus, quàm fœmina sunt naturæ intellectuales. 7 8

Id verum est in terminis Gregorianæ. Ita *Portellus V. Solicitare num 5. cum alijs Carena par. 2. tit. 6 num 6. Dal Bene Dub. 237. sect. 2. num. 3. Paramus, Fagundez, ab eo citati & à Trimarcho*, qui disp. 5. num. 6. ait in Bullis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. comprahendi etiam solicitatores puerorum, & masculorum, alijs pro se citatis, quorum argumentis respondi cap. 23. num. 21. 9

Legi apud Castropal. disp. 9. part. 2. num. 3. ipsum tenere pro certo solicitatores masculorum comprahendi etiam in Bullis Pij VI. & Clementis, ob rationes adductas etiam à Trimarco, & impugnatas. Ad fauorem horum videtur vrgere illud verbum ex his *Statuimus, decernimus, & declaramus*, postremum, quod nihil de nouo inducit, sed quod latebat, manifestat, *l. Hæredes palam §. Si quid post ff. de testam* ergo Gregoriana per illud verbum *declaramus* non inducit nouam legem contra solicitantes masculos, cum id sub obscurè contineretur antea in præcedentibus Decretis. 10

Sed reuerâ tale *Declaramus* hoc non importat in Bullâ Gregorianâ, differt enim à præcedentibus, quia nouam dispositionem

in hoc, importat, siquidem cum declaratio secundum allegatam legem, semper fiat
11 propriè loquendo super dubio, *ex Castrensi lib.* 1. *conf.* 22. *num.* 4. & nullum sit dubium in dictis decretis, quia nullus sapiens vsque ad hæc tempora dixit sub voce *Mulieris* compræhendi etiam masculos, nec claré, nec sub obscurè, ideo illud verbum *declaramus* non potest declarare præfata Decreta, quæ quòd hoc nullam obscuritatem habent in voce *Mulieris*, quæ sub obscurè nullo modo compræhendit masculos.

Quæritur 4. Quid importent illa verba: *Ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda?* Quæ continentur in 3. parte Bullę?

12 ℞. Duo hic continentur contra Confessarium, primum, quòd illi prohibetur solicitare pœnitentem in Confessione; alterum solicitare pro alio, faciendo scilicet Lenonem pro amico mandante, vel rogante Confessarium, vt pœnitentem incitet ad peccandum cum amico. Itaque prohibetur Lenocinium in confessione sacramentali non exercendum à Confessario *Carena part.* 2. *tit.* 6. *num.* 25. explicat dicta verba, *& ego cap.* 23. *num.* 27. Super quæ proponuntur sequentia dubia.

13 *Primum*, An vnum ex dictis sufficiat, vt solicitator sit Reus huius Bullæ? *Secundum*, An necessarium sit ad violationem Bullæ, vt sequatur effectus Solicitationis, vel saltem consensus ad complacendum tertio, qui rogauit Confessarium ad solicitandum pro se? *Tertium*, an Confessarius sit Reus si persuadeat pœnitentem ad inducendam aliam personam non confitentem se, ad actus inhonestos? *Quartum*, an mandans, seu rogans Confessarium ad lenocinium sit Reus huius Bullæ? *Quintum*, an Bullæ Pij, Clementis, & Pauli disponant super Lenocinium? *Sextum*, an hoc Lenocinium debeat fieri in actu tantùm Confessionis, an sufficiat fieri immediatè ante, aut immediatè post; & pariter habeat locum etiam in simulatione?

14 Primo respondetur, sufficere Solicitationem vel pro se, vel pro alio; adest enim disiunctiua alternatiua *Seu* in textu, ac proinde in alternatiuis sufficit vnum adimpleri, Reg. 70. in 6.

15 Secundo, sufficere solicitationem attentatam ex parte Confessarij siue pro se, siue pro amico, aliud enim in textu non requiritur; non enim necessarium est, vt persona solicitata in Confessione consentiat, nec sequatur effectus, quia Solicitatio consumatur per solam prouocationem, abnuente pœnitente, siquidem ex solà prouocatione infertur iniuria Sacramento. Non est ergo neces-
16 sarius consensus, nec effectus ex parte confitentis, vnde nec in denuntiatione persona debet explicare consensum, vel effectum, si vnum, vel alterum simul præstitit, nemo enim tenetur se prodere, nec accusare seipsum, quando alterum denuntiare debet, vt dicam infra, cum de denuntiatione huius delicti in quæstione propriâ.

Tertio, Reus est Confessarius huius Bullæ 17
solicitans pœnitentem, vt faciat Lenonem vel pro se, vel pro amico, quia in Bulla simpliciter, & quomodolibet prohibetur Solicitatio, ergo compræhenditur præsens casus, siquidem dictio *Quomodolibet* importat quemlibet modum prouocandi, *Bonac. in Bulla q.* 18
20. *num.* 3. *Megal. de censur. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 56. *Alex. vol.* 2. *conf.* 155. *num.* 3. *Ruin. vol.* 4. *conf.* 68. *num.* 10. importat enim quemlibet modum excogitabilem, *Ioan. Andr. de elect. in* 6. *in cap. Indemnitatibus, num.* 1. *Gozadin. conf.* 14. *num.* 22. *Rota par.* 4. *tom.* 1. *dec.* 338. *num.* 3. Ita, quòd nullam recipit restrictionem, *ex allatis à Rota par.* 7. *dec.* 239. *num.* 8. Ita *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *part.* 5. *num.* 2. *ex eo Carena part.* 2. *tit.* 6. *num.* 25. *vers. Et sic*, multisalijs citatis Salelles *lib.* 1. *Reg.* 131. *num.* 90. vbi citat in contrarium Sancium *disp.* 11. *num.* 44. Dal *Bene Dub.* 237. sentit nobiscum *& Trimarch. disp.* 2. *num.* 72.

Quarto, mandans, seu rogans Confes- 19
sarium, vt pro se solicitet pœnitentem non est Reus huius Bullæ. Tum quia non solicitat cum non sit Confessarius; Tum quia mandans non punitur, sicut faciens, nisi & ipse exprimatur in lege prohibente actum, de communi Bonac. q. 1. *de cens. part.* 6. *Thesaurus Iesuita de pœnis Eccles. part.* 1. *cap.* 20
10. *vers. Sed quod*, Barbosa *ad cap.* 6. *de homic vbi sub num.* 15. *plures citat*. Ita docent Diana *resol.* 22. *de denunt.* Peyrin. *de Priuileg. cap.* 11. *num.* 3. *Trimarch. disp.* 14. *num.* 26. *Ego cap.* 23. *num.* 29.

Contrarium docent *Riccius part.* 3. *resol.* 65. *num.* 3. *& Homob. part.* 2. *Exam. tract.* 11. *cap.* 12. *q.* 26. *apud dictum Trimarch. num.* 25. Probat Riccius dicens, mandantem solicitari mulierem ad turpia, compræhendi sub Bulla Clem. VIII. *ex l. Manumissiones ff. de iust. & iure, & in l.* Si amicis *ff. de adulter.* Quibus Iuribus probatur, eum dici facere, qui iubet id facere, vnde in l. capienda, §. 15. damnum ff. de reg. iur. habetur, quòd is damnum dat, qui iubet damnum dare; & regula Iuris est, qui est causa damni damnum dedisse videtur: Et quicquid est causa causæ, est causa causati, in dicta l. Manumissiones. Et multa alia ibi congeruntur, quibus ego addo illud, quod dicitur cap. Mulieres 6. §. illi verò, de sent. excom. *Cum is vere committat, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur*. Qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur, sed adhuc.

Respondetur prædicta non obstare; aliud

enim

enim est dicere, quòd mandans peccat, & quòd puniendus est, vt insinuant allegatæ leges; aliud quòd sit violator Gregorianæ, aut Clementis VIII. Bullæ, quæ cum loquantur de solo Sacerdote Confessario, non sunt extendendæ ad mandantes, etiam si sint Sacerdotes, quia ipsi quà Confessarij non solicitant, sed mandant Confessario solicitationem per Lenocinium, in Bullis autem Clementis, & Gregorij; ne verbum quidem de mandante. Quare ad argumenta respondeo illas leges decernere mandantes esse puniendos, decretis Clementis, & Gregorij nequaquam. Mandare enim non est propriè facere,
22 *Bartol. in l. Si is, qui pro emptione ff. de Vsucapt. num. 56. cum alijs Sanch. lib. 3. disput. 49. num. 2.* Illud autem *cap. 6. de sent. excom.*
23 *Committit vere*, idest verè peccat, & puniendus est iuxta legem contra ipsum latam, non iuxta aliam, quæ contra ipsum nihil disposuit, vt in casu. Res magis probatur in sequentibus.

24 An nihilominus mandans sit effectus per tale mandatum de Foro sacri Tribunalis ab ipso puniendus? Resp. sic *Carena part. 2. tit. 6. n. 40.* à quo & sequentibus, multis probat,
25 solùm adduco rationem fundatam in *l. Hæres 19. §. Apud Labeonem ff. de iudic.* quia mandans ratione contractus sortitur Forum mandatarij, continentia enim causæ non est diuidenda, *l. Nulli 10. C. de iudic.* Multis citatis *Barbosa ad cap. fin. de rescr. num. 6. & ad cap. 1. de sequestr. num. 3.* Eum sequitur *Salelles par. 3. Reg. 392. num. 306.* vbi quòd mandans est vehementer suspectus de Hæresi, propter abusum Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde teneri abiurare de vehementi, si non ex vi Bullæ Gregorianæ, saltem ex Iure prohibente abusum Sacramentorum.

26 Quinto, de Lenocinio quoque respectu præcisè Confessarij, excluso mandante, vt mox dixi disponitur etiam in Bullis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. & non solùm in Gregorianâ, vt colligitur ex illis verbis Pij IV. *Dum earum audiunt Confessiones alliciendo, & prouocando ad actus inhonestos* Clementis VIII. *Solicitantes ad impudicitiam, seu peccata carnis*. Pauli V. *Ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, & prouocando.* Loquuntur præcisè in actu Confessionis contra Sacerdotes solicitantes mulieres; certum autem est Confessarium solicitare mulierem confitentem se non solùm dum prouocat eam pro se; sed etiam pro alijs; quia hi modi non sunt de substantiâ Solicitationis, sed tentatio ad inhonestos actus. Ita *Acugna q. 17. num 5. Freitas ibidem num. 13. Sanct. & Bossius cum Trimarcho disp. 2. num 67. Ego cap. 23. num. 29.* Idem licet confusè colligitur ex Dal Bene Dub. 137. sect. 5. & 6.

27 Sextò demùm, an hactenus dicta de Lenocinio debeant intelligi facta in actu Confessionis tantùm, an etiam antè immediatè, vel immediatè post Confessionem, an extra casum simulatæ Confessionis, an solùm extra simulationem. Respondeo quomodocunque fiat Solicitatio, habet locum dispositio circa Lenocinium, quia Solicitatio in suâ ratione formali prouocationis præscindit ab illis modis, qui tamen habent relationem ad præcedentia, vt patet ex lecturâ Bullæ Gregorianæ.

Quæritur 5. Quomodo intelligenda sint illa verba; *In actu sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè*. Bullæ Gregorianæ? Scilicet quid significat *Immediatio* inter Confessionem, & Solicitationem, quòd nullus actus intercedat extraneus inter vtrumque? Noto tria esse tempora, in quibus Solicitatio per Bullam prohibetur. Primum est tempus copulatum cum primo actu Confessionis, quæ incipit à primo peccato Confessario narrato. Secundum est totum tempus, quo pœnitens confitetur vsque ad Absolutionem, quæ cadit super ipsa peccata. Tertium est tempus post Absolutionem sequens illi immediatè coniunctum? 28

Immediatè factum, & incontinenti, seu statim pro eodem accipiuntur, *Gloss. V. statim, idest nullo actu medio interposito cap. 1. de mutuis petit.* Incontinenti facta dicuntur gesta ante, vel post immediatè, *l. Lecta ff. si cert. pet. ex Tiraquel. de contr. conuent. 2. part. 1. Gloss. 8. num. 25.* Incontinenti facta non dicuntur, die intei positâ, *l. Quod ait 23. §. quod ff. ad Leg. Iul. de adulter.* De his terminis, *Immediatè* Barb. dict. 150. *Incontinenti* dict. 155. 29 30

℞. Primò quò ad primum tempus, violari Bullam, quando Confessarius solicitat personam petentem confiteri illi siue in Confessionario, siue extra, exclusà narratione alicuius peccati, quia immediatè hoc agit ante Confessionem, & sic hoc tempus incipit à petitione Confessionis, & terminatur in ipsà confessione cœptà. Procedit hoc, siue confiteatur, siue non. Ita *Sousa de solicit. tract. 1. cap. 34. num. 39. Diana part. 4 tract 5. resol. 39. Salelles lib. 1. Reg. 133. num. 128. Trimarch disp. 3 num. 2. Dal Bene Dub. 137. sect. 9. num 4. & 5.* 31

Quid dicendum, si nulla mentione factâ de Confessione, Confessarius solicitet personam existentem in Ecclesiâ, in casu etiam, quòd resistat, Solicitationi, vel consentiat, sed subitò pœnitens facti, petat Confessionem ab eodem?

℞. Confessarium non incidere in Bullam Gregorianam; & quia in hoc actu Solicitationis officium Confessarij formaliter non spectatur, cum solicitauerit vt alter homo. Et quia talis Solicitatio non est facta infra hoc primum tempus ante Confessionem, 32

quod incipit à petitione Confessionis, de quâ nulla mentio ante actum Solicitationis facta fuit. Et quia hic non habent locum ea verba: *Seu occasione*, *seu prætextu Confessionis*. Gregorianæ, quia occasio, & prætextus vti causæ debent præcedere effectum Solicitationis, & non sequi; nam in casu proposito res è contra se habet, cum Solicitatio fuerit causa Confessionis. Ita *Dal Bene* Dub. 137. *sect.* 9. *num.* 6. *Sanch. disp.* 11. *num.* 49. *versus finem Castropal. tract.* 4. *disp.* 9. *p.* 7. *num.* 5. *Trimarch disp.* 3. *num.* 39.

33 Sed si Confessarius solicitaret mulierem, quæ illi dixerat: *Domine cras volo tibi confiteri peccata mea, si contentus eris*: Numquid est Reus Bullæ Gregorianæ?

Est Reus, non ex vi huius primi temporis, quia non immediatè coniungitur Confessioni, cum sit facienda sequenti tempore, non enim fit immediatè, & incontinenti, quod fit sequenti die, ex dictis num. 30. Sed ex vi subsequentium verborum: *Vel occasione, aut prætextu Confessionis*, nam Confessarius occasionem solicitandi captauit ex petitione Confessionis. Ita *Dal Bene Dub.* 137. *sect.* 9 *num.* 5. *Castropal. cit. num.* 4. *Trimarch. disp.* 3 *num* 46. & 47. *citans Sanchez disp.* 11. *num.* 49 *vers. Si tamen*, *Peyrinum de Priuileg cap.* 12. *num.* 9.

34 ℞. Secundò quò ad secundum tempus, quod incipit à narratione primi peccati, exclusis genuflexione, signo Crucis, & Confessione generali per verbum *Confiteor*, quæ omnia pertinent ad primum tempus ante Confessionem; à narratione, inquam, primi peccati vsque ad absolutionem inclusiuè, Confessarium sollicitantem in actu confessionis pœnitentem, potissimùm esse violatorem huius Bullæ, quia in Confessione, & Absolutione præcipuè consistit ratio huius Sacramenti, cuius abusu maxima illi fit iniuria, & damnum pœnitenti infertur, dum pro medicinâ illi offertur venenum. Et in hoc omnes conueniunt, cum Bullæ omnes clarissimè id dicant.

35 ℞. 3. Quò ad tertium tempus, quod incipit ab Absolutione exclusiuè, & dicitur esse illud, quod immediatè sequitur post confessionem, & Absolutionem, à quibus siue diuisim, siue coniunctim dependet, & originem habet ipsa Solicitatio prohibita in Bullâ Gregorianâ. Quare si confessarius datâ Absolutione, vel non datâ paulo post in eodem loco, vel extra solicitabit confessum, sine dubio erit Reus huius Bullæ, quia immediatè post solicitauit. Idem dic, si obtulit, vel absolutus petijt fidem confessionis, ducendo in sacristiam, vel cubiculum personam absolutam, & ibi eam solicitet. Ita *Sousa de solicit. cap.* 18. *num.* 14. & *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 39 *Salelles lib.* 1. *Reg.* 133. *num.* 133. *Diana part.* 4. *tract.* 5. *Resol.* 11. *Dal Bene Dub.* 137. *sect.* 9. *num.* 3. Vbi cum Sousa dicit esse Solicitationem, si faciat sibi videre verenda; est enim actus inhonestus, siue propria ostendat ipse Confessarius, siue videat, vel tangat pœnitentis. Cum illis est *Scobar. part.* 1. *q.* 4 §. 2. *num.* 57. & 58. *Trimarch. disp.* 3. *num.* 60. 36

Quæritur 6. Quomodo, & quando ex verbis istis: *Seu occasione*, *vel prætextu confessionis huiusmodi*, *etiam ipsâ Confessione non secutâ*. Gregorianæ, sequatur solicitatio?

Præmitto explicationem vtriusque vocabuli. *Occasio* dicit opportunitatem temporis casu veniens; siquidem effectus non per se, sed casu prouenit. Vnde importat causam remotissimam, *ex Tiraquel. Causâ cessante limit.* 13. *num.* 8. ac proinde non est ordinata ad effectum, de quo agitur, sed ad aliud, & consistit in facto, ex quo contingenter sequitur effectus, *Decius in cap. cognoscentes constit. num.* 1. & *in cap. sua nobis*, *de confirmat. num.* 3. Cicero apud Nizolium dixit, quòd occasio est pars temporis in se habens idoneam oportunitatem faciendi aliquid. Ad rem nostram, ex confessione prauus Sacerdos quærit opportunitatem ad solicitandum pœnitentem. Huiusmodi effectus Solicitationis non est per se à Confessione, sed per accidens, proueniens per se ex prauâ intentione solicitantis, vt enim ad id perueniret, occasionem sumpsit ab actu confessionis, quia tunc illi non occurrit melior oportunitas. 37

Prætextus est causa falsa, species, color, simulatio, & velamen quoddam ad obtinendum, quod desideratur; & quia finis est malus, turpis, & inhonestus, proinde quodam confessionis velamine procurat habere intentum. 38

℞. Primò quò ad occasionem confessionis sequentem casum decidi. Nam si quis Confessarius auditâ confessione pœnitentis, qui, vel quæ se accusauit de peccatis carnalibus cum alio, & datâ Absolutione, personam, quæ iam recessit à confessionario, adeat, & eam eodem die in Ecclesiâ, vel domi solicitet, est Reus huius Bullæ, quia occasionem solicitandi accepit à præteritâ confessione. Ita *Peyrin. ad constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 2. *num.* 2. *Scobar. part.* 1. *q.* 4. §. 1. *num.* 52. & 54. *alios citans* Lezana *part.* 1. *cap.* 19. *num* 34. *apud Dal Bene Dub.* 137. *sect.* 9. *num.* 16. *Diana part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 7. vbi de mente aliquorum dicit; si Confessarius diuertat ad alios actus, in tali casu Solicitatio subsequenter facta, neque moraliter, neque physicè incœpit in locis prohibitis in Bullâ. Et licet Confessarius vtatur scientiâ confessionis, non tamen solicitat in locis vetitis, ergo non incidit in Bullam, neque proinde denuntiandus. Neque putant, incidere, si solicitat eam, antequam recedat

ab

ab Ecclesia, si hoc faciat extra tempus, & locum, de quibus in Bulla, & concludit. *De meo nihil afferere volo*, hoc est, non est opinionis istorum.

Rationes istorum non faciunt ad rem, quia cum casus propositus pendeat ab illis Bullæ verbis: *Occatione Confessionis*, quæ est clausula diuersa à sequenti contenta in his verbis: *Siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque*, &c. Et a clausula præcedenti: *In actu sacramentalis Confessionis, siue ante, siue post immediatè.* Ideo nec locus, nec tempus attenditur, quasi solicitatio debeat incipere in loco, vbi audita est confessio, & eodem contextu temporis immediatè, in quo sensu dictum est sub q. 5. vers. Sed, & si, vbi distinxi casum sequentem de petente Confessarium hodie, pro sequenti die, pertinentem ad præsentem clausulam de occasione Confessionis. Solicitatio autem debet contingere eodem die actæ Confessionis, quia illud dicitur fieri incontinenti, quod fit eodem die, ex dictis sub num. 30.

39 ℞. Secundo quò ad prætextum Confessionis, casus occurit, quòd confessarius flagrans amore alicuius Personæ vtitur medio, & prætextu confessionis, dicendo tali Personæ, vis mihi confiteri peccata, siue annuat, siue abneget; si statim tentet eam ad libidinem, est Reus huius Bullæ, quia ad solicitationem se introducit prætextu Confessionis. Dixi, siue annuat, siue abnuat, quia in hoc casu non est necessaria Confessio, vt patet ex illis verbis: *Etiam ipsa Confessione non secutà*. Hæc autem verba limitantur ad præsentem clausulam de occasione, & prætextu Confessionis, vt distinguatur à præcedenti de triplici tempore confessionem respiciente superius explicatà sub q. 5.

Quæritur 7. Quomodo sint intelligenda verba hæc: *Siue extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocunq; vbi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire*. Duo hic explicanda sunt, locus confessionis, & simulatio, quæ fit in loco destinato ad Confessionem.

40 Præmitto quò ad primum, quemcunq; locum ad confessiones audiendas destinatum vel regulariter, vt confessionaria posita in Ecclesijs, Oratorijs, Monasterijs, & alijs locis pijs, in quibus nullum aliud exercitium fit præter auditionem Confessionum; vel incidenter, & casu, vt cùm infirmus auditur apud lectum, vel aliter eligitur à Confessario, sufficere ad audiendas Confessiones, assummi enim potest quilibet locus iuxta oportunitatem, aut necessitatem, vt cum quis auditur e. g. in stabulo, iuxta illud, quod fertur: *iustificatus est in stabulo*, locus enim non est de substantialibus Sacramenti, sed circunstantia extrinseca, requirens solùm decentiam, quam indicat etiam necessitas, vt apparet in stabulo, in quo iustificatus fuit. Dixi plura cap. 23. num. 43. & 44. Vide *Bonacinam de denunt. part. 3. num. 6. Sousa, lib. 1. cap. 34. num. 42. cum alijs Scobar. q. 4. §. 1. num. 69.*

Ego loco citato probaui contra Sanchez disp. 11. prope finem, vers. Hinc. fit, etiam in Parlatorijs communibus coloquijs spiritualibus, & temporalibus iuxta morem Hispanorum, quorum Confessarij Moniales audiunt sacramentaliter in dictis Parlatorijs, habere locum Bullam Gregorianam, quæ loquitur de quibuscunque Confessionarijs, siue ordinarijs, siue extraordinarijs, & in quolibet loco extantibus, siue electis.

Licet nonnulli faciant differentiam inter Confessionale, quod ad alium vsum non seruit, nisi pro sacramentalibus Confessionibus, & alium locum electum pro Confessionibus, qui regulariter non seruit, cum adhibeatur etiam ad alia negotia. Et in hoc simulationem requirunt saltem ex parte Confessarij, non autem in confessionali ordinario ad nihil aliud deputato. Refert Scobar q. 4. §. 1. num. 35. Sed de hac re in sequentibus dicam latius, & clarius præmittendo, quid sit simulatio. 41

Simulatio autem est fictio vnius rei pro alia re, *ex l. si ex pretio 6. ff. si cert. pet.* Duo ergo sunt in simulatione, res ficta, quæ non intenditur, & id quod intenditur sub velamine rei fictæ non intentæ, nisi in ordine ad id, quod intenditur, & in hoc consistit plus, quàm in illo, quod fingitur, iuxta titulum hunc: *Plus valet, quod agitur, quàm quòd simulatè concipitur Cod.* ex his textibus, & *D. Thomà 2. 2. q. 111. art. 1. Scobar. q. 4. § 1. num. 31.* Qui simulat Confessionem, quam reuera non audit, sed aliud, quod est peccatum, & quidem mortale, sine dubio peccat mortaliter peccato sacrilegij, quia Sacramento huic maximam irriuerentiam, & iniuriam facit, abutendo illo ad eum effectum peccaminosum, ad quem non fuit institutum; simulatio ergo à qua dependet aliud peccatum, sine dubio peccatum est, quia fouet aliud peccatum, *ex D. Thomà loco citato, & Scoto in 3. dist. 38. vers. Ad vltimum, num. 16. Siluester V. Simulatio num. 4.* Vnde D. Ioannes Chrisost. Homil. 7. in Matth. inquit: *Nulla res sic exterminat bonum sicut simulatio.* D. August. super Psal. 63. dicit: *Simulata æquitas non æquitas est, sed duplex iniquitas.* Meritò igitur Gregorius Papa XV. simulationem in confessione ordinatam ad solicitationem prohibuit. 42

Ex præmissis resoluuntur sequentes casus. *Primus*, an hæc simulatio dependeat formaliter ab Intentione, an etiam consistat in solo

lo facto & opere. *Secundus*, an simulatio debeat esse mutua inter Confessarium, & Poenitentem? *Tertius*, an simulatio requiratur tàm in confessionario ordinario, quod ad nihil aliud deseruit, quàm in extraordinario, seu electo? *Quartus*, an simulatio debeat fieri ex parte vtriusq; exhibentium illos ritus externos, quos demonstrant veri confessarij, & Poenitentes, dum illi sedent pro tribunali, & isti se genuflectunt coram ipsis, signantes se signo crucis, &c. loquendo de illis, qui possunt genua flectere.

43 Primo casui respondetur, simulationem compleri ex vtroq; non enim sufficit habere intentionem, & animum simulandi confessionem, sed opere exercenda est, vt colligitur ex verbis ipsis: *Simulantes ibidem audire confessiones*, debent ergo accedere ad locum & ibidem fingere confessionem, & solùm agere de venereis sub velamine confessionis. Nec obstat, quòd dicit Glos. cap. Quod 6. dist. 27. quod duplex est simulatio, *Intentionis* scilicet, *& Operis*, quia licet quandoq; vnum stet sine alio; tamen in casu nostro Intentio

44 debet coniungi cum opere, aliter non simulatur confessio, nisi fiant actus externi indicantes illam in re fictam.

45 Secundo casui dico, quamuis possit inter confessarium, & Poenitentem intercedere simulatio ex condicto, vt liberiùs in loco sancto tractent de venereis, vel alijs actibus peccaminosis; nihilominus Gregoriana disponit tantùm contra confessarios simulantes, vt patet clarè ex verbis Bullæ: *Simulanter*

46 *ibidem confessiones audire*. Pænitens autem non audit confessiones, sed sua peccata confitetur confessario audienti illa. ergo dispositio simulationis se tenet ex parte confessarij tantùm. Vnde & in præcepto denuntiationis fit solùm mentio de poenitentibus, qui fuerunt solicitati, vbi à Confessario monendi sunt, qualiter tenentur ad denuntiandum.

47 Nec dicas *Simulatio* componitur ex simul, & actione, & sic inter duos contingit simulatio. Respondetur adhuc saluari etimologia, si simulatio referatur à Confessario ad circunstantes; vel dic, vt supra, Papam nihil disponere de mutuà simulatione. Vide Escobar part. 1. q. 4. § 1. num. 40. vbi ait sufficere simulationem Confessarij. *Castropal. p. 8. num. 4 Dal Bene* Dub. 237. *sect. 11. & in Petit.* plura de hac simulatione.

48 Tertio casui respondetur, simulationem habere locum in vtroq; Confessionario tam ordinario, quàm extraordinario, vt clarè colligitur ex verbis Bullæ Gregorianæ: *Simu-*

49 *lantes ibidem confessiones audire*. Nam illud aduerbium *Ibidem* relatiuum est, & significat esse in eodem loco tam Confessionalis ordinarij, quàm extraordinarij, non enim est maior ratio, cur simulatio interdicatur in vno & non in alio, cum vtrobique contingere possit abusus Sacramenti, ex quo in vtroq; simulari potest. Quicquid *ex Fagundez ad secundum praecept. lib. 4. cap. 3. num. 73.* dicat Scobar *q. 4. §. 1. num. 19.* Ea verba: *Simulantes ibidem Confessiones audire*, esse referenda ad locum electum per Confessarium, qui aliàs destinatus non erat ad audiendas confessiones, & esse potest non solùm in Ecclesiâ, sed etiam in domo, in agro &c. ex dicto Fagundez Scobar.

Dices, ergo si Sacerdos sine simulatione Confessionis, & extra Confessionem veram in confessionali Foeminam excitet ad libidinem, non erit violator Bullæ Gregorianæ, dum requiritur simulatio Confessionis.

Resp. negando consequentiam, quia violatur Bulla non solùm simulatione, sed etiam sine simulatione, esto Sacerdos extra Confessionem veram in confessionali solicitet personam, vt de mandato Pauli V. anno 1614. die 10. Iulij, respondit S. Congr. his verbis: *Factà relatione, quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, decreuit, vt contra huiusmodi confessarios procedatur in S. Officio* Apud dictum *Scobar. num. 35 & Dal Bene Dub. 137 sect. 11. in Petit. num. 5.* Quod comprehenditur in Bullà Gregorianà, & quidem clarè ex prioribus verbis: *Siue extra occasionem confessionis*, quæ clausula refertur ad sequentia, & determinatur ab vltimis verbis: *Simulantes ibidem confessiones audire*, quia de solicitantibus in occasione confessionis dictum fuerat ante. 50

Quarto, simulatio confessionis, vt pro Confessione credatur coram circunstantibus debet Sacerdos sedere pro tribunali exhibendo circunstantibus illos actus, quos faciunt ex parte sua veri confessarij, & poenitens genuflectere, signo Crucis se signans, vt faciunt veri poenitentes, & sic in his externis actibus fingitur confessio, quæ apud circunstantes creditur vera, quæ tamen talis non est, id simulatione exigente, quà vnum est verum, alterum fictum. Simulatio ergo debet esse mutua non solùm in intentione, sed etiam quò ad actum exteriorem sessionis, & genuflexionis, quibus stantibus à circumstantibus creditur vera confessio; non verò eius personæ, quæ stans alloquitur Confessarium sedentem in tribunali. 51 52

Quæritur 8. Intellectus illorum verborum. *Aut cum eis Illicitos, aut inhonestos sermones, seu tractatus habuerint*. Gregorianæ?

℞. Sermones, & tractatus inhonesti verbis contingunt non solùm claris, sed etiam tacitis, & obscuris, vt dicit Carena par. 2. tit. 6. num. 37. eadem enim est virtus taciti, & expressi, ex vulgatis vulgaribus, ac proinde cum non solùm verba clara, & expressa, sed etiam tacita præseferant colloquia inho- 53

nesta

nesta, sequitur vtrunq; hic prohiberi; per ea enim fit abusus in hoc Sacramento. Sub hac clausulà non continentur nisi verba inhonesta, nam antecedenter prohibentur actus, & facta ipsa inhonesta per hæc verba. *Ad inhonesta solicitare, vel prouocare tentauerint*, licet enim prouocatio soleat verbis explicari,
54 quandoq; tamen solo facto contingit, vt cum personam confessarius osculatur, tangit &c. quærit videre pudenda, vel iactat se de pollutione &c. De quibus *Sousa de solicit, tract.* 1. *cap.* 18. *num.* 14. *& in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *à num.* 36. *ad.* 41. *apud Trimarch. disp.* 3. *num.* 60. *Salelles Reg.* 132. *num.* 113. *ad* 116. *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 47.

Quæritur 9. An Gregorius XV. præter confirmationem per suam Bullam factam de Bullis Pij IV. Pauli IV. Clementis VIII. & Pauli V. in materia Solicitationis, condat Ius nouum circa varios modos solicitandi, de quibus hactenus dictum est, itaut præfati modi non comprehenderentur in prædictis prædecessorum Bullis? Et pariter fit Ius nouum respectu masculorum, qui non comprehenderentur in præcedentibus eisdem Bullis?

Huius quæstionis resolutio est vtilis respectu eorum, qui non receperunt Bullam Gregorianam in Regnis Hispaniarum, vt asserit *ex Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *p.* 1. *num.* 9. *Salelles Reg.* 129. *num* 57. Vnde in Regnis Hispanorum, vbi Gregoriana non est recepta solicitantes non obligantur ad denuntiandum nisi ex Edicto Inquisitorum, & non ex Gregorianà, vt insinuat Sanch. *in Select. disp.* 11. *num.* 20. 57. *&* 68. *fine*; Scobar. q. 2. §. 1. ex num. 12. ad 23. non recedit ab opinione Abulensis, & Trulenchi ab eo citatorum, cum denuntiationem faciendam contra solicitantes non referat in Bullam Gregorianam in qua mentio fit expressa de denuntiandis solicitantibus, sed in eius præceptũ ad Inquisitores Hispanos transmissum, & in ipsum Edictum Hispanicum.

Dic tu cum Dal Bene Dub. 137. sect. 19. num. 7. & alijs ab eo citatis, Gregorianam non fuisse receptam ab Hispanis, quia derogabat eorum Iurisdictioni amplissimæ priuatiuè quò ad Ordinarios locorum, qui per con-
55 stitutionem Gregorianam possunt & ipsi simul, & diuisim in hac causà procedere cum Inquisitoribus per vniuersum Orbem, & sic derogatur eorum consuetudinibus, & priuilegijs, si recepissent Bullam Gregorij quò ad hoc. Et hoc patebit in sequenti responsione.

56 ℞. Gregorium XV. per suam constitutionem in sex casibus condidisse Ius nouum, confirmatis quoq; dispositionibus suorum prædecessorum Pij, & Pauli IV. Clementis VIII. & Pauli V.

57 Primus casus fit circa sexum masculinum nam in Bullis Prædecessorum fit tantùm mentio de solicitantibus Mulieres, in Gregorianà verò comprehenduntur etiam Masculi solicitati, vt probaui q. 3. vbi respondi obiectis aduersariorum assentientium etiam Masculos comprehendi sub Bullis antecessorum.

Secundus est circa tempus Confessionis, 58
nam in prioribus Bullis disponitur contra solicitantes tantùm in actu Confessionis sacramentalis ibi: *Dum earum audiunt confessiones* Pij IV. *In Sacramento Pœnitentiæ seu in actu sacramentalis Confessionis solicitantes*. Clementis VIII. *Dum earum audiunt Confessiones* Pauli V. Gregorius verò ampliauit his verbis: *In actu sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè.*

Tertius casus est nam Pius IV. sic disponit 59
pro Hispanis. *Per præsentes committimus, & mandamus. quatenus per Te* scribit Archiepiscopo Hispalensi in Regno Hispaniæ hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali, *vel per alium seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes &c.* Excluduntur ergo omnes non solùm alij Inquisitores in illis partibus, sed etiam Ordinarij locorum, dum dicit *Per te*; connotat enim aliorum quoruncunq; exclusionem, & priuationem ab hoc 60
Iudicio Solicitationis, illa enim clausula: *Per Te* restringit dispositionem ad personam expressam, & alias excludit, *Glos V. Deputatus à nobis*, *Clem. Auditor de Rescr. Ruinus lib.* 1 *consil.* 84. *num.* 1. *ex eis Rota par.* 4. *dec.* 375. *num* 2. Gregoriana vero ampliat etiam ad Episcopos, & Ordinarios locorum his verbis: *Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum. &c. simul, vel separatim &c.* Et sic derogatur Inquisitori Generali Hispaniarum, qui solus per se, vel alium procedebat in hac causà sine Episcopo; ne ergo amitterent tale Ius noluerunt acceptare Gregorianam, saltem quò ad hoc.

Quartus casus, in Bullis prioribus solùm 61
in Hispanià constituitur Iudex contra solicitatores Inquisitor Generalis, qui per se, seu alios procedat in hac causà Gregorius verò prouidit per vniuersum Orbem Iudices Inquisitores simul, vel diuisim, & ordinarios locorum ibi: *Omnium Regnorum Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque diecesibus & territorijs per has nostras etiam priuatiuè quò ad omnes alios, &c.* Excluduntur ergo Superiores Regulares ab hoc Iudicio respectu suorum subditorum, qui iudicantur ab Episcopis, & Inquisitoribus.

Quintus casus de denuntiandis solicitantibus ex hisce verbis Gregorianis: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos Pœnitentes, quos nouerint fuisse solicitatos ab alijs, vt supra, moneant de obligatione denuntiandi Solicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs* 62

narijs

narijs, alij Pontifices nihil dicunt de denuntiatione taliter pœnitentibus iniunctâ.

63 Sextus demùm casus de specificatione pœnarum nihil dicunt, quarum expressionem facit Gregorius his verbis: *Suspendentes ab executione Ordinis, Priuationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcunque, ac Perpetua inhabilitatis ad illa; nec non vocis actiua, & passiua, si Regulares fuerint, exilij; damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absque vlla spe gratia, aliasque pœnas decernant, &c.*

Quæritur 10. An Bulla Gregoriana sit odiosa, an fauorabilis?

64 ℞. Est odiosa; nam illa Lex est odiosa, quæ continet pœnam; siquidem Lex nunquam dicitur odiosa respectu boni publici, seu alicuius Virtutis, aut Sacramenti ordinata ad conseruationem, seu rectum eius exercitium, cum respectu actus virtuosi sit semper ratione sui fauorabilis, vnde odium non potest legem denominare odiosam, nisi respectu pœnæ in ea expressæ. Sed multæ pœnæ in ea exprimuntur, vt patet ex sexto casu, in quo eas ex Bulla rescripsi, ergo est odiosa. Ita in his terminis *Riccius part. 3. resol. 65. & 66. & ex eo Carena part. 2. tit. 6. num. 10.*

65 Colligitur ex his strictam interpretationem super illam esse faciendam, ex illa Reg. 15. in 6. Odia sunt restringenda, ac proinde leges pœnales sunt restringendæ. *Scotus in 4. dist. 7. dist. 5.* vbi quòd si pœnam Legislator voluisset, expressisset, quod ait etiam *Layman ex cap. 2. de translat. Episc. de legib. tract. 4. cap. 18. num. 9.*

Quæritur 11. Quibus verbis inducatur solicitatio? Et quid dicendum in sequentibus exemplis. Primum, *Memento mei, quia te amo, & diligo ex corde.* Secundum. *Si essem secularis, ducerem te in vxorem.* Tertium. *Tua hac peccata carnalia me induxerunt in pollutionem contra meam voluntatem.* Quartum. *Expecta me in domo tua, quia te allocuturus sum super re graui.* Quintum. *Nolo te audire in Confessione, quia cum sim captus amore tui, facile cadam.* Sextum. *Tu es pulcra, & nimis venusta &c.* Septimum. *Cuidam mulieri se accusanti de carnali desiderio dicit confessarius: Non peccasti, si tamen aliquis offerret sibi non paucam pecuniam, admitteres eum ad venerea.* Octauum. *Io vi porto grand' affetto, & mi sento tutto commouere.* Puella pœnitens non intellexit tunc vim horum verborum, sed postquam nupsit talia verba occurrerunt eius memoriæ, & tunc eorum vim, & sensum intellexit. Numquid inducunt solicitationem, & teneatur denuntiare?

℞. Solicitatio inducitur verbis inhonestis significantibus amorem lasciuum, vt colligitur ex Bulla Gregoriana, ibi: *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* Et ex his respondetur ad proposita exempla.

Primo, non esse verba Solicitationis, quia cum sint verba ambigua, & dubia possunt trahi in bonam partem, vt Confessarius loquatur de dilectione spirituali animæ, cuius curam habet, non de amore lasciuo. Notum autem est omnibus intelligentibus, verba ambigua, & dubia esse interpretanda in bonam partem, ex Reg. 2. de reg. iur. vbi Barb. quamplures citat Doctores. 66

Secundo respondetur nihil omnino Solicitationis important, significant enim pudicum amoris affectum, qui reperitur inter Coniuges. Vide infra q. 16. vbi respondeo obiectis num. 104. & infra. 67

Tertio, ea verba inducunt Solicitationem, cum sint illicita, & inhonesta significantia amorem lasciuum. Ita Hieronymus Trimarchus Ordinis Minimorum, natione Genuensis, disp. 3. de solicit. num. 3. 68

Quarto si in domo habeat cum muliere colloquia inhonesta, sine dubio indicant Solicitationem, quæ originem habet ex illo condicto in Confessione facto adeundi domum pœnitentis. De his egi cap. 23. q. 3. num. 54. 69

Quinto, nulla hic Solicitatio, quia ex illis verbis potius colligitur detestatio huius criminis. 70

Trimarchus disp. 3. num. 35. ponit conclusionem contrariam nobis dicens, licet manifestetur animus in hoc casu per verba indifferentia, attamen si mulier cognoscat impudicum fuisse Confessarij intentum in dissuasione confessionis faciendæ, ab ipsa muliere denuntiandus est, *ex Sanchez in Select. disp. 11. num. 49. Castropal. part. 1. disp. 9. par. 7. num. 8.* sed 71

Contra quia illa verba satis clara sunt, & non indifferentia, nec ambigua. Et mulier ex illis præcisè verbis non potest cognoscere mentem Confessarij esse prauam, siquidem dissuasio Confessionis eò tendit, ne incurrat periculum Solicitationis, ac proinde verba ita clara sunt, vt non sit opus coniecturis, quòd per ea intendat Confessarius velle solicitare, dum expressè se declarat velle fugere occasionem Solicitationis. 72

Sanchez autem habet hæc verba; *Si Fœminæ dicenti se velle confiteri, Confessionem dissuadeat, & de venereis tractet.* Ex quibus patet, eius casum esse diuersum à nostro in quo nulla tractatio de venereis persuasiuè, sed tantùm dissuasiuè. Nihilominus Castropalaus cit. num. 6. dicit, si animus sufficienter manifestetur Fœminæ, taliter, quòd ipsa possit intelligere dissuasionem Confessionis oriri ex animo alliciendi ad Venerem, & si tunc cum illa tractet, existimat Sanchez esse veram Solicitationem, quia illa dissuasio est vera inductio ad peccatum. 73

Ego

Ego non video vim huius argumenti, siquidem dissuasio Solicitationis, quam exprimunt verba in exemplo allata, non potest esse persuasio Solicitationis; vnum enim contrarium nō potest esse aliud, neque inferre aliud ex eo, nisi aliquid aliud illi coniungatur, & tunc adiunctum causabit Solicitationem, non illa præcisa dissuasio. Vnde ex his patet ad responsum ipsius Castropalai dicentis, ea verba esse indifferentia perse, non autem respectu fœminæ, cui sunt determinata ad malum satis expressiua prauæ voluntatis Confessarij, ergo saltem respectu fœminæ constituunt Solicitationem exteriorem, cum ab illa cognita sint vt talia. Sed reuera nihil exterius patet ex illis verbis tantùm dissuasiuis; impossibile enim est, quod eadem causa simul, & semel producat contrarios effectus,
74 *l. Meminerint C. Vnde vi*, *l. Quod Labeo ff. de compens. l. qui hominem*, *§ fin. de Solut. Glos. V. Concessus*, *cap. 3. dist. 26.* ac proinde nec idem verbum habere contrarios sensus in significando, nisi illi aliquid aliud adiungatur, in casu autem nostro nihil adiungitur; si enim adiungeretur aliud, quod est esse lasciuum, & turpe, tunc ex eo induceretur Solicitatio, non ex prioribus verbis, esto tunc prauus interior animus manifestaretur. Nihil dico vlterius contra Trimarchum, quia iam respondi repetitis argumentis ab eo Sanchij, & Castropalai, hos sequitur Alberghinus cap. 21. num. 9.

75 Sexto, à laudatione inducitur Solicitatio. laudans enim captat beneuolentiam; mulieres enim valdè delectantur huiusmodi laudationibus, quæ cum sint impertinentes ad Confessionem, aliud arguere non possunt, nisi mulierem allicere ad actus venereos. Est communis *Barb. de Parocho cap. 19 num. 49. Bonac. in Tract. var. disp. 6 part. 3. num 3. cum alijs* Diana *part. 4 tract. 5. resol. 18. cum alijs Trimarchus disput. 1. num. 23.* Salelles. *Reg. 132. num. 109.* Dal Bene *Dub. 137. sect. 3. num. 24.* Limitant, nisi aliunde procedat laudatio ex aliquo fine honesto, vt quia mulier vxorata conquesta est de malà conuersatione mariti, &c.

Contrarium, quòd laudatio non inducat Solicitationem docent *Sousa*, *& Freitas apud* Dianam *par. 4. tract. 5. resol. 18.* *Portellus* V. *Solicitare num. 4.* apud Ioannem Scobar. à Corro Hispanum *tom. 2. suorum operum, de solicit. part. 1. q. 3. §. 2. num. 14.* Probant primò, quia per se non constituunt peccatum mortale, nec ad copulam ex suà naturà diriguntur. ℞. Negando vtrunque quandocunque impertinenter proferuntur, non enim licet miscere profana sacris, incitant enim ad vanagloriam, & amorem concupiscentiæ.

Probant 2. quia nec media sunt, per quæ ad copulam peruenitur, nec differunt à commendatione, & laude pulcritudinis, & cuiuscunque rei præstantiæ. ℞. Esse media efficacia ad sibi reconciliandum amorem Fœminæ, alio enim fine Satellites Holophernis non laudauerunt Iudith, nisi vt eam allicerent ad amorem Holophernis. In cap. 10. num. 18. his verbis: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus.* Non aquieuit mulier sancta, sed eius caput amputauit, ne ab eo caperetur. Non licet laudare fœminam in Confessione sine causà, ne extollatur, & eius Confessio conuertatur in confusionem. 76

Probant 3. quia laudare perfectiones ortas à naturà, & à Deo, nihil in se suspicionis, nec Solicitationis ad lasciuiam continet, ex quo in tam graue Confessarius labatur crimen.

℞. Confessionale non est locus laudandi fœminas, quæ accesserunt, non vt laudarentur, sed vt increparentur super earum peccata; & S. Aug. tom. 10 in Matth. Serm. 5. in fine inquit: *Laudes istæ vestra grauant nos potius, & in periculum mittunt.* Non oportet ergo mulieres sine causà in Confessione laudare, cum debeant reprehendi in suis peccatis. Quare laudes licet in se nihil suspicionis, nec solicitationis habeant, coniunctæ tamen cum confessione arguunt vtrunque.

Probant 4. quia huiusmodi laudes ex officio confessarij suadent magis, quòd similia verba proferantur propter incitandam pœnitentem ad cognitionem beneficij à Deo recepti, & ad effundendas laudes eidem, non verò ad quid illicitum persuadendum.

℞. Eius officium non se extendit ad laudes pœnitentium, sed ad docendum illos grauitatem peccatorum, & abstinentiam ab illis, ita quòd gratiarum actio non spectat ad hoc Sacramentum. Sequitur ergo ex his; ex verbis licitis, ac honestis quandoque sequi suspicionem mali, maximè in casu nostro, in quo similis laudatio coniuncta cum Confessione, cui est impertinens, habet contra se non leuem suspicionem trahendi ad se amorem mulieris laudatę, concupiscunt enim vt plurimum laudari, & amari ab hominibus, ait enim Arist. quòd Fœmina appetit virum, sicut materia formam.

Septimo exemplo respondetur, illa verba nullatenus allicere mulierem ad libidinem, sed tantùm indicant, quod communiter solet accidere mulieribus; cum enim mulier sit auara, immo genus auarissimum *l. Si ego ff. ad Velleian. l. Si à sponso §. quod si sponsa C. de donat. ante nupt.* adeo quod, si quid donant, dicantur facere contra propriam naturam, & videatur in illis quid monstruosum, *Decius consil. 180. col. 2.* fine. Quare talis locutio non prouocatio, sed obiurgatio fuit facta ex occasione. Dixi cap. 23. num. 131. 77 78

79 Octauò, & vltimò. *Io vi porto grand' affetto, & mi sento tutto à commouere.* Sunt verba solicitationis, alliciunt enim ad libidinem, & Confessarius præsumitur ea dixisse, vt ex responso puellæ eliceret, quid ipsa sentiret. Puella, quæ ignorabat vim horum verborum nihil tunc mali cogitauit; sed post multum temporis Marito coniuncta, cœpit cogitare quid poterat velle Confessarius, cum illi dixit illa verba, & conclusit in mente suà, Confessarium eam voluisse prouocare ad libidinem, vel alium actum illicitum, vnde petijt ab alio Confessario, an teneretur primum Confessarium denuntiare? Respondit, non teneri. Accessit ad alium, qui eam obligatam esse dixit ad denuntiandum. Tertius dixit omnia delicta, tam publica,
80 quàm priuata spatio viginti annorum præscribi, de communi *Farinac. q. 10. num. 1.* excepta hæresi, quæ nunquam præscribitur, *ex eodem num.* 37. Si ergo à die confessionis coniunctæ cum illis verbis solicitatorijs vsque ad cognitionem virtutis illorum transierint viginti anni, non tenetur denuntiare, quia sola Hæresis non præscribitur, vtique illius suspicio procedens à delicto, quod non est formaliter Hæresis.

81 Ego dico, Puellam ad nihil teneri, quia cum ignorauerit tunc significationem, & vim illorum verborum, sicut tunc non contraxit obligationem denuntiandi, quæ supponit notitiam illorum verborum. Ita neque deinceps contrahit in hoc casu, cum post multum temporis venerit in cognitionem sensus illorum verborum, & sic solicitatio tunc cognita non potest dici facta immediatè ante, vel post Confessionem.

Quæritur 12. An sequentia verba: *Hodie veniam domum tuam, quia tecum locuturus sum de nonnullis rebus*; dicta Fœminæ in actu confessionis; vel Puero. Veni hodiè domum meam, quia te debeo admonere de non nullis rebus, importent Solicitationem?

82 ℞. In vtroque casu, posito accessu, confessarium dici solicitatorem, si in domo habeat, vel tentet habere cum pœnitente actus inhonestos. Probatur, quia talis prouocatio venerea declarat illa verba, quæ sibi dixerat Confessarius, fuisse ordinata ad venerem, alio enim fine illa non dixit, nisi vt perueniret ad actum luxuriæ, quem intendebat; ac-
83 tus enim internus per externum explicatur, dicente Arist. 1. Periherm. cap. 1. quod voces sunt signa earum passionum, quæ sunt in animo. *&* S. *Aug. lib.* 15. *de Trinit. cap.* 11. *ait*: Verbum, quod foris sonat, esse signum verbi, quod intus latet. Intus latebat turpis amor Confessarij erga pœnitentem, quem exterius manifestauit incitatione inhonesta ad venerea, certum enim est, quòd animus ex facto etiam nullo, & solà atten-
84 tatione declaratur, *l. Legatum* §. *fin. ff. de alim. legat. Ricciull. lib. 7. de ijs, qui sunt extra, cap. 2. num. 22.* Actus enim sequens præsumitur factus in executionem præceden-
tis in animo latentis, *Alciat. de præsumpt.* 85
Reg. 2. præsumpt. 24. Rota vol 2. dec. 104. num. 5. Factum enim alicuius ipsum iudicat
l. Cum probatio ff. de probat. Et in nostris 86
terminis S. Aug. relatus cap. Nec solo 12.
32. q. 5. inquit: *impudicus oculus impudici* 87
cordis est nuntius. Sic attentatio impudica arguit animum impudicum, quem habebat Confessarius loquens de accessu pœnitentis ad domum.

Quæritur 13. An, & quomodo literæ amatoriæ importent Solicitationem? Casus contingere potest *Primò*, si Confessarius in actu confessionis det literas pœnitenti legendas, cum erit domi suæ. *Secundò*, si dicat, mittam literas domum suam, vt ibi legas illas. *Tertiò*, accipe epistolam, quam tibi mittit tuus consanguineus. *Quartò*, quid si eas non legat, sed comburat?

℞. In his omnibus locum habet Solicita- 88
tio, quæ virtualiter inchoatur à traditione, & explicatur, & cognoscitur talis à pœnitente; dum legitur in ea tractatus venereus, ita quòd vtrunque, scilicet traditio, & lectio dependeat à Confessione, cum eius occasione traditæ sint literæ amatoriæ; initium ergo Solicitationis habetur à traditione, licet tunc ignoretur à pœnitente, qui earum lectione docetur de virtuali Solicitatione, dum illi constat prauum desiderium, quod habebat in mente, dum audiebat Confessionem.

Confirmatur ex allatis in præcedenti quæstione; & quia tantum valet voluntas tacita, quantum expressa, l. Qui ad certum
ff. Locat. Ita *Sanchez in Select. disp. 11. num.* 89
32. Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 3. num. 62. quos sequitur Diana *part. 4. tract. 5. resol. 2. Peyrinus tomo 2. cap. 11. num. 7. fine, Trimarch. disp. 2. num. 54. Ego cap. 23. num. 56. Lupus lib. 5. Dist. 3. art. 1. Salelles Reg. 132. num. 20. Dal Bene Dub. 137. Sect. 4. num. 1.*

Castropalaus tract. 4. disp. 9. part. 4. dicit, non esse solicitatorem, quia traditio cartæ est solum causa solicitationis, non ipsa solicitatio, siquidem pœnitens in traditione non mouetur ad malum.

℞. Ab ipsà traditione incipit solicitatio, quæ de occulta fit manifesta pœnitenti, dum cartam legit, tunc enim apparet Confessarium ab actu traditionis habuisse prauum desiderium.

Prædicta locum habent in prædictis tribus exemplis conueniunt enim in traditione orta à Confessario, & in lectione facta à pœnitente, in quo terminatur solicitatio ab pœnitente cognita, qui proinde obligatur ad denuntiandum. In casu quarto de accipien-

te

re literas amatorias, & sine lectione eas comburente, dico cum pœnitenti non constet de contentis in literis, sequi, non teneri denuntiare, cum certam notitiam de scriptis non habeat, esto Suspicionem haberet de Solici-
90 tatione; nemo enim denuntiandus per solam dubitationem, sed requiritur certa scientia de delicto.

Quæritur 14. An ex dono, seu munere dato pœnitenti, nullâ tamen factâ mentionē verbali de Solicitatione, inducatur Solicitatio?

91 ℞. Donare aliquid siue spirituale, siue temporale in actu Confessionis pœnitenti sine expressâ, & formali solicitatione subsequente non est pœnitentem solicitare. Probatur, tum quia donum de se non est signum Solicitationis, sed beneuolentiæ, & gratitudinis. Tum quia est actus indifferens, magis inclinans ad bonum, quàm prauum affectum, donare enim est liberaliter dare, *Gloss. V. Inuitus*, *cap.* 4. 23. *q.* 6. Vnde dans ex necessitate non dicitur donare, *Gloss. fin. in l. Rem legatam ff. de adim. leg.* Cum ergo ex hoc actu præcisè spectato non inferatur solicitatio, nec opus est denuntiatione, dum ignoratur Solicitatio. Quòd si paulò post sequatur Solicitatio denuntiandus est manifestè enim constat, animum ab initio prauum fuisse solicitandi pœnitentem iuxta dicta in præcedentibus. Ita docui cap. 23. q. 10. Scobar. cit. num. 17. & 18. ex num. 14.

Trimarchus disp. 2. num. 13. dicit, Confessarium propriè esse solicitatorem dando in Confessione donum insolitum. Probat, quia solicitatio fit per donationem, & muneris largitionem. *Secundò*, dona magis alliciunt, quàm verba. *Tertiò*, quando pœnitens non est pauper; nec eget annulo, quem non perdidit; ergo nihil aliud cogitari potest, nisi Confessarium habere animum libidinosum erga pœnitentem.

92 ℞. Ad primum negatur, donum importare solicitationem, cum ex genere tuo sit solùm gratitudinis signum. *Ad secundum* dona alliciunt quidem tam ad bonum, quàm ad malum, vnde cum largitio eius sit indifferenter, non potest colligi prauus animus, nisi inferatur postmodum ex actuali, & expressâ solicitatione. *Ad tertium*, pauperis donum subleuatio est eius miseriæ, si diues signum grati animi sperantis aliquid vtilius in genere honesti. Demùm cum donatio sit actus liberalitatis, quæ est Virtus, imprudentis est, & temerarij Virtutem vertere in Vitium.

93 Diana par. 9. tract. 9. resol. 34. meum responsum intelligit si donum sit parui momenti, non verò si magni sit pretij, quia mulieres facilè alliciuntur ad venerea per dona. Sed sisto in meo dicto simpliciter, quia non ita facilè Confessarius censendus est solicitator, & sic denuntiandus; denuntiatio enim fit solùm de delictis formaliter vt talibus cognitis, prout subijciuntur denuntiationi, cui est subiecta Solicitatio pro verâ, & non præsumptâ reputata, cum enim Gregoriana sit odiosa ex probatis sub num. 64. eius verba strictè, & propriè accipienda sunt.

Quæritur 15. An interpres solicitans sit Reus huius Bullæ Gregorianæ?

℞. Negatiuè, quia de illo nec directè, nec indirectè fit mentio in eâ, nec in alijs, ergo non est solicitator huius generis, ac proinde nec denuntiandus ex hoc capite, vt dixi cap. 23. num. 69. Et ita docent *Sanchez in Select. disp.* 11. *num.* 10. *vers nec interpres*, *Sousa tract.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. *&* 4. Etiamsi Sacerdos sit, quia non exercet officium Sacerdotis, sed interpretis, *& in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 14. *Castropal. p.* 9 *num.* 6. *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol* 9. *Salelles Reg.* 128. *num.* 37. Qui benè subdit, esse subiectum inquisitori siue Episcopo, si non ex vi Bullarum, saltem de Iure communi, quia & is facit iniuriam Sacramento, & præterea vt dixi sub num. 24. & 25. sit de Foro eius Iudicis, sub quo est alter cum quo agit tamquam cooperator ad Sacramentum Pœnitentiæ malâ actione. 94

Contrarium tenet Freitas ad q. 15. num. 27. & 28. apud Dianam citatum mox, & Escobar (hactenus dixi Scobar ex facie eius operis impressionis Cordubensis anno 1642.) q. 2. num. 31. qui dicit num. 34. hanc opinionem, scilicet quòd interpres solicitans subijcitur huic Bullæ, & denuntiandus est, & de hac opinione non est dubitandum, inquit, & 95

Probat primò, quia Interpres accedit ad Sacramentum in casu necessitatis, vt sacer medicus per intelligentiam verborum perueniat in cognitionem morborum, & antidotum oportunum adhibeat, quod in mortiferum venenum reddit Interpres solicitans cum tanti Sacramenti notoriâ iniuriâ.

℞. Nihil infertur in casu quo pœnitens dissentiat, & recuset, ac proinde medicus sacer oportunum adhibet antidotum, ac proinde non potuit in venenum ab Interprete exhibitum, & non acceptum, transire. Quòd si consensit in solicitationem sibi factam, adhuc Interpres non est Reus huius Bullæ, nec pœnarum in eâ expressarum, quia Lex non aptatur illis, quibus nec verba conueniunt, *cap. Indemnitatibus*, *de elect. in* 6. *§ fin l* 4. *§. Toties ff. de damno infecto*, ad quod facit illud Apostoli ad Roman. 3. *Scimus autem quoniam quæcunq; Lex loquitur, ijs, qui in Lege sunt, loquitur.* Interpres autem non exprimitur in Gregorianâ, nec in alijs Bullis, ergo de illo non loquuntur, quia in his non est Interpres expressus. 96 97

Dices, illud axioma, lex non aptatur illis, quibus nec verba, habere locum, quando non solùm verba, sed neq; ratio Legis aptari potest, nam si ratio Legis, & intentio Legis-

litoris aptari potest, accommodatur etiam Lex quamuis verba aptari non possint, vt docent Dinus *in Reg. fin. in 6. num. 13. & Bartol. in l. Cum mulier ff solut. matrim. apud Megalium* 1.2. *lib. 2. cap. 7. num.* 38. Patet autem etiam per Interpretem solicitantem fieri iniuriam Sacramento, ergo ad ipsum Lex Gregoriana extendenda est licet verba id non patiantur.

98 ℞. ex identitate rationis etiam expressæ, Legem non extendi de casu ad casum, *Anton cap. fin. de consuet. num.* 58. *Castro lib. 1. de lege penali cap. 7. Docum. 7. ex illis* Sanch. *lib.* 10. *disp* 4. *num.* 3. dicens, id esse veriùs, quia Leges non pœnales a deo pendent à ratione, vt ratio Legis dicatur eius mens, & anima; ex quo necesse est, vt vbi inuenitur illa eadem ratio, locum habeat lex; Lex autem pœnalis non omninò pendet à ratione res-

99 pectu pœnæ, sed etiam à voluntate Legislatoris talem pœnam exprimentis in sua Lege; ratio enim quæ suadet punitionem, non dictat delinquentem esse hac, vel illâ pœnâ affligendum, sed hoc pendet à solâ legislatoris voluntate, qui proinde subijcit vnum pœnis, & non alterum, licet ambo offendant mentem Legis. De Lege non extendendâ, quando est odiosa ex identitate rationis, agunt *Corsetus in singul. V. Extensio* 2. *num.* 1. *Tiraquel. de Retr. in Præfat num.* 62. & 63 *Honded. lib.* 1 *consf.* 95. *num* 98 *Farinac. in Fragm. in crim par.* 2. *lit. E num.* 115.

100 Probat 2. idem Escobar sub num. 32. Quia Interpres mediat inter Sacerdotem, & pœnitentem in ipso Sacramento, & debet velut principalis iudicari ratione dependentiæ saltem quò ad hunc effectum arg. textus *in l. Tunc inutile* 12. *de peculio legato. Menocb de Retinendo, remed.* 1. *num.* 149. *Valenzuela consf.* 18. *num.* 71.

℞. Negando, interpretem esse medium, cum tantùm se teneat ex parte pœnitentis, cuius vices repræsentat, dum peccata pœnitentis explicat Confessario. Deinde habens rationem medij præstantius est extremis, vt patet ex medio loco, qui occupatur à digniori, iuxta illud Lucæ 22. 27. *Ego autem sum in medio vestrum, sicut qui ministrat.* Sacerdos autem, non Interpres, ministrat Sacramentum, ergo ille mediat, non hic Vlterius ex illâ mediatione etiam admissâ nihil infertur ad propositum, sed solùm, quòd beneficium vtriq; facit, non tamen audit, nec ipse confitetur, ergo nec subijcitur Gregorianæ, aut alijs Bullis.

101 Probat 3. quia negari non potest, nisi quòd prætextu confessionis Sacramentalis, & veræ, solicitet, quod sufficit ex nouo Decreto.

℞. Non omnes, qui solicitant, sunt Rei pœnarum huius Bullæ, sed tantùm qui in ea exprimuntur; sed solus Sacerdos exprimitur, ergo is solus est Reus; & non Interpres, quamuis solicitet; melius dixisset occasione Confessionis, quam prætextu, quo res subumbratur, & velatur, quo velamine non vtitur Interpres, cum verè declaret peccata pœnitentis confessario ignoranti loquelam pœnitentis.

Probat 4. quia concurrit ad Confessionem, 102 & cognoscit peccata per ordinem ad eam, & ita afficitur effectibus Confessionis, vt sententia est communis omnium loquentium de sigillo, *cap. omnis, de pœnit.* Bonac. *disp.* 5. *de Pœnit sect* 5. *part.* 3. *num.* 5. *Diana par.* 5. *tract* 11. *resol.* 48.

℞. Esto concurrat, & cognoscat peccata pœnitentis, talis tamen concursus, & cognitio non concurrunt ad Sacramentum conficiendum, quia id solùm constat ex actibus pænitentis, qui sunt dolor, confessio, & satisfactio, vnde solùm dicitur se habere interpretatiuè supplendo declarationem pænitentis ignorantis loquelam Confessarij. Quare cum se teneat Interpres ex parte ipsius pænitentis, qui non obligatur ad sigillum sacramentale, ita neque ipse Interpres, qui solùm tenetur alio iure, scilicet naturali non manifestandi peccata ex interpretatione cognita. Et licet communis sit opinio, quòd Interpres teneatur celare peccata sub sigillo sacramentali, quorum auctores refert Diana loco citato; non desunt tamen alij oppositum sentientes, teneri solùm ex vi secreti naturalis scilicet Interpres, qui sunt *Caiet. V. Confessio condit.* 11. *Sotus in Relect de Tegendo secreto, membr.* 3. *q.* 4. *& in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 5 *Victoria in sum.* §. 171. *apud dictum Dianam, & Auersam, de Panit. q.* 18. *sect.* 5. *vers. Secundo* quam nouissimè etiam tenet *Gabriel de S. Vicentio disp.* 10. *de Pænitentiâ q.* 2. *vbi citat Ioannem de Cruce part* 2. *q.* 3. *dub.* 7. *concl.* 1. Ponens hanc conclusionem: Interpres tenetur quidem peccata, quæ audit, fidelitatis, vel secreti naturalis titulo, & quidem arctissimo celare, non tamen propriè titulo sigilli sacramentalis Confessionis, quia Interpres eo titulo tenetur secreti, quo pænitens, sed non tenetur is titulo sigilli sacramentalis, ergo nec Interpres. Sed vlterius datâ opinione Aduersariorum, adhuc ex ea non infertur, quòd Interpres violator sigilli sit reus Gregorianæ, quia illa nihil disponit de violatione sigilli, sed tantùm de Solicitatione, quæ fit à Sacerdote confessa- 103 rio, nihil dicendo de Interprete, ergo is casus omissus relinquitur dispositioni Iuris communis, ex vulgatis iuribus.

Probat 5. quia hoc ipso, quòd permittitur accedere ad Sacramentum habetur pro Confessario interpretatiuè saltem; quod sufficit, præcipuè, quia adest identitas rationis in comprehenssione, ex Freita.

℞. Nullo modo habere rationem Confessarij,

sarij, non enim supplet eius Officium, sed ignorantiam pœnitentis, qui nescit idioma Confessarij. Ad illud de identitate respondi supra sub num. 98.

Quæritur 16. An hæc verba: *Si essem secularis* (inquit Confessarius mulieri se confitenti) ducerem te in vxorem, sint solicitatoria in Bullà interdicta? Respondi sub num. 67. non esse solicitatoria; sed quia postmodum legi in *Diana part. 9. tract. 9. resol. 32. vbi citat Escobar q. 3. num.* 38. qui ambo tenent esse verba Solicitationis, ideo

104 ℞. Iterum, ea verba nullatenus esse Solicitationis significatiua, non enim sunt inhonesta nec expressè, nec tacitè, cum aliud pro obiecto non habeant, nisi contractum conditionatum Matrimonij, quod sine dubio est honestum, ergo & verba ipsum exprimentia.

105 Diana probat, quia ea verba sunt dicta aliquà occasione in Confessione, & videntur maximè excitare ad venerem; & cum sint impertinentia ad Confessionem, sapiunt solicitationem, callidus enim confessarius paulatim vult illam incipere, & mulierem allicere, sicut si laudaret illam à pulcritudine, & tamen verba, quæ fœminam laudant ex pulcritudine, non sunt mala, nec explicant impudicum affectum, verùm si absq; aliquà occasione proferuntur à Confessario, esset denuntiandus, vt vult ipse Bordonus num. 59. in Sac. Tribunali. Ergo &c.

Resp. Negando, ea verba excitare maximè ad venerem; aliter nulli liceret tractare de Matrimonio ineundo non solùm sub conditione, sed nec absolutè, quod omnino falsum est in sententià omnium. Ad impertinentiam dico, eam excludi ex causà talis locutionis, vt quia fœmina habet, vel bonam administrationem domus suæ; vel habet artificium magnæ vtilitatis; vel quia est valdè diues, aut conspicui sanguinis, &c. Cum ergo Fœmina aliqua ex his dotibus sit ornata, prudenter credere potest ex vnà ex his moueri confessarium ad talem honestum sermonem, aliter sinistrè sentiens temerarius est, & imprudens. Et ita locutus sum sub eo num. 59. de laudatione procedente ab aliquo honesto fine.

Subiungit Diana esse recogoscendum Excobar. q. 3 num. 38. Recognoui illum pro meà sententià, nam, præterquam quòd nihil de hoc speciali casu; dicit Regulam hanc; Scilicet, omnià peccata mortalia, quæ ad luxuriam pertinent, esse materiam Solicitationis, sub num. 1. vnde sub num. 37. ait, habere locum in dubià Solicitatione, dum verba habent certum solicitandi sensum, animus autem Confessarij est dubius, ex quo Confessarius suspectus valdè remanet secus tamen, quando verba non ita certum habent sensum Solicitationis, vt trahi aliquo modo possint in bonum sensum, pro quo potius sumenda est præsumptio, quàm pro sinistro, vt fatentur omnes, *Sousa de solicit. cap. 4. num. 8. & in Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 51. & 52.* Si ergo verba sunt dubia solicitationis, & non possunt trahi in bonum sensum, præsumitur reus solicitationis, ac proinde, denuntiandus est, & non aliter, ne infametur. In casu autem nostro verba nullam admittunt dubitationem solicitationis, neque in seipsis, neq; in mente sic loquentis, temerarius enim ille est, qui ex verbis clarè honestis animum inhonestum arguere vult, qualia enim sunt verba, talem indicant esse men- 106
tem loquentis, *l. Labeo §. Idem Tubero, ff. de supell. legata.* sunt enim signa, & testimo- 107
nium mentis nostræ, & demonstrant quid loquens habeat in animo, *Glos. V. Animus, in l Fulcinius §. quid sit latitare ff. Quibus ex caus. in possess. eatur.* Non est ergo præsumendum proferentem verba satis clarè, & sine dubio honesta habere prauam voluntatem solicitandi.

Quæritur 17. An, & quomodo interpretanda sunt verba solicitationis dubia, in fauorem ne loquentis, an contra ipsum?

℞. Ad fauorem proferentis, maximè si 108
adducat ipse loquens causam, propter quam talia verba dixit mulieri, vel puero. Suppono dubium, quia nemo dubitare debet, vbi 109
non est dubitandum, cap. Cum contingat 24. de rescript. prope finem.

Probatur, & quia dubia in meliorem par- 110
tem sunt interpretanda, *l. cum creditor. ff. de furtis, l. Proxime ff. de his, quæ in testam. delent. cap. Estote 2. de Reg. Iuris* Et quia in du- 111
bijs benignior interpretatio facienda est, *l. 57. ff. de reg. iur. cap. fin. de transact.* Et quia in re dubia benigniorem interpretationem sequi 112
non minus iustius est, quàm tutius *l. 153. ff. de reg. iur* Et quia cum partium Iura sunt obscura, fauendum est potius Reo, quam actori, *Reg. 11. in 6.* Et quia in pœnis beni- 113
gnior interpretatio est facienda, *Reg. 49. in 6.* In his terminis *Escobar q. 3. §. 2. num. 15. & 38. Trimarch disp. fin. num. 63. ex Venero*, ait, si probatio erit dubia, iudicandum esse pro denuntiato, quia crimen non præsumitur, vbi possibile est, quod sine crimine aliquid fieri possit; cum ergo locutio sit indifferens ad bonum, & malum, pro bonà accipienda est, ne delictum præsumatur. *Dal Bene Dub. 198 sect. 11. in Corollar. num. 2.* de obscuritate testium in causa Hæresis fauendum esse Reo, si aliàs sit vir probus, num. 3. 4. & 5. Allegatæ tamen rationes etiam in Dub. 237. sect 3. num. 22. eidem non placent absolutè in casu, vbi agitur de Solicitatione in Confessione, dum mulier laudatur à pulcritudine, quia sola confabulatio cum Fæminà in deteriorem partem accipitur; dic tu si sit malæ famæ.

Quæ-

Quæritur 18. An Confessarius rogando pænitentem in Confessione, vt acceptet amicam in domum suam, vt commodius ea abutatur venereis, sit reus Gregorianæ?

114 ℞. Affirmatiuè, id enim colligitur ex illis verbis: *Qui personas ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, solicitare tentauerint*. Et licet hæc verba non videantur extendi ad casum hunc, quia Confessarius hic videtur comprehendi, quando solicitat pœnitentem vel pro se, vel vt alteri pœnitens prostituatur, & quòd non faciat lenocinium cum tertia persona. Nihilominus hoc etiam concesso, adhuc dicitur Reus Gregorianæ quia comprehenditur in sequentibus verbis: *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint*. Nemo enim negare Iure potest, casum præsentem comprehendi in præfatis verbis: Ita *Diana par.4.tract.5.resol.45.ex eo Salelles Reg.132. 117.* ex primis verbis, sed melius ex posterioribus, sequitur *Escobar q 3 §. 2. num. 31.* Contrarium tenet *Sousa tract. 1. de Solicit. num 8. Vers. Idemq dicendum*. Procedit tantum hoc ex Gregorianà.

Quæritur 19. Confessarius dum audit Confessionem cuiusdam seruæ, laudat de pulcritudine Dominam suam, rogando eam ancillam, vt id referat dominæ suæ. Numquid per hæc verba dicatur incitare seruam ad lenocinium cum sua domina, & sic fiat transgressor huius Bullæ Gregorianæ. Inuentorem huius casus fecit se Salelles Reg. 132. num. 118. & affirmat.

115 ℞. Affirmatiuè, quia talis sermo, & tractatus est illicitus ac inhonestus, nec aliquà ratione videtur excusandus, dum hactenus non sit allocutus talem dominam nec honestum negotium cum ea sit habiturus. Vide num. 75. de laudatione.

Quæritur 20. An Reus sit Gregorianæ postulans à pœnitente pecuniam, vt tradat meretrici suæ?

116 ℞. Negatiuè, nisi dicat, se velle pecuniam tradere meretrici, vel per pecuniam velle sibi quærere amicam, quia talis tractatus sine dubio turpis, & inhonestus est; non autem si simpliciter petat pecuniam pro aliquo suo seruitio, eo non specificato, vel notificato seruitio honesto, esto velit illam tradere meretrici. Ita *Escobar q.3.§. 2. num.32. vbi citat Sousam tract.1.cap. 14. num.8.* Renuoco, quod dixi cap.23. num.62.

Quæritur 21. An solicitans solùm ad pollutionem Mulierem, vel Puerum sit Reus non solùm Gregorianæ, sed etiam aliarum Bullarum?

117 ℞. Est Reus omnium respectu Fœminæ, respectu Pueri solùm Gregorianæ. Ratio vtriusq. est, quia sine dubio tentat pœnitentem ad inhonesta. Ita *Acugna q. 8. num. 7. Sanch.disp.11.num.23. Vers. Vnde à fortiori ex illis Escobar q.3.§.2.num.23.*

Quæritur 22. An Confessarius arguens suam Concubinam de Zelotypia sit violator Bullæ Gregorianæ?

℞. Affirmatiuè, quia huiusmodi redargutio non potest fieri nisi verbis parum honestis 118 quæ sine dubio magnam inferunt Sacramento irreuerentiam, nam huiusmodi reprehensione insinuat eidem ardentem lasciuum amorem, quo in eam fertur, & sic intendit excludere quoslibet alios ab amore, & eam sibi retinere, quo tractatus sine dubio est turpis, & inhonestus, siue confiteatur, siue non, quæcunq; sit eius Confessio, quæ potius confusio est. Ita *Sanch.disp. 11.num.32. Fagundez Præcepto 2. lib 4.cap. 3. num.63. ex eis Diana par 4.tract 5.resol.43. Trulench.1. Decal cap.3 Dub.18.num.46. cum illis Escobar q.3.§.1.num. 36.* contra *Freitas q.9.num. 21. in vltima editione*. Cuius rationes ex dictis remanent solutæ.

Quæritur 23. An in Gregorianà, & alijs Bullis prohibeatur solicitatio ad alia crimina præter peccatum carnis?

℞. Negatiuè, quia in Bullis præcisè sit 119 mentio de solicitatione ad venerea, ergo excluduntur alia delicta, esto sint iniuriosa huic Sacramento, ex diuersis enim non fit illatio.

Ratio diuersitatis est, quia ad alia delicta non est ita procliuis homo, sicut ad peccatum carnis, omnes enim valdè angit, bellum continuum, rata est victoria. Confirmatur, quia Bulla est odiosa, ex dictis num. 64. ergo non extendenda. Ita *Paramus lib 3.q. 10. num.225. Scortia Epitome 77.Theor. 197. cum alijs Diana par. 1. tract. 4. resol. 20. & par. 4. tract. 5. resol. 17.* plures alios citat Salelles *Reg.127 num. 13 Escobar.q.1. num. 44.* vbi aliorum delictorum cognitio non spectat ad Inquisitores, idem dicit q.3.§. 2. num.39.

Pegna *par.2. com. 81. Zecchius in summa tom.1.de fide cap.11.num.5. Emanuel Moura de ensal & incant.sect.3 cap.3.num.17.* tenent solicitantes in alijs delictis esse subiectos Inquisitoribus etiam ex Gregorianà arg. Mauem sub illis verbis: *Aut cum eis illicitos & inhonestos sermones*. Sic discurrentis: Acugna 120 considerat non frustra duplicari in Bulla *Ad actus inhonestos, & illicitos*, quasi illiciti addant supra inhonestos, quamuis conetur, vtrosq; sumendos esse tantùm intra materiam veneris, ergo rationabiliter puto illicitos ampliare ad illicitos in omni materià.

Ad hoc argumentum respondetur, præponi genus speciei sic in Bullà *Illicitos, & inhonestos*, non speciem generi, vt ipsi fecerunt, neq; enim genus restringit speciem, sed hæc illud trahit ad se cum exclusione aliarum specierum, restringitur ergo genus à specie, *l.Generali 32.§.Vxori ff. de vsu, & vsufr.* Et 121 genus

genus atq. species concurrentes simul, illud per hunc restringitur, *cap. 2. de resc. cap. Statutum, de decim in 6. l. Sed & si adyciatur ff. pro socio, ubi Bart.* verbum enim speciale additum generali huius significationem restringit, ex dicti lege docet *Megalius cons. 40. num. 3 Papponius cons.* 106. *num.* 1. Generi enim per speciem derogatur, *l. Seruis* 97. §. *Si alij ff. de legat. 3. l. 81. ff. de reg. iur. l. cum alij 2. ff. de tritico, vino, & oleo leg.* Non ergo Bulla Gregoriana, & multò minus aliæ comprehendunt alia delicta supra actus luxuriosos, sed ad hos tantùm sunt restrictæ, exclusis omnibus alijs delictis.

122 Numquid Inquisitor potest ex alio capite cognoscere super his delictis in confessione perpetratis?

℞. Sic, ex eo scilicet, quòd Confessarij sic solicitantes ad alia peccata sunt valde suspecti de Heresi, & hoc modo intelligendus est *Pegna cit. com.* 81. *vers. ille quoque*. Ita docet Salelles Reg. 127. num. 21. probans ex his verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catolica rectè senserint Sacramentis in Ecclesiâ institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant*. Pij IV. ergo à contrario sensu male sentiunt, qui Sacramentis abutuntur. Idem quoque dicit Reg. 392. num. 314.

Quæritur 24. Si Confessarius, & Pœnitens cognoscant nullitatem Confessionis, & subsequenter per hoc non intendant vlterius conficere Sacramentum, ex eo etiam, quod caret Iurisdictione, numquid sequens solicitans fiat Reus Bullarum?

123 ℞. Affirmatiuè, quia cœpta fuit sacramentalis Confessio, non obstante, quòd ambo recesserint ab hac Intentione, hæc enim contraria voluntas non destruit, quod cœptum fuit. Et hoc verum est respectu omnium Bullarum, siue confessio cœpta fuerit etiam mala fide vtriusque quia omnes Papæ prohibent, Confessarios audientes confessiones sacramentales solicitare, non distinguendo inter bonam, & malam Fidem, ergo quouis modo audiant cum solicitatione Rei sunt harum Bullarum. Ita *Diana part. 4. tract. 5. resol. 8. contra Sanchez disp. 11. num. 39. & Henriquez lib. 6. cap. 21. num. 4.*

Quæritur 25. An detur paruitas materiæ in actibus Solicitationis, itaut excusetur Confessarius à violatione Bullarum, & non veniat denuntiandus?

124 ℞. Non datur paruitas materiæ in hoc genere Solicitationis, quia quilibet actus luxuriosus, esto aliàs venialis esse possit in communiori sententiâ ex paruitate materiæ in se spectatæ; tamen spectatâ circunstantiâ Sacramenti, in quo accidit, & loci quoque, in quo fit, necessariò asserendum est, id esse peccatum graue, & mortale, quia maximam infert Iniuriam Sacramento, ergo ita solicitans violat Bullas, ac proinde venit denuntiandus. Ita docent *Acugna de confess. solic. q. 7. Diana part. 1. tract. 4. resol. 21. Et par. 4. tract. 5. resol. 5. part. 5. tract. 5. resol. 9. ubi citat Bossium de confess. solicit. dub. 18. num. 55. Trimarch. disp. 2. num 44. item part. 10. tract. 14. resol. 44 Escobar q. 3. §. 2. num. 10 Dal Bene Dub.* 237. *sect.* 3. *Carena par. 2. tit 6. num. 37.*

Contrarium, quòd detur paruitas materiæ, ac proinde veniale, & sic pœnitentem excusari à denuntiatione in hoc casu, docent *Portell. V. Solicitare num. 4. Lupus lib. 5. dist. 1. art. 1. diff. 3. Gaspar Hurtadus de iustitiâ disp. 2. de iudicio forensi, diff. 7. Sousa lib. 1. cap. 33. num. 4. & de Solic. tract. 1. cap. 1. nu. 7.* Tum quia grauis est pæna, pro leui delicto non imponenda. Dic tu imponi pro hoc, quod graue est. Tum quia suspicio Hæresis ex peccato veniali præsumi non potest, sicut nec graue quid ex leui deduci. Dic tu sicut prius; & præterea supponit veniale, quod erat probandum, sicut nos probauimus esse mortale, ex quo tale Sacrilegium est contra virtutem Religionis, quod ex leui non oritur. Sequitur horum opinionem reiectam Ioseph de Ianuario de casib. referuat. resol. 56. 125

Dal Bene mox citatus, quamuis affirmet istos esse denuntiandos Inquisitoribus sub num. 1. & 17. Nihilominus multis probat negatiuam non esse omninò improbabilem. 126

Primo, quia Paccata de se venialia in materiâ Castitatis, eo quòd fiant in Sacramento isto non redduntur mortalia contra religionem, neque de Iure naturali, & diuino, neque de Iure positiuo Bullarum Pontificiarum, quia in istis non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus, sed solùm prohibetur id, quod de se malum, & inhonestum.

Contra est, quia Lopez *de Texeda tom. 1. lib. 2. tract. 3. controu. 13. num. 73.* testatur, Clementem VIII. definisse in officio S. Inquisitionis non dari in rebus venereis paruitatem materiæ, *apud Dianam part. 5. tract. 5. resol. 5 vers. Sed his, qui part 4 tract. 4 resol. 136. & part. 3. tract. 5. resol. 1.* refert quamplures ad hoc. Et sic ruit probabilitas huius opinionis. Et propter hoc nulla fit prohibitio in Bullis de peccatis venialibus, cum non dentur in hac materiâ, & sic prohibitio ex necessitate cadit super mortalia, & nullatenus super venialia, cum non dentur. Argumentum ergo eius supponit, quod erat probandum. 127

Secundò adducit argumenta, quibus supra responsum fuit.

Tertio inquit, si Confessarius dicat pœnitenti verba leuia, vel faciat signum, aut opus leue indicatiuum amoris lasciui, quæ iuxta iudicium prudentis viri non sit peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendum,

dum, non videtur, quod sit denunciandus, cum sit communis opinio, quod materia leuis reperiatur in omnibus delictis, exceptis virtutibus Theologicis, & excuset à pœnâ ecclesiasticâ; & sic percussio leuis Clerici licet, interius sit mortalis ex odio intenso, tamen exterius sit venialis excludens ab Excommunicatione.

128 Contra est, quia argumentum supponit, quod probandum est scilicet dari materiam leuem in peccatis lasciuis, quod esse falsum ex definitione suprà citatâ, Clementis VIII. patet; & ex communi opinione citatorum à Diana. Vnde licet in percussione detur leuis materia, quæ est solum venialis, excusans à censurâ, quæ nonnisi propter mortale incur-
129 titur, *cap. Nemo* 41. *cap. Nullus* 42. 11. *q.* 3. *Scotus in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *num.* 11. Tamen non datur in Solicitatione, quæ est grauissimum peccatum, etiam quòd sit solùm attentatio, vt colligitur ex his verbis: *Solicitare, aut prouocare attentauerint*. Gregorianæ.

Quartò, vt dixi supra, ipse hanc opinionem non tenet; non tamen eam reijcit, sed dicit probabilem, præscindendo à Bullâ Alexandri VII. vbi vult, quòd tam Hæreticus, quàm de Hæresi suspectus vel leuissimè locorum Ordinarijs, aut Inquisitoribus denuntietur. Videtur per hoc velle, quòd leuissima Suspicio oriatur ex delicto, quod solùm est veniale.

130 Displicet hoc mihi, quia peccatum solùm veniale non arguit Suspicionem Hæresis, sed solùm mortale, nam Suspicio est quid graue, cum ab Hæresi specificetur, ergo à graui delicto procedere debet, quæcumque ea sit, siue leuis, siue vehemens, vtraque enim per-
131 tinet ad Hæresim. Ex quo sequitur, decretum Alexandri intelligendum esse de leui Suspicione relatiuè ad vehementem, non ad peccatum veniale, quia sicut nemo tenetur confiteri peccatum veniale, cum alijs medijs deleri possit extra Sacramentum pœnitentiæ, ita neque denuntiare, cum obiectum denuntiationis sit peccatum mortale ordinatum ad iniuriam Fidei catolicæ. Vide quæ dixi sect. 16. q. 3.

Quæritur 26. An Confessarius solicitans in confessione sit suspectus de Hæresi, & qualiter?

132 ℞. Confessarius solicitans in Confessione, etiam ante immediatè, vel post immediatè, iuxta dicta sub q. 5. siue occasione, aut prætextu Confessionis, in Confessionario ordinario; siue extraordinario, pœnitentem siue masculum, siue fæminam, siue simulando, siue non iuxta dicta in præcedentibus quæstionibus, est suspectus vehementer de Hæresi.

Probatur ex illis verbis Pij IV. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide catolicâ rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesiâ Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant*. Ergo qui illis abutuntur, & faciunt iniuriam, à contrario sensu, quod est argumentùm fortissimum, *Gloss.* V. *Intelligi, cap.* 133
7. *de his, quæ fiunt à Prælatis*, sunt vehementer suspecti de Hæresi; talis enim abusus valde vrget. Ita *Pegna part.* 2. *Direct. com.* 81. *vers. Ille quoque Salelles Reg.* 392. *num.* 297. *Franch de Leone in Thesauro part.* 3. *cap.* 37. *num.* 35. *Zanardus in Direct. Inquis. par.* 3. *cap.* 78. *Genuens. cap.* 66. *num.* 1. *Molfes. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 40. *Peyrin. ad Gregorianam* §. 3. *num.* 5. *Modius de ordine cap.* 27. *num.* 6. *Trimarch. disp.* 4. *num.* 34. *ex illis Dal Bene* Dub. 237. *sect.* 20. *num.* 4. *Aloysius Bariola ad Direct. par.* 2. *com.* 81. Omnes dicunt practicari in Vrbe, & in tota Italia, & ita testor idem hic Parmæ seruatum fuisse contra quendam Confessarium,

Hispani verò asserunt talem Confessarium 134
esse suspectum solùm leuiter, quos citant prædicti, *&* Diana, *atque Escobar q.* 1. *num.* 10. *&* 11. Probant duobus potissimum argumentis. *Primò*, quia in solicitante magis attendi debet præcipuum motiuum vrgens ad peccatum carnis, quod est suensualis passio, & propensio ad libidinem nimis ardens, quàm voluntas abutendi hoc Sacramento, cum ex motiuo distinguantur delicta, non ex euentu, & effectu per accidens, siue concomitanter coniuncto, *l.* 1. *C. ad legem Cornel. de Sicar.* Secundò ex doctrinâ Bartoli in l. Verum est cap. 1. de furtis num. 4. vbi ait: si fecisti pacem cum aliquo promittendo eum non offendere sub certâ pænâ, si postea adulteres eius Vxorem, non teneris pænâ pacis ruptæ, quia non fecisti animo iniurandi, sed causâ Libidinis principaliter. Addo tertium argumentum ex Excobar citato probante ex his verbis: *In eos pro criminum qualitate, & circunstantijs, Suspensionis ab executione Ordinis, priuationis Beneficiorum &c.* Gregorianæ. Quibus significatur, Suspicionem orientem ex Solicitationis crimine non semper esse eandem, sed augeri, minuique ex circunstantijs, & ideo certa non imponi pæna, quia incerta est Suspicio, & criminis grauitas.

Primo respondetur negando, quòd magis debeat attendi propensio ad luxuriam, 135
quàm ad iniuriam Sacramento factam, sed vtrumque, ex quibus infertur Suspicio Hæresis grauis, & vehemens ex iniuriâ factâ tam graui Sacramento, siquidem abusus, & iniuria non se habent per accidens, & concomitanter, sed necessariò & per se, est enim moraliter impossibile dari Solicitationem sine iniuriâ Sacramenti; vnde cum peccatum carnis, ad quod naturalis sensus inclinat, anteponatur reuerentiæ Sacramenti, cui fit ex necessitate antecedentis Iniuria, præsumitur solicitans non bene sentire de Sacramento,

to, sed illud spernere, cum eo vtatur vt medio ad commodius peccandum; cum ergo non possit dari Solicitatio sine Iniuriâ Sacramenti, maleficium hoc peccati carnis, vt causa necessaria productiua iniuriæ, specificat solicitationem in ratione sacrilegij, quia qui est causa causæ est causa causati, *l. Et si 9. ff. ad l. Iul. de adulter.* Nihil ergo hic venit casu, & per accidens, sed necessariò positâ solicitatione huiusmodi.

Secundo argumento ex Bartolo, dico esse disparem rationem, nam Pax, & Adulterium ita inter se sunt diuersa, & disparata, vt vnum ab altero non dependeat, & sic adulterium pacem non rumpit. In casu autem nostro ad Libidinem, sequitur Sacrilegium, & iniuria Sacramenti, & subsequenter Suspicio Hæresis vehemens, quia ex hoc nullus vir prudens non nisi deducere potest, talem iniuriam facientem, malè sentire de Sacramento. Patet autem ex probatis in præcedenti responsione Suspicionem, Sacrilegium & Iniuriam originem trahere necessariò ex delicto carnis perpetrato in causâ huius Sacramẽti; in casu ergo nostro est dependentia, non in casu Bartoli, & sic intendens adulterium excludit, & excludere potest intentionem rumpendi pacem; per peccatum autem carnis luxurians non potest excludere Iniuriam, Sacrilegium, & Suspicionem, cum sint effectus necessariò dependentes ab illo.

Tertiò dico, ea Gregorianæ verba nõ referri ad Suspicionẽ, sed ad crimina Solicitationis dicit enim textus: *In eos pro criminum qualitate, & circunstantijs*. Varij enim sunt modi solicitandi, nempe verbis; vel factis; osculando, tangendo pudenda; vel manus stringendo. In imponendis ergo pœnis ibi expressis attendenda est qualitas horum modorum solicitandi, non attentâ qualitate Suspicionis, huius enim gradus potissimùm spectantur in ordine ad Torturam, & Abiurationem, non in ordine ad pœnam corporalem, respectu cuius attenditur grauitas, quia pœna debet correspondere culpæ.

Quæritur 27. An sit suspectus vehementer de Hæresi, qui simulat confessionem, Dixi sub num. 46. quod non datur simulatio, nisi sit mutua.

136 ℞. Vterque est vehementer suspectus de Hæresi, ratio est, quia si Suspicio oritur à solâ solicitatione, à fortiori à simulatione ei adiunctâ, per quam coloratur, & velatur Solicitatio, cum ergo per vtramq. fiat iniuria Sacramento, ex his efficaciter infertur vehemens Suspicio Hæresis.

Colligitur ex Decreto Pauli V. facto anno 1614. de quo Trimarchus sect. 3. num. 9. his verbis: *Facta relatione, quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis, sanctissimè decreuit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio*. Et licet loquatur de Confessario, non tamen excluditur pœnitens, cum ambo sint complices in delicto, & idem committant simul delictum, ergo pari Suspicione, & pœnâ sunt puniendi. Quod confirmatur magis ex verbis Gregorianæ de simulatione Confessionis, de qua dixi sub q. 7. Vide Dianam *par. 4. tract. 5. resol* 50. *fine, & Dal Bene dub.* 237. *sect.* 24.

Sousa *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 68. *& super Gregorianam, num.* 15. *&* 16. *ex eo Carena par.* 2 *tit.* 6 §. 16. *à num.* 78 *ad* 88 *& ex vtroq. Salelles Reg.* 392. *a num.* 318. *quos ego cap.* 23. *num.* 80 *sequutus sum sed reuoco quod ibi dixi*. Aiunt, quòd confessarius extra occasionem Confessionis nullâ ratione cogi potest ad abiurandum, si non abiurat, ergo nec ex solicitatione infertur suspicio, cum hac positâ sequatur necessariò Abiuratio.

Probat primò Carena, quia in confessario non adest abusus Sacramenti; igitur nec Suspicio Hæresis, quæ oritur ex abusu, sub num. 81. Vers. Verùm. *Ego dico*, adesse abusum Sacramenti, quia ibidem simulatur confessio, nam Confessarius sedet pro tribunali, & pœnitens, est genuflexus, ergo ibi simulatur confessio, vnum enim ibi verè fit nimirum tractatus inhonestus, & aliud fingitur nempe confessio, quæ non fit vt dixi q. 7. ergo ibi est abusus Confessionis, hoc enim Carena probare debebat, & non supponere.

Probat 2. respondendo argumentis Dianæ Dicit ergo Diana apud ipsum, quòd in Romanâ Inquisitione isti abiurant. Deinde ex Bullâ Gregorianâ ait, quòd solicitantes ante, vel post Confessionem immediatè abiurant, ergo & in confessionali solicitantes, vt sic vna determinatio æqualiter omnia determinet, *l. Iam hoc iure ff. de vulgar. Decius cons.* 101. *num.* 65. *Surd. dec.* 31. *num.* 15. contra hos ergo inquirunt, prout in causis Fidei, ex eadem Gregorianâ, ergo abiurant, sicut in omnibus alijs causis Fidei. 137

Respondet ergo Carena dupliciter ad hoc argumentum Dianæ. Primò instando, quòd in Lusitaniâ sodomitæ in S. Officio non abiurant, & tamen Inquisitores procedunt contra istos, sicut in causis Fidei. Vrbanus VIII. eam particulam *Sicut in causis Fidei* declarauit, vt intelligatur solùm quò ad modum procedendi, ex Sousa ex literis Card. Mellini 15. Martij 1622. Et sic in casu presenti de cõfessionario illa verba sunt intelligenda, de modo scilicet procedendi, non terminandi Processum contra istos vt suspectos, cum non sint abusi Sacramento.

Secundò respondet, eam regulam Iuris de determinatione cessare, vbi eadem ratio non militat in omnibus determinabilibus *ex Surdo vol.* 1. *cons.* 67. *num.* 19. militat autem hic diuersa ratio, ergo. Ad attestationem Dianæ,

næ quòd ita Romæ obseruatur, ait non esse ei credendum, quia non est versatus nisi in Inquisitione Siculanâ.

138 Respondeo obiectis Carenæ, ad primum, eam instantiam non facere ad rem, quia Sodomiæ delictum nullatenus admittit suspicionem Hæresis; ideo illa clausula restringitur ad modum procedendi, non extenditur ad suspicionem, quæ ex hoc delicto oriri non potest, sicut oritur ex Solicitatione, quæ fit in Confessionali, simulatâ Confessione, vt dixi supra. Declarationem Vrbani teneo ego esse falsam, quia data fuit anno millesimo sexcentessimo vigesimo secundo, quo viuebat Gregorius XV. & sic nondum erat

139 Vrbanus VIII. cum Gregorius obierit octauo Iulij 1623. subinde ei successit Vrbanus eodem anno sexto Augusti, vt collegi ex Bullario. Deinde, quòd abusus cadat in Confessionarium, & non in Sacramentũ, mihi non probatur, quia locus non est reuerentiâ dignus ratione sui, sed cum relatione ad Sacramentum, quod in eo exercetur, vt patet in confessionario extraordinario ad aliud seruiente extra actum Confessionis veræ, vel simulatæ.

Ad secundum de determinatione patet omnino identitas rationis ex verbis Gregorianis: *Siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunq; vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire*. Et infra. *In Officio S. Inquisitionis seuerissimè vt infra, puniantur.* Et infra. *Prout in causis Fidei*. Nam ea verba: *Simulantes ibidem*, referuntur ad illa verba: *Extra occasionem Confessionis in Confessionario* etiam extraordinario, ergo ibi sermo est de omni modo simulandi Confessionem, ergo Solicitatio coniuncta simulationi, vel extra Confessionem, quouis modo accepta arguit suspicionem Hæresis sicut & Solicitatio in verâ Confessione. Sequens clausula *Puniantur in S. Officio* refertur ad quamlibet solicitationem, sed punitio refertur etiam ad Abiurationem, cum sit pœna, ac proinde supponitur suspicioni Hæresis. Demùm supradicta claus. *Prout in causis Fidei*, quam diuersimodè Carena explicat, indifferenter referenda est ad quemlibet modum solicitationis, cum determinet æqualiter antecedentia omnia, causa autem Fidei inuoluit eiusdem suspicionem, ergo & in casu nostro.

Attestatio demùm ipsius Dianæ, quòd Romæ confessarij solicitantes in confessionario extra confessionem abiurant est verissima, vt mihi dictum fuit à nonnullis meis Conqualificatoribus ibidem anno 1652. nempe à P. Luca Vadingo, & Procuratore Generali Conuentualium Modesto Griatio Qualificatoribus, & Consultoribus.

Salelles Reg. 392. fine refert ex Praxi Manuscriptâ cap. 7. emanasse responsum à Cardinali Arrigona. Sequentibus verbis: *Si fece Decreto al S. Officio, che si procedesse anco contro questi tali, che abusano il Confessionale. & si punissero con pene ad arbitrio, lasciando però l'abiura, la quale fondandosi solo sopra l'abuso del Sacramento, non ha luogo nell' abuso del Confessionale.* Non inuenio alium Cardinalem Arigonium, nisi Pompeium Auditorem Rotæ Card. Diaconum S. Mariæ in Aquiro, creatum à Clemente VIII. anno 1596. die 5. Iunij ex Platina. De eo dubitari potest, quia Decretum Pauli V. videtur nouum, adeo quòd anteà nihil videtur certi determinatum, neq; enim in Decreto Pauli supra extenso fit mentio de huiusmodi restrictione, quod non sit subiectus Abiurationi. 140

Quæritur 28. An Solicitans ad alia peccata, e. g. homicidij, furti &c. sit vehementer suspectus de Hæresi, & consequenter subiectus Inquisitoribus ex vi Bullarum predictarum, vel ex alio capite?

℟. Est vehementer suspectus de Hæresi, quia abutitur Sacramento ad peccatum, contra quod est institutum, ad eius destructionem, non ad eius institutionem, Sacramentum enim ordinatur ad remissionem peccatorum, non ad eorum perpetrationem. Confirmatur ex ea regulâ, quæ adducitur à Pio IV. relata sub q. 26. *Nos in animum inducere nequeuntes*, &c. Et ita docet *Pegna par. 2. com. 81. Vers. Ille quoq. Salelles Reg 127. num. 21. & Reg. 392. num. 314. citatus supra sub q. 23.* Vbi probaui subdi Inquisitoribus non ex vi Bullarum, cum de crimine luxuriæ tantùm disponant, sed ex capite de Abusu Sacramentorum. 141

Quæritur 29. An rogans, vel mandans Lenocinium per Confessarium sit vehementer suspectus de Hæresi? Et ex quo capite?

℟. Affirmatiuè, ex rationibus adductis mox in precedenti quæstione, eandem enim facit iniuriam Sacramento, quam ipse Confessarius, qui proinde præsumuntur parui facere Sacramentum hoc, & non credere in illud. Ita *Salelles Reg. 392. num. 306.* vbi quòd est subiectus Inquisitori, Si non ex Gregorianâ, saltem ex capite de prohibitione abusus Sacramentorum, vt dixi q. 4. num. 25. 142

Quæritur 30. An è contra pœnitens solicitans Confessarium sit suspectus de Hæresi vehementer? Et ex quo capite? Reuoco dictum cap. 23. num. 8.

℟. Vterque est suspectus vehementer de Hæresi tam solicitans, quàm confessarius solicitatus consentiens, quia ambo ex æquo maximam faciunt iniuriam Sacramento huic cui præsumuntur non credere; non enim bene sentit de Sacramento, qui illo male vtitur 143

bene

bene enim agere, & male operari opponuntur. In Gregorianâ nihil agitur de passiuâ solicitatione Confessarij, quia Legislator seruauit illud legale *l. Nam ad eaff. de leg.* vbi dicitur, quòd leges disponant circa ea, quæ frequenter occurrunt, & non se extendunt ad ea, quæ rarò accidunt, vt quòd fœmina solicitet Confessarium. Confessarius talem impudentem fœminam obiurgationibus repellere debet, aliter versatur cum eâ in eodem errore.

Quæritur 31. An Sacerdos solicitans luxuriosè pœnitentem sit denuntiandus in S. Officio coram Inquisitore, vel Ordinario loci?

144 ℞. Denuntiandus est ab ipsâ personâ solicitatâ non solùm ex Bullâ Gregorianâ his verbis: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra, solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi Solicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs. Quod si hoc officium prætermiserint vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra ijdem locorum Ordinarij & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.* Verùm etiam ex Edictis eorumdem Inquisitorum sub his verbis: *Che habbino abusato, ò abusino il Sacramento della Penitenza contro i Decreti, e constitutioni Apostoliche.* Ita de hac denuntiatione *Bonac. p. 3. Escobar. par. 2. q. 2. §. 1. & 2. q. 3. §. 1. num. 9 Dal Bene* Dub. 237. *à sect. 2. Lupus lib. 5. Dist. 2. art. 2. Sanch. in Select. disp. 11. num. 20. & 21. Carena par. 2. tit. 6. num. 118. Diana par. 4. tract. 5. Ego cap. 23. num. 84.*

145 Sequentia dubia super textum Gregorianum allatum propono soluenda. *Primum*, an Confessarius sub mortali teneatur monere solicitatam personam de denuntiando solicitantem? *Secundum*, an possit absolui pœnitens ante denuntiationem, si promisit denuntiare? *Tertium*, an nolens denuntiare possit absolui? *Quartum*, an tam fœmina, quam masculus solicitati teneantur denuntiare? *Quintum*, an sufficiat denuntiare Inquisitori, vel Episcopo, an vtrique? *Sextum*, an negligentes monere sint suspecti de Hæresi, & debeant abiurare coram Inquisitore, vel Episcopo? *Septimum* à quo Iure talis obligatio?

146 Primò respondetur, teneri sub mortali, & hoc suadet verbum *mandantes* cum sit circa materiam grauem, qualis est Solicitatio hæc sacrilega, & conseruationem Sacramenti ab iniuriâ vindicandi. Mandare ergo importat ex naturâ suâ præceptum, & coactionem ad agendum, ex allegatis à Barb. hac dict. 196.

147 Ita omnes *cum Rodriq. in summa par. 1. cap. 27 §. 6. fine, & tom. 2. q. 27. art. 1. Bonac. disp. 6. p. 3. num. 10. Acugna q. 20. num. 1. Peyrin. ad hanc Bullam §. 19. num. 25. cum alijs Trimarch. disp. 4 sect. 1. num. 1. ego cap. 23. num. 84. Escobar part. 2. q. 2. §. 2. num. 2. Diana p. 4. tract. 5. resol. 3.*

Secundò, potest absolui ante denuntiationem, quia textus præcipit solùm denuntiationem, nihil determinando, an denuntiatio debeat præcedere absolutionem, vel hæc illam, cum ergo absolutio ex naturâ huius Sacramenti informet materiam iam ritè dispositam nihil impedit, quin Confessarius applicet formam consequenter debet eum absoluere, cum sit bene dispositus *Diana part. 1. tract. 4. resol. 27.* 148

Tertiò, nolens denuntiare absoluendus nõ est, quia nõ dispositus, nec dignus absolutione dum in actu Confessionis, per nolitionem denuntiationis committit peccatum mortale non remissibile, nisi retractet contrariam voluntatem penitendo, & promittendo se denuntiaturum. Confessarius ergo non potest talem absoluere. Ita *Lucius in sua summa cap. 24. num. 11. Henriq. lib. 5. de Pœnit. cap. 10. §. 11. Lit. T Acugna q. 21 num. 6. Sousa lib. 1. cap. 34 num. 73. apud Escobar par. 2. q. 2. §. 2. num. 3.* 149

Quartò, persona pœnitens solicitata, siue masculus, siue fœmina debet denuntiare; textus enim vtitur his verbis: *Pœnitentes solicitatos*, illud enim particip ũ cõprehendit vtrunq; genus masculinũ, & fœmininum, & posterius masculinum concipit fœmininum, ex eâ differentiâ, quòd primum vti vnius vocis, commune est vtrique, hoc enim distinguit voces & concipit excellentius genus quod se habet in minus in ratione sexus. Quod autem in Bullâ Gregorianâ disponatur solicitantes etiam masculos probaui sub num. 9. Suadet hic in textu illa claus. *Vt supra*, est enim relatiua ad præcedentia cum omnibus suis qualitatibus, ex allatis à Barb. dict. hac 451. 150 151

Confessarius potest demandato Episcopi, vel Inquisitoris recipere denuntiationem in scriptis fœminæ solicitatæ si resistat, ex Responso Vrbani VIII. de quo infra num. 159.

Quintò sufficit denuntiare vni ex duobus, vel Episcopo, vel Inquisitori, cum textus loquatur disiunctiuè per particulam *Seu*, quæ appellatur alternatiua ex naturâ suâ, cum ponitur inter diuersa, *ex allatis ab eodem Barb. hac dict. 363. num. 1. & 4.* in alternatiuis autem debitor habet electionem, & sufficit vnum adimplere, Reg. 70. in 6. Sufficit ergo denuntiatio factâ vni ex nominatis Iudicibus. 152

Sextò, debent ambo concurrere ad punitionem eius Confessarij, qui negligit monere ad denuntiandum, adest enim in textu Copulatiuâ, *Et*, quæ in hoc officio vtrunque Iudicem coniungit. De naturâ huius copulatiuæ Barb. Dict. hac 110. 153

154 Septimò, hæc obligatio denuntiandi oritur formaliter & expressè ex Bullâ Gregorianâ. Datâ 30. Aug. 1622. & subsequenter ex Edictis, in quibus hoc solicitationis delictum mandatur denuntiari, non enim vidi Edicta tam generalia quam nunc sunt, forsan accepta ex illo Præcepto edito sequenti anno 1623. quo omnes tenentur denuntiare omnes, & singulos Hæreticos, seu de Hæresi suspectos quomodolibet, sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ reseruatæ Papæ, & Inquisitoribus Romanis. Hoc autem præceptum extenditur *à Trimarcho disp. 4. sect. 3. num. 22. Dal Bene fine fol. 644. Diana part. 4 fol. 292. De eo dixi sect. 18. num. 6. 20. & 82.*

Quæritur 32. An Confessarius, qui nondum est diffamatus super solicitatione, sit denuntiandus? Ratio dubitandi est, quia in Bullâ Pij IV. directâ ad Inquisitorem Generalem in Regno Hispaniæ, mandat illi, vt per se, vel per alium inquirat contra Sacerdotes diffamatos de solicitatione fœminarum. Quod repetitur in Bulla Pauli V. Ergo non sunt denuntiandi nondum diffamati.

155 ℞. Denuntiandus est, nulla expectatâ diffamatione, nam regulariter delictum Solicitationis scitur à solâ personâ solicitatâ, quæ nulli notificare debet tale delictum, nisi soli Inquisitori, vel Ordinario loci, neque enim prodest manifestatio huius delicti facta alicui personæ priuatæ, ad quam punitio non spectat, in tali enim casu non denuntiat, sed infamat Confessarium, cuius delictum erat ignotum, ac proinde peccat grauiter. Ita docent *Portellus V. Solicitare num. 20. vers. Consulerem Dal Bene Dub. 237. sect. 13. num. 4. vers. At hoc, multis citatis, Peyrin. ad hanc Bullam Gregor. num 3. Sanctar. cap. 44. Ego cap. 23. num. 100.* Vide *Dianam part. 4. tract. 5. resol. 1.*

156 Ad rationem dubitandi respondent præcitati, verbum illud *Diffamatos* referri ad Iudices, qui debent procedere contra Confessarios de solicitatione diffamatos, diffamare autem est diuulgare delictum hoc solicitationis per diuersas partes, & sic pluribus personis crimen manifestare. Dic Tu, Iudices debere procedere contra istos diffamatos, idest, notificatos, & denuntiatos sibi ipsis.

Quæritur 33. An denuntiandus, qui semel solicitauit.

157 ℞. Affirmatiuè, textus enim Bullarum non distinguit inter vnam, vel plures solicitationes, ergo denuntiandus est, qui semel solicitauit, is enim verè, & propriè solicitauit, & sacramento fecit iniuriam. Ita *Sanctar. cap. 44. num. 12. Rodriquez in summa part. 1. cap. 208. num. 1. Bossius dub. 24. nu. 85 cum alijs Trimarch. disp. 4. sect. 7. num. 69. Ego cap. 23. num. 9. Escobar q. 2. num. 10.*

Quæritur 34. An persona solicitata, si consensit teneatur in denuntiatione explicare suum consensum.

℞. Negatiuè, quia in Bullâ id non exprimitur, sed solum, quòd debeat deponere de solicitatione, aliud enim est solicitare, aliud consentire in eam, cum ergo in odiosis non inferatur ab vno casu ad alium, *l. Factum cui, §. Et in pœnalibus 198. ff. de reg. iur. Gratian. cap. 972. num. 13. Barb. Axiom. 181. num. 9. Mar. Anton. lib. 3. resol. 39. num. 21.* Et ita declarauit S. Inquisitionis Congregatio, cuius literæ extenduntur *à Bariola in fine Directorij, Trimarch. disp. 4. num. 67. à Diana part. 4. tract. 5. resol. 31. à Salelles Reg* 130 num. 78. 158 159

Infertur autem ex his primo Personam solicitatam, esto consenserit, adhuc obligari denuntiare *Diana part. 4. tract. 5. resol. 31.* quia cum non teneatur manifestare consensum, neque Copulam cum Confessario habitam, sed solam illius solicitationem, nihil incommodum, nec periculum infamiæ incurrit; Immo si Iudex interrogat eam super consensu, constanter negat, se consensum præstitisse, vt illi scilicet dicat, equiuocando. Secundo, falsum esse, quod *Freitas de Solicit. q. 10. apud Salelles num. 82.* dicit nimirum, fœminam teneri etiam notificare suam copulam, nam id nullibi præcipitur, nemo enim tenetur suam turpitudinem manifestare, *cap. Quis 87. de Pœnit. dist. 1. Bonac. par. 3. de solicit. num. 16.* Tertio, falsum quoque est, quod asserit Sousa *de solicit. tract. 2. cap. 7. num. 4.* nempe, fœminam, quæ consensit, non teneri denuntiare Confessarium, ne se infamet, dum enim non tenetur exprimere præstitum consensum, nullo modo sibi præiudicat in honore, ergo tenetur illum denuntiare. 160

Quæritur 35. An persona solicitata teneatur denuntiare Confessarium, quem scit esse denuntiatum ab aliâ, quam solicitauerat? 161

℞. Teneri, quia depositio vnius personæ non sufficit ad citandum solicitatorem, debet enim expectare Iudex alium denuntiatorem, vt deinde possit citare denuntiatum, vt respondit S. Congr. Archiepiscopo Genuensi 1627. die 17. Iulij, literas extendunt *Peyrinus de Priuileg. cap. 11. num. 4. Trimarchus disp. fin. num. 11 Carena part. 2. tit. 6. num. 62. Ego cap. 23. num. 103.* Ergo ne hoc delictum remaneat impunitum tenetur denuntiare. Rem tractat Escobar. part. 2. q. 3. §. 2. num. 23. & probat multis teneri, sed inuoluit, & confundit hanc quæstionem cum sequenti.

Quæritur 36. An fœmina solicitata, si non denuntiauit Confessarium, qui ex aliorum denuntiatione confessus, vel conuictus punitus fuit, teneatur adhuc denuntiare illum?

℞. Si denuntiatus fuit super pluribus solicitationibus, inter quas numeratur illa, quam non denuntiauit talis fœmina, aut de eâ fuit con- 162

confessus, aut conuictus ab alijs, ad nihil tenetur, vtique si de tali solicitatione nihil dictum fuit ab alijs, tenetur denuntiare, vt debet, si post punitionem iterum solicitauit. Primum patet, quia per punitionem etiam in pœnam extraordinariam satisfactum fuit iniuriç illatæ Sacramento; Secundum probatur à contrario sensu, quia nondum illa solicitatio denuntiata fuit, nec satisfactum delicto per punitionem, ergo tenetur denuntiare. Ita *Bonac. part. 3. num.* 3. quem citat, & sequitur *Diana part* 4. *tract.* 5. *resol.* 49. *vers. Non desinam*. Qua distinctione satisfit alijs sentientibus aliter. Vide Escobar variantem par. 2. q. 3. §. 2. num. 26.

Quæritur 37. An denuntiandus Confessarius qui protulit verba æquiuoca, & dubia solicitationis erga fœminam audientem, & dubitantem de sensu illorum?

163 ℞. Non tenetur, quia talia verba, & si impertinentia in Confessione prolata, modo de se non inferant sensum luxuriosum, quem non possunt indicare dum sunt dubia, idcirco in bonam partem sunt interpretanda, *vt dixi q. 17. & cap. 23. num.* 101. Quicquid dicat *Escobar. part. 2. q. 2. §. 3. num.* 8. *ex Sousa.*

Quæritur 38. An Confessarius sit denuntiandus, quando materia solicitationis est solùm venialis? Quæstio supponit, posse dari veniale in materiâ solicitationis, quod ex probabilissima opinione negauimus in q. 25. & ibidem respondimus obiectis.

164 ℞. Ergo simpliciter Confessarium esse denuntiandum, quia omnis solicitatio expressa factis, vel verbis claris est peccatum mortale prohibitum in Bullis Pontificijs, ac proinde est denuntiandus.

Quæritur 39. An Confessarius, qui quamplura contulit beneficia pœnitenti, sit denuntiandus, si solicitet amicam, vel amicum.

165 ℞. Denuntiandus est à suâ beneficiata tot etiam magnis largitionibus, quia esto hinc oriatur obligatio gratitudinis, & quidem naturalis donatariæ erga suum benefactorem, tamen obligatio denuntiandi illum oritur non solùm ex Bullâ Gregorianâ, sed etiam ex Iure diuino manifestandi Confessarium, vt iniuria irrogata sacramẽto punitione vindicetur.

Confirmatur, quia maior est obligatio denuntiandi, cum sit superioris ordinis, quam obligatio donatarij ex titulo gratitudinis benefaciendi in hoc suo benefactori, cum hæc obligatio nulliùs sit momenti respectu illius; Ius enim Sacramentorum anteponitur cuilibet alteri profano, & temporali. Ita *ex Baucio Diana part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 46. *contra Sanchez disp.* 11. *num.* 55.

Quæritur 40. An sciens solicitationem ex persona aliena teneatur denuntiare?

166 ℞. Audiens ab ipso solicitante, vel à personâ solicitatâ, quæ sit bonæ famæ, tenetur denuntiare, si Solicitator non se exculpauit coram Inquisitore, vel nec persona solicitata non denuntiauit, quia Edicta id præscribunt illis verbis *ò sapiano, ò habino notitia*, illud refertur ad propriam scientiam ocularem, vel auricularem; hoc vero, ex auditu aliorum. Ita *Portell. V. solicitare num.* 22. *Trimarch. disp. 6. num.* 3. *alijs citatis*. *Ego cap.* 23. *num.* 93. Dixi hic sect. 18. quæst. 3. num. 8.

Quæritur 41. An solicitationem habens sub naturali secreto, etiam iurato teneatur denuntiare?

℞. Tenetur denuntiare, si Persona solicitata non denuntiat, quia obligatio denuntiandi cum originem ducat à Religione violatâ fortior est obligatione celandi secretum, ergo in concursu hæc cedit fortiori. 167

Confirmatur, quia tale secretum vergit in damnum reipublicæ Christianæ. Ita *Freitas q.* 1. *num.* 26. *ex eo Diana part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 24. *iterum part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 32. *ex Castropal. part.* 10 *num.* 5. *iterum part* 9. *tract* 8. *resol.* 46. *vbi citat Escobar part.* 2. *q.* 3. §. 4. *num.* 45. *&* 46. Dal Bene Dub. 237. *sect.* 13. *num* 8. *Carenam part.* 2. *tit.* 6. *num.* 123. contra Fagundez, & Fragosum, quos multis impugnat Diana locis citatis præsertim vltimo. Nec iuramentum tenet, quia est contra bonum publicum de suspectis de Heresi denuntiandis. Dixi sect. 18. q. 10.

Quæritur 42. An mulier in Confessione solicitans Confessarium sit denuntianda ab illo?

℞. Negatiuè, quia propter nullam causam, quamuis maximam Confessarius non potest, nec proinde debet frangere sigillum confessionis, ergo non habet obligationem denuntiandi fœminam. Antecedens probatur, quia præceptum etiam Naturæ, seu diuinum tunc solùm est dispensabile, & in eo cessat obligatio, quando bonum, quod obtinetur omissione præcepti, est maius, quam sit bonum, quod habetur obseruatione præcepti; sed reuelatione confessionis non potest dari maius bonum, quam illud, quod habetur per obseruationem sigilli, ergo nonquam potest cessare illius obligatio, *Brancatus de Pænit. disp.* 21. *num* 190. Ergo talis Confessarius non potest denuntiare fæminam se solicitantem, quia reuelaret eius confessionem, seruare enim sigillum confessionis maius est bonum, quam reuelare, & denuntiare Solicitationem fœminæ, cum maius bonum reperiatur in illo, quam in hac, siquidem ex sigillo multa sequuntur bona, & meliora, nam habetur reuerentia Sacramento, quæ est actus Religionis; bonum Fidelitatis, caritatis pro proximo, hórum obedientiæ legalis, promptiores fiunt fideles ad vsum huius Sacramenti; & sic bonum sigilli præponderat bono denuntiationis. 168

Con-

Confirmatur, quia nec Hæresim, quæ inter alia, maximum est delictum, Confessarius denuntiare potest, de communi apud *Royas singul. 3. num. 36.* contra Albericum de Rosatis in Rubr. de Hæret. num. 4. pro quo stabat hoc carmen: *Hæresis est crimen, quod nec Confessio celat.* Iam ab omnibus reiectum, cui oppono sequens: *Hæresis est delictum, quod Confessio celat.* Denuntiare supponit scientiam, & cognitionem certam in eo, qui debet reuelare, ex probatis sect. 18. q. 3. & 4. Sed Confessarius audita in confessione dicitur vt homo ignorare, & nescire, *cap.* Si *Sacerdos 2. de ordin.*

Sed his obstat Sotus, Siluester, & Grassius cum Genuensi cap. 18. num. 16. asserentes, eum, qui accedit ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed peruertendi Confessarium, & inducendi ad Hæresim, esse denuntiandum à Confessario, quia talis confessio non est sacramentalis, sed modus occultè dogmatizandi, denuntiandus ergo est, si non vult se abstinere à docendo Hæresim.

Respondetur, & si ex parte fœminæ, vel Hæretici non est confessio, sed confusio, adhuc obiectiuè spectata, & quò ad modum est sacramentalis, & talis etiam relatiuè ad Confessarium, qui audiens exercet potestatem clauis scientiæ, quæ est sacramentalis ordinata ad iudicandum, ex Brancato citato num. 194. Confirmatur, quia in Gregorianâ confessio simulata, quæ vera confessio non est, adhuc dicitur sacramentalis, ergo & in casibus prædictis.

Et ita docent *Acugna q. 11. num. 1. & 7. ubi Freitas num. 24.* Sousa *Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 12.* Diana *part. 1. tract. 4. resol. 23.* Bonac. *p. 3. num. 17. cum multis alijs Escobar. part. 1. q. 2. num. 38. Ego cap. 23 num. 71.* Alia ratione, quia iste casus, nec propriè, nec impropriè comprehenditur in Gregorianâ.

Quæritur 43. An Confessarius solicitatus à personâ pœnitente, si Confessarius eam non reijciat, sed consentiat, sit denuntiandus ab eadem fœminâ?

169 ℞. Negatiuè, si præcisè illi consensit, luxuriaturus postmodùm, recedendo à Confessionali. Ratio est, quia ipsa solùm tenetur denuntiare Confessarium solicitantem, vel cum eà habentem sermones, seu tractatus inhonestos; sed nihil horum egit Confessarius, non enim solicitauit, sed solicitatus fuit; nullum habuit sermonem, nec tractatum inhonestum, sed solùm dixit, consentio tibi, vel veniam domum iuxta petitionem tuam; patet autem ex Bullâ, sicut non consideratur consensus ex parte fœminæ, ita neque ex parte confessarij. Hanc opinionem docent Sanctar. *cap. 46. num. 2. Bonac. de denunt. part. 3. num. 17. Homob. part. 2. exam. tract. 11. cap. 12. q. 26. Lezana part. 1. cap. 19. num. 34. Sanchez disp. 11. num. 25. Bossius dub. 3. num. 12.* Quos contra se citat Trimarchus disp. 9. num. 12. tenens num. 13. fœminam debere denuntiare Confessarium ob rationes per ipsum adductas, quas impugnaui cap. 23. num. 74. & 75. cum Trimarcho sentit cum alijs *Diana part. 1. tract. 4. resol. 11. iterum part. 4. tract. 5. resol. 42. Item part. 9. tract. 9. resol. 32.* Vbi pro me citat Baldellum, & Trullencum, licet agat contra me sine impugnatione: nobiscum sentit *Dal Bene Dub. 237. sect. 7. num. 17. & 18.*

Quæritur 44. An denuntiatio locum habeat in mutuâ solicitatione?

℞. Negatiuè, non Confessarius, ob rationes adductas sub q. 42. num. 168. non pœnitens, quia nemo tenetur se prodere, est enim pœnitens in causâ mutuæ solicitationis, ac proinde videtur par ratio abstinendi se à denuntiatione. Ita *Castropal. par. 8. num. 2. quem pro se citat Salelles Reg. 134. num. 147.* 170

Quidam respondent, in Gregorianâ prohiberi mutuam solicitationem tam in facto, quàm in verbo, ac proinde hic locum habere obligationem denuntiandi alterum, maximè cum ambo sint ex æquo vehementer suspecti de Fide, iuxta quod ego dixi sub q. 27. num. 136. Ergo alter alterum accusare debet; nec ex hoc alter prodit seipsum, cum solùm solicitatio passiua sit denuntianda, non actiua, per quam sequitur reuelatio sui ipsius. 171

Sed contra, quia in Gregorianâ non prohibetur, nisi Solicitatio actiua ex parte Confessarij, vnde in denuntiatione dicitur in eadem Bullâ, quòd Confessarij suos pœnitentes moneant de obligatione denuntiandi Sacerdotes solicitantes. Prodit verò seipsum, dum reuelat suam turpitudinem causatam in aliâ personâ, propter illam mutuam Solicitationem.

Doctores nihil tangunt de Confessarij obligatione denuntiandi pœnitentem solicitantem se, sed solùm dicunt de muliere obligatâ denuntiare confessarium ratione collocutionis inhonestæ, apud Dianam part. 4. tract. 5. resol. 14. Vide Dal Bene Dub. 237. sect. 7. & 12. multa congerentem pro, & contra.

Quæritur 45. Quid si mulier solicitet ad copulam, & Confessarius inducat eam ad tactus, & oscula tantùm, ne sequatur copula?

℞. Sola mulier solicitata tenetur denuntiare, quia denuntiatio in Bullâ mandatur pœnitentibus non Confessarijs, non obstante, quòd vterque sit vehementer suspectus de Hæresi. Confirmatur ex dictis q. 43. & 44. Dixi cap. 23. num. 7. denuntiandum esse Confessarium, quia est propriè auctor Solicitationis alterius modi, immo, & Solicitationis mulieris, ex quo eam non obiurgauit repellendo eius impudentiam. Ita *Sanch. disp. 11. num. 27. Trimarch. disp. 9. num. 30. & 31.* 172

Castro-

Castropal. disp. 9. part. 5. num. 4. cum alijs, qui vt vides semper excludunt Confessarium ab obligatione denuntiandi.

Quæritur 46. An solicitatio quò ad alia crimina extra luxuriam inducat obligationem denuntiandi ex parte eius, qui solicitat, & alterius acceptantis solicitationem?

173 ℞. Quamuis non sit denuntiandus alter ab altero ex Bullis de solicitatione, quia agunt tantùm de hoc crimine in ordine ad peccatum carnis, vt docent omnes *cum Sanctar. cap. 46.* Diana *part. 1. tract. 4. resol.* 20. *Trimarch. disp. 14. num. 9.* Dal Bene *Dub. 237. sect. 8. num.* 2. Nihilominus ex alio capite alter alterum denuntiare debet, quia sic solicitans ad alia delicta est vehementer suspectus de Hæresi, *ex Pegna, & alijs, vt dixi q. 23. vers. Numquid*. Et ita tenent dictus Pegna, *Castropal part. 6 num. 2. Transmiera lib. 3. de Poligamia q. 2. num. 46.* quos citat, & sequitur *Salelles Reg. 392. num.* 314. Faciunt rationes allatæ sub q. 42. Et ex his reuoco contrarium à me dictum cap. 23. num. 25. *Trimarchus citatus num. 16. cum Acugna q. 8. num. 9. Sanchez, ex Bossio* tenet subijci Inquisitoribus.

Quæritur 47. An mandans, & cooperans in solicitatione luxuriosà, & in alijs delictis in confessione sit denuntiandus?

174 ℞. In venereis est denuntiandus, sicut in alijs, non ex Bullis, sed ex capite suspicionis Hæresis, cum tales sint huiusmodi mandantes, iuxta *dicta in preced. q. 42. & 46. & supra sub num.* 24. Et ita docet *Carena par. 2. tit. 6. num. 40. ex eo Salelles Reg. 392 num.* 106.

Quæritur 48. An denuntiandus sit Confessarius emendatus de suà sacrilegà solicitatione?

175 ℞. Vtique, quia Bullæ, & Edicta tendunt ad punitionem, earum enim principalis finis est punire delinquentes, vt ipsi, & alij metu pœnarum retrahantur à delictis. Ita Suarez de fide *disp. 20. sect. 4. num.* 11. *Sanch. disp. 11. num. 56. Sanch. Iesuita tom 2. consil. lib 6 cap. 2. dub. 5. num. 6. Diana par 1. tract. 4. resol. 2 & 3. cum eis Dal Bene Dub. 237. sect. 13. num.* 2. Contra Fagundez, & alios, qui falsò dicunt Bullas, & Edicta emanasse ad emendationem, & correctionem. Ita autem facile non est cognoscere alicuius emendationem, cum homo sit procliuus ad malum. Vide, quæ dixi sect. 18. num. 51. 52. & 53.

Quæritur 49. An sit obligatio denuntiandi solicitantem etiam cum graui damno ipsius denuntiantis?

176 ℞. Excusatur à denuntiatione timens sibi probabiliter imminens ex denuntiatione damnum notabile, quia Leges non obligant ad sui obseruationem cum tanto rigore, & damno proximi, vt docet S. *Thomas 2. 2. q. 147. art. 3. ad* 2. ad hoc iura Canonica refert. *Acugna q. 19. num. 20. apud Trimarch. disp.* 13. *num.* 5. Est communis, quam sequuntur *Sanch. disp. 11. num. 65. Peyrinus ad Bullam Gregorij §. 9. num. 28. Portellus V. Solicitare num. 18 Sousa de solicit. tract. 2. cap. 7. & Aphor. lib. 1. cap. 34. num 58. Lezana part. 1. cap. 19. num. 34. Trimarch. cit. num. 4. Alios citaui sect. 18. num.* 48.

Contrarium docet Bonac. p. 3. num. 11. quia bonum Religionis, & Sacramenti Pœnitentiæ præponderat damno, & incommodo, quod timet pœnitens, & vt plurimùm non accidit, & quia denuntiatio fit secreto, ita quòd nunquam manifestatur persona denuntians, & quia abiuranti intimatur Bulla *Si de protegendis*, ergo timor, & metus frustra concipitur. Sequitur *Escobar par. 2. q 5. §. 1. num.* 30.

Sed contra, & quia argumentum facit pro casu Hæresis formalis iuxta dicta sect. 18. num 47. Et quia licet secreto fiat denũtiatio, & nũquam nomen denuntiantis publicatur, nihilominus ipse Confessarius notam habet personam, quam solicitauit, ergo rationabilem habet causam denuntians timendi sibi malum, non obstante etiam eà Bullà, quia non impedit efficaciter voluntatem eius, qui abiurauit, ne offendat. 177

Quæritur 50. An positâ vnicâ denuntiatione ab vnâ personâ solicitatâ, possit Inquisitor, seu Ordinarius procedere ad capturam denuntiati?

℞. Propter dictum vnius mulieris non citatur confessarius denuntiatus, vt respondit S. Congr. ad Archiepiscopum Genuensem, *apud Peyrinum de Priuileg cap. 11. num. 4. Trimarch disp. fin. num 11. Carenam part. 2. tit. 6 num 62. ex illis Ego cap. 23. num.* 104. 178
Ratio est, quia mulier non est omni exceptione maior, *ex cap. Mulierem 33. q. 5. cap. Forus de Verb. sign.* Ergo non sufficit ad capturam, nec multò minus ad Torturam, in tantùm enim quis carceratur, in quãtùm Iudex intendit illum torquere, si negat delictum; sed nemo torqueri potest pro eruendà veritate, nisi delictum sit semiplenè probatum, *Spathar. tract. 9. cap. 20. num. 3. Compend. Rodriq. resol. 45. Ego cum alijs in Praxi crim. cap. 78. num. 19. tõ 5. Impressionis Lugdunensis*, vnicus autem Testis facit semiplenam probationem sufficiens ad torturam, si sit omni exceptione maior deponens de proprià suà scientià personali, de visu scilicet, seu auditu proprijs, *Carena par. 3. tit. 10. num.* 31. Mulier autem, vt dictum fuit, non est omni exceptione maior, ergo eius dictum soliùs non sufficit ad capiendum, & carcerandum confessarium. Ita *Genuensis cap. 68. num. 1. Vers. cum carceratio, Diana par. 4. tract. 8. resol. 11. Royas par. 2. Assert. 1. num. 22. Carena par. 2. tit. 6. num.* 61. Contra Canteram *in suis Varijs quæst. cap. 2. de Probat. per testes q. 3. circa finem*, vbi ait sufficere dictum vnius fœmi-

(margin numbers 179 and 180 stand beside the lines "tione maior, ex cap. Mulierem…" and "tum, Spathar. tract. 9…")

fœminæ non solùm ad capturam, sed etiam ad torturam. Impugnatur à Carena num. 64.

Quæritur 51. Quid requiratur ad capturam, & carcerationem cõfessarij denuntiati, si non sufficit dictum vnius fœminæ, quamuis honestæ ex mox probatis?

181 ℞. Dictum vnius fœminæ honestæ alium non patiens defectum, præter exceptionem sexus, cum adminiculis ex parte denuntiati probatis, sufficit ad carcerandum confessarium, & torquendum, si neget solicitationem, vel locutionem inhonestam.

Primum, quod non sufficiat dictum fœminæ licet honestæ, probatur, quia est mendax & facile peierat, atq; mutatur, modo dicens vnum, modo alterum, ac proinde testis esse non potest, *cap.* Forus 10. *de verbor. significat.*

182 Comparatur Lunæ, quæ semper mutatur. Ita omnes *cum* Paramo *lib. 3. q. 10. num.* 129. *Acugna q. 22. num 3.* Bonac *p. 3. num. 25. Escobar par. 3 q 4. §. 1 num. 1.*

183 Secundum, quòd non debeat pati alium defectum, præter sexum, probatur, quia si ei non creditur propter vnum defectum, multò minus propter plures, qui in totum destruant eius credulitatem; procedit, etiamsi veritas aliter haberi non possit, *ex Butrio in cap. cum nuntius 12. de testib. num. 2. Farinac. q. 62. num. 80. & q. 63 num.* 217. Ita docent Freitas *ad quæst. 22. Acugna num. 27. & q. 21. num. 20. & Escobar par. 3. q. 4. §. 1. num. 6.*

184 Tertium, quòd adiunctis adminiculis dictum Fæminæ probet ad carcerationem, & torturam, si alium non patiatur defectum, probatur, quia adminicula coadiuuant dictum mulieris ad credendum, eam veritatem dixisse, dum probatur Confessarius esse malæ famæ, vel donasse aliquid mulieri, aliquo vidente, vel esse concubinarium, vel aliàs tale delictum abiurasse, &c. Huiusmodi enim adminicula persuadent Iudici ad credendum mulierem veritatem deposuisse. Ita *Carena part. 2. tit. 6. num. 61.* Dal Bene *Dub. 237. sect. 14. Petit. 1. num. 18.*

Quæritur 52. An dicta duarum fœminarum honestarum sine adminiculis sufficiant ad carcerandum, & torquendum denuntiatum negantem delictum, si sit benæ famæ.

185 ℞. Sufficiunt, per hunc enim binarium numerum suppletur quod deest ex defectu sexus, ita quòd Iudex potest prudenter credere, quòd dicant veritatem; aliter multoties confessarij remanerent impuniti cum magno præiudicio huius Sacramenti, cuius iniuria non posset vindicari. Ita *Sousa de solicit. tract. 2. cap. 12. concl. 4. num. 8. Freitas ad Acugnam q. 4. num. 27. ex illis Dal* Bene *Dub. 237. num. 19 & 20. Ego cap. 23 num. 120. Sanchez disp. 11. num. 47. apud Trimarch. disp. fin. num. 17.*

Quæritur 53. An duæ, vel tres Sorores deponentes singulæ de solicitatione sibi facta sufficiant ad carcerandum, & torquendum Reum negantem se solicitasse?

℞. Negatiuè, quia testes patientes plures defectus nihil probant, *ex Farinac. q. 62. num. 383. Sousa Aphor. lib. 2. cap. 13. num. 5. Freitas ad q. 22. Acugna num. 27 & ad q. 23. num. 20. Escobar par. 3. q. 4 §. 1 num. 6.* Istæ autem sorores præter exceptionem sexus, patiuntur etiam aliam, nempe, consanguinitatis; præterquam quòd non est verisimile, quod confessarius solicitauerit plures Sorores, sed magis verisimile est, quòd concordauerint, & conspirauerint in confessarium, vel ex odio, vel ad instantiam alicuius inimici Confessarij, ideo sunt reijciendæ. 186

Quæritur 54. An, & quomodo puer, seu adolescens denuntians se fuisse solicitatum à confessario probet?

℞. Solicitatus denuntians expleto anno decimo quarto cum iuramento probat ad carcerandum, & torturandum, si neget delictum; nullam enim patitur exceptionem, nec ætatis, quia in eà perfectum censetur habere vsum rationis, quamuis ius ciuile l. Testimonium 20. ff. de testibus, dicat, horum testimonium esse nullum, etiam parte non opponente; repellitur ergo minor vsq; ad vigesimum exclusiuè. In casu autem nostro, cum delictum solicitationis sit difficilis probationis, immo difficilimæ probant maiores quatuordecim annis ad carcerandum, & torquendum reum, & videntur probare in causis Fidei *Farinac. q. 188. num. 75. Ampliat. 5. ex eo Carena par. 3. tit. 5. num. 55. Siluester V. Testis q. 1.* quem Dal Bene contra se citat *Dub. 198. sect. 20. Corollar. 2. num. 6.* Vere ego sum eius opinionis, vt dixi, quòd Adolescens maior quatuordecim est testis idoneus nullam patiens exceptionem, quò ad hæc duo scilicet, ad carcerandum, & torquendum, quia censetur habere vsum rationis satis perfectum ad hunc effectum, ac proinde ei credendum est. 187

Quæritur 55. An persona solicitata dicatur socius, seu complex in delicto solicitationis?

℞. Quò ad copulam hic non spectatur complicitas criminis, vt respondit Sacra Congregatio 27. Septembris 1624. his verbis: *Non è tenuto à propalare il proprio consenso, ne sopra ciò s' interroghi dal Vescouo, ò dall' Inquisitore, ò loro Vicarij, auanti quali deponerà, ne meno il confessore denuntiato, procedendosi poi contro di lui, s' interroghi sopra detto consenso, & in caso, che volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona solecitata non aspettante all' officio della Santa Inquisitione.* Extenditur a Bariola, & Trimarcho disp. 4. num. 67. Ergo persona solicitata non dicitur complex, nec socia in crimine, consequenter talis exceptio 188

ceptio

ceptio hic locum non habet, cum delictum
copulæ non pertineat ad hoc Sacrum Tribu-
nal, vt patet ex dictâ responsione, & videtur
colligi ex illis verbis: *Solicitare, & prouo-
care tentauerint* Gregorianæ, ad incurren-
dam enim violationem huius ex parte con-
fessarij sufficit attentatio, & ex parte attenta-
ti denuntiatio Solicitationis, quæ per atten-
tationem absoluitur. Quò ad mutuam soli-
citationem, & collocutionem circa venerea,
nec consideratur complicitas hæc ad denun-
tiandum, sed sufficit deponere de actiuâ tur-
pi locutione, & non de propriâ passiuâ, esto
contigerit. Non consideratur ergo exceptio
societatis, & complicitatis, aliter in hoc casu
Solicitationis semper concurrerent duo de-
fectus in denuntiante, & sic frustraretur Iu-
dicium hoc, quod nullum posset habere ef-
fectum firmum.

Quæritur 56. An in causa Solicitationis
admittantur Testes singulares? Singularitas
autem est diuersitas proueniens ex depositio-
189 ne Testium. Triplex, Obstantiua, per quam
Testes aduersantur sibi inuicem circa idem
numero factum, in tempore, loco, seu ver-
bis. Diuersificatiua, quæ nata est ex diuer-
sitate dictorum testium, inferens plures actus
numero distinctos sub eadem, vel diuersis
speciebus. Comulatiua est illa, quæ & ad-
miniculatiua appellata, per quam dictum
vnius fauet testimonio alterius, dum plures
Testes per diuersa media tendunt ad eun-
dem finem. Vide Farinac. q. 64. Ego dixi
plura in Praxi crimin. cap. 19. Impressionis
Lugdunensis tom. 5.

190 ℞. Affirmatiuè, vt dicitur plane in Gre-
gorianâ his verbis: *Dantes etiam facultatem
Venerab. Fratribus nostris S.R.E. Cardinali
bus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum
tàm enorme, & Ecclesia Dei tàm perniciosum
remaneat ob probationum defectum impuni-
tum, cum difficilis sit probationis, testibus
etiam singularibus, concurrentibus præsump-
tionibus, indicijs, & alijs adminiculis delic-
tum probatum esse arbitrio suo iudicandi, &
curiæ seculari, vt præfertur, Reum traden-
dum esse pronuntiandi.*

Ad propositum singularitas obstatiua non
facit pro præsenti causâ, in quâ quærimus
modum probandi Solicitationem, obstatiua
autem destruit probationem, & in casu no-
stro vix habere potest locum, quia vna fœ-
mina regulariter obstare non potest alteri,
cum Confessarius solicitet solitariè, nisi inci-
denter, & casu, quando vna Persona sub-
audit verba Confessarij solicitantis pœni-
tentem genuflexam, & tunc suo dicto audi-
tionis potest fauere Confessario, vel pœni-
tenti contra Confessarium; si enim fauet con-
fessario, obstat, & destruit dictum solicita-
tæ. Sed talis casus videtur non accidere,
quia non puto Confessarium coram multitu-
dine pœnitentium sibi circumstantium velle
insipienter tunc tentare mulieres.

Diuersificatiua, & Cumulatiua potissimum
habet hic locum, cum scilicet plures testes
deponunt singuli de solicitatione sibi factâ ab
eodem Confessario, quorum testium depo-
sitio circa hoc delictum Solicitationis specie
vnum, ita se habet, quod dictum vnius for-
tificat dictum aliorum, adeo quòd ad inuicem
cumulantur ad idem probandum, pro quo
facit illa regula: Singula, quæ non prosunt,
simul iuncta iuuant *Glos. V. Collecta cap. Tres* 191
sunt 81. *dist.* 1. *de Pœnit.* Probata ergo plura-
litate numericâ Solicitationum, vel locu-
tionum turpium contra eundem Confessa-
rium, Iudex cogitur credere, depositiones
pœnitentium esse veras, & reales.

Necessitas autem probandi sic per singula- 192
ritatem cumulatiuam oritur ex naturâ huius
delicti Solicitationis, quod nonnisi singulariter
probari potest, sicut & contingit perpetrari.

Confirmatur id primò, quia per Testes sin-
gulares probatur fractio sigilli Confessionis,
ex Suarez disput. 33. de Pœnit. sect. 8 *num.* 3. 193
Acugna q. 21. *num* 10. *Trimarch. disput fin.
num* 30. *Dal Bene Dub* 337 *sect.* 14. *Petit.* 2.
Barb. ad cap. 4. de testibus num 12. Ergo & in
casu Solicitationis, cum non sit minor in-
iuria Solicitatio violatione sigilli. *Secundò* 194
sufficiunt testes singulares in crimine læsæ
maiestatis humanæ *Farinac. q. 64. num.* 220.
Ergo & in casibus Sanctæ Fidei, & licet ibi-
dem Farin. num. 217. dicat, non probare ad
pœnam ordinariam; vtique ad pœnam ex-
traordinariam num. 218. nihilominus in casu
nostro probant ex dispositione Gregorianæ,
ex allatis verbis initio huius quæstionis. *Ter-
tiò*, testes singulares probant ad pœnam or- 195
dinariam cum alijs adminiculis in causâ So-
domiæ, *ex Ignatio de Villari Barbosa ad
præcitatum cap num.* 33. Ergo & in casu nos-
tro maioris ponderis.

Quæritur 57. Quot fœminæ requiran-
tur ad condemnandum Confessarium con-
uictum de Solicitatione?

℞. Relinquitur numerus Testium arbitrio 196
Iudicum, vt habet communis opinio *apud
Sanct. ar. cap. 44. concl. 4. num. 6 Carena par.* 2.
tit 6. *num.* 60. *Diana par.* 1. *tract.* 4 *resol.* 28.
cum alijs. Trimarch. Disput. fin. num. 19. Ni-
hilominus, quia intendo seruire Consultori-
bus, qui suam Sententiam manifestare de-
bent in Congregatione; pono opiniones Do-
ctorum quò ad numerum fæminarum, quæ
alios defectus præter exceptionem sexus, &
singularitatis pati non debent.

Mea ergo sententia est, quòd duæ non 197
sufficiunt ad quamcunq; pœnam: tres cum
adminiculis ad quaslibet penas extra ordina-
rias etiam nominatas in Gregorianâ. Qua-
tuor demum cum adminiculis sufficiunt ad
pœnam Mortis.

Prima pars, quòd duæ non sufficiant, probatur, ex Carenâ cit. num. 59. Tum quia
198 qui in vno grauatur debet in alio releuari, *l. Eum qui de iuriur.* Sed Confessarij grauantur; dum conuincuntur per Testes singulares, ergo releuantur additione alterius Testis, & sic duo non sufficiunt. Tum quia Confessarij facile retraherentur ab audiendis Confessionibus, si duæ solicitatæ possent conuincere illos. Tum quia duo sufficiunt ad Carcerationem, & Torturam ex dictis sub num. 184. Ergo plures requiruntur ad condemnandum. Ita *Sanctar. cit. ex eo Carena part. 2. tit. 6. num. 59. Castropal. tract. 4. disp. 8. part. 15. §. 4. num. 1. Peyrin. ad* Bullam *Gregor.* §. 8. *num. 23. Acugna q. 23. num. 4. vbi Freitas num. 15. cum alijs Dal Bene* Dub. 237. *sect.* 14. *Petit.* 1. *num.* 10. *Ego cap. 23. num.* 121.

Contrarium, quòd duæ fœminæ conuincant honestæ, & irreprehensibiles docet Lucius Ortiz *in summâ cap. 24. num. 11. Paramus lib 3. q. 10. num. 155. & 165. Bariola q. 15. Molfes. part. 1. summæ tract. 7. cap. 25. num. 39. apud Dal Bene.* Quia ad conuincendum Reum respectu cuiuslibet delicti sufficiunt duo testes. *Escobar. part. 3. q 4. §. 3. num.* 17. dicit, sufficere duos testes ad puniendum Confessarium ab audiendis confessionibus, quia sufficienter probant eum suspectum de Heresi. *Hurtadus Clericus Minor part. 1. Resolut. tract. 4. resol. 9 num.* 1054. Idem dicit, quod Escobar quò ad pœnam extraordinariam, si duo testes sint Fide digni, & Sacerdos malæ vitæ, quod pariter ego docui num. 122. quia minori pœnæ minor probatio correspondere potest, ne crimen in totum remaneat inultum; his tamen non obstantibus.

199 Certum est, duas fœminas non conuincere ad aliquam pœnam, *Farin. q. 59. num. 27. Rodriquez. in sum. tom. 4. cap. 150. num. 3. Portellus part 1. casu 25. num. 3. Ego in*
200 *Praxi cap. 19. sect. 3. num.* 24. Ad primam rationem, quòd duo testes conuincant, verum est, quandocunque nullam patiantur exceptionem, esto enim Gregorius abstulerit exceptionem singularitatis, non tamen alias, sed reliquit eas in suo vigore; illud fauore Sacramenti; hoc pro releuatione denuntiati, cum ergo fœmina Testis patiatur exceptionem sexus, & quò ad hanc eam Papa non habilitauerit, recipitur cum suâ exceptione sexus, secundùm quam repellitur iure canonico, vt dixi q. 56. Ad rationem Escobar, nego per duas fœminas conuinci quem suspectum de Hæresi, qualis enim probatio requiritur in delicto, à quo oritur Suspicio, talis necessaria est in Suspicione, eâdem enim probatione vtrunque simul ostenditur. Ad Hurtadum dico, duas mulieres quamuis honestas, non posse dici fide dignus ex conditione sui sexus, vt patet supra, esto quoque Confessarius sit improbus, quia mala eius vita non tollit præfatam exceptionem. Demùm reuoco, quod ibi dixi, reijciendo eam rationem, quia probatio non specificatur à qualitate pœnæ, sed à conditione testantis personæ.

Secunda pars, quòd tres fœminæ sufficiant ad pœnam extraordinariam probatur, 201
quia ex hactenus dictis, duæ non probant, ergo plures requiruntur, ac proinde ad minus tres. Confirmatur, quia tertia fæmina coadiuuat alias, cum eis enim debet probationem facere probabiliorem, cum inuerisimile sit, eas omnes conuenire contrà denuntiatum mentiendo. Ita *Escobar part. 3. q. 4. §. 3. num. 18. Peyrin. §. 7. num. 23. Ortiz cap. 34. num. 11. Trimarch. disp. fin sect. 3. Sanch disp. 11. num. 46. Thomas Hurtadus num. 1056. quos refert Dal Bene dub. 237. sect. 14. num. 11. vers. ideo.* Faciunt dicta à *Castropal. disp. 8. pecent. 15. §. 4. num. 14. Salelles Reg. 169. num. 117. & seq.*

Tertia pars, quòd quatuor fæminæ honestæ sufficiant ad pœnam ordinariam, probatur, quia talis concordia in specie Solicitationis ita mouet Iudices ad credendum, verum illas mulieres deposuisse, vt aliter prudenter credere non possint, non enim verisimile est, quod omnes ex condicto conspirauerint mendacio in denuntiatum. Ita docent *Acugna q. 23 num. 11. Hurtadus cit. resol. 9. num. 1058. Escobar part. 3. q. 4. §. 3 num. 19. Ego cap. 23. num.* 134. 202

Quæritur 58. An ad condemnationem in quamlibet pœnam siue ordinariam, siue extraordinariam præter numerum mulierum solicitatarum requiratur etiam aliquod adminiculum?

℞. Affirmatiuè, vt clare habetur in Gregorianâ, cuius verba retuli sub q. 56. ibi: *Concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis.* Quæ sunt mala fama Confessarij, Concubinatus, Meretricium, si aliàs abiurauit, vel punitus pro delictis carnis, &c. Colligitur ex auctoribus præcitatis *Escobar part. 3. q. 4. §. 2. num.* 24. 203

Quæritur 59. An Meretrix, concubina, vel alia mulier alterius malæ famæ faciat numerum, & indicium cum fœminis honestis?

℞. Negatiuè, quia Gregoriana mulieres 205
habilitat tantùm quò ad singularitatem, non quò ad alios defectus, respectu quorum perdunt Fidem, ita quòd eis in nullo est credendum, *ex allatis à Farinac. q. 59. num.* 24. Ita docent Paramus *lib. 3. q. 10. num. 165. Sanch disp. 11. num 57. Acugna q. 23. num. 11. ibi Freitas num. 26. Sousa de solicit. tract. 2 q. 12. concl. 4. num. 8. cum eis Dal Bene dub. 237. sect. 14. Petit. 1. num. 7. Ego cap. 23. num. 132. ad* 135. vbi quid Meretricium, & quomodo probetur. De concubina n. 138.

Quæ-

Quæritur 60. An omnes fœminæ denuntiantes de propriâ solicitatione passiuâ sint simul denuntiatrices, & testrices?

205 ℞. Quamuis eadem persona sit simul denuntiator, & Testis in causis Fidei, vt dixi sect. 18. q. 14. num. 29. Nihilominus in casu Solicitationis cum plures requirantur personæ ad reuelandum hoc delictum in ordine ad Carcerationem, Torturam, & Condemnationem, vt patet ex hactenus dictis, possumus dicere; primam denuntiatricem non subire nomen Testis, sed reliquas tantùm. Nihilominus omnes videntur simul, & semel fungi vtroque officio, si spectemus delictum numericè, non autem in specie, respectu cuius posteriores videntur esse tantùm testrices. Demùm adminiculantes sunt tantùm testes. Vide *Trimarchum disp. fin. sect. 3. num. 33.* dicentem simpliciter, quòd mulier denuntians est etiam simul Testis.

Quæritur 61. Quomodo probetur solicitatio respectu puerorum, & adolescentium in confessione solicitatorum?

206 ℞. Eodem modo probatur solicitatio masculorum, quo probatur fœminarum non solùm quò ad carcerationem, & torturam, vt dixi hic sub q. 54. sed etiam quò ad condemnationem; nam Gregoriana de personis vtriusque sexus agit ex probatis sub q. 3. num. 7. ergo eodem modo de vtrisque agendum est, quò ad Processum, & expeditionem causæ contra solicitantem. Verum quidem est, quòd in masculis non spectatur defectus sexus, sicut in Fœminis, ideo probatio masculi plus vrget, quam fœminæ, quia magis creditur masculo, quam Fœminæ, Farinac. q. 65. num. 69.

Quæritur 62. circa ætatem vtriusque sexus in ordine ad Denuntiationem, Carcerationem, Torturam, & Condemnationem solicitantis?

207 ℞. A natiuitate, vsque ad septennium expletum ætas dicitur Infantia; à septennio ad duodecimum expletum Impubertas in Fœmina, in masculo vsque ad decimum quartum expletum; à quo incipit pubertas in masculo, & in fœmina à duodecimo expleto, in quibus omnibus temporibus, scilicet à natiuitate ad 25. annum exclusiuè dicitur minor in sua ætate, vt multis docet *Farinac. q.58 à num 1. ad 22.* Proximus pubertati dicitur habens decem annos cum dimidio, *Doct. in Auth. Sacramenta puberum* C. *si aduersus vendit. Carena part 3. tit. 5. num. 49. § Minor.*

Impuberes, & reliqui admittuntur ad denuntiandum, & testificandum, immo ad carcerandum, & torturam, si cum præsumptionibus, indicijs, & coniecturis, adminiculentur eorum dicta, *alijs allegatis Carena tit. num. 53. ad 57.* Minor vsque ad vigesimum annum exclusiuè repellitur iure ciuili à testimonio *l. 20. C. de testib. Farinac. q. 58. à num. 1. ad 12.* in ordine ad condemnationem, admittitur verò pro carceratione, & torturâ cum adminiculis, *ex eodem Farinac. q. 188. num. 75. vers. Amplia V. cum Delrio lib. 5. in Append. 2. q. 15.* Intellige prædicta quoad numerum iuxta dicta quæst. 57. & 61.

Quæritur 63. An dicta in præcedentibus locum habeant quò ad mandantes, vel rogantes Confessarium de lenonicio? Item quò ad interpretes; & quò ad solicitantes ad alia crimina?

℞. Affirmatiuè, quia personę solicitatę sunt eius conditionis, scilicet fœminę, seu masculi, ac proinde probant in his delictis, sicut in illo de solicitatione ad venerea, siue denuntiati sint Confessarij, siue Interpretes, siue mandantes quæcumque crimina in præiudicium, & iniuriam Sacramenti Pœnitentiæ. De mandantibus dixi q. 4. num. 19. De interpretibus q. 15. de alijs peccatis q. 23. 208

Quæritur 64. An solicitantes tam ad venerea, quàm ad alia crimina, tam confessarij, quàm Interpretes, & mandantes sint torquendi super Intentione quid senserint de Sacramento Pœnitentiæ?

℞. Probato delicto per eius confessionem, vel conuictionem, antequam condemnetur debet torqueri sub Intentione, an liceat abuti Sacramento Pœnitentiæ? Si affirmat, vt hæreticus expediendus est, si negat, prauam intentionem cogendus est ad abiurationem. D Torturâ super Intentione dixi *sect. 16 num. 39. Genuens. cap. 68. num. 8. Pegna. part 3. com. 67 cum alijs Diana part 4. tract. 6 resol 32. vers Et ideo Simanch. in Enchir. tit. 29 num 10 & tit. 52. num. 7. Decian. lib. 5. cap. 36. num. 17. apud Dal Bene dub. 171. Pet. tit. 1. num. 6.* Intellige quòd debet torqueri super Intentione, quando est vehementer suspectus, non verò, quando est leuiter suspectus, *ex dictis sect. 16. num. 23.* Ratio cur sit torquendus est, quia probato delicto inferente Suspicionem vehementem de Hæresi, Iudex aquisiuit Ius certificandi se, an verè sit Hæreticus; nullum autem habet aliud remedium, nisi torturam, ergo eâ vti potest. Constat autem ex probatis hac sect. q. 26. num. 132. Solicitationem scrilegam in Sacramento Pœnitentiæ inferre vehementem Hæresis suspicionem, ergo Tortura adhibenda est. 210

Carena part. 2. tit. 6. num. 72. vers. in hac re, distinguit duos casus. *Primus est*. Si verba Solicitationis sunt clara, non est torquendus, nec eius excusatio defectus prauæ intentionis admittenda, si confessarius est bonæ famæ, vt ex Molfesio cap. 24. num. 42. probat *Primò*, quia protestatio est contraria facto. *Secundò*, quia Rei facilè euitarent pœnas, & eluderent mentem Legislatoris.

toris. *Tertiò*, quia si in Torturâ persisterent maximum oriretur præiudicium Fisco, qui aliàs haberet suam intentionem fundatam contra Reum.

Contra, esto verba sint Clara, tamen adhuc non constat de prauâ eius Intentione, sed tantùm de Suspicione, ac proinde de illâ Iudex debet se certificare per torturam, vt dixi. Quare *ad primum* dico, non dari protestationem in causa solicitationis, nam in eâ tria spectantur, ipsum sacrilegium Solicitationis, suspicio eius effectus, & negatio, vel confessio prauæ Intentionis specificata per torturam; nihil autem horum habet rationem protestationis, cum sint diuersa inter se, sicut causa, & effectus; protestatio au-
211 tem est nolitio alicuius rei, quæ tamen fit, vt nolo solicitare, & tamen solicito, & sic protestatio est contraria facto; in casu autem nostro prædicta tria non contrariantur ad inuicem, sed ex vno infertur aliud; nam ad solicitationem sequitur suspicio, & ad suspicionem Tortura; Iudex enim in exercitio sui officij defectuosus esset, si non se certificaret de qualitate eius. *Ad secundum* non sequitur euasio, nec delusio, immo per torturam Reus non euadit Abiurationem, & alias pœnas, quia super his non datur tortura, sed super Intentione tantùm, & ex his patet, non eludi legem, sed adimpleri. *Ad tertium*, talis tortura non præiudicat fisco, quia adhuc debet Reus abiurare, in sententiâ omnium, cum tortura in ordine ad Intentionem non sit rigorosa, ac proinde cum non purget totaliter Suspicionem, Reus cogitur abiurare, & alias subire pœnas respectu delicti, & sic Fisco nullum fit præiudicium.

212 Secundus Carenæ casus est à Molfesio acceptus, si Confessarius est bonæ famæ, illi credendum est sine Torturâ, diligenter tamen interrogandus est super suâ Intentione; quod etiam docet Trimarch. disp. fin. sect. 8. Carena tamen id non sequitur, sed relinquit cogitandum, qui antecedenter cum eodem Molfesio dixerat, quod si est malæ famæ, & protulit verba dubia solicitationis in hoc casu incurrere pœnas solicitationis, & super Intentione esse torquendum. Ego autem dico, siue sit bone famę, siue malæ, in vtroque casu esse torquendum, quia suspicio oritur ex delicto, non ex famâ. Deinde dixi sub q. 17. verba dubia posse interpretari in bonum sensum, ac proinde non probetur solicitatio, neque suspicio tunc locum habet.

213 Dices, non datur Tortura in crimine solicitationis, ergo multò minus super Intentione. Antecedens probatur. Primò, quia hoc crimen pœnâ corporali non punitur. *Sed id falsum est* ex Gregorianâ.

Secundò, quia ex semiplenâ probatione quis poterit de graui delicto torqueri, secus de suspicione illius, quæ à delicto in plurimis differt, sicut Hæresis ab eius suspicione differt, & sic à solicitatione, quæ tantùm constituit in Fide suspicionem. *Sed contra*, ex eo enim, quòd suspicio differt à delicto, à quo illa oritur, non bene infertur, Torturam non habere locum in Suspicione, sicut in delicto, nam ideo tortura necessaria est etiam in Suspicione, vt Iudex possit se certificare, an sit vere Hæreticus, nec ne, aliter Iudicium remaneret imperfectum.

Tertiò, quia confessarius ex solicitatione in actu confessionis suspicionem tantùm contrahit in Fide, cuius pœna non ita grauis est, quòd torturam superet. *Sed contra*, quia pœnæ regiſtratæ in Gregorianâ longe superant Torturam.

Quartò, quia sicut binas contrahens nuptias torqueri non potest, quia tantùm in fide habetur suspectus; ita & confessarius solicitans ex eadem ratione. *Sed contra*, quia communis sententia est, quòd poligami torqueantur super Intentione Farinac. q. 179. num. 59. & dicam infra in propria sectione, ergo, & solicitantes.

Quintò demùm, quia ita se habet praxis Hispanica teste *Diana part. 4. tract. 6. resol. 21. fine*. Contrarium docet praxis Romana, quam sequuntur omnes Itali. Hanc sententiam impugnatam docent Acugna, Castropalaus, Trullench, & Sousa, quos refert *Bscobar part. 3 q. 4. §. 2. num. 4.* qui num. 5. refert oppositam cum pluribus Doctoribus. Neutri adhæret ipse num. 6. sed limitat in sequentibus numeris.

Quæritur 65. An solicitans ad quæcunque item interpres, mandans, &c. cogantur abiurare, & qualiter?

℞. Debent omnes abiurare de vehementi, eo quòd suspicio est vehemens, abiuratio 214
enim regulatur à suspicione, vt dixi sect. 16. num. 28. Ita omnes Itali *cum Bariola in suis Floribus de confessar. solicit. vers. Debent. Leo in Thes. Fori eccl. part. 3. cap. 37. num. 35. Carena part. 2. tit. 6. num. 75. Dal Bene Dub. 237. sect. 20. num. 3. Ioseph sesse dec. 454. num. 5. Diana part. 4. tract. 5. resol. 51. & ibidem tract. 7. resol. 7. apud Bscobar part. 3. q. 5. num. 3.* Procedit responsio respectu omnium, quia eorum delictum est eiusdem speciei solicitationis sacrilegum, inferens iniuriam huic Sacramento, ergo inducit parem Suspicionem Hæresis in omnibus, ergo vehementem, iuxta dicta hic q. 28. & 29. vbi probatur vehementer suspectus de Hæresi, ergo est subiectus abiurationi.

Quæritur 66. Quibusnam pænis afficiantur solicitatores?

℞. Eas recenseri in Bullâ Gregorianâ his 215
verbis: Et quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circumstantijs, suspen-

suspendentes ab executione Ordinis, priuationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quoruncunq. ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint; Exilij, damnationis ad Triremes; & carceres etiam in perpetuum, absq; vlla spe gratiæ, aliasq; pœnas decernant Eos quoq. si pro delicti enormitate grauiores pænas meruerint, debitâ præcedente degradatione, curiæ seculari puniendos tradant. De quibus Bonacina de onere denunt. p. 3. num. 22. Sousa Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 67. Carena par. 2. tit. 6. num. 89. Ego cap. 23. num. 111. Escobar par. 3. q. 5. Dal Bene Dub. 237. sect. 20. num. 6. De singulis pænis aliquid dicendum est.

216 *Quos culpabiles repererint*. Puniendi sunt reperti culpabiles in delicto Solicitationis, scilicet, quorum delictum plene probatum est iuxta dicta *q. 57. sub num. 196. ad* 203.

217 *Suspendentes ab executione ordinis*. Hæc est prima pæna importans prohibitionem exercitij, & vsus Ordinis scilicet, sacerdotalis, loquitur enim textus singulariter, ac proinde de ordine solùm sacerdotali, cum in Bullâ sit sermo de Sacerdotibus solicitantibus tantùm, & non de alijs ordinatis.

218 *Priuationis Beneficiorum*, comprehendi quæcunq; Beneficia siue simplicia, seu curata vel libera, vel Iurispatronatus, hæc enim omnia veniunt sub nomine præfato, ex allatis à Barb. Appellat. 32. num. 1. Aliud est priuatio in Beneficijs, aliud est illorum depositio, nam priuatio arcet à fructibus, non autem ab exercitio spiritualium, *ex Sayro lib. 4. cap. 6. num. 3. Escobar.* in his terminis *par. 3. q. 5 n. 2.* Depositio verò ab omnibus scilicet à Beneficio, fructibus, & exercitio Spirituali, *ex cap. 2. de Pænis in 6. Abbas, Decius cum alijs in cap At si clerici, de Iudic.*

219 *Priuationis Dignitatum*. Quo nomine venit hîc dignitas non solùm propriè accepta sed etiam impropriè, & latè. Dignitas autem propriè est administratio cum Iurisdictione,

220 *Boer. dec. 286. num. 2. Aretin. cons. 23. Caualcan. dec. 649. Archid. in cap. 1. de consuet. in 6. apud Barbosam de Canon. cap. 4. num. 13.* Vbi subiungit, quòd Dignitas constituitur etiam ex prærogatiuâ sedendi supra alios, sine Iurisdictione, *ex Paciano lib. 2. de probat. cap. 27. num. 33. Oldrad cons. 150. num. 3.* Ioan. à Capistr. Ordinis Minorum sub prima S. Francisci Regula Beatus, *in cap. Decorem de cler. coniug. Giriacus contr. 202. num. 6.* Ad

221 dignitatem autem propriæ dictam tria requiruntur, Administratio perpetua cum Iurisdictione; Prærogatiua cum nomine Dignitatis in Ecclesiâ, & in capitulo, & quòd habeatur pro dignitate ex consuetudine, Doctoribus citatis *Rota dec. 4. apud Tambur. ad calcem tom. 3. de iure Abbatum.* Itaq; Cardinales, Episcopi, Abbates, Archipræsbiteri Archidiaconi, Canonici, & similes veniunt sub nomine Dignitatis, & hac priuationis pæna plectuntur, si incidant in Gregorianam; nullus enim excipitur in huiusmodi nefarijs excessibus, eo maxime, cum in his crescat Iniuria, quò maiores sunt in gradu.

Officiorum quorumcunq; Sub hoc nomine 222
veniunt gradus cum Superioritate coniuncti, *ex const. Ad Romanum* 71. *Sixti* V. *§. 6.* loquentis de Officijs Regularium, Generalatus, Prouincialatus, Guardianatus, Prioratus &c. à quibus excludit professos illegitimos, non autem ab alijs Officijs oneris, vt concionatoris, Lectoris &c. Vide *Sorbum V. Ingressus mon num. 8. Sanch. lib. 6 cap. 15. num. 66. Maranda tom. 2. q. 2. art. 8. Bonac. de largit mun. disp. 3. p. 5. num 2. ex illis Thesaurus de Panis par. 1. cap.* 38. Bulla autem Gregoriana comprehendit non solùm habentes Officium Superioritatis, sed etiam prærogatiuam, vt consiliarij, Definitoris, Assistentis, Lectoris, Regentis, Sacristæ &c. Bulla enim afficit quoscunq. officium habentes ex illa dictione *Quoruncunq.* quæ neminem excipit, adeo quod comprehendit etiam, quòd aliàs 223
non comprehenderet, *Barb. hac dict.* 317. *num.* 5. immo extenditur ad casus improprios & qui proinde dicuntur impropriè Officiales, *ibidem num* 3.

Ac perpetuæ inhabilitatis ad illa. Scilicet 224
ad exercendum ordines, ad recipienda beneficia, Dignitates, & Officia, nam pronomen *illa* refertur ad nominata in proximo superiori versiculo *Glos. in cap. Vt circa §. 1. Vers. coram. de elect. in 6. vbi Gemin. Alexander lib 2. cons. 204. num. 4. & 5.* Etto oratio regatur ab vnico verbo principali *Afflict. dec. 248. num. 13. Gabriel. lib. 2. consil. 127. num. 5. & 6. Barb. hac dict. 147. num. 1.* Hæc quadrant nostro textui.

Necnon vocis actiua, & passiua, si Regulares fuerint. Nomine *vocis* hic alio addito 225
venit vtraque, *ex Nauar. com. 4. de Regul. num. 24. ex eo Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 24.* tamen Legislator ad maiorem expressionem vtrunque scripsit. Incurrunt ergo hanc pænam Regulares etiam non officiales solicitantes, requiritur tamen sententia, *ex Soto lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. q. 6. art. 3. fine, Ledesma par. 2. q. 18. art. 2. dub. fin. Sanch lib. 9. disp.* 30. alios plures citat *Thesaurus de panis par. 1. cap. 29.* contra alios ab eo citatos antecedenter. Et licet loquantur de alijs criminibus, tamen locum quoque habent hic; sermo enim est de pænâ imponendâ per sententiam.

Exilij pænam Iudices imponere possunt 226
solicitantibus, vt dicitur in textu. Nomine *exilij* venit eiectio, & expulsio Solicitantis extra solum habitationis suæ. In iure vocatur relegatio, qua delinquens mittitur vel extra Patriam, vel ad certum locum confinatur

natur ad tempus, nam si perpetuò appellatur deportatio *ff. de interd. & releg. l. Relegatorum.* Infligi potest solicitantibus tam Secularibus, quam Regularibus.

227 *Damnationis ad triremes*. Hæc pæna practicatur pro delictis pluribus, & grauioribus in S. Officio, ac proinde contra solicitantem; redeuntes autem post adim-
228 pletum tempus, adhuc remanent irregulares quia hæc pœna equiparatur deportationi, quæ infamiam irrogat, *l. Ad tempus C. Ex quibus c auf. infam. irrog. l. capitalium, l. Qui-*
229 *dam ff. de pænis Poller. par. 2. Praxis cap. 9. num. 9. Thesaurus de Pænis V. Missa cap. 5.* Pæna hæc datur etiam Sacerdotibus, *alijs citatis Ciarlin. cap.* 207. *num.* 49. Pæna trire-
230 mium vltra duos annos excedit relegationem, *Giurba consil.* 37. *nu.* 10. in terminis nostris, quod Sacerdos solicitans damnari possit ad triremes docet *ex Bariola cum alijs Escobar. par. 3. q. 5. §. 3.* Et de hoc non est dubitandum vlterius post Gregorianam. Nota,
231 quòd hoc nomen *triremium* est fæmini generis, & sic dicitur, quia in primo sui vsu tres personæ simul applicabantur ligno triremali ad remigandum, & mouendum nauem ad velocem cursum super aquam.

232 *Et ad carceres etiam in perpetuum*. Sermo est de carcere non ad custodiam, sed pænali, de qua *Freitas ad Acugnam q.* 24. *num.* 50. *Carena par. 3. tit. 13 num.* 30. An carcer ad custodiam coniungatur cum carcere pænali ad tempus? Est in arbitrio Iudicum. Verba textus includunt quoq. carcerem ad tempus, vt probat dictio *Etiam* ampliatiua, & extensiua, *Barb. hac dict.* 112. *num.* 8. ac proinde comprehendit minorem pænam expressà maiore.

233 *Absque vlla spe gratiæ*. Hæc clausula importat, quòd nullus, præter Papam, potest dispensare in prædictis pænis. Quòd si Papa dispensat, non expresso Solicitationis delicto, propter quod vnà ex prædictis pænis solicitans fuit punitus, nullius momenti est dispensatio, vtpote subreptitia; cum non præsumatur dispensare, nisi dicta clausula exprimatur in supplicatione.

234 *Aliasque pænas decernant*. Accidere potest, quod crimen solicitationis tantam non mereatur pænam, pæna enim debet correspondere culpæ quam supponit, *cap. Non afferamus* 21. 24. *q.* 1. *cap. Felicis §. illud de pænis in 6.* iuxta illud Deuter. cap. 25. *Pro mensurà delicti erit & plagarum modus*; ac proinde Iudicibus reliquit arbitrium aliarum pænarum.

235 *Eos quoq. si pro delicti enormitate grauiores pænas meruerint, debità præcedente degradatione curiæ seculari puniendos tradant.* De Morte hic sermo est, quæ longè superat omnes alias pœnas, degradatur ergo sacerdos, & consignatur curiæ seculari, vt Morte moriatur. Escobar par. 3. q. 5. §. 4. Refert septem regulas, per quas Iudices possunt arbitrari pœnam mortis solicitantibus, quas non omnes refero, quia fundantur in degradatione respectu aliorum delictorum, vnde non puto esse ab alijs ad hoc solicitationis inferendum, sed solùm dico, solicitationem plurium actuum cum copula habità, siue naturali, siue innaturali in loco Sancto Confessionis arguere pœnam Mortis; & similiter quando quis ter abiurauit Solicitationem, & iterum redijt ad vomitum, tales enim solicitantes sine dubio enorme immo enormissimum sacrilegium commiserunt, ideo sunt digni Morte, manifestè enim spernunt hoc Sacramentum.

Quæritur 67. An aliquæ pœnæ exprimantur in alijs Bullis Pij IV. Pauli IV. Clementis VIII. Pauli V. aut Decretis?

℞. In Bullis Pij, & Pauli V. fit mentio de 236
degradatione, & traditione curiæ seculari, & non de alijs in specie pœnis; nec in Decretis.

Quæritur 68. An in aliquà Bullà, vel Decreto exprimatur, quòd Solicitantes priuentur ab auditione sacrarum Confessionum?

℞. Non inuenio hanc pœnam in termi- 237
nis expressam, nihilominus deducitur ex Gregorianà in illis verbis: *Suspendentes ab executione Ordinis*, scilicet, Sacerdotalis, quo duæ potestates traduntur ordinato in Presbiterum, consecrandi scilicet, & audiendi Confessiones, & sic suspensio cadit supra exercitium vtriusq. ex vi horum verborum; indignus est enim Sacerdos solicitans, vt ministerio hoc vtatur secundùm vtràq; potestatem. Nihilominus quandoq. priuantur solùm ab auditione Confessionum, vt quis pu-
niatur in eo, in quo deliquit, *cap. quanto 3.* 238
de translat Episcopo cap Literas 25. de temp. ordin. cap. cum olim, de offic. deleg. cum scilicet leuis est solicitatio, vt cum confessarius
manus, vel pedes fœminæ attrectat, seu 239
mamillas tangit vt dicit *Escobar par. 3. q. 5. §. 1. num. 6.* Mihi id non placet, quò ad mamillas, cum sit grauis solicitatio; simplex verò tactus manus, seu pedum leuis actus exterius expectatus non videtur esse modus solicitationis, sed actus æquiuocus potius, quàm venereus. De priuatione Confessionis. *Paramus lib. 3. q. 10. num. 166. Cantera q. 2. de haret. num. 65. Graff. consil. 1. de cognat. spir. cum alijs Escobar cit. num. 1. Carena par. 2. tit. 6. num. 83. ad 94.* Notaui sect. 17. num. 56. & 57. Eos, qui abiurarunt de vehementi, siue palàm, siue secretò non esse admittendos ad audiendas Confessiones secularium.

Quæritus 69 An omnes pœnæ supra recensitæ sub q. 66. concurrant in punitione vnius solicitantis, vel diuidi possint ad arbitrium Iudicis? Ratio dubitandi est, quia

pœnæ

pœnæ recensentur copulatiuè, sine vllâ disiunctiuâ.

240 Ꝭ. In arbitrio esse Iudicum, confessum, seu conuictum condemnare ad vnam, & non ad omnes, iuxta qualitatem delicti, vt colligitur ex illis verbis: *In eos pro criminum qualitate, & circunstantijs decernant*. Aliâ enim pœnâ punitur solicitans ad copulam, aliâ habens inhonestos sermones.

Quæritur 70. An Iudices inferiores idest Episcopus, & Inquisitor possint condemnare ad Mortem, si solicitationis enormitas id exigat?

241 Ꝭ. Negatiuè, ex textu Gregorianæ ibi: *Dantes facultatem S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, & curiæ seculari vt præfertur, reum tradendum esse pronuntiandi*. Excluduntur ergo alij, qui non sunt Cardinales Generales Inquisitores; dum ad ipsos hoc Iudicium spectat. Nec obstat, quòd antecedenter ad prælibata verba scribantur hæc: *Eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, curiæ seculari puniendos tradant*. Nam hoc intelligitur, si Cardinales ita iudicauerint, esse tradendos curiæ seculari; tradant inferiores de eorum mandato.

242 Quæritur 71. An metus excuset confessarium ab his pœnis? Ponunt casum hunc. Fœmina ardens amore confessarij vocat illum ad audiendam eius confessionem, enixè petendo ab eo, vt illi luxuriosè copuletur, aliter vult ipsa exclamare, se ab eo solicitari, nisi consentiat?

Ꝭ. Mitius est puniendus, *arg. cap. Sacris 5. de his, quæ vi*, vbi quòd metus non prorsus culpam excludit; ideo solùm eam attenuat, & pœnam correspondentem. Vide supra num. 143. vbi quòd Sacerdos consentiens fœminæ solicitanti ipsum, est valde suspectus de Hæresi; & sub num. 168. non ideo eam denuntiare tenetur, & in casu metus *Escobar par. 1. q. 3. num. 42.* dicit, quòd confessarius non est denuntiandus, si verò perficiat coitum in ipso sacrosancto, esse arbitrariè puniendum, & sic denunciandus, ex Sousa lib. 1. cap. 34. num. 28. vbi quòd nec debet abiurare, idem dicit *Del Bene Dub. 237. sect. 13. Petit. 10. Carena par. 2. tit. 6. num.* 100. ait debere etiam abiurare de leui, qui *cum Peyrino*
243 *ad Bullam* §. 3 *num. 9.* dicit, confessarium non posse tueri, quia metus est leuis, cum à fœmina sit illatus, ac proinde non timendus, nec à Iudice considerandus, *l. Nec timorem ff. de eo, quod metus Bonif. in Clem. 1. de foro comp. num. 3.*

Ego autem dico, quòd metus perdendi honorem, & bonam famam cadit in constantem virum, quia bono viro grauior est honoris iactura, quàm Mors ipsa, *ex allatis à Sanch. lib. 4. disp. 5. num. 11. & num. 14. &* 15. quòd metus infamiæ Iuris, & facti cadit in constantem virum. Nec hoc impedit sexus fœmineus respectu minarum, quæ verbis ab- 244
soluuntur; facilis est enim ad infamandum; ad quod facit illud Ioan. Chryst. in Homil. 60. his verbis: *Audax est ad omnia quæcunq; amat, vel odit fœmina, & artificiosa est nocere, cui vult*. Metus ergo a muliere incussus, quem verbis intendit incutere, magis est timendus, quàm metus ex factis. 245

Quæres 72. An fœmina difficilem se reddens ad denuntiandum possit inducere Confessarium, vt pro se denunciet?

Ꝭ. Pœnitens resistens denuntiare potest 246
rogare Confessarium in hunc modum, quem exprimit Vrbanus VIII. in suo Decreto his verbis: *Quando il penitente tuttauia persiste nella medesima renitenza N. S. si contenta, che dal Vescouo ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuer per Scrittura, & con giuramento la dinuntia per portarla subito à chi gli haurà data autorità di pigliarla.* Et ita fieri oportet; & post acceptam denuntiationem iuratam à fœminâ solicitatâ absolui ipsa poterit à Confessario, aliter non. Decretum Vrbani præfatum refert *Bariola in Florib Inquisit fol. 467. Trimarch. disp. 4. num. 67. fol.* 122. Idem dicendum est de pueris, qui renuunt, & dubitari potest de eorum executione, sicut & fœminarum; in vtrisq. enim par renitentia inueniri potest, ob verecundiam.

SECTIO VIGESIMA SEXTA.

De Abusu Sacramenti Extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

1 *Abusus aliud est à malo vsu Sacramenti huius.*
2 *Sacramentum hoc à Christo institutum habetur per traditionem.*
3 *Promulgatum à S. Iacobo.*
4 *Ante Cœnam Domini Apostoli nondum erant Sacerdotes.*
5 *Oleum oliuarum benedictum materia remotâ huius Sacramenti.*
6 Olei *nomine venit liquor oliuarum.*
7 *Chrisma quidam ponunt materiam eiusdem remotam.*
8 *Oleum ponunt materiam sine benedictione, sed malè.*

9 *Vnctio*

9 *Vnctio sacra est materia proxima.*
10 *Renes mulierum propter honestatem non vnguntur.*
11 *Conseruatur oleum benedictum in vase.*
12 *Panis, & ablutio partium corporis vnctarum.*
13 *Datur abusus in hoc Sacramento.*
14 *Actus impudici contingentes in sacrâ Vnctione arguunt suspicionem Hæresis.*
15 *Iudices Fidei cognoscunt de hoc delicto.*
16 *Vngens infirmum extra infirmitatem ad mortem, non est suspectus.*
17 *Vngens solùm pro sanitate Corporis non est suspectus de Hæresi.*
18 *Vngens ad effectum prauum est suspectus.*
19 *Vtens oleo benedicto ad effectum malum extra hoc Sacramentum est suspectus.*
20 *Abutens pane, & ablutione abstersæ Vnctionis est suspectus leuiter*
21 *Torquendus super prauâ Intentione.*
22 *Abiurat abutens hoc Sacramento.*

1 Sacramentum Extremæ Vnctionis sequitur post Sacramentum Pænitentiæ, de cuius Abusu plura diximus, in præcedentibus; hic de Abusu eius, non quo Minister malè illud ministrat ex ignorantiâ, vel negligentiâ, aut existens in peccato mortali; aut ipse Infirmus indignè illud recipit, his enim modis contingit Abusus, seu potius malus vsus in ministratione, seu receptione consistens, nam abusus propriè acceptus in causis sancti Officij consistit in vsu huius Sacramenti, ad eos effectus, ad quos non fuit institutus, iuxta infrà dicenda, quibus præmitto breuiter illius doctrinam.

2 Sacramentum hoc datur, à Christo Domino institutum pro salute infirmorum; & hoc est de Fide *ex Concilio Florentino, & Tridentino sess. 7. Can. 1. & sess. 14. Can. 1. & 2. De quo in cap. Illud superfluum dist. 95. & in tit. de sacra vnct. Scotus in 4. dist. 23. Brancatus tom. 3. de Sacram. disp. 11.* Institutio autem eius non exprimitur in Sacrâ Scripturâ, sed habetur per Traditionem, & colligitur ex Epist. S. Iacobi cap. 5. vbi sic
3 scribitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, remittentur ei.* Idest, peccata venialia, vt docent omnes *cum Scoto cit. num. 2. vers. Hoc etiam Brancatus num. 227.* Iacobus ergo illum à Christo institutum promulgauit, vt docent præcitati cum Trident. sess. 14. cap. 1. & 2. Illud quod legitur Marc. 6. 13. *Vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant,* non significat hoc Sacramentum, sed tantùm illud adumbrat, quia solùm Sacerdos existens potest illud ministrare (ex D. Iacobo) baptizatis; Apostoli autem ante Cœnam Domini nondum erant 4
Sacerdotes, & vngebant quoslibet etiam non baptizatos, erat ergo in illis donum gratis datum, quod dicitur gratia sanitatum.

Materia remota illius est oleum oliuarum 5
ab Episcopo benedictũ, ex Concilijs Florent. in Decreto Vnionis Armæn. ex Bulla 19. Eugenij IV. incip. *Exultate* §. 14. Tridentino sess. 14. cap. 1. Scotus *num. 5. vers. Sequitur cum oleo. Brancatus num. 20.* Nomine enim 6
Olei venit principale analogatum, sicut nomine *Sani* venit principaliter animal. Chrisma 7
quoque dicitur probabiliter materia huius Sacramenti, *Brancatus num. 3.* Aliqui docent benedictionem olei esse tantùm de præcepto, non autem de necessitate, sed sufficere purum oleum, *apud Becanum cap. 27. de* 8
Sacram. q. 3. Brancatus num. 28. probat benedictionem esse necessariam, non accidentalem, quia Concilia Florent. & Trident. assignant partes essentiales, non accidentales Sacramenti Extremæ Vnctionis. 9

Proxima verò materia huius Sacramenti est vnctio facta cum Oleo benedicto in oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum, vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; in renibus propter delectationem, applicando singulis vnctionibus formam, quæ est hæc; *Per istam Sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum, &c.* Ex Concil. Florent. Solis infirmis, quibus mortis periculum imminere videtur, sacra Vnctio conferenda est, ex eisdem Concilijs, & alijs nullo modo, 10
neque morti damnatis. Renum Vnctio non datur mulieribus honestatis gratia, vt docet Rituale Pauli V.

Oleum autem sacrum conseruatur in vase 11
argenteo, vel stanneo, cum bombacio ad euitandum effusionis periculum. Vas autem in domo infirmi ponitur super mensam mappâ candidâ coopertam, in qua sit paratum aliud vas, in quo sint septem globuli bom- 12
bacij, vel alterius rei similis, ad abstergendum partem vnctam; & sit quoque præparata medulla panis ad detergendos digitos, & aqua ad abluendas Sacerdotis manus, & candela accensa, dum vngitur infirmus. Ita Rituale;

fuale; sed quid agendum sit de bombacio, pane, & aqua nihil dicit, nihilominus in ignem debent proijci, ne quis illis abutatur. His præmissis.

Quæritur 1. An in hoc Extremæ Vnctionis Sacramento dari possit talis abusus, ex quo inferatur suspicio Hæresis, ac proinde talis casus spectet ad Officium S. Inquisitionis?

13 ℞. Affirmatiuè, colligitur *ex cap. Ad abolendam 9. de Hæret.* vbi dicuntur Hæretici, qui non credunt in Sacramentis, vel malè de illis sentientes sunt suspecti de Hæresi, vt clarius dixit Pius IV. in suâ Bullâ de solicitatione in confessione sacramentali, de qua sæpius in præcedenti sectione his verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes quòd qui de Fide catholicâ rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesiâ Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.* Non est sermo hic de vno tantum Sacramento, sed de omnibus, licet sententia hæc occasionata sit ex Sacramento Pœnitentiæ in suâ puritate, & excellentiâ conseruando, ac proinde sententia locum habet in hoc Sacramento Extremæ Vnctionis, qui ergo malè vtitur illo, bene de eodem sentire non præsumitur; bene enim, & male opponuntur, ac proinde simul esse non possunt.

Confirmatur, quia quod dicitur de vno Sacramento intelligitur etiam de alijs; Lucerna Inquisit. V. Sacramentis abuti, & ibi Pegna in additione.

Quæritur 2. An solicitans personam ægrotantem dum vngit verbis, vel factis e. g. tangendo pudenda, vel vngendo illa, vel osculando sit suspectus de Hæresi, vehementer, an leuiter tantùm?

14 ℞. Est suspectus vehementer, quia per huiusmodi actus præsumitur non credere in hoc Sacramento, dum illo abutitur, & violat execrandis actibus, & cum sint sacrilegi, nonnisi vehementem suspicionem præseferunt. Confirmatur, quia crimina huiusmodi sacrilega de abusu Sacramentorum cognoscuntur ab Inquisitoribus, ex Salelles Reg. 27. num. 22. Qui cum omnibus dicit, hoc non præscribi in Bullis de Solicitatione, quod verissimum est; non tamen infertur ex hoc, sic abutentes hoc, vel alio Sacramento, non esse denuntiandos Inquisitori, vel Episcopo, cum reuera sint suspecti de Hæresi; & de hac denuntiatione agit *Castropalaus disp. 9. p. 6. num. 6.* dicens, solicitantem ad venerem in vsu aliorum Sacramentorum fore denuntiandum suo Superiori, quod idem dicit *Dal Bene Dub. 237 sect. 8. num. 6.* Qui per illa
15 verba: *Suo Superiori* excludunt Iudices in causis Fidei, sed malè, quia ad eos spectat procedere contra suspectos de Hæresi, vt dicitur in eorum Edictis. *Diana part. 4. tract. 5. resol. 16.* refert plures benè asserentes, solicitantes ad venerem in alijs Sacramentis non incidere in Bullas tractantes de solicitatione, quia in illis disponitur tantùm pro Sacramento Pœnitentiæ, in quo facilius talis abusus contingit, rarò in alijs, nihil verò dicit de denuntiatione, vt facit dal Bene loco citato num. 5. dicens non esse denuntiandos Inquisitoribus, multis citatis, quia nullibi specialiter cautum reperitur, sed id falsum est, quia exprimitur, vt dixi, in Edictis. Sed aliud est, hoc delictum in alijs Sacramentis non puniri pœnis Gregorianæ, aliud denuntiari ex eadem, cum ex Edictis proueniat, vt dictum est.

Quæritur 3. An vngens infirmum non ad mortem, e. g. laborantem quartanâ, vel damnatum ad mortem fiat suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia non abutitur, sed 16
tantùm malè vtitur sacrâ Vnctione, ministrando infirmo non existenti in periculo naturali mortis, vt omnes communiter docent cum Concilijs, & sanctis Patribus, *cum D. Thoma, & Scoto in 4. dist. 23. Brancatus disp. 11. num. 162* Non abutitur ergo hoc Sacramento, quia non dirigit vnctionem ad effectum extraneum ab illius institutione.

Quæritur 4. An petens sacram Vnctionem præcise ad excludendam infirmitatem corporalem, aut sanandum vulnus, simul cum vngente sit suspectus de Hæresi?

℞. Non est suspectus, quia sanitatem 17
quoque corporis confert aliquando, cùm expedit, vt colligitur ex verbis D. Iacobi, ibi: *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Concilia, Florentinum: *Effectus verò est mentis sanatio, & in quantum expedit, etiam ipsius corporis.* Tridentinum sess. 14. cap. 2. ibi: *Ægrotus sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* De corporali hac sanitate Brancatus *disp. 11. à num. 267. Mastrius in 4. sent. Scoti disp. 6. num. 100.* Qui autem sacram Vnctionem petit præcise pro sanitate corporis peccat grauiter, quia inordinatè petit, præponens minus bonum maiori bono, quod est sanitas animæ.

Quæritur 5. An Faciens se vngere sacramentaliter, ad obtinendum aliquem prauum effectum simul cum vngente sit suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia hoc Sacramento a- 18
butitur ad malum finem, ad quem non fuit institutum, ac proinde cum bene non possit de illo sentire presumitur male sentire, quod scilicet prosit ad malum obtinendum, & faciendo illi iniuriam est suspectus vehementer de Hæresi?

Quæritur 6. An vtens oleo benedicto extra sacram vnctionem ad quemcunque effectum, siue bonum, siue malum, fiat suspectus de Hæresi?

℞. Ad effectum bonum, vt ad infirmita- 19
tem expellendam, licet peccet, quia consecratur

uatur solùm pro sacrà Vnctione, & non vltra, tamen per hoc non fit suspectus de Hæresi, quia eo non abutitur, cum non ordinetur ad malum finem, vt fieret, si vteretur ad consequendum aliquem effectum malum, ad quem non potest ordinari, nisi ex praua Intentione, & tale delictum continetur sub specie Sortilegij, iuxta quod dicam suo loco.

Quæritur 7. An abutens medulla panis, & abiutione, atque candelà, de quibus dixi sub num. 12. ad malum effectum sit suspectus de Hæresi?

20 ℞. Est suspectus, quia parui pendet hoc sacramentale ipsius Sacramenti relictum in absterlione olei benedicti, ex quo præsumitur male sentire de his, quæ pertinent ad ipsum Sacramentum. Verùm quidem mihi videtur hæc suspicio leuis, dum immediatè non attingit actum ipsius sacræ Vnctionis.

Quæritur 8. An negans prauam Intentionem torquendus sit super ea?

21 ℞. Confessus, vel conuictus super delicto, torquendus est super Intentione, si iudicatus fuit vehementer suspectus de Hæresi, non autem si tantùm leuiter a Consultoribus habitus fuit suspectus, ex sect. 16. num. 23. vbi dixi, leuiter suspectum non esse torquendum, sicut torquetur grauiter, & vehementer suspectus.

Quæritur 9. An Abiuratio locum habeat in dictis casibus suspicionis?

22 ℞. Affirmatiuè, quia regulariter Abiuratio sequitur ad suspicionem probatam, & ab ea specificatur in suo gradu, sect. 16. num. 28.

SECTIO XXVII.

De Abusu Sacramenti Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Abusus contingere potest in hoc Sacramento sicut in alijs.*
2 *Matrimonium est contractus, & Sacramentum.*
3 *Institutum a Deo in Adam, & Eua vt Sacramentum in veteri.*
4 *Et in noua lege a Christo collatiuum gratiæ.*
5 *Colligitur ex Nuptijs in Canà Galileæ factis.*
6 *Sacramentum esse est de Fide.*
7 *Sacramentum omne ex rebus, & verbis constat.*
8 *Corpora contrahentium sunt remota materia eius; proxima mutua corporum traditio.*
9 *Matrimonium in ratione Sacramenti transit.*
10 *Vinculum perseuerat vsq. ad mortem, quia pendet a Contractu.*
11 *Fidelis cum infideli contrahens suspectus est de Hæresi.*
12 *Idem si contrahat cum Iudæà.*
13 *Atq; cum Hæreticà.*
14 *Dos Vxoris nubentis scienter Hæretico confiscatur.*
15 *Ignorantia in hoc præsumitur in dubio.*
16 *Valet Matrimonium Fidelis cum Hæretico.*
17 *Solemne votum habens, si ducat vxorem est suspectus de Hæresi.*
18 *Excommunicatus est; non reseruatur.*
19 *Hæreticus est dicens, copulam coniugalem esse peccatum.*
20 *Supradictæ suspiciones sunt vehementes.*
21 *Sponsalia quoq; inducunt suspicionē.*
22 *Abutens annulo Sponsali est suspectus de Hæresi saltem leuiter.*
23 *Annulus signat vnitatem dilectionis inter coniuges.*
24 *Contrahens cum puero suspectus de Hæresi vehementer.*
25 *Ordines Sacros recipiens non est suspectus de Hæresi.*
26 *Professus vota Bienij contrahens Matrimonium est suspectus.*

IN Matrimonio, sicut dictum est de alijs Sacramentis, contingere potest abusus talis, ex quo argui potest suspicio Hæresis, non solùm ex pluralitate coniugum, quæ appellatur Poligamia, de qua in sequenti Sectione, verùm etiam ex ipso actu celebrationis ex inhabilitate personarum contrahentium, vel ex alio defectu, iuxta inferiùs dicenda. 1

Præmitto autem primò, Matrimonium esse non solum contractum, quo duæ personæ sibi inuicem tradunt vsum suorum corporum in ordine ad generationem, & educationem prolis, quæ ambæ se obligant ex natura huius contractus simul manere in hoc officio 2

vsque

vsque ad mortem, quæ soluit Matrimonium iuxta illud Pauli Rom. 7. 3. *Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri*, idem dicitur ad Corinth. 1. cap. 7. 39. Verùm etiam esse Sacramentum à Domino institutum ab initio mundi Genes. 2. illis ver-
3 bis. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter quod relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. & erunt duo in carne vna*. Dixit Adam vti præco Dei, vt habet Scotus *in 4. dist. 26.num.* 18. *vers. Per hoc patet, & in fine quæstionis, vers. Ad argumenta*. Et in lege Euangelicâ à Christo institutum, de quo
4 dicitur ad Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ*. Antecedenter autem loquebatur de Matrimonio instituto à Deo in statu Innocentiæ, quod primò exercitum fuit inter Adam, & Euam, quod fuit, & ipsum Sacramentum, sed non efficax, vt Sacramentum nouæ Legis, nam illud significabat quidem gratiam, sed non causabat, sicut Matrimonium nouæ Legis. De vtroque Brancatus disp. 14. art. 5. referens Concilia, &
5 Patres ad prædicta, qui num. 85. cum Scoto dicit, institutionem hanc colligi ex nuptijs
6 Canæ Galileæ, vt ex dictis in Euangelio Matthæi 19. ex Trident. sess. 24. cap. Vn. & Can. 1. vbi de Fide est esse à Domino institutum in Lege Euangelicâ.

7 Præmitto 2. Sacramentum hoc constare ex rebus, & verbis, sicut alia Sacramenta, iuxta illud D. August. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, materia ergo Matrimonij tam in ratione contractus,
8 quàm Sacramenti, remota quidem sunt corpora contrahentium, proxima est ipsamet mutua traditio corporum, cuius forma applicata materiæ sunt verba, vel signa mutorum significantia consensum masculi, & fœminæ Matrimonium contrahentium inter se. Vnde ambo sunt ministri contrahentes, & conficientes, atque suscipientes hoc Sacramentum, sicut Sacerdos celebrans simul est minister, & susceptor sacramenti Eucharistiæ.

9 Præmitto 3. cum Matrimonium, sicut alia sacramenta constent ex rebus & verbis, vt patet, aliud esse non potest habere cum illis, nisi in fieri, ac proinde non habet esse permanens, sed prolatis verbis, desinit esse, volat enim irreuocabile verbum de esse ad non
10 esse. Nec obstat quod vinculum sit indissolubile, & perpetuò manens, quia vinculum non est Sacramentum, sed obligatio mutua contrahentium ad sic manendum, patet quoque quod in alijs Sacramentis, maneret eorum effectus, vt caracter in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, & gratia in omnibus perseuerat in homine, quousque per peccatum desinat esse. His præmissis.

Quæritur 1. An Fidelis contrahens Matrimonium cum Infideli fiat suspectus de Heresi? An, & quomodo valeat dixi latius sect. 11. q. 7. a num. 36.

℞. Ex tali Matrimonio oritur suspicio Hęresis, præsumitur enim velle sequi mores, & vitam coniugis, quod facile potest, cum habitantes in eadem domo sint eiusdem moris, & si non sunt, fiunt, vt dicitur Psal. 67.7. *Qui inhabitare facit vnius moris in domo*; id autem est apostatare à Fide, cum simul stare Fides non possit cum infidelitate, ex 2. Corinth. 6. 15. *Quæ pars fideli cum infideli?* Confirmatur, quia cap. 5. & 6. de Hæret. prohibetur Episcopis, & alijs Ecclesiasticis instituere Hæredes non solùm Hæreticos, sed etiam paganos, aut alios non catolicos. Si hoc prohibetur ecclesiasticis, ne fiant vti eorum fautores suspecti de Hæresi, & infidelitate, à fortiori in casu nostro fiunt suspecti de Hæresi, dum propinquior est occasio subuersionis in tali Matrimonio. 11

Quæritur 2. An contrahens cum persona Iudæa fiat suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia facilis est subuersio, 12
vt colligitur *ex cap. Ad hæc* 8. *de Iudæis*, ad hoc enim Papa motus est ad prohibendum, ne fideles cum illis conuersationem habeant, à fortiori suspecti fiunt si cum illis contrahant Matrimonium.

Quæritur 3. An contrahens cum persona Hæretica fiat suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia præsumitur consen- 13
tire cum Luteranis, & Caluinistis, qui negant Matrimonium esse Sacramentum. Confirmatur, quia Clemens VIII. *in sua incip. Cum sicut* 42. §. 2. prohibuit Matrimonium fidelibus cum Hæreticis; confirmatur, quia vt dicitur sub §. 4. Si quis propriæ salutis immemor, contra præmissa facere præsumpserit possint aduersus eum locorum Ordinarij, & Inquisitores Hęreticæ prauitatis vti de Hęresi suspectum procedere. Deinde conuersantes cum Hęreticis sunt suspecti de Hęresi, cum sint eorum fautores, tales sine dubio sunt cum eis parentelam facientes. Vide *Garenam part. 2. tit. 5. num.* 67. & in his terminis tit. 17. num. 19.

Quæritur 4. An Mulier fidelis contrahens cum Hæretico præter suspicionem Hæresis incurrat confiscationem suæ dotis?

℞. Affirmatiuè, expressè cap. Decreuit 14
14. de Hæret. in 6. ibi: *Nisi forte mulieres ipsa cum viris Matrimonia contraxissent, quos Hæreticos tunc sciebant*. Est communis apud *Farinac. q.* 190. *num.* 49. *Barbosa ad hoc cap. num.* 7. Nota illa verba: *Quos Hæreticos tunc sciebant* duo importare, vnum est. quod vxor non priuatur suâ dote, si tempore initi Matrimonij non erat Maritus Hæreticus postmodum factus, vt indicat illud *Tunc*, quod restringitur ad tempus celebrati Matri-

monij, *ex allatis à Barb. hac dict.* 409. *num.* 7. Alterum, quòd ad perdendam dotem requiritur scientia, quòd maritus erat Hæreticus tempore celebrationis Matrimonij, & non subsequenter, *ex adductis à Barb. num.*

15 *9. vbi num.* 11. in dubio præsumitur nescire, nisi aliter probetur, *Ex Gloss. V. Tunc ergo*; per Fiscum, si vult capere dotem, *ex Silu. & Repertorio Farinac. num.* 53. Alia quamplura circa dotem respectu vxoris, & mariti Hæreticorum vide sub sect. 13. q. 33. ad 42. sub num. 120. ad 135.

16 An valeat Matrimonium inter catolicam, & hæreticam personam? Affirmaui sect. 11. num. 49. nisi in hoc persona sit hæretica, ibidem num. 61. Nec obstat impedimentum *Cultus disparitas* quod intelligitur tantùm respectu baptizati, & non baptizati, vt probaui ibidem num. 43.

Quæritur 5. An habens Votum Castitatis solemnizatum Professione, vel Ordine sacro sit suspectus de Hæresi, attentans Matrimonium contrahere?

17 ℞. Contrahens Matrimonium Clam, vel publicè, siue sequatur copula, siue non quælibet persona ecclesiastica vtriusque sexus est vehementer suspecta de Hæresi, incurrit excommunicationem, nulli tamen reseruatam.

Prima pars de vehementi suspicione probatur, quia præsumitur tenere sibi esse licitum contrahere Matrimonium, quod credere est hæreticum definitum in Tridentino sess. 24. num. 9. Ita docent *Pegna part.* 2. *com.* 81. *vers. de eo*, Farinac. *q.* 178. *num* 68. *fine*, *Carena part.* 2. *tit.* 17. *num.* 72. *Castropal. disp.* 8. *p.* 16. *§.* 8. *num* 4. *Albergbinus cap.* 26. *num.* 6. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 5.

18 Secunda pars de excommunicatione habetur *ex Clem. Vn. de consang.* Non est reseruata, *ex Suar. disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 23. *Pontio lib.* 7. *cap.* 28. *num* 2. Contra alios, & Barbosam ibidem num. 24.

Quæritur 6. An sit Hæreticus asserens copulam coniugalem esse peccatum?

19 ℞. Affirmatiuè, & colligitur ex 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat, Vxori vir debitum reddat; similiter autem & vxor viro.* Si enim copula coniugalis esset peccatum, Paulus non præscriberet coniugibus esse debitum reddendum petentibus.

Quæritur 7. An Suspicio Hæresis sub præcedentibus quæstionibus sit in omnibus vehemens, aut leuis?

20 ℞. Videtur vehemens, quia delictum eam inferens habet pro obiecto Sacramentum, cui censetur facta magna iniuria, & contemptus, quod facere præsumitur licere, aut Sacramentum non dari in contractu Matrimonij, aut haberi pro puro contractu, quod arguit vehementem suspicionem; hoc dicit *Direct. part.* 2. *q.* 56. *num.* 6. quod fautor Hæreticorum est vehementer suspectus; item familiaritas cum illis, seu amicitia, *ibidem num.* 7. & 8. *Farinac. q.* 182. *num.* 166. fautor autem, familiaritas, amicitia sine dubio reperitur in Matrimonijs, vnde *Pegna p.* 2. *com.* 81. *vers. Iam vt vno verbo*, dicit, contrahentem cum Hæreticà esse vehementer suspectum. Quod idem dicendum, si contrahat cum Paganà, aut Iudæà, quia non est minus periculum subuersionis, immo magis recedere à tota Fide illis adhærendo. Idem puto de contrahentibus sponsalia, quia eandem inducunt suspicionem propter amicitiam, familiaritatem, dona, & futuram parentelam. 21

Quæritur 8. An in annulo benedicto contingere possit suspicio Hæresis, si quis eo vtatur ad prauum effectum?

℞. Affirmatiuè, quia est benedictus habens ordinem ad ipsum Matrimonium, cuius vnitatem carnis ex duobus indicat, & significat mutuum amorem inter sponsos; ponitur autem in quarto digito annulus significans vnionem cordium, quia in eo vena quædam sanguinis ad cor vsque peruenit iungens vtrunque in dilectione matrimoniali in ordine ad prolem, *Ioan. Baptista Rubeus de diuinis offic. lib.* 1. *cap.* 21. *vers. Notatione.* Abutens ergo illo est suspectus de Hæresi, saltem leuiter, quia præsumitur sibi licere vti benedictis rebus ad illicita perpetranda. Puto id procedere in casu cuiusdam, qui non valens coire cum vxore sua, sic maleficiatus, edoctus fuit à maleficà, quòd virgam erigeret, & coiret, si vrinam emitteret intra spheram annulli Sponsalitij, vt fecit, & sic recuperauit vigorem coeundi, soluto Maleficio per aliud maleficium, fuit enim indecens, & remedium diabolicum, neque enim annulus in se etiam, vt benedictus talem habet virtutem. Talis autem Mediolani multis ab hinc annis ob bonam fidem dimissus fuit cum pœnitentijs salutaribus. 22 23

Quæritur 9. An desponsans sibi puerum cum ijsdem ceremonijs Matrimonij sit suspectus de Hæresi?

℞. Est vehementer suspectus de Hæresi, dum enim tale Matrimonium sic contrahit, præsumitur credere, & sibi licere copulam sodomiticam; & vsum Sacramenti huiusmodi esse licitum cum puberibus; non esse contractum inter personas tantùm diuersi sexus, sed etiam eiusdem sexus. Ex quibus manifestè apparet vehemens suspicio Hæresis. 24

Quæritur 10. An coniugatus recipiens Ordines sacros fiat suspectus de Hæresi?

℞. Negatiuè, non solùm si id faciat de consensu vxoris, cum enim talis receptio Ordinis sit omninò licita, & nullibi prohibita non potest inducere suspicionem Hæresis. Verùm etiam si id agat sine licentià; licet 25

enim

enim peccet ob iniuriam, quam facit Vxori, non ideo tamen indè argui potest suspicio Hæresis, quia nulli Sacramento fit iniuria; non Ordini, quia validè recipit illum, & non arcetur propter ipsum, sed propter iniuriam præcisè factam Vxori; non Matrimonio, quia iam transiuit, cum non sit permanens; igitur tale peccatum de se suspicionem Hæresis inducere non potest, dum sola vxor læditur. Dixi cap. 23. num. 57. contra Simancham, & Carenam par. 2. tit. 17. num. 12.

Quæritur 11. An professi Societatis Iesu simpliciter ducentes vxorem sint suspecti de Hæresi? Ratio dubitandi sit, quia eorum professio non est solemnis, ex solemnitate autem videtur induci suspicio Hæresis, cum illi fiat grauis Iniuria, & sic suspectus sic contrahens cum voto solemni.

26 ℞. Est vehementer suspectus de Hæresi, quia talis professio inducit omnes ferè effectus, quos parit votum solemne, ex Bulla *Ascendente Domino* Gregorij XIII. Sed habens votum solemne, & attentans inire Matrimonium fit suspectus de Hæresi vehementi ex dictis q. 5. ergo & professus nota bienij. Ita *Carena par. 2 tit. 17. num. 10. Vers. Ex qua, Cantera quæst. crimin. de Hæretic. num. 70. & 71. Castropal. tract. 4. disp 8. p. 16. §. 8 num. 4.* qui licet id non exprimat in terminis suæ Societatis, tamen ita sentit, dum loquitur, non exprimendo votum Solemne.

SECTIO VIGESIMA VIII.

De Abusu Matrimonij per Poligamiam.

SVMMARIVM.

1 *Poligamia est pluralitas Coniugum vnius eodem tempore viuentium.*
2 *Est sacrilegium iniuriosum Sacramento Matrimonij.*
3 *Asserens licere pluralitatem Vxorum est Hæreticus.*
4 *Bigamia est pluralitas Vxorum successiuè per mortem ductarum priore mortua.*
5 *Malum intrinsecè dicitur illud, quod nulla circunstantia potest cohonestari.*
6 *Malum aliquod intrinsecè malum ex circunstantià potest exuere malitiam.*
7 *Poligamia hoc secundo modo est mala.*
8 *In Poligamià Deus dispensauit in veteri Lege.*
9 *Poligamia est prohibita Iure natura, & diuino.*
10 *Dispensatio probatur Deuter. cap. 21. 15.*
11 *Pater in lege Veteri dabat duplicia primogenito.*
12 *Abraham habuit tres vxores Saram, Agar, & Ceturam.*
13 *Iacob Liam, & Rachelem, Dauid plures.*
14 *Christus in sua Lege neminem dispensauit in* Poligamià.
15 *Dicens nulla lege prohiberi Poligamiam est Hæreticus.*
16 *Vnicam esse Vxorem plurium semper prohibitum.*
17 *Papa non potest dispensare in pluralitate Vxorum.*
18 *Potestas corporum est alterius coniugis.*
19 *Hæreticus est asserens, esse licitam pluralitatem Vxorum.*
20 *Poligamus est suspectus de Hæresi.*
21 *Præsumitur enim malè sentire de Matrimonio.*
22 *Ideo vehementer suspectus.*
23 *Abutens Sacramento est vehementer suspectus de Hæresi.*
24 *Sicut qui recedit à communi vità, & moribus Fidelium.*
25 *Hispani dicunt esse solùm leuiter suspectum.*
26 *Impugnantur.*
27 Melius est nubere, quam vri. 1. *cor. 7. 9.*
28 *Dos sequitur Matrimonium.*
29 *Matrimonium vti bonum, Hæresi non conformatur.*
30 *Suspicio Hæresis non potest oriri ab actu licito.*
31 *Deordinatio finis in Matrimonio non inducit suspicionem.*

32 Cau-

32 *Causa impulsiua in Matrimonio libido, & lucrum dotis.*
33 *Causa finalis in eo est generatio magis attendenda.*
34 *Causa impulsiua præbet occasionem.*
35 *Libido, & lucrum dotis nullum commercium habent cum suspicione.*
36 *Poligamiæ vitium prius fuit apud Hispanos punitum, quàm extra.*
37 *Hispani notant etiam ipsi vehementer suspectum excedentem vltra duas Vxores.*
38 *Baptizans Imagines cur vehementer suspectus, & non Poligamus.*
39 *Currit paritas in vtroq; casu.*
40 *In Baptismo nihil destruitur, sicut in Poligamia.*
41 *Defenditur Carena contra Alberghinum.*
42 *Factum, vel dictum preseferens manifestam Hæresim inducit vehementem suspicionem, quod tamen etiam inducitur ex alijs.*
43 *Suspicio Hæresis non à voluntate, ad ab Intellectu specificatur.*
44 *Abusus huius Sacramenti non se tenet ex parte libidinis, aut lucri dotis.*
45 *Tam Poligamus, quàm baptizans Imaginem, se abstinerent, si crederent abusum sibi fore inutilem.*
46 *Carena impugnatur.*
47 *Suspicio vehemens habet latitudinem, & plures à pluribus indicijs sunt.*
48 *Vxores ducens siue clàm, siue palàm est vehementer suspectus.*
49 *Palàm, & publicè facta præsumuntur bona.*
50 *Intelligè, nisi modi faciendi sint prohibiti.*
51 Poligamus *est, qui contrahit ad formam, siue contra formam Concilij.*
52 *Credens nullum esse primum Matrimonium subditur Inquisitori quousq; probet eius nullitatem.*
53 *Asserenti incumbit probatio.*
54 *Nullitate primi Matrimonij probatà non amplius subditur Inquisitoris.*
55 *Nullitatis Matrimonij Sententia datur à solo Ordinario extra casum Hæresis.* 58.
56 Potest *vti processu Inquisitoris.*
57 *Processus legitimè factus in vno Iudicio valet pro alio.*
58 *Causa matrimonialis est solius Ordinarij extra casum Hæresis.* 55.
59 Poligamia *supponit valorem primi Matrimonij, aliter non est.*
60 *Secundum Matrimonium nullum ex defectu consensus inducit suspicionem Hæresis.*
61 *Protestatio non excludit* Poligamiam.
62 Protestatio *quando non releuat protestantem?*
63 *Facta derogant verbis.*
64 *Vxoratus contrahens sponsalia est leuiter suspectus.*
65 *Id negat Aloysius Riccius.*
66 *Impugnatur.*
67 *Sponsalia, & Matrimonium sunt diuersa.*
68 *Homo liber cum duabus contrahens sponsalia est leuiter suspectus.*
69 *Tractans sine sponsalibus de dote, de denuntiationibus, est leuiter suspectus de Hæresi.*
70 *Poligamia contingit sine copulà, & ante copulam quandoque.*
71 *Copula non est de substantià Matrimonij, sed mutuus consensus.*
72 Cooperantes *ad* Poligamiam *sunt vehementer suspecti.*
73 *Licet* Poligamus *esset iam ex se dispositus.*
74 *Suspicio Hæresis oritur ex actibus, proprijs non alienis.*
75 *Torquetur super delicto negato, & super intentione.*
76 *Tortura non excedat semihoram.*
77 *Poligamus cum cooperatoribus abiurat de vehementi.*

78 *Dicta*

78 *Dicta de viris Poligamis locum habent in Fœminis Poliuiris.*

79 Poliuiria *est pluralitas Maritorum vnius Vxoris.*

80 *Poligamia afficit vtrunq; contrahentem suspicione, nisi probetur ignorantia.*

81 *Poligamia similitudinaria, quæ scilicet dicit pluralitatem coniugum.*

82 *Est mixtio Matrimonij Spiritualis scilicet voti Castitatis solemnis cum subsequenti Matrimonio carnali.*

83 *Pœnæ contra* Poligamos *referuntur.*

84 *Vxorata nolens redire ad legitimum Maritum punitur ab Inquisitore vti.*

85 *Inobediens, & si stat cum secundo est suspecta.*

86 *Mixti fori non est delictum Poligamiæ, sed est solius ecclesiastici.*

87 *Contra Genuensem, qui reijcitur.*

88 *Iudicium ab vno ceptum ab alio finiendum non est.*

89 *Probatio Poligamiæ spectat ad fiscum S. Officij.*

90 *Superuiuentia Vxoris primi Matrimonij probatur à fiscali.*

91 *Matrimonium probatur per librum Parochi.*

92 *Libris mercatorum creditur.*

93 *Liber pro Matrimonijs præscribitur à Trident. sess. 24 cap. 1.*

94 *Testes duo quicunq; sint probant Matrimonij celebrationem.*

95 *Fiscus probat superuiuentiam prioris Vxoris.*

96 *Vnicus testis probat ad Torturam.*

97 *Poligamus se defendit probando mortem Vxoris, vel Matrimonium primum esse nullum.*

98 *Mors coniugis probatur per librum mortuorum, siue* Parochi, *siue Sacristæ, siue Ciuitatis, siue Confraternitatis.*

99 *De libro mortuorũ Rituale* Pauli V.

100 *Mors in defectum libri probatur per Testes integros.*

101 *Vox vnius vox nullius.*

112 Nuntium *sumitur neutraliter in cap. In presentia, de sponsal.*

103 Donec Constet *importat probationem concludentem.*

104 *Testes integri sunt necessarij ad impugnandum Matrimonium.*

105 *Oppositum probatur.*

106 *Reijcitur.*

107 *Citati textus sunt correcti.*

108 *Defendit Poligamus se, probando nullitatem prioris Matrimonij per Testes duos integros.*

109 *Duo Testes etiam non integri probant contractum Matrimonij.*

110 *Reg. 1. de Reg. iur. non habet locum in Matrimonio.*

111 *Testes falsi coram Inquisitore puniuntur.*

112 *Si falsi sunt in causà* Poligamiæ *pro* Poligamo.

113 *Aliter non.*

114 *Deponens falsum contra innocentem punitur licet non sit suspectus.*

115 *Testis defendens ex opinione Poligamum non punitur.*

116 *Opinio vnius Doctoris excusat, licet inueniatur falsa.*

117 *Omissio denuntiationum irritat Matrimonium ex opinione Menochij.*

118 *Dicta opinio est falsa.*

119 *Bona fides, excusat à peccato, & pœna.*

120 *Bonà fide dicitur operans secundum probabilem opinionem.*

121 *Causa etiam bestialis excusat à pœnà.*

122 *Testes examinati in Curià, & in S. Officio deponentes contrarium circa mortem vxoris, quid agendum.*

123 *Officiali creditur, non Testibus.*

124 *Notario creditur si sit bonæ famæ.*

125 *Conuersus ad fidem si ducat Vxorem non est Poligamus viuente priore*

priore aliàs Vxore.

126 *Excusatur, qui dicit non esse vxorem, sed concubinam, quando fiscus non probat secundum Matrimonium.*

127 *Confessio qualificata tunc diuiditur, cum delictum non est probatum.*

128 *Confessio tunc scinditur cum est inuerisimilis.*

129 *Confessio diuiditur, quando delictum relinquit in suo statu.*

130 *Confessio cum qualitate fictionis excusat.*

131 *Confessus cum qualitate verisimili non torquetur.*

1 Poligamia, quæ contingit in Matrimonio, est pluralitas Coniugum vnius eodem tempore viuentium. Explicatur tribus modis, quibus euenire potest. *Primò* cum quis ducit plures Vxores viuentes. *Secundò*, & è contra, cum Vxor viuente primo Marito nubit alteri. *Tertiò*, cum plures communem habent vnicam Vxorem. De hoc non est sermo hic, cum id non soleat accidere. De primò, & secundò hic agendum, quod solet vt plurimum maximè respectu viri, qui celebrat binas nuptias, masculus enim quærit Vxorem, raro fœmina, quæ non habet in vsu vagari per mundum, vt masculus.

Qui ergo contraxit validè Matrimonium, ducens aliam mulierem in vxorem, viuen-
2 te priore, graue committit Sacrilegium, & facit iniuriam Sacramento Matrimonij quod ex sua institutione inductum fuit ex coniunctione vnius cum vnâ, duæ enim personæ diuersi sexus per Matrimonium fiunt vna caro, vt dicitur in Genesi cap. 2. Ita quod sentiens
3 licere pluralitatem Vxorum viuentium ipso Iure est excommunicatus, & Hæreticus ex Trident. sess. 24. can. 2.

Dixi *Viuente priore*, quia si est mortua, li-
4 citè secundam ducit, talis enim contractus non est Poligamia, sed tantùm Bigamia, quod non est peccatum, sed tantum quoddam Canonicum impedimentum inducens Irregularitatem, ac proinde prohibens susceptionem Ordinum, de quo hic agendum non est, quia non facit bigamum suspectum de Hæresi, sicut capiat Ordines. Bigamus ergo est, qui mortua priore Vxore aliam ducit, vel successiuè mortuis prioribus alias ducit. Poligamus verò, qui plures simul habet viuentes, & de hac Poligamia hic agendum est in sequentibus Quæstionibus.

Quæritur 1. Quo iure Poligamia sit prohibita? Præmitto non bonum, sed malum esse contra Ius naturale, quod contingere potest duobus modis; *Primò*, cum scilicet aliquid 5
est in se ita malum intrinsecè, vt per nullam circunstantiam exui possit a suâ malitiâ, quæ ab illo omnino est inseparabilis, ita quòd nullo modo cohonestari possit. E.g. odium Dei, peccatum contra naturam, mendacium ita intrinsecè malitiam habent adiunctam, vt nec Deus eam possit ab illis separare, id enim repugnat summæ eius bonitati, quæ vti purissima misceri non potest cum malitiâ. *Secundò*, aliquid licet sit de se malum 6
tamen per aliquam circunstantiam potest exuere talem malitiam, quia separabilis est per circunstantiam, eo quod malitiam non est essentia talis mali, vt dictum est de odio Dei, de peccato contra naturam, &c. Hac ratione copula carnalis naturalis de se est quidem mala, sed per circunstantiam Matrimonij adiuncti fit bona, licita, & honesta. His præmissis.

℞. Poligamiam Vxorum vnius Viri esse 7
Iure naturæ, & diuino prohibitam secundo modo, quam Deus ab initio prohibuit, dum Matrimonium dixit esse duorum maris, & fœminæ in carne vna ad generationem, nihilominus in lege veteri dispensauit, vt simul 8
plures possent habere vxores; in lege autem noua nullus fuit dispensatus, sed Christus voluit, vt seruaretur, quod Deus ab initio statuerat, vt tantùm duo essent in carne vna ad procreationem filiorum. Quod autem plures viri vnicam communem haberent vxorem, semper prohibitum fuit, & nonquam dispensatum. Singulæ partes sunt probandæ.

Prima pars, quòd pluralitas simultanea 9
vxorum sit prohibita Iure naturæ, & diuino, probatur. Tum quia fouet libidinem, & minuit generationem. Tum quia vnica vxor sufficit ad remedium concupiscentiæ. Tum quia pax, & amicitia magis conseruatur. Hoc patet ex Genes. *Erunt duo in carne vna* limitat coniugium inter vnum, & vnam, ergo Deus prohibet inter plures, vltra duos, Matrimonium. Ita Concilia, & Sancti Patres, *Scotus in 4. dist. 33. apud Branetatum disp. 24. art 3 num.40 Auersam q. 14 sect. 1. vers. Certum tamen Castropal. disp. 3. de sponsal. p. 1. num. 4. Carena part. 2. tit. 5 num. 12. Meldulens. disp. 7. num. 207. Barb. ad cap. Gaudemus 8. de diuort. num. 10.*

Secunda pars; quòd Deus in lege veteri 10
dispensauerit, probatur ex ipsamet Sacrà Scripturà, nam in Deuter. cap. 21. num. 15 id supponitur, dum Deus docet modum quo pater distribuere potest suam substantiam 11
inter filios, nam primogenito licet sit filius vxoris odiosæ, tamen duplicia danda sunt, & non filio dilecto, cum non possit esse primogenitus, ex quo filius eius secundo loco natus est. Verba sunt hæc: *Si habuerit homo*

vxor.

vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eâ Liberos, & fuerit filius odiosa primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos diuidere, non poterit filium dilecta facere primogenitum, & praferre filio odiosa, sed solùm odiosa agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, qua habuerit cuncta duplicia. Quilibet ergo homo in lege veteri erat dispensatus ad plures vxores in ordine ad procreationem filiorum.

12 Constat id exemplo Abrahami, qui tres habuit Saram, Agar, & Cæturam, vt legitur in Genesi cap. 16. & 25. Iacob habuit Liam, & Rachelem, Genes. 29. Dauid quoque plures habuit vxores, vt legitur 2. Reg. 5. Ergo
13 cum eis Deus dispensauit, non enim credibile est, illos contempsisse diuinum præceptum de Matrimonio vnius cum vnâ, erant enim Prophetæ, & sancti viri à Deo dilecti; cum eis ergo dispensauit, ne diuinum violarent præceptum. Est communis Sanctorum Conciliorum, & Patrum apud præcitatos, Scotum *num.* 4. *vers. De secundo*, *ibi Comment. num.* 22. *vers. Hinc confutatur*, *Mastrium disp.* 7. *num.* 218 *Auersam q.* 14. *sect.* 1. *vers. Quarto*, *Brancatum disp.* 24. *num.* 64. Demum hoc idem testatur Pontifex in cap. Gaudemus 8. de Diuortijs, his verbis: *Nec vlli unquam licuit in simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuinâ reuelatione concessum*. Idest, dispensatione.

14 Tertia pars, quòd in Lege Euangelicâ Christus neminem dispensauerit, sed potius approbauerit, & mandauerit obseruandum esse interdictum de pluralitate Vxorum, probatur definitione Tridentini sess. 24. can. 2.
15 *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Vxores, & hoc nulla lege esse prohibitum Anatema sit.* Nam Christus vnitatem Matrimonij, quam Deus præceperat ab initio mundi, mandauit seruari ab omnibus, vt legitur in Euangelio Matth. 19. Quod firmant Sancti Patres citati *à Brancato disp.* 24. *num.* 40. *Meldulensis disp.* 7. *num.* 223. *Auersa q.* 14. *sect.* 1. *vers. Certum tamen.* Quod etiam *in l. Nemo Iudæorum 6. C. de Iudæis*, *& l. Neminem 2. C. de Incestis nuptijs prohibetur*. *Menoch. de Arbitr. casu* 420. *num.* 94. Imperatores in priori Lege interdixisse Iudæis plures vxores vno tempore habere, subdens Baldum tenere in suo consil. 428. lib. 5. id non procedere in Iudæo, qui iuxta suum ritum primam vxorem repudiauit secundam ducendo, ac proinde non punitur, sicut Christianus, qui non potest suam repudiare, vt dixerunt *Tiraquel. de iure primog. q.* 66. *num.* 25. *Decian. lib.* 5 *cap.* 14. *nu.* 7. *Farinac. in Fragm part.* 2. *lit. I. num.* 652. *apud Barb. ad dictam leg.* 6. *num.* 5.

16 Tertia pars, quòd semper prohibitum est, vnicam fœminam esse vxorem simul plurium, probatur, quia, vt ait Scotus dist. 33. num. 8. mixtio feminum diuersorum virorum in eadem vuluâ impedit generationem, vnde videmus, quod Meretrices rarissimè generant ob hunc defectum. Est communis apud prædictos, *Meldul. disput.* 7. *num.* 217. *Brancatus disp.* 24. *num.* 72. multis probans id omnino esse contra Ius Naturæ, cum repugnet directè fini principali generationis.

Quæritur 2. An Pontifex possit ex aliquâ vrgentissimâ causâ dispensare in pluralitate vxorum vnius viri, & in pluralitate, è contra virorum vnius vxoris?

℞. In neutrâ pluralitate dispensare potest, 17
quia Christus suis Vicarijs talem facultatem non reliquit; per quam non potest actus de se, & intrinsecè malus cohonestari, & fieri honestus, conueniens, & vtilis saluti eius, qui dispensatur; sed dispensatio Poligamiæ, quæ de se est intrinsecè mala, non potest eam reddere honestam, decentem, conuenientem, & vtilem dispensato, ergo talem facultatem Christus non reliquit Papæ. Minor probatur, quia pluralitas Vxorum est causa zelotipiæ, inuidiæ, discordiæ, & rixæ, non enim possibile est, quòd vir ex æquo diligat vxores, ex diuersitate qualitatum in eis repertarum, alia enim est fœcunda, alia fœcundior, alia pulcra, alia venustate carens, alia dilecta, alia odiosa, alia diues in dote, alia pauper &c. quæ nonnisi discordiam, & rixas causare possunt, non ergo Christus reliquit in terris hanc facultatem seminandi zizania in populo Christiano.

Confirmatur, quia vt supra dictum fuit sub num. 14. Christus in Lege Euangelicâ pluralitatem vxorum reduxit ad terminos veteris Legis vnius cum vnâ; ergo hanc facultatem non communicauit suo Vicario in terris. Deinde Pontifex, nec alius Princeps est Dominus absolutus corporum hominum, cum id soli Deo vti supremo Domino competat; corpus ergo, quod vnus homo vir tradit vni mulieri ex causa Matrimonij, non potest deinceps illud tradere alteri mulieri, cum non amplius vir sui corporis sit dominus, sed mulier, & è contra, vt disertis verbis dicit Apostolus 1. Corinth. 7. 4. *Mulier* 18
sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quare nullus Princeps potest dispensare, quòd vnus vir habeat simul plures vxores, & multò minus vna Mulier plures simul viros, talis enim poligamia meretricium est, directè destructiuum generationis, in qua Deus nunquam dispensauit, sicut in pluralitate vxorum.

Quòd autem Papa non possit dispensare in Poligamiâ docent Scotus cum suis, & alijs apud Franciscum de Arauxo ordinis Prædicatorum, aliâs Episcopum Segouiensem, ad pristinum Paupertatis statum reuersum, olim Primarium apud Salmaticenses Theologiæ

professorem, *De statu ciuili disp.* 11. q. 2. num. 22. contra *D. Thomam in 4. dist.* 33. q. 1. *art.* 1. *cum suis*, quos refert sub num. 24. & tandem sub num. 29. negat Pontificem posse dispensare in pluralitate vxorum, vt pote, quæ tum naturali, tum diuinâ Christi lege, ob veram sacramenti significationem est interdicta, in qua Ecclesia dispensare non valet. Ita illo, & multa congerit pro vtraque opinione; sufficiant pro præsenti superius dicta.

Quæritur 3. An sit Hæreticus asserens, esse licitam pluralitatem vxorum?

10 ℞. Sic, ex Can. 2. sess. 24. his verbis: *Si quis dixerit, licere Christianis, plures simul habere vxores, & hoc nulla lege esse prohibitum, anatema sit*. Deducitur *ex cap.* 19. *Matth. num.* 9. *Marci* 10 *num.* 11. *Lucæ* 16. *num.* 18 In quibus locis Christus dicit, eum esse mechum, & adulterum, qui secundam vxorem ducit.

Est communis omnium Catolicorum, contra Anabatistas, & Luteranos admittentes pluralitatem vxorum.

Quæritur 4. An ducens plures vxores sit suspectus de Hæresi, & qualiter?

20 ℞. Est suspectus de Hæresi, & quidem vehementer, siue ducat secundam palàm, siue secretò; & eo magis, si alias, vltra secundam.

21 Primum de suspicione Hæresis probatur, quia videtur male sentire de vnitate Matrimonij vnius cum vnâ, dum post primam viuentem ducit secundam, suo enim facto præsumitur credere esse licitam pluralitatem vxorum cum Hæreticis Anabatistis, Luteranis cum Gentilibus, & Maometanis, & sic approbare eorum errores, consequenter ad minus præsumitur de Hæresi suspectus. Ita *Farinac. q.* 178. *num.* 68. *Pegna part.* 2. *com.* 81. *vers. de eo, qui viuente*, *Graff. lib.* 2. *decis. Aurear. cap.* 88 *num.* 19. *Nauar. consil.* 1. *de haret.* *Barbosa Allegat.* 40. *num.* 44. *Genuensis cap.* 68. *num.* 12. *Ricciul. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 19. *cum alijs Carena part.* 2. *tit.* 5. *num.* 13. *Alberghinus cap.* 27. *num.* 3. *Roias part.* 1. *num.* 540 & 541.

22 Secundum de vehementi suspicione probatur. Tum quia vbi probatur abusus Sa-
23 cramenti, ibi præsumitur vehemens suspicio Hæresis, cum pro nihilo in tali actu habea-
24 tur Sacramentum. Tum quia recedens à communi Fidelium vitâ, & moribus est vehementer suspectus de Hæresi, vt deducitur *ex cap. Excommunicamus* 13. §. *Adijcimus*, *de haret. vbi Gloss V. Vita*, *& moribus*. Et ita docent *Locatus V. Suspicio num.* 21 *Ricciul. cit. num.* 19. *Ego cap.* 22. *num.* 64. *Pegna part.* 2. *com.* 81. *vers. De eo, qui viuente*, *Salelles Reg.* 149. *num.* 121. Et ita practicatur in Vrbe, & in Italia.

25 Contrarium docent Hispani, Poligamum scilicet esse suspectum tantùm de leui, ex ratione, quia in hoc delicto attendendum est præcipuum motiuum, quod inducit coniugatum ad ducendam secundam vxorem, quod regulariter censetur esse appetitus libidinis, vel lucrum dotis. Vt refert citatus Salelles, & Alberghinus cap. 27. vbi num. 10. & 11. ob eam differentiam, quia Romani respiciunt ad originem huius delicti, quod prouenit ex infectâ radice Hæresis Luteranæ, & Anabatistarum; Hispani verò delictum procedere magis à libidine, & lucro dotis, quàm ab Hæresi. Et ibidem refert causam ex Trasmiera lib. 2. de Poligam. q. 1. initio, quia apud Romanam Inquisitionem, plures inuenti sunt, qui ideo in Poligamiam inclinarent, quia Hæresi, alioque errore laborarent, quare meritò talis animaduersio illic est inducta. Apud nostros verò, quia vt plurimùm huiusmodi Poligami libidine ducti, aut aliâ simili passione illud scelus committunt; propterea maiori misericordiâ tractantur.

Adducit aliam differentiam. Vel etiam ex Iure id prouenit, quòd scilicet attendens Romana suprema Inquisitio periculum, quod hæretica Labes inducere solet, vbi periculum Hæresis est, contra illam præsumit ad curandum. Nostra Inquisitio flammas considerans, quas luxuria excitare solet, & mentes perturbare, humanæ fragilitati indulgentius compatitur. Hæc noster Pater Ioannes Alberghinus Panormitanus Qualificator S. Officij Regni Siciliæ in suo Manuali Qualificatorum, loco supra citato.

26 Sed contra primò, quia delictum Poligamiæ quò ad suspicionem Hæresis non procedit a libidine, nec à lucro dotis, sed ab ipsâ radice huius Hæresis, quòd liceat habere simul plures vxores viuentes; siquidem suspicio eius non potest esse effectus delicti, nisi in quantum ipsum delictum est conforme Hæresi, a qua ipsa suspicio specificatur, & denominatur; sed suspicio prouenìens à delicto Poligamiæ non est conformis remedio concupiscentiæ, nec lucro dotis, ergo ab his procedere non potest, aliter nec liceret monogamia, nec bigamia, quæ licent; certum enim est, monogamum etiam principaliter contrahens Matrimonium ob remedium concupiscentiæ, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 7. 9. *Meliùs est nubere, quam vri*, & propter lucrum dotis, quæ regulariter sequitur Matrimonium, *l. Dotis ff. de iure dot.* nullam incurrere suspicionem Hæresis, cum Matrimonium vti bonum, & actus valde honestus nulli conformetur Hæresi, neque enim ex actu licito oriri potest suspicio Hæresis. Et quamuis ducens vxorem ob eos fines principaliter, anteponendo illos fini principali generationis propter quam potissimum Matrimonium à Deo institutum fuit, peccet in

de ordi-

de ordinatione finis; non ideo tamen talis deordinatio inducit suspicionem Hæresis, quia nulli conformatur Hæresi.

32 Deinde duæ hic assignari possunt Causæ, vna impulsiua, quę est libido, & lucrum dotis, altera finalis, quæ est licere pluralitatem vxorum; sed quando duæ similes causę concurrunt, attenditur magis finalis, quàm

33 impulsiua, nam finalis principaliter mouet, impulsiua verò præbet occasionem, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 561. num. 68. & 69.* quæ

34 est Merlini *dec. 126. num. 68. & 69.* quod tradit etiam Scotus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. num. 24. apud Megal. consil. 23. num. 12.* Quare Iudicem magis mouere debet, quòd suspicio Hæresis oriatur ab ea finali causà, quòd liceat ducere secundam vxorem, viuente primà, quàm impulsiua, quæ nullum habere potest cum Hæresi commercium, vt supra probatum fuit.

35 Præterea sicut Matrimonium dari potest sine causà impulsiuà, cum solà causà finali, quæ illi essentialis est, nempe generatio prolis, ita & Poligamia dari poterit sine incentiuo libidinis, & lucro dotis cum solo generationis motiuo, vt accidit Abrahamo, ergo suspicio Hæresis non potest oriri ex causa impulsiuà, sed tantùm ex finali, quatenus scilicet Poligamus non dispensatus, nostris temporibus, præsumit licere sibi ducere secundam vxorem, viuente primà.

36 Displicet valdè, quod dicit Trasmiera, quod vitium Poligamiæ inuentum sit magis vigere in Italià, quàm in Hispanià, hoc enim non est probare leuitatem in his, & grauitatem in illis Suspicionis, sed potius obiurgare proximum. Nam certum est, hoc vitium prius inuentum fuisse in Hispanià, & ibi punitum, quàm in Italia, siquidem prima Bulla Pij IV. contra Hispanos emanauit anno 1561. & deinde Gregorius XV. anno 1622. per vniuersum orbem tale delictum Poligamiæ subiecit Inquisitoribus, & Ordinarijs.

Demum differentia allata, quòd Inquisitio Romana timens periculum Hæresis, Poligamos vti vehementer de illa suspectos pœnis subijciat rigorosis, non satisfacit; quasi apud Hispanos tale periculum non sit, cum reuerà Poligamià ex sua conditione semper arguat suspicionem Hæresis, ergo vbique. Vide quæ dixi *sect. 16. num. 76. & seq. & Sect. 24. num. 134.*

37 Conueniunt autem tam Itali, quam Hispani, contrahentem plures nuptias, si originem trahat ex genere Luteranorum, Mometanorum, vel aliorum, qui sunt infecti hac Heresi Poligamiæ, esse vehementer suspectum de Hæresi *ex Locato V. Hæreticus num. 22. vers. Hinc est, Transmiera lib. 2. q. 1. num. 4.* qui plures, quàm duas duxit censetur vehementissimè suspectus, *ex eodem num. 31. Alberghin. cap. 27. num. 12.*

Alberghinus citato cap. 27. num. 13. ait Carenam part. 2. tit. 5. num. 58. impugnare doctrinam Hispanorum, dum enim dicunt, Poligamos abiurare debere de leui, Sortilegos verò baptizantes Imagines abiurare de vehementi, non loquuntur consequenter, cum par sit ratio in vtroque casu, nempe, abusus vtriusque Sacramenti. 38

Respondet Alberghinus num. 14. assignando disparem rationem, nam baptizans Imagines est vehementer suspectus de Hęresi, quia hoc naturà suà præsefert aliquid, quod est Hæresis manifesta; vt quod Imagines fiant capaces Baptismi, *ex Pegna com. 67. vers. Postremo generaliter*. At in Poligamis consideratur, quòd in delictis, quæ circa carnis fragilitatem versantur, videtur potissimùm locum habere deprauata voluntas, quæ mentem sæpè excæcare, & consilium obnubilare solet, *ex Trasmiera num. 29.* Præterea quia Imagines baptizans sæpè illis vtitur ad sortilegia perpetranda, quæ reddunt operantem manifestè suspectum de Hæresi, si enim crederet talia Sacramenta non habere virtutem ad maleficium, illa non adhiberet, *ex eodem Pegna vers. Item illa sortilegia.* At in Poligamis non videtur manifestè ista deordinatio mentis, sed tantùm inordinatus affectus voluntatis, & concupiscentiæ propter libidinem. 39

Sed contra, quia reuera par ratio firmatur in vtroque Sacramento, nam idem est abusus in genere, ex quo præsumitur vehemens suspicio contra vtrunque Sacramentum, siquidem in tantùm vterque suo abutitur Sacramento, in quantùm quisque eorum præsumit sibi licere id facere, nimirum, Imagines esse capaces Baptismi, & vxoratum licitè posse diuidere vnionem Sacramenti Matrimonij ex pluralitate vxorum, quod aduersatus eius vnitati: Sacramentum enim hoc significat vnionem Christi cum Ecclesià, quæ vnica est Christi sponsa, Paulus ad Eph 5.31. *Erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesià.* Sicut ergo magna sit iniuria Baptismo applicato Imaginibus, quibus nullo modo competit, ita non minori iniurià afficitur Matrimonium, immo meo iudicio maior, & grauior, quia omnino destruitur eius significatio vnitatis, in Baptismo nihil destruitur, sed tantùm applicatur materiæ incapaci; & ex his sumitur argumentum vehementis suspicionis in abusibus horum Sacramentorum. 40 41

Ad primum Alberghini responsum contra Carenam dico, eam disparitatem non facere ad rem, quia esto Imaginis baptizatio manifestam præseferat Hæresim, ex hoc tamen tantùm non infertur vehemens Hæresis suspicio, sed etiam ex alijs causis, quæ manise- 42

 nise-

nifestam Hæresim in se non sapiunt, & tamen vehementem ingerunt suspicionem Hæresis, vt indicat fautoria Hæreticorum, *Direct. par. 2. q. 55 num. 5.* Blasphemus hæreticalis consuetus est vehementer suspectus de Hæresi, & tamen Blasphemiam non continet manifestam Hæresim, *ex eodem q. 41. num. 5.* Ergo aliunde etiam habetur suspicio vehemens, quam ex facto manifestæ Hæresis.
43 In Poligamo autem non solùm consideratur prauus voluntatis affectus ad libidinem sed etiã sacrilega Intellectus credulitas, quòd liceat pluralitas vxorum, quod est Hæresis ex can. 2. sess. 24. Suspicio autem Hæresis non specificatur à prauà voluntate, sed ab iniquà credulitate; Hæresis enim causatur ab Intellectu, non à voluntate, vt explicatur clarè in Poligamià, in qua duo Spectantur; ratio delicti, scilicet abusus Sacramenti, quæ se tenet ex parte voluntatis respicientis affectum libidinis, & ex hoc non oritur suspicio Hæresis, quæ à vitio voluntatis non denominatur; alterum spectandum est ipsa Suspicio, quæ oritur ex credulitate, quòd liceat habe-
44 re simul duas, vel plures vxores, consequenter suspicio ab hac prauà credulitate Intellectus procedit, cui conformatur, & non actui voluntatis, ideo ex his tollitur allata disparitas, & restituitur in abusu Sacramentorum paritas ad inferendam vehementem suspicionem in quolibet Sacramento, malè tractato in genere abusus à quouis Ministro.

45 Ad secundum argumentum, hac paritate destruo eius disparitatem, nam tàm Poligamus, quam Baptizans ambo cessarent ab abusu Sacramenti, si crederent se nihil facere; insipientis enim est attentare, quod credit sibi non profuturum; cum ergo ambo procedant ad actum, putant sibi licere, ac proinde obtinere; quod exoptant. Quare eadem deordinatio mentis in vtroque spectanda est ex paritate allatà, adeo quod in ordine ad suspicionem non est consideranda concupiscentia carnis, quæ de se nullam infert suspicionem Hæresis, aliter multi, & ferè omnes suspecti essent, quia tentatio carnis omnes tangit, licet non omnes consentiant.

46 Secundò, inquit Alberghinus sub num. 15. arguit Carena Vers. *Et mihi maximam difficultatem*, sub eodem num. 58. contra id quod asserit Trasmiera num. 31. scilicet, quòd si quis plures, quàm duas, contrahit nuptias non solùm est de leui suspectus, sed etiam de vehementi; quia si ex simplici, & vnicà Poligamià oritur suspicio leuis de Hæresi, non poterit ex duplici Poligamià resultare vehemens suspicio; ex duabus enim leuibus suspicionibus non consurgit suspicio vehemens sicuti nec ex duabus vehementibus suspicio violenta, *ex Farinac. q. 195. num. 24.* Ita Carena.

Sed contra vtrumq; respondet; & Trasmieram, & Carenam, nam contrahens tertià vice est vehementer suspectus de Hæresi, sicut est contrahens binas nuptias, cum hac differentià, quòd maior est suspicio ex tertià vxore, quàm ex secundà, is enim gradus Suspicionis vehementis habet latitudinem, & sic augetur. Contra Carenam probaui sect. 16. q. 9. num. 69. ex duabus leuibus suspicionibus fieri vnam vehementem, respectu diuersorum indiciorum, non verò respectu eiusdem indicij, vt in casu proposito Poligamiæ ab eodem specie indicio procedens suspicio, idem enim nonnisi idem inducere potest. Ipse verò Alberghinus num. 16. tandem respondet ex vnicà Poligamià oriri leuem suspicionem ex inordinato affectu Voluntatis; sed hoc non semel reieci, quia suspicio ex prauo actu Intellectus procedit. Demum num. 17. dicit, non esse absurdum ex vnico delicto interdum oriri suspicionem leuem, ex iterato vehementem, vt asserit *Direct. par. 2. q. 56 num. 10. fine* ex Concil. Tarrac. qui facit semel contra Fidem, est leuiter suspectus, qui bis, vel ter, est suspectus vehementer, qui pluries vehementissimè. Sed hoc non est vniuersaliter verum, vt colligi potest ex eodem Concilio, ab eo relato fol. 220. in meo Codice. Et ego prædicta non approbo, vt docui Sect. 16. de leui suspicione explicatà sub num. 13. & de vehementi sub num. 35. ad quæ remitto Lectorem. 47

Tertium. quòd Poligamus sit vehementer suspectus, siue palam, siue secretò ducat secundam vxorem, probatur, quia dicti modi celebrandi secundum Matrimonium non mutant qualitatem suspicionis, cum hæc non oriatur ab illis modis, sed ab actu celebrati Matrimonij ab eo, qui presumitur credere sibi licere habere simul plures vxores. Confirmatur, quia in vtroq; adest abusus Sacramenti: Ita docent *Farinac. q. 178 num. 70. Carena par. 2. tit. 5. num. 16. Albertin q. 23. num 89. Salelles Reg. 149. num. 107. Ego cap. 22 num 66.* 48

Contrarium, quòd palam ducens secundam vxorem non est suspectus de Hæresi, sicut qui eam ducit clam docet *Simanch. tit. 40. num. 4.* Probatur, quia quæ palam, & publicè fiunt, præsumuntur bona, & licita; sicut è contra, quæ fiunt in occulto inducunt suspicionem, Secundum S. Bernardum ad Eugen. Papam, his verbis: *Tibi constituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quod in auribus locutus est, suspectum habeas.* Igitur occultè factum inducit suspicionem, vt expressè etiam dicitur *cap. 1. Vt Eccles. benef.* Ergo à contrario sensu factum publicè non inducit suspicionem, ac proinde nec ducens palam secundam vxorem euadit suspectus de Hæresi. 49

Respondetur, in quolibet ex dictis modis 50
Poli-

Poligamia inducit suspicionem, ex eà enim inducitur, cum simpliciter interdicta sit pluralitas vxorum, quouis ex illis modis vxor secunda ducatur. Ad rationem adductam dico, eam esse intelligendam, quando nulla adest prohibitio circa quemuis modum; destruitur ergo ea disparitas per interdictionem Poligamiæ, & sic cessat argumentum à contrario sensu.

Quæritur 5. An ad incurrendam hanc suspicionem sit necessarium, vt Matrimonium sit contractum in facie Ecclesiæ ad formam Tridentini, coram scilicet proprio Parocho, & duobus saltem testibus? An verò sufficiat mutuus consensus inter coniuges?

51 ℞. Quouis modo Matrimonium attentatum secundà vice, seu vlterius inducit suspicionem Hæresis, quia reuerà taliter contrahens siue coram Parocho, siue non dicitur Poligamus, ergo fit vehementer suspectus de Hæresi. Confirmatur, quia de ratione Poligamiæ est, vt subsequens verum, & validum Matrimonium sit inualidum, ob impedimentum Ligaminis inductum per valorem prioris Matrimonij. Iterum dixi cap. 22. num. 69. in sacro Tribunali.

Quæritur 6. An credens primum Matrimonium esse nullum, si ducat secundam vxorem, antequam primum declaretur nullum, dicatur propriè Poligamus, & suspectus de Hæresi?

52 ℞. In Foro externo habetur pro Poligamo, ac suspectus de Hæresi, qua ratione subditur Inquisitori; quod si probet nullitatem prioris Matrimonij, cuius nullitatis sententia spectat ad ordinarium loci, in quo illud Matrimonium contraxit, desinit esse sub Iurisdictione Inquisitoris, puniendus à solo Ordinario.

Prima pars, quòd habeatur pro Poligamo in foro externo, probatur, quia constat de duplici Matrimonio ambabus vxoribus viuentibus, ergo qui taliter contraxit cum ea credulitate, habetur pro Poligamo suspecto de Hæresi, talis enim credulitas eum non releuat à Poligamia, nisi probatà concludenter nullitatè Matrimonij, asserenti enim non creditur sine probatione, quæ illi incumbit,

53 *ex cap. cum in iure* 31. *de Offic. deleg. cap. quoniam* 12. *de Probat.* Vnde *Scotus in* 4. *dist.* 17. *q.* 1. *& Albertinus q.* 30. *de Haret.* dicunt, asserentem, & non ostendentem, turpiter loqui & potissimum credendum non est in Foro externo asserenti aliquid in sui fauorem, *Glos. V. Qualiter tibi constiterit, cap. Tua nos* 26. *de sponsal.* Rebus ergo sic stantibus sine probatione Poligamus subditur Inquisitori, vt dicunt *Farinac. q.* 178. *num.* 178. *Vers. Sic & is, qui, Arsenale assert.* 43. *ex eis Carena par.* 2. *tit.* 5. *num.* 31.

54 Secunda pars, quòd probatà nullitate primi Matrimonij eximatur impunis ab officio S. Inquisitionis, probatur, quia euanuit suspicio Hæresis per ostensionem nullitatis prioris Matrimonij, titulo cuius suspicionis euacuato desijt esse sub eiusdem S. Officij Iudice, non enim probatur Bigamus, seu Poligamus, cum Poligamia supponat validitatem prioris Matrimonij, & aliter non subditur S. Officio. Ita *Albertin. q.* 23. *num.* 10. *ex eo Sousa lib.* 1. *cap.* 35 *num.* 5. *Farinac. q.* 178. *num.* 71. *Castropal. tract.* 4 *disp.* 8. *p.* 16. *§.* 8. *num.* 1.

Non placet mihi distinctio, quam refert Carena par. 2. tit. 6. num. 31. nempe, si nullitas primi Matrimonij non est patens, ducens secundam, subditur eà non probatà Inquisitori; si verò est patens, subditur Ordinario, & punitur ab eo, quia conuolauit ad secundas nuptias ante declarationem nullitatis primi Matrimonij. Non placet, inquam, quia siue patens, siue non, ante probationem huiusmodi nullitatis semper subditur Inquisitori, quousque pateat legitimè, & iuridicè nullitas eidem. Qui Carena ibidem vers. Bene in hac, impugnat Trasmieram dicentem lib. 2. q. 7. num. 19. & sequentibus, si contingat primum Matrimonium declarari nullum, videtur excusandus contrahens secundum, non expectatà sententià super nullitate primi ab abiuratione: Quod ego (inquit Carena) non credo, quia iste sic contrahens, si nullitas non sit notoria, & nondum lata sit sententia, videtur dispositus ad contrahendum Secundum, etiamsi primum sit validum. Hæc impugnatio Carenæ tollitur, quia probatà nullitate primi Matrimonij, constat eius dispositionem in ordine ad secundum Matrimonium non fuisse ordinatam ad primum, ac si esset validum, sed vt ab ipso contrahente probabiliter existimabatur inualidum. Nescio quid velit dicere Trasmiera per illa verba: *Non expectatà sententià super nullitate primi ab abiuratione.* Neque enim abiurare debet in hoc casu, qui contraxit secundum, primo existente nullo, cum nullatenus ex parte rei sit suspectus, dum contraxit cum probabili nullitate primi Matrimonij.

Tertia pars, quòd sententia nullitatis primi Matrimonij danda sit ab Episcopo, vel Ordinario loci, probatur, quia causæ matrimoniales, quæ non habent adiunctam Hæresis suspicionem, pertinent ad Ordinarios locorum, *ex can.* 12. *sess.* 24. de Fide, exclusis iudicibus laicis, *ex cap. Multorum* 35. *q.* 6. *cap. Auditis de prescript. Abbas in cap.* 1. *de consang.* Couar de Sponsal. *cap.* 8. § 1. 2. *&* 3. *Marta de iurisd. par.* 2. *cap.* 8. *Zerola V. Matrimonium* §. 6. Ergo, & super eius nullitate, *cap. cum in Apostolica* 18. *de Sponsal.* Vbi decernitur, quod lite pendente, si litigans ducat aliam vxorem ante Sententiam prioris Matrimonij nullitatis, punien- 55

punien-

puniendus est, vt abstineat à coniuge per illud tempus, quo imposita fuit ei pœna arbitraria ab Episcopo, cum ibi in textu non determinetur.

Sed numquid ordinarius in declarandâ nullitate prioris Matrimonij stare debet processui Inquisitoris, an nouum formare processum probationis nullitatis eiusdem Matrimonij?

56 Quamuis Ordinarius non habeat debitum vtendi processu formato coram Inquisitore, cum illi non subdatur, nihilominus eius probationibus vti potest, ne Lis fiat odiosa, & dispēdiosa Reo, quâ sperat fauorem, & iustitiam à Iudice, ex hoc enim nullum sequitur absurdum, cum agatur de re fauorabili agitatâ coram duobus Iudicibus ecclesiasticis legitimis, quorum alter alterum coadiuuat ad vtilitatem Rei. Confirmatur id, quia proba-

57 tiones factæ coram Iudice non legitimo, probant in alio Iudicio licet agatur criminaliter contra Reum. *Glos. V. Facta fide cap. ad petitionem 22. de Accusat.* A fortiori in nostro casu probationes factæ coram Inquisitore seruient Ordinario pro declaratione nullitatis Matrimonij. Quòd autem hæc causa, ex-

58 clusâ suspicion Hæresis spectet ad ordinarium docent *Abbas, & alij Canonista cum Lancelloto de Attentatis cap. 4 limit. 17. Farinac. q. 178. num. 72. quos pro se citat Carena par 2 tit 5 num 31 Vers. Secundus Castropal. disp. 8 p. 16 §. 8. num. 1 fine.*

Quæritur 7. An, vt quis fiat Reus Poligamiæ sit necessarium, quòd primum matrimonium sit validum, & secundum nullum?

59 ℞. Affirmatiuè, siquidem, vt visum est in præcedenti quæstione posteriori Matrimonio existente valido, excluditur Poligamia, quæ importat binas nuptias, sed primæ fuerunt nullæ, ergo sequens Matrimonium simpliciter vnicum est sine relatione ad alterum, & è contra si primum est validum inficit secundum, & sic dicit ordinem ad illud, dum ligamen secundum impedit quò ad eius valorem, existente igitur secundo valido, id nullum ordinem, nec habitudinem habet ad primum.

Quæritur 8. An secundum Matrimonium defectu consensus, & non ex aliquo impedimento nullum, inducat Poligamiam, & suspicionem Hæresis?

60 ℞. Adhuc inducere Poligamiam, & suspicionem Hæresis, quia talis Poligamus est, cum simul habeat duas vxores quantum est ex facto suo, licet secundum Matrimonium non sit validum, eius enim nullitas à quacunque causâ oriatur non tollit pluralitatem nuptiarum. *Carena part. 2. tit 5. num. 31. vers In qua*, citat Tralmieram, qui lib. 2. q. 9. ... limitat, eum, qui secundum Matrimonium contrahit nullum esse Poligamum, nisi secundum Matrimonium sit nullum defectu consensus. Itaque ambo cōsentiunt, & quidem pro foro conscientiæ valet ab ipsis dictum. Nihilominus, quia defectus consensus videtur non posse probari, cum pendeat ab animo, nisi constaret, coactum fuisse metu cadente in constantem virum finxisse consensum ad euitandam e. g. mortem, in tali casu esset excusandus à Poligamiâ; si tamen paulò post compareret coram Inquisitore probando metum, quo coactus fuit contrahere secundas nuptias contra suam voluntatem, aliter pro Poligamo esset habendus.

Quid dicendum, si protestaretur se non intendere secundum Matrimonium, numquid est Poligamus in hoc subiectus Inquisitori?

℞. Nihil prodesse ad excludendam Poligamiam, quando abest metus, iuxta mox dicta, quia factum subsequens destruit protestationem, non enim valet protestatio contra illud, quod consecutiuè pendet ex dispositione Iuris, *Decius in cap. cum M. de const. num. 62. & 63.* Nam protestans faciendo contrarium actum protestationi, ab ea recedere dicitur, & simpliciter consentire, *l. Cum in plures, §. Locator horrei, ff Locati cap. Solicitum de appellat. Iason in l. Non solum, § Morte de noui oper. nunt. num. 14. apud Sanch. lib. 2. disp. 45 num. 19.* Facta enim derogant verbis, *Mascard. concl. 1249. num. 4. Possent singular. 81. num. 5.* Taliter ergo contrahens secundas nuptias est Poligamus subiectus Inquisitori. *Carena par. 2. tit. 5. nu. 31. Vers. Sed iterum* casum proponit relinquendo illum indecisum, subiungendo esse videndum Sanchez lib. 2. disp. 45. q. 2. Sed ibi in his terminis S. Officij nihil dicit, vbi tamen plura de protestatione refert. 61 62 63

Quæritur 9. An vxoratus contrahens sponsalia cum alia muliere fiat Poligamus de Hæresi suspectus?

℞. Est de Hæresi suspectus, sed tantùm leuiter. Primum probatur, quia cum ex prohibitione Matrimonij inferatur prohibitio sponsaliorum, *ex l Oratio 16. ff. de nuptijs*; ac proinde vtraque prohibitio procedit ex eâdem causâ, ne scilicet sequatur abusus huius Sacramenti, arguitur suspicio Hæresis, non solùm in contrahente Matrimonium, sed etiam in spondente illud. Secundum probatur, quia cum sponsalia contrahens actu non abutatur Sacramento, sed tantùm per illa disponatur ad abusum, sequitur ipsum esse solùm leuiter suspectum de Hæresi. Ita *Diana part. 4. tract. 7. resol. 4. Carena part. 2. tit. 5. num. 37. & 64. Salelles Reg. 149. num. 111.* Qui tenent punitionem huius delicti spectare ab Inquisitorem, propter eam Suspicionem, & quia ad eundem Iudicem spectat punire actum attentatum, qui consumatum iudicat, cum ambo 64

specie

specie constituantur delicta ex abusu vnum actu, alterum dispositiuè. *Carena cit. num. 42. Dixi cap. 22. num. 74.*

65 Aloysius Riccius resol. 373. apud dictum Carenam num. 33. negat hoc delictum spectare ad Inquisitores eâ ratione, quia licet delictum Poligamiæ spectet ad illos, non tamen contrahens vxoratus sponsalia subditur eisdem, quia vt notum est, aliud est Matrimonium, aliud sponsalia, adducendo *l. In bona fidei ff. de eo, quod certo loco, cap. Penult. de elect. in 6. vbi Gloss. V. Exprimendum*, ex diuersis ergo non fit illatio. *Sousa lib. 1. cap. 35. num 6.* ait, vxoratum contrahentem sponsalia cum secundâ, licet non reddatur suspectus de Hæresi, puniri tamen potest à suo ordinario, *ex Albertino q. 23 nu. 10. Farinac. q. 140. num. 27.* ac proinde eiusdem est opinionis, vt talis non subdatur Inquisitoribus.

66 Sed contra, quia probatum est supra, talem vxoratum sponsalia contrahentem cum aliâ fœminâ esse suspectum de Fide, ac proinde esse sancto Tribunali subiectum. Quare

67 ad rationem Riccij respondetur, esto Matrimonium, & Sponsalia sint diuersa, tamen quia ambo referuntur ad eundem abusum circa idem Sacramentum, ideo ambo crimina tam præsens, quam futurum in voto inferunt suspicionem Hæresis, ergo eorum patrator est subiectus Inquisitoribus. Allegati textus ab illo solùm probant diuersitatem inter sponsalia, & futurum Matrimonium, non tamen tollunt identitatem abusus respectu ipsius Matrimonij virtualiter contenti in sponsalibus. Salelles Reg. 149. num. 110. dicit contra Sousam, Albertinum, & Farinacium, eos nullam facere mentionem de suspicione Hæresis, sed tantùm loqui de punitione sic contrahentis, nec exprimunt à quo sit puniendus, & reuera nihil dicunt de præsenti casu in suis terminis.

Quæritur 10. An homo liber contrahens bina sponsalia fiat suspectus de Hæresi?

68 ℞. Esse leuiter suspectum, quia talis promissio ordinatur ad duo Matrimonia, ad quæ dicitur habere affectum, ac proinde abusum super illis saltem dispositiuè, ergo ea promissio inducit suspicionem Hæresis; quicquid dicat *Sousa lib. 1. cap. 35. num. 7. cum eo Salelles Reg. 149. num. 113.* Nullam afferunt rationem, ideo nec ego impugno, quod ignoro.

Quæritur 11. An vxoratus nullis contractis sponsalibus, sed solùm tractans de Matrimonio ineundo cum aliâ, viuente propriâ sit suspectus de Hæresi?

69 ℞. Carena part. 2. tit. 5. num. 34. Vers. Ex dictis, esse quidem puniendum ab Inquisitore, sed sine Abiuratione, eâ ratione, quia contrahens sponsalia est solùm leuiter suspectus ex probatis q. 9. Sed *Diana part. 4. tract. 7. resol. 4. vers. Sed hic obiter*, dicit Romæ, deuenientes ad actum proximum contrahendi secundum Matrimonium, abiurare de leui, & puniri exilio, vel carceribus, seu alijs pœnis arbitrarijs, & torquentur super Intentione. Hæc ille. Actus proximos appellat tractatus de dote, præmissionem denuntiationum, &c. Sed torquendi reuera non sunt solùm leuiter suspecti, vt dixi sect. 16. num. 23.

Reijcio opinionem Carenæ; ad rationem dico, esto sponsalia contrahens sit solùm leuiter suspectus, non tollit in prædictis alijs actibus incursum eiusdem Suspicionis, quia & ipsi non minus sunt proximi, & via ad Matrimonium quàm ipsa sponsalia, nam similes actus ex sua proximitate ad Matrimonium arguunt, sic agentes esse malè affectos ad hoc Sacramentum, quòd putant eo sic vti non esse malum, sed licere cum pluribus viuentibus contrahere.

Quæritur 12. An ad contrahendam Poligamiam præter Matrimonium secundum ratum, requiratur etiam vt sit consumatum non solùm cum primâ, sed etiam cum secundâ?

℞. Non est necessaria copula, quia Matrimonium ratum perfectum est, vt omnes obseruant, solo enim mutuo consensu perficitur, consensus enim facit Matrimonium, 70
non copula, *cap. Sufficit 2. 27. q. 2. & cap. Cum solum 14. de sponsal.* Ita docent *Albertin. q. 23. num. 49. & 55. 60. & 66 Farinac. q. 140. num. 24 & 30. apud Dianam part. 4. tract. 7. resol 4. vers. Notandum est, Sousa lib 1. cap. 35. num. 3 Alberghin cap. 27. num. 8. Ego cap. 22. num. 65.* Nullus contradicit. 71

Quæritur 13. An cooperantes, mandato, consilio, aut alio modo inducentes vxoratum ad secundum Matrimonium, seu etiam ad sola sponsalia sint suspecti de Hæresi, & qualiter?

℞. Sunt vehementer suspecti de Fide magis, quàm persona contrahens. 72

Probatur quia taliter cooperantes præsumuntur magis suspecti quàm ipse contrahens Matrimonium; siquidem contrahens mouetur non solùm, quia presumitur male sentire de hoc Sacramento, scilicet sibi licere simul habere plures vxores, sed etiam ab interesse, vel luxuriæ, vel dotis, ex hoc hunc finem anteponendo fini, quo bene de Sacramento sentire deberet; sed contrahens Matrimonium secundum est vehementer suspectus de Hæresi, ex q. 4. Ergo & cooperantes à fortiori, qui nullum habent interesse, nisi vt secundum sequatur Matrimonium, respectu cuius directè, & immediatè per suam cooperationem arguuntur de errore circa Sacramentum hoc, quod liceat hebere simul plures vxores, quod magis participat de errore

Intel-

Intellectus à quo procedit Hæresis quæ est error Intellectus, interesse verò depēdet ab alijs potentijs appetitus libidinis, & lucri dotis.
Procedit etiamsi consiliatus, vel mandans
73 contractus Matrimonij per suum procuratorem, essent iam dispositi, & parati ad secundum Matrimonium, quia consilians, & procurator ex proprijs suis actibus fiunt suspecti independenter ab illis, vnusquisq; enim ex proprijs actibus præsumitur suspectus, & non ex actibus alienis, in hoc enim casu suspicio
74 immediatè non causatur ab aliâ suspicione. Ita docet Trasmiera *lib. 2. de Polig. q.* 13. *num.* 21. quem sequuntur Moura *de Incant. Sect.* 3. *cap. 6.num.* 11. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 4. *Vers. Notandum est etiam*, *cum illis* Salelles *Reg.* 391.*num.* 262. *ad* 267. Qui referunt casum de matre, quæ filiam induxit ad secundum Matrimonium. *Carena num.* 51. de Procuratore.

Quæritur 14. An Poligamus, cuius delictum est semiplene probatum negans torquendus sit non solùm super delicto, vt illud fateatur; sed etiam super Intentione, si respondeat se bene sentire?

75 ℞. Super vtrunq; torquetur, & quidem super Intentione, quando est vehementer suspectus. Primum probatur, quia regulariter semiplenè probatus deliquisse, negans torquetur, quia semiplena probatio dat Ius torquendi negantem delictum, ex dictis sect. 25.num. 180. Secundum de Tortutâ super intentione probatur, quia Iudex delicto probato certam habet de Iure præsumptionem contra illum, quod sit suspectus de Hæresi, ideo necessaria est tortura pro eruēdâ veritate an sit hæreticus, necne, vt dixi sect. 6. num. 100. Ita *præcitati sub q.* 13. *hic*, *Salelles Reg.* 149 *num.* 121. *Diana par.* 4. *tract.* 7 *resol.* 4. *Vers. Sed hic. Genuens. cap.* 68. *Farinac. q.* 179. *num* 59 *Vers. Quod si factum*, *cum alijs Carena par* 2 *tit* 5.*num.* 55.*&* 56.*vers. Quo verò, ex Genuens. cit num.* 8. tortura non debet ex-
76 cedere semihoram.

Quæritur 15. An Poligamus cum suis cooperantibus debeat abiurare, & qualiter?

77 ℞. Affirmatiuè, & quidem vehementer, vel leuiter iuxta probatam suspicionis qualitatem, hoc enim est regulare, quòd Abiuratio talis esse debet, qualis fuit suspicio probata, ex dictis sect. 16. num. 28. Salelles *alijs citatis Reg.* 149. *num.* 121. *& Reg.* 391. *num.* 224. *Carena par.* 2 *tit.* 5. *num.* 56. *Dal Bene Dub.* 209. *num.* 7.

Quæritur 16. An dicta de Poligamis locum habeant in Poliuirijs?

78 Poliuiria est pluralitas maritorum vnius vxoris, sicut Poligamia è contra est pluralitas vxorum vnius viri. Scotus vocat eam Biuiriam in 4.dist.33.q.1. num.8. Vers. Ad secundum, vbi dicit, quòd Biuiria, idest Poliuiria non facit ad finem principalem generationis, sed potius illi opponitur, quia eadem mulier infra idem tempus non potest à pluribus viris imprægnari.

℞. Affirmatiuè, & punienda est ab Inquisitoribus, quia pariter ambo sunt suspecti vehementer de Hæresi, cum presumantur sibi licere taliter contrahere. Verum quidem est, quòd vir ignorans probabiliter mulierem ductam à se esse Poligamam, & Biuiriam excusatur. Et ita docent *Sousa lib* 1. *cap.* 35. *num.* 9. *Diana par* 4 *tract.* 7 *resol.* 4. *vers. Notandum est Massinius Assert.* 46. *cum alijs Carena par.* 2. *tit.* 5. *num.* 47. *&* 66. contra Cantecam *par.* 4. *quæst. crim. cap.* 4. *num.* 29. cuius ratio est, quia presumitur cum maritatâ contrahere potius ad eam seducendam, & calore libidinis, quam animo abutendi Sacramento. Reijcienda, quia vbi est delictum Poligamiæ ex parte cuiuslibet contrahentis, ibi presumitur semper abusus huius Sacramenti, non enim maior ratio est presumendi suspicionem in vno, & non in alio, cum respectu vtriusq; fiat iniuria abusus Sacramento. 79 80

Quæritur 17. An detur Poligamia, & Poliuiria in habentibus votum solemne castitatis, si ducant in coniugem aliam personam?

℞. Datur Poligamia, quæ appellatur similitudinaria, non enim propriè est talis, quia non dicit pluralitatem Matrimonij eiusdem speciei, scilicet carnalis, quo contrahitur Poligamiâ propriè accepta; consistit hæc in mixtione Matrimonij spiritualis cum Matrimonio carnali, hoc enim sequitur ad illud, quod contingit cum professus vel professa solemniter, vel cōstitutus in sacris ducit vxorem, vel Monialis masculum, talis enim contractus inducit suspicionem vehementē heresis quia sic agens prǽsumitur, quòd credat sibi licere vxorem ducere, quod credere Hæreticum est, vt dixi sect. 27. q. 5. num. 17. De hac Poligamiâ similitudinariâ *Sanch. lib.* 7. *disp.* 83. *Salelles Reg.* 391. *num.* 240. *vbi sub num.* 237. primam speciem bigamiæ vocat esse eam, in qua concurrunt duo Matrimonia valida, & consumata, secundam vocat eam, quam diximus Poligamiam, & tertiam prouenientem ex solemnitate voti, de his duabus egimus non de Bigamiâ, quæ nullum est peccatum, cum solùm impediat susceptionem ordinum propter irregularitatem. 81 82

Quæritur 18. Quibus pœnis afficiatur Poligamus, & Poliuiria?

℞. Præter abiurationem de vehementi, qui duxit secundam vxorem per quinquennium, si tertiam per septennium, punitur triremibus. Ita *Thesaurus quæst. Forens. lib.* 1. *q.* 14. *num* 5 *Campan. in Diuers. iur. Can. Rubr.* 1. *num.* 47. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 5. *num.* 61. *vers. Atq; hæc. Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 4. *Vers. Quibus*, *& Sousa lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 20. 83

de

de quinquenio, *Ego cap. 22. num. 79.* Mulieres verò alijs coniugatæ se cum alio viro iungentes fustigantur, carcerantur, & pœnitentijs salutaribus expediuntur, ex citatis. Sponsalia verò solùm contrahentes fustigantur, vel relegantur, aut carceribus mancipantur, seu exilio puniuntur, Carena num. 64.

Quæritur 19. An mulier, quam Poligamus duxit, nolens redire ad primum verum maritum sit suspecta de Hæresi, & punienda ab Inquisitore?

84 ℞. Mulier nolens redire ad verum maritum præcepto sibi facto ab Inquisitore, ab hoc puniri potest, non vt suspecta de Hæresi
85 sed vt contemptrix præcepti. Habitans verò cum secundo viro Poligamo est vehementer de Hæresi suspecta, ac proinde punienda rigorosè cum abiuratione de vehementi. Ita *Trasmiera lib. 2. q. 10. ex eo Carena par. 2. tit. 5. num. 66. Vers. Et bene,* qui tamen subiungit has mulieres in Tribunali Cremonensi puniri solùm vt contemptrices. Sed videtur sequenda opinio Trasmieræ, quia reuera per eam cohabitationem fouetur magis suspicio Hæresis; nec videtur se posse tueri cum Poligamo excusatione concubinatus, cum præualeat suspicio Hæresis, dum adhuc durat cohabitatio, quæ originem duxit à Poligamiâ.

Quæritur 20. An Poligamiæ delictum sit mixti fori?

86 ℞. Negatiuè, spectat enim ad Iudices Fidei priuatiuè ad quoslibet alios, quia sine suspicione Hæresis quis iam vxoratus non potest secundum contrahere Matrimonium; constat autem causas violatæ Fidei ad præfatos solùm Iudices spectare, ergo alij excluduntur. Et ita docent *Scaccia de iudicijs lib. 1. cap. 12. num. 55. Campan. in Diuersorio iuris Rubr. 1. num. 46. Sousa lib. 1. cap. 35. num.* 18 *Farinac. q. 178. num. 71. ex illis Carena par. 2. tit. 5. num. 20.*

87 Genuensis in praxi cap. 68. in Nouis num. 12. Vers. Item si bigamus, dicit, in Regno esse delictum mixti fori, & sic Poligamus præuentus à laico Iudice mittitur ad Inquisitorem, ab eo super Intentione torquendus, & abiurare faciat, deinde ad curiam secularem esse remittendum, vt puniatur pro delicto Poligamiæ. Si verò præueniatur ab Inquisitore, sub eiusdem foro in totum expeditur. Sed reuera hic locum habere non potest præuentio, cùm suspicio Hæresis, quam inseparabiliter delictum Poligamiæ habet adiunctam impediat mixtionem fori, ac proinde causa hæc est omnino indiuisibilis in qualibet sua parte; absurdum enim est, quod iudi-
88 cium ab vno cæptum, ab alio finiatur, *l. Vbi captum 30. l. Si quis postea 7. ff. de iudic.*

Quæritur 21. Quomodo, & à quo probanda sit Poligamia?

89 ℞. Probatio spectat ad Fiscum, qui in primis debet probare, duo Matrimonia fuisse contracta à denuntiato, deinde secundum esse contractum viuente adhuc primâ vxore eodem tempore, quo Matrimonium secundum fuit celebratum.

Primum de duobus Matrimonijs ostenditur, quia Poligamiæ delictum, quo denuntiatus fuit quis Poligamus oritur ex duplici Matrimonio; ergo hoc probato conuincitur Reus de delicto Poligamiæ, & id pertinet ad fiscum, quia in hoc tribunali denuntians non probat, ergo alius, sed assignabilis non est alter nisi fiscalis, ergo id est eius munus, cum enim suam intentionem fundet in Poligamiâ necessariò debet probare duo Matrimonia illam inferentia, ex illa communi Regula, quod ille probare tenetur illud, in quo suam fundat intentionem vt tradunt allegati à *Farinac. in Fragm crimin. par. 2. lit. M. num. 308. Gutier. in Pract. quæst. lib. 2. q. 6.* Et ita ad fiscum pertinere probationem duorum matrimoniorum docent. *Carena par. 2. tit. 5. num. 64. Salelles Reg. 149. num. 129.*

Secundum de superuiuentiâ primæ vxoris 90
tempore secundi matrimonij contracti probandum à fisco patet, quia fundatur super eâ, ergo debet constare de ipsius vitâ, iuxta dicta superius, & ita docent prædicti Carena num. 65. & Salelles.

Quæritur 22. Quibus modis probatur vtrunque Matrimonium?

℞. Duplex Matrimonium probatur ex 91
libro Parochi, qui coniuges coniunxit in matrimonium, si non reperitur scriptum in libro probandum est per duos testes cuiuscunq; conditionis; cum superuiuentiâ vxoris per duos testes omni exceptiones maiores..

Prima pars de probatione duplicis matri- 92
monij per librum Parochi, ostenditur, nam si libris mercatorum, qui sunt priuatorum, credendum est, *Bart. Iason. & alij in l. 1. C. de edendo, & in l. Admonendi de iuriur. Rota par. 6. dec. 244. num 11. & seq. Glos. V. per libros antiquorum cap. cum causam 13. de Probat.* A fortiori fidem faciunt libri matrimoniorum, cum sint publici, & legales ex cap. 1. de Reformat. sess. 24. ibi: *Habeat Pa-* 93
rochus librum, in quo coniugum & testium nomina diemq. & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Matrimonium ergo probatur exhibitione libri, *cap. cum dilectus. de fide instr. Menoch. cons. 199 num. 3. Cauale par. 2 dec. 12. num. 23. Rota par. 3. dec. 374. num. 2. Riccius par. 1. resol. 228.* Si in loco iudicij adsit liber Parochi, Inquisitori librum petenti exhibendus est à Parocho, vt inde extrahatur copia registranda in processu, Si aliunde sufficit mittere fidem autenticam legalizatam in curiâ Episcopali.

Secunda pars de testibus licet non omni 94
exceptione maioribus probatur, quia testes

adhibendi in actu celebrationis Matrimonij non requiruntur integri, & omni exceptione maiores, cum textus simpliciter loquatur his verbis: *Et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere*. Non exprimendo, cuiusnam conditionis esse debeant, vnde ex hoc Doctores fere omnes dicunt sufficere quoscunq; etiam fœminas, siue sint vocati, vt intersint huic actui vt testes ad formam Concilij Sess. 24. cap. 1. siue casu, vel vt missam audiant, vel alia ratione, dummodo deponant, se audisse sponsos contrahere matrimonium immediate per se proprijs auribus, vel per alios præsentes cum ipsis in Ecclesia, vel alio loco, vbi celebratur matrimonium. Ita multis citatis Barb. ad dictum cap. num. 121. Ergo si tales testes probant celebrationem matrimonij simpliciter, & in casu nostro; nihil enim aliud requirit fiscalis, nisi contractum Matrimonij.

Carena *par. 2. tit. 5. num. 52. ex Genuensi cap. 21. num.* 24. requirit testes omni exceptione maiores, quando agitur de validitate vnius Matrimonij contra inualiditatem alterius matrimonij, vno enim probato valere, alterum ipso iure probatur irritum esse propter impedimentum Ligaminis dirimentis secundum Matrimonium.

Sed contra, quia in S. Officio sufficit probare contractum fuisse vtrunq; Matrimonium ex quo præsumitur primum valere, & secundum deficere ex impedimento Ligaminis, aliud enim est probare illius celebrationem, aliud valere, vel non valere, hoc enim ostendere spectat ad denuntiatum cum suas fecerit defensiones, illud supponitur ex probatione contractus. Et sic muto opinionem hanc, quam tenui cap. 22. num. 76.

An sufficiat probare Matrimonij contractum per cohabitationem aut famam?

℞. Negatiuè in hoc casu, quia talis notitia non est certa, nec tangit directe actum celebrationis matrimonij, & talis cohabitatio arguere etiam potest concubinatum, vnde vt equiuoca non potest vniuocam facere probationem.

Probatur tamen per instrumentum dotale vel etiam per fidem Baptismalem, in qua exprimitur filius baptizatus vtriusq; iugalium si desit liber Matrimonij, & non sunt testes oculares.

Longeua ergo cohabitatio non probat matrimonium, *Cæsar Grassus dec. 1. Qui filij sint leg. Rota par. 1. dec. 71. num. 5. & par. 10. dec. 233. num.* 16. Et hoc maximè in casu nostro, vbi agitur criminaliter.

Quæritur 23. Quomodo probatur superuiuentia vxoris eius, qui duxit aliam in vxorem?

95 ℞. Fiscus debet probare superuiuentiam vxoris per testes omni exceptione maiores, qui deponant se vidisse viuere vxorem eius post matrimonium contractum secunda vice agitur enim in causa criminali, in qua probationes debent esse concludentes per testes omni exceptione maiores. Ita *Carena par. 2. tit. 5. num.* 54. Non placet dictum *Diana par. 4. tract. 7. resol. 4. Vers. Nota primo*, nec Dal Bene *Dub. 209. num.* 13. requirentium plenam probationem, & tamen subdunt, satis esse, quod testes dicant mulierem habitam esse pro vxore rei, cumq; illam tractasse, vt communiter solent tractari aliæ vxores. Id autem est probare per præsumptiones, & non facere plenas probationes, quæ consistunt in propria scientia visus, & auditus.

Quæritur 24. Numquid sufficit vnus testis probans superuiuentiam vxoris. Similiter & duplex matrimonium?

℞. Sufficit ad torturam, & persistens in negatione liber dimittitur, quia per rigorosam torturam elidit dictum vnius testis, si nihil aliud illi oppositum fuit. Dixi cap. 22. num. 78. 96

Quæritur 25. Quomodo reus Poligamiæ se potest defendere?

℞. Duobus modis. Primo ostendendo mortem coniugis ante contractum secundum Matrimonium. Secundo probando nulitatem primi Matrimonij. 97

Mors autem siue viri, siue fœminæ probatur primo, per exhibitionem fidei authenticæ ex libro mortuorum extractam, nam concludenter probat mortem, non solum liber Parochi, qui prescribitur singulis Parochis in calce Ritualis Pauli V. cui fides adhibetur, ex allatis à *Rota par. 4. tom. 2. dec. 108. num. 3. par. 5. dec. 536 num. 5. & dec. 549. num. 15 part 6. dec. 13. num. 2. dec. 207. num. 2 par 9. dec. 89. num. 2. & dec. 391. num.* 28. 98

Probatur etiam per fidem sacristæ attestantis de tumulatione mortui, *Rota par. 3. dec. 641. num.* 8. Ex libro mortuorum ciuitatis *Rota par. 4 tom. 2. dec. 209. num.* 2. Ex libro Confraternitatis, *Rota par. 6. dec. 13. num. 1 & 2.* Ex libro Hospitalis, *Rota par. 6. dec. 317 num.* 5. 99

Secundo probatur per testes in defectum libri, qui debent esse integri, & omni exceptione maiores, cum agatur de subsistentia posterioris matrimonij, cum periculo destructionis prioris forsan legitimè adhuc existentis, & nullitate posterioris. Probatur ex cap. Dominus 2. de secund. nupt. ibi. *Donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux eius*. Cap. in præsentia, de Sponsal. illis verbis. *Nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*. Ex vtraque auctoritate colligitur vnum testem non sufficere, quia vox vnius vox nullius, vni enim soli non creditur, *cap. veniens* 10. *de testibus*. Vnde ea verba *certum nuntium* non accipiuntur masculine, vt dicit *Sanchez lib. 2. disp.* 46. 100 101

num.

102 *num.* 11. *Vers. Secundo* sed neutraliter pro re nunciata scilicet morte coniugis, non pro persona nunciante; Nuntium ergo tunc certum est, cum testibus ad minus duobus
103 mors probatur. Idem dicendum est de illis verbis *Donec constet* ex priori auctoritate, nam illud verbum importat probationem concludentem, *Glos. V. Repererint Clem. Vn. de offic. deleg. cum alijs* Ciarl. *cap.* 10. *num.* 71. *& cap.* 41. *num.* 4. Quæ nonnisi ex duobus Testibus fieri potest, vt supponitur ab omnibus, & docet *Rota par.* 3. *dec.* 641. *num.* 10 *& part.* 4 *tom.* 1. *dec.* 544. *num.* 3. dum loquitur de
104 testibus in plurali. Et hi testes debent esse integri, & omni exceptione maiores patet, quia sic docent allegati à Genuensi *cap.* 21. *num.* 24. *apud Carenam part.* 2. *tit.* 5. *num.* 52. quando agitur de validitate vnius matrimonij, & inualiditate alterius, vt in casu nostro, probata enim morte prioris coniugij probatur valere secundum matrimonium, & primum esse destructum, & e contra probata vita, tenet primum, & irritum est secundum. Dixi *Resol.* 106. *num.* 131. *tom.* 4.

105 His obstare videtur textus in cap. Quoniam 5. Vt lite non cont. his verbis: *Tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Glos. ibi V. Præsumatur examplificat in sene, & in eo, qui in acie fuit, & non redijt. *Rota par.* 9. *dec.* 371. *num.* 3. mors probatur per testes deponentes de voce, & fama. Immo iure ciuili *l. Vxor. C. de repud.* sufficit, si vxor expectauit virum per quadriennium, *& in l. Vxores ff. de diuort.* per quinquennium Vide Farinac. q. 140. à num. 42. multa congerentem. Præsumptionibus ergo probari potest mors, vt superstes transire possit ad secundas nuptias, *ex Layman Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 214. Auersa de matrim. q. 14. sect. 3. dicens non sufficere probabilem existimationem, sed requiri moralem certitudinem de morte coniugis.

Sed contra, quia persistendum est in præcitatis, quod mors probanda est, vel per fidem libri autentici, vel in eius defectum per testes integros saltem duos, qui viderint personam mortuam, reddendo rationem, nempe deferebatur ad sepulturam, vel quia erat in cataletto, vel quia depositus fuit in tumulo, &c.

106 Ad auctoritatem cap. Quoniam, Innocentij III. derogatum fuisse per subsequentes Pontifices Lucij III. & Clementum III. quorum capita retuli supra. Sicut, & legibus ciuilibus. Et ita omnino seruandum est, vt mors probetur per testes, vt apparet in instructione S. Congr. transmissa Ordinarijs locorum.

107 Secundo reus Poligamiæ se defendit, probando primum Matrimonium fuisse nullum, Poligamia enim contrahitur in secundo Matrimonio, priore valido existente, ex dictis q. 7. Debent autem isti testes esse duo integri cum agatur de Matrimonio inualidando, ita *Gratian. cap.* 468. *num.* 34. *cap.* 537. *num.* 15. *Possent singul.* 126. *Rota part.* 3. *dec.* 630. *num.* 3. *part.* 10. *dec.* 214 *num.* 14. *vers. Pariter*, *Ludou. dec.* 247. *num.* 4. Et colligitur *ex cap.* 1. *de cognat. cap. In literis* 24. *de testibus.* De qua re latius dixi *Contr. Moral.* 108
6. *num.* 46. *Impressionis Romanæ*, *& resol.* 106. *q.* 13. *eod. num.* 46. *Impressionis Lugd.* vbi sub num. 138. rescripsi instructionem, quam seruare debent Ordinarij locorum in examine testium pro morte probanda coniugis.

Dices, sufficiunt duo testes, licet non maiores omni exceptione ad contrahendum Matrimonium ex dictis sub num. 94. ergo, & ad illud dissoluendum, ex Reg. 1. omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, ergo ad impugnandum Matrimonium sufficiunt quilibet testes.

℞. Duo testes etiam non integri sufficiunt 109
ad probandum Matrimonium esse contractum, nam eius valor intrinsecus consistit in consensu mutuo coniugum coram Parocho proprio, & duobus testibus dato, aliter ipse eorum consensus nullus est, licet exterius exhibitus, cum sint ambo inhabiles ad præstandum consensum, si non sunt præfati præsentes dum coniuges præstant sibi inuicem 110
consensum. Et Reg. non habet locum in Matrimonio, quod per mutuum consensum nascitur, tamen per illos, dissensum non potest distrahi, quia quod Deus coniunxit, homo separare non potest, Gen. cap. 2. Regula ergo fallit in Matrimonio, Nauar. cons. 3. de conuers. infidel.

Quæritur 26. An testes examinati in curia Episcopali super morte alterius coniugis, vt superstes possit transire ad secundas nuptias, possit puniri in S. Officio si detegatur falsum deposuisse in ea causa? Idem si falsum dicat coram Inquisitore?

℞. Si falsitas detegatur in curia antequam 111
sequatur secundum Matrimonium, punitur ab Ordinario, si verò detegatur in causa Poligamiæ; dum tractatur coram Inquisitore, falsarius testis in S. Officio punitur; testis vero pro defensione Poligami falsus pariter in hoc Sancto Officio debitis plectitur pœnis.

Prima pars de falsario puniendo ab Ordinario probatur, quia nondum constat de Poligamia, ergo puniendus est ab Ordinario, coram quo errauit, faciendo illi iniuriam.

Secunda pars ex causa Poligamiæ probatur, quia qui sic deposuerunt falsum facti 112
sunt suspecti de Hæresi, tam vehementer, quam ipse Poligamus, vna enim suspicio oritur ex indicio alterius suspicionis pluribus concurrentibus indicijs diuersis tendentibus ad eundem finem, *ex probatis sect.* 16. *num.* 66.

66. & 67. Ita *ex Tramiera q. 17. num. 29. Salelles Reg. 391. num. 274 ad 276. citans Carenam. part. 2. tit. 5. num. 67.* ex Responso S. Congr. die 12. Iunij 1632. conseruato in Archiuio Cremonæ S. Officij, qui Carena in eo §. 13. nihil dicit de abiuratione, nihilominus censetur vehementer suspectus de Hæresi, & taliter abiurare debet ex vsu Vrbis, inquit Salelles num. 275. qui in sequentibus num. 176. 177. & 178. dicit, non abiurare falsos testes in causa Poligamiæ.

113 Tertia pars pro defensione Poligami falsus testis plectendus est, quia sine dubio est suspectus de Hæresi, sicut ipse Poligamus, & quidem vehementer, cum ipse testis non minus præsumatur male sentire de Sacramento Matrimonij, quam ipse contrahens secundum Matrimonium, *ex Trasmiera, & Diana Salelles num. 269. & 270.*

Quæritur 27. An deponens in S. Officio aliquem esse Poligamum, qui tamen postmodum probatur innocens, sit puniendus ab Inquisitore vti de Heresi suspectus?

114 ℞. Est quidem puniendus de calumnia illata in proximum; quia ex falsa depositione iudex aquisiuit Ius puniendi illum, vt qui deliquit in causa S. Officij. Cum tamen in nullo fidem violauerit, nec ex malo animo nocendi proximo nulla oriatur suspicio Hæresis, nullatenus cogendus est ad abiurandum. Ita Trasmiera lib. 3. q. 117. num. 28. apud Salellem Reg. 391. num. 268.

Quæritur 28. An testis defendens reum Poligamum super nullitate prioris Matrimonij habens pro se opinionem sit reus, & ipse Poligamiæ, & suspectus de Hæresi? An vero se tuendo ex opinione excusetur à culpa Poligamiæ, & Suspicione Hæresis, ac proinde à pœna?

115 ℞. Ab omnibus excusatur ex titulo opinionis etiam singularis Doctoris. Opinio enim licet minus probabilis excusat à culpa, & pœna, *Nauar. cons. 4. de Vsur. & consil. 3. de*

116 *cler. non ordin min. §. Ad secundum*, Etiamsi postea inueniatur falsa, *ex eodem Nauar. tom 3 in cap. Si quis autem, de Ferijs, & in consil. 10. de consang. num. 5. Modestus §. Prudentum Responsa dub. 8. num. 2.*

117 Pono exemplum in omissione denuntiationum, quæ inducit nullitatem Matrimonij secundum *Menoch. cons. 69 num 71. Cephal. cons. 421. num. 28. & quosdam alios apud* Auersam *q. 7. de Matrim. sect. 1. Vers. Hinc aliqui*, eorum ratio est, quia sunt de forma, qua omissa actus attentatus exit irritus. Sed reuera talis opinio non est probabilis, ac proinde falsa, quia denuntiationes

118 sunt de forma tantum accidentali, vt colligitur ex Tridentino sess. 24. cap. 1. vbi irritatur Matrimonium solum ex defectu proprij Parochi, & testium, & nihil quò ad irritationem eiusdem dicitur de omissione denuntiationum, ita Auersa loco citato, *Sanchez lib. 3. disp. 5. num. 3. Honded. lib. 2. consil. 72. num 23. Gratian. cap. 83. num. 7. cum multis alijs Rota part. 11. dec. 301. num. 3.*

Si quis inferat ergo supradictus testis non est excusandus, ex quo ea opinio est improbabilis. Respondetur adhuc est excusandus, quia bona fide deposuit, quæ excusat, *Innoc. in cap. Per tuas de simon. Felin. in cap. 1. de* 119
re iud. Fallent. 7. D. Thomas cum Caiet. 22. q. 74. art. 3. quos citando sequitur Rodriq. *tom. 1. q. 30. art. 27.* Habens autem opinionem dicitur bona fide operari, *Bonac. de Re-* 120
stit q fin p. 2. §. 2. num. 19. vers. Respondeo 2. disp. 1. Demum quælibet causa etiam bestialis excusat à dolo, *l. Igitur §. Potest. ff. de liber. caus. alijs citatis Ciarlin cap. 202. fine.* 121

Quæritur 29. Testes examinati in Curia Episcopal super morte coniugis, fatentur coram Inquisitore interrogati, se non deposuisse super morte N. sed asseruisse N. viuere, & nihilominus apparet in Actis Curiæ esse scriptum, testes deposuisse super morte N. & tamen In S. Officio fiscalis probauit superuiuentiam vxoris N. Poligami denuntiati in S. Officio. Cuinam credendum, testibusne, an Notario?

℞. Si coram Vicario Generali sint examinati credendum est actis in processu scriptis à Notario, vel etiam à Scriptore simplici, quia nullatenus præsumendum est contra duos Officiales, quibus credendum est quo ad ea, quæ spectant ad eius Officium, *Rota* 122
part. 6. dec. 75. num. 1. part. 11. dec. 292. num. 2. Merlin. dec. 549. num. 5. Loquentes de Notario, à fortiori idem dicendum de Vi- 123
cario *Guazin. Defens. 28. cap. 15. num. 7.* Quod si totus Notarius scribat in Actis depositiones testium, qui subscripserunt, vel signo Crucis notarunt sua dicta, eis credendum est contra Notarium, si relectum fuit examen, & ipse Notarius sit malæ famæ in suo Officio, aliter ei standum est contra testes *ex adductis à Guazino, & Giurba consil. 78. num. 17 & in nostris terminis à Carena part. 2. tit. 5. num. 68. & seq.* Solent enim testes procurari ab amico volente contrahere Matrimonium, ac proinde eo fine, vt deponant, vxorem esse mortuam. 124

Quæritur 30. An coniux infidelis per baptismum ad fidem conuersus fiat Poligamus ducendo aliam vxorem viuente priore, quam habebat ante conuersionem?

℞. Nō est Poligamus, quanto ducit secundā vxorem, priore viuente, si tria concurrant, 125
primo si infidelis respuit consortium fidelis coniugis. Secundo, si habitatio communis est cum iniuria creatoris. Tertio, si periculum est animæ fidelis, *ex Bonac. q. 3. de Matrim. p 7. num. 4. cum alijs citatis à Barb. super. cap. Quanto 7. de diuort. num. 3.* Quare conuersus ad fidem potest licite contrahe-

re

re Matrimonium, viuente altero coniuge, infideli, qui non vult cohabitare cum fideli, vel habitare cum iniuria Creatoris, & periculo subuersionis fidelis, quia ipso iure soluitur primum Matrimonium Contractione secundi ad formam Tridentini, vt dicit *Paulus Comitolus lib. 1. Resp Moral. q. 126. vers. Sextam, Henriq. in sum. lib. 11. cap. 8. num.* 8. apud Barbosam citatum, quod tenet, etiam Brancatus *de Matrim. disp. 16. art. 11. num.* 212. his verbis. Dico 2. Postquam conuersus mutauit statum per professionem, vel secundum Matrimonium, non conuersus potest cum alio contrahere validè, & licitè. Ergo nullam contrahit Poligamiam, cum non amplius existat primum Matrimonium, nec persona viuens dicatur coniux. De Matrimonio istorum latius dixi Sect. 11. q. 7. à num. 37.

Quæritur 31. An confessus se habere vxorem viuentem alibi, & præsentem esse concubinam, non vxorem, quam dixit fingendo esse suam vxorem ad euitanda scandala, excusandus sit à Poligamia, quando Fiscus non probat secundum Matrimonium.

126 ℞. Esse excusandum, quando Fiscus non probauit Matrimonium.

Probatur. Tum quia hæc excusatio mouet intellectum iudicis magis ad credendum eam fictionem esse veram, quam oppositum, cum ea in se includat actum prudentiæ, & rationabilem causam vitandi supradictæ scandala, & rixas. Tum quia à militibus solent fieri tales fictiones, ne alijs suis misceantur concubinis, ergo cum id communiter accidere soleat, multum verisimile est, quod iste miles finxerit eam sibi in vxorem, quæ reuera eius non est.

127 Ex his sequitur, eam praxim iudicum diuidendi confessionem qualificatam, vt pro parte fisci accipiatur delictum confessum sine illa qualitate, & pro parte rei remaneat obligatio probandi qualitatem, vel testibus, vel tortura, ex doctrina allata *à Farinac. q.* 81. *à num.* 110. *à Carena part. 3. tit. 8. num.* 5. *ad* 10. non habere locum in casu præsenti. Primo quidem, quia tunc scinditur confessio, quando nō controuertitur delictum, quod supponitur probatum in actis, non negatum, ex quo confessio dicitur scindi, in quantum reus puniri potest pœna extraordinaria, non verò ordinaria, *de communi Sperellus decis.* 108. *à num* 36. nam qualitas à reo semper adijcitur ad se excusandum à delicto confesso: in casu autem nostro non est probatum delictum, cum in iudicio non constet de fide Matrimonij, quam Fiscus non exhibuit, non obstante confessione facta, quæ per qualitatem omnino destruitur, qualitas enim aliud esse debet à delicto, cuius pœna per illam minuatur, hic autem qualitas pœnam non minuit, sed delictum destruit, si enim constaret de poligamia certe illa qualitas esset impertinens, immo falsa appareret ex vera confessione, non ergo est proprie qualitas, sed præcise declaratio destructiua confessionis.

Secundo, tunc scinditur confessio, quando est inuerisimilis, & habet contra se præsumptionem, *ex allegatis à Carena part. 3. tit. 8. à num.* 5 *ad* 10. sed neutrum habet in se huiusmodi fictio, cum sit verisimilis ex probatis initio; & non sit proinde contra præsumptionem iuris, immo secundum ius, & prudentiam; ea quoque vsus fuit Christus Dominus, dum finxit se longius ire; & Abraham finxit Saram vxorem suam esse Sororem ad euitandum scandalum, ne violaretur contra iura Matrimonij.

Tertio, non scinditur Confessio, nisi quando qualitas relinquit in suo esse delictum, & illius minuit pœnam, vt patet in multis exemplis, *allatis à Sperello loco citato & à Farinac q.* 81 *à num.* 110. qui num. 153. ait, confessionem qualificatam his verbis: *Rem habuit cum hac meretrice volente non coacta*; non posse diuidi, sed totam esse acceptandam, quia Reus habet pro se præsumptionem, quòd Meretrix consenserit, non autem quòd fuerit coacta, Meretrices enim omnes libenter excipiunt. Clarum autem est qualitatem hanc fictionis non relinquere in suo statu Poligamiæ delictum, nec illi minuere pœnam, sed ipsum delictum destruere, ergo talis non est qualitas, per quam confessio scindatur. 129

Demum huius confessio est negatiua: *Dixi esse meam vxorem, sed fingendo*, ergo negauit magis esse suam vxorem, quàm quòd eam asseruerit, negatiua autem cum sit destructiua delicti, non potest scindi, cum sint ambæ inter se inseparabiles cum sui destructione, vt dixit in simili Farinac. q. 81. num. 142. 130

Infertur ergo ex his, hunc militem non esse torquendum super veritate huius qualitatis, dum in se habet verisimilitudinem, quare si aliud non apparet dimittendus est cum præcepto Comparendi, quandocunque fuerit citatus, si nouæ probationes superuenient. 131

SEC-

SECTIO XXIX.

De Abusu Rerum Sacrarum in Sortilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Res dicitur sacra consecratione, benedictione, vel dedicatione.*
2 *Benedictio duplex vna sine vnctione, alia cum vnctione, quæ appellatur consecratio.*
3 *Consecratio est actus Ordinis, non Iurisdictionis.*
4 *Benedictio simplex, quæ solis verbis sine vnctione fit.*
5 *Benedictio vnctionem præcedit.*
6 *Benedictio tria requirit, elementum, verba, crucem, & vt plurimùm etiam aquam* Benedictam.
7 *Res sacræ reducuntur ad septem capita.*
8 *Abutens rebus sacris committit sortilegium qualificatum, ac proinde est suspectus vehementer de Hæresi.*
9 *Sacra Biblia in se tota, & singula eius verba sunt res sacræ.*
10 Sacramenta *sunt res sacræ.*
11 *In Sacramentis quinq; concurrit consecratio per sacram vnctionem.*
12 *De illorum abusu, remissiue.*
13 *Sacramentalia sunt res sacræ exprimuntur* Orans.
14 Tinctus *quid importet.*
15 *Vnctio cæremonialis est sub verbo* Tinctus.
16 Edens *omne comestibile, & potabile benedictum.*
17 *Hostia, & Vinum ante consecrationem sunt benedicta 23. 53.*
18 Confessus *significatur per* Confiteor.
19 Dans *refert Eleemosinam, & opera Misericordiæ.*
20 Benedicens *importat benedictionem solemnem.*
21 *Res comestibiles, & potabiles benedictæ non sunt sacramentales, earum tamen abusus arguit suspicionem Hæresis.*
22 *Sacramentalia sunt ab Ecclesiâ instituta.*
23 *Hostia, & vinum ante consecrationem sunt sacramentalia. 17. 53.*
24 *Sacramentalia remittunt venialia, ex dispositione recipientis.*
25 *Loca sacra sunt ea, quæ auctoritate Episcopi fundantur.*
26 *Sortilegium in his non datur.*
27 *Vtensilia Ecclesiæ sunt res sacræ, quorum abusus arguit suspicionem Hæresis vehementem.*
28 *Crux res sacra, eius abusus est sortilegium qualificatum.*
29 *Tabernaculum res sacra, eius abusus sortilegium hæreticale.*
30 *Pixis res sacra, eius abusus sortilegium sapiens Hæresim.*
31 *Ostensorium idem cum prædictis.*
32 *Calix idem cum prædictis.*
33 Patenæ *abusus.*
34 *Poculum amatorium in calice sortilegium hæreticale.*
35 *Siue calix sit consecratus, siue non.*
36 *Idem dic de Calice execrato.*
37 *Calix quandonam perdat consecrationem.*
38 *Lapis sacratus violatur sacrilegio hæreticali.*
39 *Corporalis abusus sortilegium hæreticale.*
40 *Pallæ abusus idem.*
41 *Purificatorij abusus idem.*
42 *Bursæ, & Veli idem abusus.*
43 *Tobalearum idem abusus.*
44 *Palliorum idem abusus.*
45 *Candelabrorum idem abusus.*
46 *Candelarum idem abusus.*
47 *Cussini missalis idem abusus.*
48 *Thuribuli, & nauicellæ idem abusus.*
49 *Vrceolorum cum vino, & aqua idem*

idem abusus.

50 *Cærei Pascalis abusus idem.*

51 *Lampadis abusus idem; vnctione olei, extra casum infirmitatis.*

52 *Ferri Hostiarum idem abusus.*

53 *Hostiæ quolibet ex quatuor eius statuum spectato, idem abusus.* 17. & 23.

54 *Vini item adhibiti ad Sacrificium idem abusus.*

55 *Vestium sacerdotalium idem abusus.*

56 *Tunicellarum, & Pluuialis idem abusus.*

57 *Campanarum idem abusus.*

58 *Feretri mortuorum idem abusus.*

59 *Clauium Ecclesiæ idem abusus.*

60 *Arculæ Eleemosinarum idem abusus.*

61 *Tapezariarum idem abusus.*

62 *Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum idem abusus.*

63 *Quænam res vnctione consecrentur.*

64 *Oleum Sanctum triplex, Infirmorum, Catecumenorum, & Chrismatis.*

65 *Illorum abusus idem.*

66 *Agnus Dei idem abusus.*

67 *Eos pingentes, miniantes, vel vendentes sunt excommunicati.*

68 *Ceræ benedictæ idem abusus.*

69 *Ramorum oliuæ, vel alterius arboris benedictorum, idem abusus.*

70 *Organi abusus in sortilegijs arguit vehementem suspicionem Hæresis.*

71 *Vota appensa sunt res sacræ, eorum abusus idem.*

72 *Librorum choralium, & missalis idem abusus.*

73 *Vasis pro lauandis Corporalibus, & Purificatorijs idem abusus.*

74 *Sortilegium ex quolibet sacro inducit vehementem suspicionem.*

75 *Concilium Trident. Sess. 4. punit violatores Sacræ Scripturæ solùm per Episcopos.*

76 *Ex quo videntur exclusi Inquisitores.*

77 *Qui tamen non excluduntur, quia ante Tridentinum procedebant in causis Sortilegiorum tantùm Hæreticalium.*

78 *Nunc verò etiam non hæreticalium ex Bullà Sixti V. Contra Astrologos.*

QVoniam in Sortilegijs contingit abusus rerum sacrarum, de his notitia præmittenda est, vt ex illarum cognitione, & abusu; Consultores possint distinguere sortilegia hæreticalia à non hæreticalibus.

Res autem dicitur sacra, quæ à Deo, vel eius Ministris legitimis est benedicta, aut dedicata seruitio Ecclesiæ, quæ dominium habet earum Nomine autem Ministrorum veniunt Episcopi, & Sacerdotes alij, qui rem profanam conuertunt in spiritualem, & sacram, auferentes ab eà profanitatem certorum prolatione verborum, quæ se habent vt forma applicata materiæ, scilicet, ipsis rebus nuncupatis sacris. 1

Benedictio autem est prolatio verborum applicata rebus, & duplex est, vna appellatur benedictio vnctionis, quæ & consecratio dicitur, quæ est vnctio cum oleo, dicto etiam Chrismate ab Episcopo consecrato, facta super re, quæ de profana fit sacra, & spiritualis ordinata ad cultum diuinum, & hanc actionem consecratiuam solus Episcopus exercere potest, sicut ab eo solo ipsum oleum est benedicendum, seu consecrandum, vnde cum sit actus pertinens ad potestatem Ordinis, & non Iurisdictionis, ab Episcopo delegari non potest simplici Sacerdoti, *Gloss. V. Iurisdictionis, cap. Aqua 9. de consecr. Eccles.* 2 3

Altera benedictionis species ea est, quæ fit solis verbis sine vnctione, de quà in Missali, & Rituali Pauli V. & huius generis benedictio fieri potest à simplicibus Sacerdotibus, nisi sint prohibiti. Vide Barbosam de Iure lib. 3. cap. 3. per totum, vbi de Benedictione, & Consecratione. 4

Notandum autem est, quòd Benedictio præcedit Consecrationem, expellendo profanitatem à re sacrandà per Sanctum Oleum, vt fiat digna sacrà vnctione, vt per hanc fiat apta, & dedicetur ad vsum diuini cultus. 5

In actione productiuà Benedictionis tria concurrunt, elementum, seu res, quæ recipit Benedictionem, forma consistens in oratione applicatà rei, quæ benedicitur, & signum Crucis, à quà fluit virtus orationis in rem; concurrit quoque in multis aspersio Aquæ benedictæ post orationem prolatam, & id 6

pro-

probatur non solùm ex ritibus Ecclesiæ, sed etiam ex illo communi axiomate S. Augustini. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, hoc est, res sacra.

7 Omnes autem res sacræ reduci possunt ad septem capita. Sub primo continetur *Sacra Scriptura*. Sub secundo *Sacramenta*. Sub tertio *Sacramentalia*. Sub quarto *Loca Sacra*. Sub quinto *Vtensilia Sacra*. Sub sexto *Reliquiæ Sanctorum cum suis Imaginibus*. Sub septimo *Persona* Deo *consecrata*. De singulis dicendum aliquid.

8 Præmitto, abutentem rebus sacris committere Sortilegium qualificatum, manifestam scilicet Hæresim sapiens, *ex allatis à Farinac. q.* 181 *num.* 22. ac proinde esse vehementer suspectum de Hæresi, qui enim res sacras miscet cum profanis ad obtinendum aliquem effectum, licet non malum, præsumitur sine dubio credere, sibi licere vsum rerum sacrarum pro eius consecutione, quod arguit eam suspicionem; si enim crederet, rem sacram non sibi profuturam, eam non adhiberet, ergo ex eius vsu arguitur vehementer suspectus de Hæresi. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 67. *vers. Item illa, vers. Iam illa*, & *vers. Hinc censeo. Barb. cons.* 55. *Royas par.* 2. *num.* 167. *Scaccia lib.* 1. *de iudic. cap.* 12. *num.* 24. *Del Rio lib.* 5. *sect.* 15. *vers. Dico* 3. *Raphael della Torre* 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *disp.* 2. *Zanard. in Direct. part.* 3. *cap.* 64. *Ioseph Sesse tom.* 4. *dec* 466. *num.* 9. *Dal Bene dub.* 229. *sect.* 6. *num.* 4. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. *ex num.* 242.

9 Sub primo capite continentur ea omnia, quę sunt scripta in totâ Sacrâ Biblia, sunt enim omnia eius verba sacra, ex eo, quòd sic appellatur, & omnia in illa contenta sunt sancta, & benedicta à Deo, vt scribitur ad Rom. 1. 2. *In scripturis sanctis*, & 2. ad Timoth. 3. 15. *Ab infantiâ sacras literas nosti.* Qui autem his abutitur committit sortilegium qualificatum sapiens manifestam Hæresim, ac proinde est vehementer suspectus de Hæresi. Et ita docent *Pegna cit. Vers Hinc censeo, Emmanuel Moura de Incant. Opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 32. *Salelles Reg.* 124. *num.* 343. *cum alijs Dal Bene Dub.* 229. *sect.* 6. *num.* 4. *Salelles Reg.* 351. *num.* 68. *Farinac. q.* 181. *num.* 49.

10 Sub secundo capite continentur Sacramenta, quæ sine dubio sunt res sacræ etiam in ratione compositi moralis, nam formæ, quæ singulis materijs, & elementis applicantur, sunt verba Domini Saluatoris ex Sacrâ Scripturâ accepta; ac proinde sunt res sacra denominans ipsum Sacramentum, quod sacrum est ex ipsâ formâ, & ab ipso effectu Gratiæ, quam quodlibet Sacramentum confert subiecto rectè disposito.

11 In quinque autem Sacramentis conficiendis concurrit Benedictio, & Consecratio per vnctionem sacram iuxta mox dicenda, de singulis. Nam baptizandus vngitur in pectore, & in medio scapularum, post Baptismum verò in vertice, ad differentiam confirmandi, qui Oleo Sancto vngitur in fronte, respectu cuius Sacramenti ipsum Oleum est materia illius constitutiua. In Sacramento Eucharistiæ, quod consecratione fit non adhibetur Oleum Sacrum, sed panis, & vinum ante consecrationem benedicitur. Extrema Vnctio fit Sacramentum Olei Sacri vnctione infirmi, & ipsius Sacramenti materia est Oleum Sacrum. In ordine consecrantur Oleo Sancto manus Diaconi antequàm efficiatur Præsbiter. Oleum autem sacrum in Baptismo, & Ordine est sacramentale, non Sacramentum, vnctio ergo adhibita in illis est *Sacramentale*, in confirmatione, & extremâ Vnctione est pars Sacramentorum essentialis, Oleum autem in se spectatum sine vnctione est sacramentale. Panis autem, & vinum spectata ante consecrationem habent rationem *Sacramentalis*, post autem cum nihil sint, denominari non possunt sacramentalia, cum non ens nullam recipiat positiuam denominationem. In Matrimonio, & pœnitentiâ nulla adhibetur vnctio, sed subiecta illorum benedicuntur tantùm. Si quis ergo abutatur Sacramentis in Sortilegijs reddit se vehementer suspectum de Hæresi, & eius sortilegium vocatur qualificatum, scilicet hæreticale, & sapiens manifestè Hæresim. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 67. *Vers. Primum.* & *Vers. Item illa*, *Moura de Incant. opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 32. *Salelles Reg.* 351. *num.* 68. *Dal Bene Dub.* 229. *sect.* 6. *num.* 4.

De abusu Sacramentorum imprimentium caracterem dixi sect. 20. de abusu Sacramenti Eucharistiæ sect. 21. De non Sacerdote celebrante sect. 22. Confessiones audiente sect. 23. De abusu in Sacramento Pœnitentiæ sect. 24. De solicitatione in eâdem, sect. 25. De abusu in Sacramento Extremæ Vnctionis sect. 26. De abusu in Sacramento Matrimonij sect. 27. De abusu eiusdem per Poligamiam sect. 28. 12

Sub secundo capite continentur sacramentalia hoc versu expressa: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.* Singula paucis explico.

Orans comprehẽdit quaslibet orationes ab Ecclesiâ ordinatas præter Pater, & Aue. Quibus abutens in sortilegijs committit sortilegium qualificatum, sapiens scilicet manifestam Hæresim arguens vehementem Hæresis suspicionem. Ita *Farinac. q.* 181. *num.* 49. *Genuens cap.* 18. *num.* 11. *Alberghin. cap.* 18. *sect.* 2. *num.* 2. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. *Salelles Reg.* 124. *num.* 343. *Diana part.* 4. *tract.* 8 *resol.* 14. *Pegna com.* 67. *vers. Hinc censeo Dal Bene Dub.* 229. *sect.* 6. *num.* 4. 13

Tinctus

14 *Tinctus* indicat aquam benedictam, Pe-
gna cit. vers. Iam illa, *Genuensis cap.* 18. *num.*
11. *Farinac. num.* 22. Salelles Reg. 124. *num.*
343. Vnctio ceremonialis quæcunque, siue in
15 Sacramentorum confectione, siue rerum
consecratione continetur sub *Tincto*, qui
enim vngit, tingit, inquit Faber *de sacram.*
Pœnit. disp 40. *num.* 52. Dixi *Vnctio cere-*
monialis ad differentiam vnctionis, quæ est
materia proxima Sacramentorum Confir-
mationis, Et Extremæ Vnctionis. Horum
abusus parit eosdem effectus, quos produ-
cunt cætera sacramentalia. De aquà benedic-
tà *Barbatia cons.* 55. *Lucerna* V. *Diuinatio*
§. 2. *Pegna cit. vers. Iam. illa, vers. Hinc cen-*
seo, *Salelles Reg* 24. *num.* 343. De vnctione
cum Oleo Sacro Direct. *part.* 2. *q.* 42. *num.* 5.
Farinac. q. 181. *num.* 21.

Edens significat omne comestibile bene-
16 dictum, maximè panem benedictum, quod
distribuitur populo die Dominico, vt dicunt
Paludanus, Antonius Hiquaus Hibernensis *in*
4. *Scoti dist.* 21. *q.* 1. *num.* 52. *vers.* Pro in-
tellectione. Faber de Pœnit. disp. 40 *num.* 52.
Talis est panis ex pane sacrificando more
Græcorum extractus distributus interessenti-
bus Missæ ex deuotione ab illis manducan-
dus. Faber reijcit Scotum asserentem sub
verbo *Edens* comprehendi Eucharistiam,
quia Sacramentum est, non sacramentale, si-
cut ipse panis, & vinum ante consecratio-
nem, vt supra dixi. His autem abutens Reus
est Sortilegij qualificati, iuxta supradicta, vn-
de sortilegus qualificatus est abutens Hostià,
17 & Vino iam benedictis ante consecrationem,
ac proinde suspectus de Hæresi, *Carena part.*
2. *tit.* 12. *num.* 54. *Lupus super Edictum S.*
Officij lib. 19. *art.* 1. *Diffic.* 3. *Salelles Reg.*
351. *num.* 84.

Confessus significat confessionem, quæ per
18 verbum *Confiteor* fit in Primà, Completorio,
Missà, & ante Confessionem sacramentalem.
Tunsio pectoris reducitur ad hoc, cum non
recitetur *Confiteor* sine Tunsione. Qui abu-
titur hac confessione, siue vocaliter, siue scrip-
to committit Sacrilegium hæreticale, ac pro-
inde est vehementer suspectus de Hæresi.

Dans repræsentat Eleemosinam, & quod-
19 cunq; opus Misericordiæ, siue sit corporale, si-
ue spirituale, quę sunt quatuordecim nota vi-
ris doctis, & alijs Christifidelibus. Vtens au-
tem illis ad malum finem Reus est sortilegij
hæreticalis, ex probatis.

Benedicens significat quaslibet benedictio-
20 nes datas non solùm ab Episcopis, & Abba-
tibus cum solemnitate, sed etiam à Sacerdo-
tibus, vt benedictio candelarum in die Pu-
rificationis B. M. V. Cinerum, Palmarum,
& similium. Pariter & benedictio rerum co-
mestibilium, & potabilium pro deuotione,
& vtilitate fidelium. Benedicens ergo aliquid
21 ad sortilegium faciendum, vel vtens re bene-
dictà committit sortilegium hæreticale, & se
reddit vehementer suspectum de Fide. Et ita
docent supracitati. Comestibilia autem, &
potabilia benedicta non sunt propriè sacra-
mentalia, quò ad remissionem venialium,
sed tantùm res benedictæ, quarum abusus
infert sortilegium hæreticale.

Nota autem, quòd Theologi definiunt, 22
quòd sacramentale sit ritus spiritualis ab Ec-
clesià institutus ad salutem animæ, & corpo-
ris fidelium ordinatus ad confectionem Sa-
cramentorum, & eorum ornatum, quando
non est illius pars essentialis, quod dico prop-
ter vnctionem sacri Olei, quod est pars essen-
tialis in Sacramentis Confirmationis, & Vn-
ctionis Extremæ, vt dixi in præcedentibus. 23
Hostia quoque, & Vinum sunt sacramenta-
lia ante consecrationem, post verò nihil, cum
non sint, vt dixi supra. Calix verò cum Vi-
no, & Patena cum Hostià sunt materia Sa-
cerdotij, ac proinde huius Ordinis; diuisim
spectata dici possunt sacramentalia.

Dicunt quoque communiter Theologi, 24
quod sacramentalia remittunt peccata ve-
nialia, sed in modo remittendi non conue-
niunt, nam aliqui dicunt remittere venialia
ex opere operato, quod tamen fere ab om-
nibus reijcitur, quia non essent sacramenta-
lia, sed Sacramenta, quorum proprium est
remittere peccata ex opere operato. Quare
melius alij asserunt sacramentalia remittere
peccata ex opere operantis, ex eius scilicet
dispositione. Vide *Fabrum disp.* 40. *à num.*
53. *Braneatum disp.* 15. *art.* 12. *de Pœnit.*
num. 327. *& num.* 339. vbi plura de sacra-
mentalibus.

Sub quarto Capite comprehenduntur lo-
ca sacra, quæ sunt auctoritate Episcopi fun- 25
data, consecrata, vel benedicta. *Host in*
Rubr de crim Sacril. Riccius part. 3. *resol.*
404. *num.* 4 *Barbosa lib.* 2. *de iure Eccles.*
cap. 1 *num.* 2. Instit. de diuis. rer. §. *Sacra*
res sunt, quæ rite per Pontifices consecratæ
sunt. veluti Ædes sacra. Et infra. *Locus au-*
tem, in quo Ædes sacra sunt ædificata etiam
diruto ædificio sacer adhuc remanet. Vbi
Gloss. ait, desinere esse sacrum ex duobus.
Primò, si ab hostibus capiatur. Secundò,
quando ea remouentur, quæ talem eum red-
debant. Iure autem ecclesiastico locus exe-
cratur, si in totum desolatur, & demolitur
secundùm Canon. *in cap De fabricà, de*
consecr. dist. 1. *Barb. Alleg.* 27. *num.* 13. Sunt
autem huius generis loca quatuor; Ecclesia,
Oratorium publicum, Monasterium, & Hos-
pitale.

In his non video locum habere posse sorti-
legium hæreticale, quia licet hæc sint res sa- 26
cræ, non tamen sunt mobiles, quę possint
misceri cum profanis, ideo ex illis nec ar-
guitur suspicio Hæresis, nec proinde sub-
duntur iudicio Inquisitorum.

Ll Sub

27 Sub quinto capite continentur vtensilia, & supellectiles sacræ, cuiusmodi sunt ea omnia, quæ seruiunt ad cultum diuinum, & ornatum Ecclesiæ, sunt enim res sacræ, *Gloss. V. Spiritualia in Rubr. cauſ.* 1. *q.* 1. Sunt autem sequentia Crux, Tabernaculum, Pixis, Ostensorium, Calix, Patena, Lapis sacratus, Corporale, Palla, Purificatorium, Bursa cum Velo, Tobaleæ Altaris, Arcula Eleemosinarum, Claues Ecclesiæ, Tapezariæ, Ferrum Hostiarum, Hostiæ, Campanæ, Cereus Paschalis, Lampades, Candellæ, Candelabra, Thuribulum, Nauicula, Incensum, Vrceoli cum vino, & aquâ, Vestes sacerdotales, &c. His abutens in sortilegijs est vehementer suspectus de Hæresi, cum præsumatur credere, ea quæ spectant ad diuinum cultum, vel ornatum Ecclesiarum misceri posse cum profanis, quasi non præseferant diuinum cultum, & possint contemni, & abuti. Ita alijs citatis *Farinac. q.* 20 *num.* 85. *Del Rius lib.* 5. *sect.* 16 *Verſ. Sacerdos celebrans Albergbin. cap.* 18 *sect.* 2. §. 1. *num.* 7. *Ego cap.* 18. *Sacri Tribun. q.* 2.

28 *Crux* quæcunque siue cum Crucifixo, siue non, fabreacta, siue scripta in cartâ, siue picta, siue manu signata vt fit, cum aliquid benedicitur, quouis ex his modis considerata semper est res sacra, benedicta, & sancta ex suâ institutione, cum sit spirituale Instrumentum benedicendi quodcunque benedictionis capax. Eam esse rem sacram alijs citatis docet Riccius part. 3. resol. 410. Vbi eius fures dicuntur sacrilegi. Qui verò abutuntur illâ sunt Sortilegi vehementer suspecti de Hæresi, *Salelles Reg.* 124. *num.* 343 *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num* 28..

29 *Tabernaculum*, in quo custoditur Sacramentum Eucharistiæ, est res sacra, quia benedictum, vel formaliter, vel ex continentiâ, & custodia Sancti Sanctorum, & fur eius est sacrilegus, *Anton. Gomez de delictis cap.* 5. *Rubr. de Furtis num.* 11. *Baiard. ad Clarum V. Sacrilegium num.* 6. *ex illis Riccius part.* 3. *resol.* 409. *num.* 1. Abutens aliquâ illius particulâ ad sortilegium fit vehementer suspectus de Heresi, quia præsumitur credere in eo conseruari purum panem, & non sacram Communionem.

30 *Pixis* est sacrum vas immediatè continens Christi Corpus consecratum, benedictum formaliter, vel ex vsu continentiæ Sacramenti huius, sicut Tabernaculum etiam ex solâ custodiâ fit res sacra, quia Pixis tactu Domini benedicitur. Ita præcitati de Tabernaculo, & Barb. Alleg. 27. num. 41. Qui Pixide abutitur sortilegium committit hæreticale.

31 *Ostensorium* est illud vas, in quo Sacra Eucharistia exponitur publicè populo adoranda; quod vel est benedictum formaliter, vel tale est ex continentiâ, & contactu Corporis Christi. Idem dic de abusu eius, quod scriptum est de Tabernaculo, & Pixide, horum enim trium fere par ratio, custodia, & continentia, ergo, & par abusus.

Calix est vas, in quo Sanguis Christi Domini consecratur, res sacra est, & duobus modis eius consecratio contingere potest, primo prolatione formæ consecratiuæ facta per Episcopum, vel Abbatem; secundò consecratione in eo sanguinis Christi, quando Sacerdos primò vtitur sine priori Consecratione per Oleum Sanctum, maiorem enim vim habet consecrandi contactus Sanguinis Christi, quam ipsamet verba Episcopi consecratoria Calicis. Ita ex nostris Cœlestinus in Compendio suæ Theologiæ Moralis, *Tract.* 8. *cap* 5. *q.* 9. *cum alijs* Diana *part.* 2. *tract.* 14. *Resol* 69. *& part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 60. Oppositum cum alijs sentit Quartus *part.* 2. *in Missali tit.* 1. *De Præparat. Missæ sect.* 2. *Dub.* 3. Sed meo iudicio præualet prior opinio, quia contactus Sanguinis consecrati debet sibi aptare vas, & de profano facere dignum suæ habitationis. 32

Idem dicendum de Patenâ, quæ manet consecrata per primum contactum Corporis Christi, est enim accessoria Calici, ergo iuxta illum considerranda est. Ambo ergo sunt res sacræ *Riccius par.* 3. *resol* 408. *&* 410. Vnde hæc surripiens sacrilegus est, & illis abutens committit Sortilegium hæreticale cum suspicione vehementi Hæresis, *Farinac. q* 20. *num.* 85. *Del Rius lib.* 5. *sect.* 16. *Verſ Sacerdos celebrans*, *Alberg. cap* 18. *sect.* 2. §. 1. *num* 7. 33

Quare si quis poculum amatorium daret in Calice mulieri, sine dubio esset vehementer de Hæresi suspectus. De poculis amatorijs *Farinac q.* 181. *à num.* 81. A fortiori, si quid Sacri corporis, vel sanguinis porrigeret ad bibendum. Thomas Hurtadus tract. 5. de delictis generantibus suspicionem Hæresis cap. 2. num. 44. Quid si Calix non est consecratus. 34

Puto, adhuc esse suspectum de Hæresi saltem leuiter, quia ex electione potius Calicis, quàm alterius vasis, præsumitur sibi licere potionem dare in quolibet Calice, & sic videtur male sentire de vasibus Sacrificij Missæ. Idem dic de Calice execrato, & quidem à fortiori, quia vas est non ad potationem amatoriam, sed ad diuinum cultum destinatum, vnde & suspectus est, qui eo vtitur simpliciter ad bibendum consecrato. 35 36

Calix autem consecrationem amittit. *Primò* quando notabiliter frangitur ineptus ad Sacrificium, destructo enim subiecto, perit forma ei inherens. *Secundò* si cuppa separetur à pede non tornatili, tunc enim dicitur frangi, & ineptus est ad Sacrificium, si verò vna pars ab alia separabilis est artificio tornatili, non desecratur, quia tunc non frangitur, *Armilla, &* Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. q. vlt. p.* 9. *num.* 19. *Auersa q.* 11. *Sect.* 13. *Quartus cit.* 37

Dub.

Dub.5. cum alijs ab eis citatis.

Dubium est, an ablatione aurationis, vel nouà auratione Calicis, perdatur consecratio? Resp. negatiue, quia non tantùm illa pars dicitur consecrata, sed totus Calix, non enim aurum dicitur consecratum, sed Calix, *Layman lib.5.tract.5. cap.6. cum alijs Quartus cit. Dub.5. Diana par.1.tract.15. resol.* 3. Neque discecratur per ictus inflictos super ipsum calicem, cum talis percussio eam vim non reperiatur habere, *Bonac. loco citato*. Eodem modo discurrendum est de Patenà ob similitudinem eorum vsus, ex æquo enim seruiunt Sacrificio diuino. Vide sect. 21. num. 35.

38 *Lapis Sacratus* marmoreus in quadro excisus reliquias sanctas habens inclusas in suà consecratione, res sacra est, super quem corpus, & sanguis Iesu Christi consecratur, *de quo* Farinac.*q.20.num.*85.*& Riccius par.*3. *resol.*8.*num.* 1. Si quis aliquà eius particulà detractà abuteretur committeret sortilegium hæreticale inducens suspicionem vehementem Hæresis?

39 *Corporale* super quod ponitur Corpus Christi, & eius Sanguis in calice, est benedictum, ac proinde res sacra, & nisi sit formaliter benedictum, per contactum Corporis Christi fit tale, sicut dictum fuit de calice. De eius benedictione fit mentio *in cap. consulti dist.*3. *de consecr.* & in Rituali Romano; cuius benedictio per lotionem non perditur, sed solùm quando ita lacerum est, vt non valeat continere Hostiam, & Calicem; *Quartus par.*2. *tit.*1. *sect.*3. *Dub.*1. qui tamen in eo petit benedictionem formalem. Qui illo abutitur est suspectus vehementer de Hæresi, *Delrius lib.5. sect.16. Vers. Sacerdos celebrans Albergh. cap.*18. *sect.*2.§.1. *num.*7. *Farinac. q.* 20. *num.* 85.

40 *Palla* est tegumentum lineum ornatum Calicis, ne quidquam cadat in Calicem; est res sacra, cum sit benedicenda, & si non benedicitur, ex eius vsu in ministerio Sacrificij remanet benedicta. De quà præfatus Quartus sect.2. Qui abutitur illà fit Reus sortilegij qualificati, & sic est vehementer suspectus de Hæresi.

41 *Purificatorium* cum inseruiat purificationi Calicis post sumptionem non solùm Sanguinis Christi, sed etiam eius purificationi, & digitorum, & non ante, res sacra est ex benedictione formali, vel virtuali ex eius vsu, vt de alijs dictum fuit. Qui autem eo abutitur fit vehementer suspectus de Hæresi, cum illius sortilegium sit hæreticale, *Farinac. q.*20. *num.*85.

42 *Bursa, & Velum*, illa conseruat Corporale, hoc cooperit Calicem, non solent benedici, tamen quia sunt destinata ad cultum diuinum res sacræ sunt, ac proinde illis, aut vnà illarum abutens, si non vehementer, saltem est leuiter suspectus de Hæresi, sed magis inclino in primum, Ob electionem eius, & non alterius rei.

Tobalea in altari debent esse tres, & benedictæ, vt dicitur *in Rubr. Missalis par.* 1. *tit.* 20. *apud Quartum Dub.* 8. Qui vnà illarum, vel particulà abutitur est suspectus de Hæresi vehementer, aut leuiter, quia remotè inseruit sacrificio. Quid si Rector, Ecclesiæ Tobaleam adhibeat ad mensam suam, numquid reus est sacrilegij, & suspicionis? Non, si profanam non habeat in promptu, qui enim seruit Altari, de eodem viuit. 43

Pallia sunt ornamenta Altaris à parte ante, & loco eorum sufficit etiam quòd illa pars Altaris sit ornata lapidibus pretiosis, auro, aut picturis, *ex Gauanto par.* 1. *tit.* 20. *ibidem Quartus* Dub.9. Nulla pro Pallijs benedictio ex eodem Gauanto. Vnde ex hoc non videntur res sacræ; nihilominus cum non sint ad aliud inuenta, nisi ad ornatum Altaris, & decentiam Sacrificij, eius abusus arguit sortilegium vehementis suspicionis, & meo iudicio res sacræ dicenda sunt, *ex Bellochio de casib. reseruat. par.*2. *q.* 1. *num.*50. *Oliuerius Mazuchellus de casib. reseru. Mediol. disp.* 2.*q.*7 *Diffic.* 1. *num.* 117. *&* 118. ibi *Et paramenta Ecclesiæ*, inter quæ sine dubio computantur Pallia, vnde hæc furans Sacrilegium committit, ex illis. Quidquid ex Antonio Gomez dicat Riccius par. 3. resol. 108. 44

Candelabra sunt, & ipsa res sacræ, cum sint ad ornatum Altaris, & ad nihil aliud seruiunt, nisi ad Sacrificium Missæ, & diuinas laudes accensis super illis candelis, vnde illis abutens redditur suspectus de Hæresi vehementer. 45

Candelæ, quæ deseruiunt ad Sacrificium, & Horas Canonicas ex vsu earum peculiari sunt res sacræ, ac proinde illis abuti est sacrilegium, & sortilegium hæreticale, sicut & quæ benedicuntur in festo Purificationis, aut alio die; quæ dicuntur formaliter benedictæ, & earum abusus arguit suspicionem Hæresis vehementem, sicut & candelę in Sacrificio adhibitæ, *Farinac q.*20. *num.* 85.*q.* 181.*num.* 15.17.*&* 22.*Salelles Reg.*505. *num.* 482. 46

Cussinus, super quem ponitur Missale in Sacrificio Altaris, non caret sua sacritudine ex suo vsu cum & ipse sit institutus in ordine ad Sacrificium, *ex Rubr. Missal. par.* 1.*tit.*20. *Gauantus*, *& Quartus Dub.* 12. licet nullam mentionem faciant de eius benedictione. Qui eo abutitur est suspectus vehementer. 47

Turibulum, & Nauicella, quamuis non benedicantur, ac proinde *Decian. lib.* 6. *cap.* 30. *num.* 19. nolit vocare ea res sacras; tamen Riccius *par.*3.*resol.*408. *num.* 4. ea vocat res sacras, alijs allegatis, nam surripientes illa sunt sacrilegi, vt ibidem dicitur; rectè ergo appellantur res sacræ, sunt enim destinata ad diuinum cultum, vnde eis abutens in sortile- 48

gijs euadit suspectus de Hæresi vehementer. Idem dic de incenso benedicto tam ad vsum incensationis, quàm eius, quod affigitur in cereo, id enim propriè, & formaliter est benedictum.

49 *Vrceoli* quoq; ad vsum Sacrificij cum vino, & aquâ licet non sint benedicti formaliter, tamen quò ad vsum computandi sunt inter res sacras, cum proximè seruiant ad vsum Sacrificij in Missâ, vnde illis abutens cum vino, vel aquâ remanentibus ex parte in Vrceolis, est vehementer suspectus, tum quia præsumitur contemnere materiam Sacrificij in fieri; Tum quia aqua est benedicta in Vrceolo adhibito, non solùm posita in Calice, sed etiam, quæ remansit in Vrceolo. *Riccius tamen par. 3 resol.* 408. *num.* 2. reijcit cum alijs à rebus sacris, nihilominus ex rationibus adductis veriùs comprehenduntur. Et qui illos furatur sacrilegus est. Vide alia sect. 21. num. 40.

50 *Cereus Pascalis* est benedictus solemniter, & eius quinq; grana Incensi in eo infixa, vt patet ex ceremonia, quæ fit in Sabbato Sancto, vnde est res sacra, & eius grana, immo & ignis similiter benedictus in eadem causâ. Qui aliquid prædictorum abutitur fit reus sortilegij hæreticalis, & suspicionis eiusdem.

51 *Lampas*, quæ quotidie continuò ardere debet coram Sanctissimo, quamuis non sit benedicta, nihilominus si quis eâ abuteretur accendendo ad sortilegium committendum incurreret suspicionem Hæresis vehementem præsumeretur enim credere rebus indignis licere cultum latriæ, vel hæduliæ tribuere. Esset quoq; suspectus de Hyresi vehementer, qui vteretur oleo lampadis ad sortilegium, non autem si quis vngeret infirmum pro recuperandâ sanitate, vt faciebat S. Didacus ægrotos sanando, dum illos oleo lampadis perungebat.

52 *Ferrum*, quo fiunt Hostiæ, res sacra est, quia in eo impressa est imago Crucifixi, & ad alium vsum non seruit regulariter, nisi pro confectione Hostiarum. Si quis ergo eo abutatur fit suspectus vehementer de Hæresi, quia præsumitur male sentire de Crucifixo in eo expresso.

53 *Hostia* etiam ante consecrationem, immo & nondum posita super Calicem ad celebrandum, est res sacra, habet enim impressam sacram Imaginem Crucifixi; ac qui eâ abutitur est suspectus de Hæresi vehementer vt probaui *sect.* 21. *à num.* 26. *ad* 31. Explico; Hostia in triplici statu considerari potest, primò, quatenus nondum delata fuit ad Altare; secundò prout est in Altari materia proxima ad consecrationem iam oblata per offertorium & benedicta; Tertiò prout est consecrata; quartò prout supra eam est Missa celebrata, sine ordine ad consecrationem. Quæstionem faciunt Doctores super primum & quartum statum Hostiæ.

Nam Zanardus, & cum eo *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 53. tenet abuti Hostia in primo statu esse sortilegium hæreticale, & quia habet signum Crucis, quæ cultu latriæ adoratur, & quia repræsentat Sacrificium missæ. In quarto statu idem docent præcitati cum *Scaccia de Iudic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 34. *Vers. Sortilegus*, *Sousa lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 11. *Albergh cap.* 18 *sect.* 2. §. 1. *num.* 9. Del rius pro hac opinione rutur *Carena num.* 54 *vers. Neque Dal Bene Dub.* 229. *sect.* 8 contra citatos à Farinac. *q.* 20. *num.* 85. *nempe Ghirl. de sortileg. q.* 10. *num.* 16. *&* 17. *Torreblanca* 2. 2. *q* 96. *art.* 4 *disp.* 2. *apud Carenam, & Dal Bene*, quorum opinio est improbabilis ob rationes adductas, & quia abusus est celebratione Missæ ad sortilegium.

Vinum adhibitum ad Sacrificium Missæ est res sacra, iuxta dicta sect. 21. num. 31. ad 34. cuius abusus inducit vehementem suspicionem. 54

Vestes sacerdotales ad Sacrificium missæ sunt septem, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, & Planeta; & benedicuntur, vt dixi sect. 21. num. 41. His abutens committit sortilegium hæreticale, & fit vehementer suspectus de Hæresi. *Del Rius lib.* 5. *sect.* 16. *vers. Sacerdos celebrans*, *ex eo Alberghin. cap.* 18 *sect.* 2. §. 1. *num.* 7. Si sacerdos his vtatur in hieme pro coopertorio peccat quidem, sed Reus non est Sortilegij. 55

Idem dic de Tunicellâ, & Pluuiali benedicendis secundùm communem Doctorum, *cum Suarez tom.* 3. *in par.* 3. *disp.* 82. *sect.* 2. *apud Quartum par.* 1. *Rubr. Missalis tit.* 19. *Dub.* 2. 56

Campanæ sunt res sacræ, quia consecrantur, Barbosa Allegat. 27. num. 46. Fractæ etiam solùm ex parte, quâ sunt affixæ ligno sustentanti, perdunt benedictionem, si non amplius possunt sonari. Earum abusus in sortilegijs inducit suspicionem Hæresis vehementem. 57

Feretrum repræsentans memoriam defunctorum pro quibus orandum est, de quo fit mentio in Missali par. 2. tit. 13. num. 4. sub vocabulo Tumuli non est benedictum formaliter, tamen quia ornatur Crucibus numerandum est inter res sacras, & dicatas Ecclesiæ. Quare si quis eo, vel aliquâ eius particulâ abuteretur esset suspectus de Hæresi vehementer quia præsumitur ea, quæ seruiunt Ecclesijs, licere turpiter adhibere, quod hereticum est, credere. 58

Confirmatur id ex electione eius ad malum finem, magis quàm rei omnino profanæ. Quicquid dicat Decian. *lib.* 6. *q.* 30. *num.* 19. Feretra non esse res sacras, nam contrarium probatum est, tale esse ex Crucibus, vel quia dedicatum est ad Sacrificium mortuorum, & alium

alium vsum non habet, & sicut fumigare caput defuncti sapit manifestam Heresim, *Direct.par.2.q.42. num.5.* ita & abuti Catafalco non solùm quo vtuntur Clerici in ecclesiâ. sed etiam alio, quo defertur cadauer in Ecclesiam, seu cæmeterium.

59 *Claues* Ecclesiæ, quas tangit ordinandus in Hostiarium, res sacræ sunt, quia pars Sacramenti Hostiariatus, ac proinde illis abutens est vehementer suspectus de Heresi, quia præsumitur credere non esse malum illis vti ad Sortilegia.

60 *Arcula* in Ecclesiâ deputata pro elemosinis est res sacra, quia ad hoc seruitium est deputata, & dedicata ideo non licet eam miscere profanis, nisi cum suspicione vehementi Hæresis, cur enim fit electio huius, & non alterius, nisi quia eligens præsumitur credere res Ecclesiæ misceri posse sine peccato profanis, quod tamen peccatum est. *Riccius part.3.resol* 408.*num.* 3. *ex Decian.lib.6 cap.* 30 *num.33 verius num.* 19. dicit, cum eo, non esse rem sacram, quia non est benedicta, dic tu esse sacram ex solâ dedicatione ad seruitiū Ecclesiæ, dedicatio enim idem operatur, quod benedictio, surreptio enim illius est sacrilegium, cum sit præiudicium Ecclesiæ.

61 *Cortina*, hoc est *Tapezaria* propriæ Ecclesiæ eodem Iure, & effectu censendæ sunt, ob easdem rationes, quicquid dicant præcitati. Et id confirmatur, quia in rebus pertinentibus ad seruitium, & ornatum Ecclesiæ committitur sacrilegium à furante illas, secundum D. Thomam 2.2 *q. 99. apud Silu. V. Sacrilegium sub num.* 1. Quod clarius dicitur cap. Quisquis 21. 17. q. 4. his verbis *Sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, siue sacrum de non sacro.* Vbi Barbosa docet, surripientem rem non sacram de sacro esse sacrilegum siue res sit sub custodiâ Ecclesiæ, siue non; à fortiori erit sacrilegium furari res non sacratas ipsius Ecclesiæ, quas ego puto esse propriè sacras, cum non possint dici profanæ sed omnino sacræ, licet non sint consecratæ, nec benedictæ, ad earum enim sacritudinem sufficit, quòd sint dedicatæ, deputatæ, seu donatæ ipsi Ecclesiæ, patet enim ex initio huius Sectionis illud dici sacrum, quod tale fit consecratione, vel benedictione, vel dedicatione, & aquisitione factâ per ipsam Ecclesiam.

62 Sub sexto capite rerum sacrarum numerantur Reliquiæ Sanctorum, atq; ipsorum Imagines, sunt enim res sacræ ex sanctitate personæ, ideo non requirunt extrinsecam benedictionem. Qui autem illis abutitur in sortilegijs se reddit vehementer suspectum de Hæresi, cum præsumatur non credere sanctos esse tales, quales Papa declarat eos esse sanctos, & esse in Paradiso Deum videntes in cælesti patriâ, ac proinde Papam errare in canonizatione, dum abutitur illis miscendo Sortilegijs. Ita *Pegna par. 2. com. 68 Vers. Rursus Sousa lib. 1. cap. 57. num. 9. Carena par 2. tit. 12. num.* 38. *ad* 48 *Del rius lib. 5 sect 16. Vers. Sacerdos celebrans, Albergh cap.18. sect.2.§.1. num.7.* Dicunt enim esse sortilegium hæreticale manifestum, in eo enim miscetur res sacra, ac proinde suspicio est vehemens.

Demùm Papa, Episcopus, Sacerdos, Abbatissa, & Moniales, Altare, Calix, Patena, & Campanæ dicuntur res sacræ, quia consecrantur ex Pontificali Romano. Sed non vnguntur Oleo Sancto Abbatissa, & moniales. 63

Oleum autem *Sanctum* esse rem sacram omnes concedunt, cum benedicatur ex Pontificali Romano Gregorij XIII. in die Cœnæ Domini, & triplex est, Oleum Infirmorum, Oleum Catecumenorum, & Oleum Chrismatis, quod est materia Sacramenti Confirmationis. Qui horum vno abutitur in sortilegijs est vehementer suspectus de Hæresi, cum præsumatur credere esse licitum hæc adhibere ad turpia, & vanas obseruationes. Talis ergo vnctio sapit manifestam Hæresim, *Direct. Inquis. par. 2. q. 42. num. 5. Salelles Reg. 351. num. 68 & reg. 505. num.* 482. Sunt enim sortilegia qualificata, quæ arguunt vehementem suspicionem *Carena par. 2. tit. 12. num. 242. ex num. 23 & 28 & Salelles Reg. 351 num. 71. Del Rius lib. 5 sect. 3. Farinac. q 20 num.* 85. Quidquid dicat nonnulli hic ab eo citati, & q. 181. num. 21. nulla ratione ducti. 64 65

Agnus Dei à Papa benedicti, sine dubio sunt res sacræ, de quib. Gregorius XIII. in sua incip. *Omni certe studio* 2. præcipit sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, non reseruatæ, ab Ordinarijs locorum alijs pœnis plectendi, qui eos pingunt, seu miniant, aut venales proponunt, à Pontifice Romano benedictos. Qui autem eis abutuntur sunt vehementer de Hæresi suspecti, quia tale sortilegium est hæreticale, quorum abusu quis præsumitur licere sibi adhibere ad prauos effectus. Ita *Farinac. q. 181. num. 22. ex Del rio lib. 5. sect 15. vers. dico 3. Pegna par. 2 com. 68 vers. rursus, Salelles Reg. 351. num. 68. ex 71. & Reg. 505. num.* 482. De Agnus Dei Lezana V. Agnus Dei tom. 3. suorum operum. 66 67

Cera benedicta si quis abutatur fit suspectus vehementer de Hæresi, quamuis non sit ex Agnus Dei, *Farin. q. 20. num. 85. & q. 181. num. 15.* Vide supra V. Candelæ. 68

Rami Oliuarum, qui benedicuntur in Dominicâ Palmarum cum cæteris ramis aliarum arborum, sunt res sacræ, ac proinde illis abutens fit suspectus vehementer de Hæresi, *Farinac. q. 20 num.* 85. 69

Organum, & alia instrumenta sonora Ecclesijs 70

clesijs dedicata, & illarum propria, sunt res sacratæ, Deo dedicatæ ad cultum diuinum, ac proinde non conuertenda ad vsus profanos Reg. 51. in 6. multò minus ad turpes effectus in sortilegijs, qui enim talia agit incurrit suspicionem Hæresis vehementem, vt si quis pulsaret per se, vel per alterum in ordine ad consequendam puellam turpi amore, vel ad facilius, & securius percutiendum inimicum &c.

71 *Vota* appensa in Ecclesijs pro gratiâ obtentâ, sunt res sacræ, quia Deo sunt dedicata ad cultum diuinum, & Sanctorum, quibus offeruntur. Eorum autem abusus inducit vehementem Hæresis suspicionem. Obstat *Decian. lib. 6 cap.* 30. *num.* 33. *relatus à* Riccio *par.* 3. *resol.* 408. *num.* 3. dicens, vota non esse res sacras.

Sed reuera sunt sacra, ob rationem adductam, & quia seruiunt ad ornatum Ecclesiæ, immo & honorem sanctorum præseferunt, & sic important rem sacram.

72 *Libri* Chorales, & Missale sunt res sacræ, quia directè, & formaliter seruiunt ad sacrificium, & cultum diuinum, & præterea continent in se Sacram Scripturam, quæ eos reddit sacros. *Bonif. de vitalib. in Rubr. de pœnis committ. sacril. num.* 1. *vers. vel libri, Foller. V. Capiat informationem num.* 11. *Iodocus in Praxi crim. cap.* 11. *Rubr. de Sacrileg. num.* 4. *Peguera dec. crim.* 24. *num.* 13 *quos citat, & sequitur* Riccius *par.* 3. *resol.* 410. *num* 7. Contra Decianum *lib.* 6. *cap.* 30. *num.* 19. Quare si quis illis abutatur in sortilegijs est vehementer suspectus de Hæresi.

73 *Vas*, in quo lauantur Corporalia, & Purificatoria appellatur res sacra, refertur enim ad Diuinum Sacrificium, immo cum accidere possit, quod aliquid in illis remanserit, ob reuerentiam tanto Sacramento debitam, non nisi res sacra dicitur, & nulla ratione profana; ac proinde illo, vel eius aquâ abutens fit reus suspicionis vehementis. Glos. V. Spiritualia in Rubr. caus. 1. q. 1. vocat vasa res sacras.

74 Infertur ex hactenus dictis, Sortilegium, in quo miscetur aliquid sacri ex prædictis, esse qualificatum & sapiens manifestè Hæresim, & personam sortilegam esse vehementer suspectam de Hæresi, quia præsumitur male sentire de Fide circa ea, quæ spectant ad confectionem Sacramentorum, & ad Sacrificium Missæ respectu cuius inuentæ fuerunt omnes supradictæ res, quas nuncupauimus sacras, eo quòd sunt, vel consecratæ, vel benedictæ, vel Deo dedicatæ ad seruitium prædictorum, vel immediatè, & peculiariter à Deo facta, vt Sacramenta, & sacra Biblia; horum ergo omnium abusus arguit vehementem Hæresis suspicionem; & licet diuersæ sint res, & vna maior aliâ in suâ sacritudine, tamen quia abusus redundat tandem in iniuriam, & contemptum Auctoris, Sacrificij, & Sacramentorum, ideo prudenter à Dominis Consultoribus infertur eadem suspicionis species, seu gradus, qui habet latitudinem maioris, vel minoris grauitatis delicti.

Prędictis videtur obstare Tridentinum sess. 4. fine, per hæc verba *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, quâ ad profana quæq; conuertuntur, & torquentur verba, & sententia sacræ Scripturæ ad scurilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos. Mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei Iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.* Cum autem nulla fiat mentio de Inquisitoribus, sed de solis Episcopis, ad hos tantùm spectabit Sortilegorum cum mixtione sacrorum punitio. Ex quo etiam infertur, Episcopos in huiusmodi causâ sortilegiorum procedere Iure proprio & sine vllo ordine ad suspicionem Hæresis, consequenter in prædictorum abusibus non habere locum suspicionem, nec proinde fidem violari, sed præceptum de reuerentiâ debitâ sacris literis violari sine vllâ suspicione, non enim omne sacrilegium arguit suspicionem Hæresis. 75 76

℞. Esto Concilium mentionem faciat solùm de Episcopis, non tamen excludit Inquisitores à suo officio in causis sortilegiorum certum enim est, illos posse procedere in his causis, potestas enim eis conceditur *in cap. Accusatus* 8. *de hæres. in* 6. §. *Sane*, vbi dicitur, quòd Inquisitores non debent se intromittere, nec punire exercentes diuinationes, & sortilegiâ, nisi manifestè sapiant Hæresim Doctores citat *Barb. ad dictum cap. num.* 19. cum quibus est Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 148. qui dicit, nunc procedere etiam contra sortilegos, licet non sapiant eorum sortilegia manifestam Hæresim, id deducendo *cum Scaccia, & Farin. ex Bullâ* 17. *Sixti V. incip. Cæli, & terra conditor* §. 3. Ante Concilium ergo Inquisitores procedebant in causis sortilegiorum hæreticalium, ideo non fuit necesse de illis facere mentionem. 77 78

SEC.

SECTIO TRIGESIMA
De Superstitione.

SVMMARIVM.

Actum fuit in præcedenti sectione de rebus sacris quatenus miscentur in Sortilegijs, de quibus subsequenter dicendum est, sed quoniam in eius definitione ponitur pro genere Superstitio, ideo de hac Tractatus præmittendus est cognitioni de sortilegijs.

Superstitio igitur est cultus vitiosus tributus vero Deo, aut creaturæ, scilicet falsis Dijs, Dæmonibus, aut Hominibus. Sacrilegium oppositum veræ Religioni, quæ virtus dictat vni Deo soli, & eius sanctis cultum, & honorem tribuendum; quorum cultus subdiuiditur in Latriam soli Deo conuenientem; Duliam sanctis, & Hyperduliam soli Mariæ Matri Dei. 1

Cultus autem vitiosus duplex est, vnus *Perniciosus*, qui scilicet est falsus, & *Superfluus*, qui nullam continet falsitatem, consistens in deuotione indiscretâ, & transgressione rubricarum, & cæremoniarum ab Ecclesiâ introductarum. Perniciosus contingit multis modis. 2

Primò, cum Deus colitur cæremonijs Iudæorum indicantibus Filium Dei venturum, quasi nondum sumpserit carnem humanam. Talis autem cultus est grauissimum peccatum inducens sic colentem in vehementem Hæresis suspicionem, quia præsumitur errare contra articulum Incarnationis Filij Dei. De hoc peccato omnes cum **Bonae. de Superst. num 2. D. Thom. 2. 2. q. 93. art. 2. Sanchez lib. 2. cap. 37. num. 2. Angelus V. Superstitio num. 1. Lupus de Edicto S. Officij lib. 15. initio.** Faciunt ad id dicta *in Direct. part 2. q. 44. & ibi Pœna, & cap. Quidam, de Apost. cap. contra Christianos, de haret. in 6. & quod dixi cap. 17. num. 30.* 3

Secundò, si quis admisceret diuino Officio, 4

cio, vel Missæ aliquid obscenum tamquam eius partem, dicitur exercere cultum perniciosum, & se reddit suspectum de Hæresi vehementer, præsumendum enim est, hunc credere, sibi licere miscere sacra profanis, ac proinde apud ipsum Horas Canonicas, & Missam non esse res sacras, & puras ab omni obscenitate, & turpitudine. Dixi cap. 17. num. 28. De hoc peccato *Bonac. part.* 1. *nu.* 2. *Sanbez lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 7. *Suarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Horis Canon. cap.* 13. *num.* 16. *&* 17. Obseruantes non esse peccatum mortale, cum est de rebus profanis, & vanis non turpibus. Ad suspicionem ergo requiritur peccatum mortale, & patet id ex dictis præcedenti Sectione.

5 Sed quid dicendum de illo, qui inuentus fuit in lecto cum muliere coeundo cum ipsa, & simul recitare Horas Canonicas, vel saltem habens Breuiarium super Ceruicale; numquid est suspectus vehementer de Hæresi? Responsum fuit, esse solùm leuiter; Ego autem puto esse vehementer, quia præsumitur credere coitum extra Matrimonium licere, & sic coniungit licitum cum licito iuxta præsumptam eius credulitatem, quod falsum est, & hæreticum, aut credere præsumitur licere profanis, & turpibus sacra miscere.

6 Tertiò committit actum superstitiosum, qui verba Sacræ Scripturæ trahit iocosè ad profana, & turpia miscens sacra profanis, & subditur S. Officio. Ita *Pegna part.* 3. *com.* 17. *vers. Postremò. Salcedo ad Diaz cap.* 113. *§. Sed locus iste, cum alijs Carena part* 2. *tit.* 7. *num.* 36. *& tit.* 17. *num.* 62. Ex quo autem est subiectus S. Officio, sequitur esse suspectum de Hæresi, licet præcitati id non exprimant, nec proinde gradum. Ego puto esse vehementer suspectum, quia abutitur rebus sacris, cuiusmodi sunt verba Sacræ Scripturæ ex dictis præced. sect. num. 8.

7 Quartò, actum superstitionis perniciosum committit, qui falsa miracula prædicat, aut cum illis intendit firmare Fidem catolicam; vel in ordine ad Canonizationem alicuius Serui Dei probat in iudicio falsum miraculum pro vero. Hic tres actus numerantur. Primus de falsis miraculis adductis in confirmationem Fidei, de quo præcitati *Bonac. & Sanchez num.* 7. *Caiet. V. Suspicio, &* 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. *fine, Salelles Reg.* 111. *num.* 11. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 3. Secundus est de eorum prædicatione, quæ prohibetur, cum ex naturà rei contineat falsitatem, & mendacium ex se malum, quod contingit etiam in alijs duobus actis ex eorum falsitate perniciosis. Ita præcitati cum *Lessio*
8 *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 3. Non est tamen excommunicatus sic prædicans falsa miracula, cum in Iure, vel Bullà id non sit expressum, *Suarez disp.* 22. *de cens. sect.* 6. *num.* 8. *cum alijs Pasqualig. ad Franchum part.* 1. *num.* 1213. *&* 1214. Tertius, est attestatio falsi miraculi pro vero in Canonizatione, seu Beatificatione. In his autem tribus modis actus superstitiosi sunt peccata mortalia, quia continent falsitatem, & mendacium contra virtutem Religionis in re graui, per quæ Fides catolica magis violatur, & periclitatur, quàm quòd confirmetur, cum nulli subsit falsitati, nec mendacio, cum pro suà stabilitate, & firmitate, & conseruatione innitatur diuinæ veritati, quæ nec fallere, nec falli potest. Ex his deducitur committentem vnum ex præfatis tribus actibus perniciosis fieri suspectum Hæresis, & quidem vehementer, quia præsumitur tenere, Fidem dependere à falsitate, & mendacio, atque similiter Beatificationem, & Canonizationem Seruorum Dei, quod esse hæreticum, manifestum est. Nescio quid de hoc Salelles Reg. 111. num. 13.

Quintò, ille dicitur perpetrare actum superstitionis perniciosum, qui falsas Reliquias proponit adorandas, mentitur enim, & idolatrare saltem materialiter facit earum Cultores. 9

Neque exponendæ sunt Reliquiæ illorum mortuorum, qui licet fecerint miracula, nondum tamen ab Ecclesià sunt beatificati; horum enim Reliquiæ venerari saltem publicè prohibentur, cap. 1. de Reliq. Differunt hi duo casus, in primo reperitur falsitas, & mendacium; in secundo transgressio præcitati Canonis.

Vterque casus subijcitur Sancto Officio ab Vrbano VIII. Bullà eius incip. *Sanctissimus* 37. Vbi mandantur puniri per Ordinarios, & Inquisitores, Regulares quidem priuatione officiorum, & vocum, & suspendi à diuinis; Clerici verò priuatione suorum officiorum, suspensione à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, atque executione suorum Ordinum, qui quouis modo pro Beatis, siue Sanctis coluerint defunctos, licet mortuos cum famà sanctitatis, seu martyrij, siue in locis publicis, siue priuatis. 10

Actus autem superstitiosi in eà Bullà interdicti sunt, exponere illas, vel eorum Imagines publico, vel priuato cultui in Ecclesijs, & alijs locis etiam priuatis, & eorum sepulturis tabellas, Imagines, & alias res, lampades, & alia lumina in testificationem beneficiorum receptorum; & cultum illis exhibere. 11

Notandum autem est, quòd Serui Dei dicuntur beatificari, seu canonizari dupliciter, Primò formaliter, & solemniter; quod soli Pontifici Romano competit, iuxta ea, quæ tradidi tom. 4. resol. 113. Secundò ex pio consensu fidelium, vt habemus exemplum in S. Rocho, qui fuit religiosus Tertij Ordinis S. Francisci, ex communi consensu totius Ecclesiæ proclamatus sanctus. Similiter 12

liter quis dicitur Sanctus per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta; vel longissimi temporis scientià, & tolerantià Sedis Apostolicæ, aut ordinariorum locorum, vt colligitur ex Bullà §. 4.

13 Dubio autem proposito super tempus immemorabile idem Vrbanus in alià Bullà in Append. incip. *Cœlestis Ierusalem* 22. respondit per hæc verba: *Insuper longissimum tempus, de quo in prædicto Decreto, intelligi declaramus, esse tempus centum annorum metam excedens*. Quare serui Dei, qui ante diem quintum Septembris 1534. venerabantur pro Beatis, seu Sanctis, adhuc coli possunt nostris temporibus omnibus modis à fidelibus, sicut venerabantur, antequàm dictæ Bullæ emanarent, iuxtà eam centenariam declaratam in secundà Bullà publicatà anno 1634. quinto Septembris, quo centenaria terminatur cæpta præfato anno 1534.

14 An autem tales actus superstitiosi prohibiti in dictis Bullis perpetrati inducant suspicionem Hæresis? Puto sic ad minus leuiter, hoc ipso, quòd transgressores subijciuntur etiam Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in dictis Bullis, sunt enim Iudices contra violatores Fidei catolicæ, & non se ingerunt, nisi in causis Hæresis, & suspicionis eiusdem. Dico leuiter, quia non violatur Fides grauiter, siquidem indiscretè, & ex inobedientia cultum tribuit prohibitum.

15 Sextò, ille perpetrat actum Superstitionis perniciosum, qui in conficiendo, & ministrando Sacramenta, illorum materiam, vel formam essentialiter mutat, Deum enim in suis Sacramentis non colit, iuxtà Ecclesiæ normam, quæ de Fide docet, Christum Dominum singulis Sacramentis propriam assignasse materiam, & formam, iuxtà instructionem in sacris Concilijs nobis traditam. Qui sic mutat materiam, vel formam illorum, præter grauissimum peccatum Superstitionis, & sacrilegij, damnum spirituale infert fidelibus, quibus nulliter confert Sacramentum, quæ existere non possunt sine materià, & formà suis essentialibus illa constituentibus in suo esse. Ita *Lessius lib. 2. cap. 43. num. 3. Bonac. part. 1. de superstit. num. 2. Suar. de superst. cap. 2. num. 12. & alij omnes.*

16 Sic autem agentes sunt vehementer suspecti de Hæresi, quia præsumuntur non credere, Deum sic Sacramenta instituisse, immo ab hominibus inuenta fuisse. Confirmatur, quia ille præsumitur hæreticus, qui cum Ecclesià Romanà non concordat, secundum Iuonem Carnutensem. Tum quia qui moribus, & vità discedit à communi conuersatione fidelium, præsumitur Hæreticus, *cap. Excommunicamus* 14. §. *Adijcimus*, *de haret.*

17 Cultus altera species superstitionis appellatur *Superfluus*, qui nullam falsitatem continet; consistit in deuotione indiscretà, & transgressione Rubricarum, & cæremoniarum ab Ecclesià præscriptarum, quod contingit, eas mutando, addendo, vel detrahendo, aut omittendo, vel ponendo cultum in quibusdam circunstantijs loci, temporis, numeri, coloris, &c. E. g. si Sacerdos in celebrando faciat duas, aut quatuor Cruces super oblata, si vtatur pluribus candelis, & non secundùm ritum præscriptum, &c. talis actus superstitionis videtur solùm veniale. Ita docent omnes *cum Bonac. part. 1. num. 4. Lessio lib. 2. cap. 43. num. 5. Sanchez. lib. 2. cap. 37. num. 4. & 10.* Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 21.

Accidere tamen potest, quòd sit peccatum mortale, quando mutatio, seu omissio est notabilis: Immo quandoque talis actus superstitionis potest inducere suspicionem 18
Hæresis, quando nimiùm in celebratione, aut in Confectione aliorum Sacramentorum sacerdos vtitur aliquo hæreticorum ritu, vt si non genuflectatur post consecrationem, tunc enim præsumendum est, talem sacerdotem non credere Christum esse sub ipsis speciebus sacramentalibus; Vide dicta sub sect. 21.

Hactenus actum est de superstitione vero Deo tributa modo indebito, ex quo sic appellatur, & non cultus Latriæ. Subsequenter agendum est de superstitionis cultu, qui tribuitur creaturæ, hoc est dæmonibus, & à D. Thoma 2. 2. q. 92. art. 2. diuiditur in tres species, quæ sunt Idololatria, Diuinatio, & 19
vana obseruantia. Ego autem claritatis causa diuido cultum creaturæ tributum in quinque species ex Toleto lib. 4. cap. 14. Valentia in eius Compend. tract. 24 à cap. 1. ad 20
8. quæ sunt Idololatria, Diuinatio, Magia, Maleficium, & vana Obseruantia. Hic solùm de Idololatria.

Idololatria est honor creaturæ vti Deo tri- 21
butus. Hoc idem importat eius etimologia compositum nomen ex *Idolo* quod est falsus Deus, & *latria* quæ est præcisè honor, qui soli Deo vno, & vero competit propter eius summam excellentiam, & dominium super omnes creaturas. Est peccatum mortale grauissimum, cui sententiæ nullus contradicit.
Idolum autem differt ab Imagine, quòd ambo 22
repræsentant aliquid, Idolum quidem rem falsam, & chimeram, cum referatur præcisè ad aliquem Deum extra Deum verum, cuius esse est omnino impossibile, ac proinde chimericum. Imago verò repræsentat rem veram, & realem, vt imago Cæsaris.

Committi autem potest Idololatria duo- 23
bus modis. Primò sponte honorando creaturam vt Deum, genuflexione, incensatione, oratione, &c. intellectu credendo, & voluntatis affectu hæc præstando tamquam ve-

ro Deo, qui tamen non est talis. Et hic cultus vocatur Idololatria formalis, & interior expressa illis signis; procedit enim ab Intellectu, & Voluntate idolatrantis credentis, & volentis creaturam esse Deum aliquem, Idolatra enim credit pluralitatem Deorum, quod repugnat in terminis in ratione rei, & aduersatur Fidei, quæ vnum tantum prædicat esse Deum.

24 Contingere autem potest cum solo affectu prauæ voluntatis sine errore in Intellectu, quo quis vult colere Idolum, quem scit, non esse Deum, & credit non esse Deum, sed creaturam tali honore indignam, nihilominus vult illi cultum latriæ. De hac *Suarez, Sayr. cum Sanchez lib. 2. cap. 37. num. 22. & 23. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 2. num. 5.*

25 Secundò committitur Idololatria coactè, cum quis metu mortis, vel alio periculo imminente cogitur adorare Idolum, præstando illi actus honoris sine errore in Intellectu, & sine affectu Voluntatis, præter peccatum mortale nullam incurrit censuram in Foro Dei. Peccat autem mortaliter, quia in ijs, quæ intrinsecè sunt mala, & nulla circunstantiâ cohonestabilia, metus mortis non excusat, vt docent omnes *cum Toleto lib 4. cap. 14. num. 2. Sanchez lib. 2. cap. 37. num. 21.* Excusatur ergo ab Excommunicatione inductâ ab Hæresi, quia talis verè hæreticus non est, quia non habet errorem in Intellectu, vt multis citatis docet Thomas Hurtadus *in suis Resol. Moral. tract. 5. de delictis gener. suspic. hæres. cap. 5. resol. 42.*

26 Idolatra autem redditur suspectus de Hæresi, cum per suos Idololatriæ actus violet Fidem circa vnitatem in diuinis, & vnius tantùm Dei veri Latriam, quam soli Deo competentem tribuit creaturis; est autem vehementer suspectus, quia aliter vir prudens sentire non potest, cum actus de se id efficaciter arguat, non enim in foro externo saltem excludi potest vitium Hæresis ab actibus Idolatricis, quia de Iure præsumitur in eis violatio Fidei, vide *D. Thom. 2.2. q. 94. art. 3. ad primum, & ex eo Salelles Reg. 112. num.*

27 32. Asserentes Hæresim coniungi cum Idololatriâ, si mente, & voluntate colatur creatura cultu Latriæ; non temen semper coniungitur; cum scilicet deest error Intellectus; sed quoniam ea, quæ sunt in mente, & voluntate homo non iudicat, nisi secundùm quòd exteriùs apparent, ex huiusmodi actibus non potest inferre, nisi illis adiunctam esse Hæresim, ac proinde esse vehementer suspectum de Hæresi.

Proceditur tamen diuerso modo, nam probatus quis, quòd voluntariè idolatrauerit, ita videtur violenter Reus Hæresis, vt sit puniendus tamquam Hæreticus. Qui verò probat coactum fuisse ad genuflectendum, adorandum, &c. Idolum, mitiùs puniatur, & videtur solùm leuiter suspectus, si statim se præsentet Iudici sanctæ Fidei, accusando suum errorem, iuxtà quod dixi sect. 3. num. 41.

Notandum, quem posse deferre honorem Dæmoni, & idolatrare ex duplici fine, primò exhibendo Dæmoni actus superstitiosos propter seipsum Dæmonem; altero modo ad consequendum aliquem effectum siue bonum, siue malum. In priori sensu actum est de Idololatriâ, in secundo agam infra in materiâ Sortilegiorum. 28

An Idolatra, qui scilicet genuflexit, qui thurificauit, sacrificium obtulit Dæmoni, quamuis neget prauam Intentionem, nihilominus puniendus sit tamquam Hæreticus? Vtique, vti enim Hæreticus negatiuus puniendus est, cum prædicti actus, & similes ita arguant Idolatram de formali Hæresi, vt aliter vir prudens sentire non possit, adeo quòd nec super Intentione torquendus est, quia formalis Hæresis ex facto est manifesta. Ita *ex Farinac. q. 179. num. 60. Carena part. 2. tit. 1. num 107. vers. Modo*, *Diana part. 4. tract. 7. resol. 34.* Citans Torreblancam, & Castropalaum. Intellige secundùm præfatos, nisi Reus adducat causam excludentem prauam Intentionem, vt si probet, illos ritus fecisse ad euitandam mortem, sibi comminatam; nam tunc torquetur super Intentione, & persistens in responso catolico, non potest puniri, vt Hæreticus. 29 30

SECTIO XXXI.

De Sortilegijs in genere.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegium est Superstitio, qua quis vtitur instrumentis diabolicis ad obtinendum aliquid.*

2 *Est superstitio, quia sine inuocatione saltem virtuali non fit.*

3 *Diabolus per Instrumentum operatur in sortilego vtente illo.*

4 *Cribrum notificans auctorem furti decipit.*

5 *Dæmon præbet Instrumentum sortilego imitando administrationem sacrorum.*

6 *Homo in Sortilegio aliquid semper intendit.*

7 *Sortilegium duplex, sapiens manifestò Hæresim, & non sic eam sapiens*

sapiens nuncupatum simplex, illum qualificatum.

8 *Distinctio Sortilegij in hæreticale, & non hereticale displicet.*

9 *Iudices Hæresis procedunt contra quoslibet sortilegos.*

10 *Hæreticale est illud, quod habet admixtam expressam dæmonis inuocationem, vel res sacras.*

11 *Simplex, quod illis caret.*

12 *Omne sortilegium etiam simplex habet coniunctam suspicionem Hæresis.*

13 *Cadauer, vel ossa eius fumigans est Reus sortilegij qualificati.*

14 *Fumigare est incensare, Incensum est res sacra.*

15 *Abutens ossibus extractis ex cemeterio non est Reus Sortilegij qualificati.*

16 *Baptizans aliquid incapax Baptismi incurrit sortilegium qualificatum.*

17 *Alligatum habens Dæmonem Reus Sortilegij qualificati.*

18 *Torquetur super vsu, si de eo sit sit vehementer suspectus.*

19 *Suspectus est de Hæresi vehementer, si sortilegium est qualificatum, si simplex, solum leuiter.*

20 *Esto inuocatio Dæmonis sit sine cultu.*

21 *Negans prauam intentionem torquetur Reus qualificatus, non simplex.*

22 *Sortilegium an sit qualificatum, vel simplex specificatur à Consultoribus.*

23 *Simplex sortilegus non torquetur super Intentione.*

24 *Sortilegus torquendus inuentus in fragranti crimine, an totum perfecerit.*

25 *Torquendus in fragranti crimine cæpto repertus.*

26 *Libri retentio arguit eius vsum.*

EXplicata Superstitionis materiâ, quam diximus esse genus ad Sortilegium reliquum est, vt de hoc agamus.

Quæritur ergo primò, quid sit Sortilegium?

℞. Sortilegium est superstitio, quâ quis vtitur Instrumentis diabolicis ad obtinendum aliquid. Colligitur *ex Bodino de Demonom. lib.* 1. *cap.* 1. *Farinac. q.* 20. *num.* 73. *cum alijs* Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 1. 1

Dixi 1. quòd sortilegium est Superstitio, quia illud non contingit sine dæmonis inuocatione saltem virtuali, quâ dicitur coli, & honorari ab homine, qui ab illo intendit aliquid obtinere; inimicus enim hominis sine magna mercede non solet seruire. 2

Dixi 2. Instrumento diabolico vtitur, quia diabolus per se ipsum immediatè non operatur, regulariter loquendo, quando homini seruit, sed illi proponit instrumentum, quo vtatur ad consequendum suum finem. Huiusmodi autem instrumenta, nec ex se, nec ex institutione diuinâ habent vim, & facultatem operandi effectum desideratum, sed diabolus in illis occultè operatur ad decipiendum homines, in eo confidentes. Quid enim potest cribrum motum ad inueniendum auctorem furti? Certè nihil. Audiui in S. Officio hic Parmæ Consultor, ad nominationem cuiusdam personæ, an esset auctor furti, motum esse cribrum, & nihilominus nullum extitisse furtum, quia dominus pecuniæ non amplius recordabatur, in quo loco abscondisset pecuniam, & locus cum occurrisset tandem memoriæ, illuc pergens pecuniam à se absconditam inuenit in eodem loco, in quo eam reposuerat, non obstante, quòd credebat sibi ablatam à quodam, contra quem mouerat Cribrum. Motus ergo Cribri nullius est virtutis, sed dæmon his medijs homines decipit. De his medijs dicam latiùs sect. 33. q. 11. & seq. 3 4

Dixi 3. Sortilegum vti instrumento, quia sine vsu alicuius instrumenti non contingit Sortilegium; Diabolus enim superbus est, volens imitari Deum in administratione Sacramentorum, quæ sicut nullum producunt effectum remissionis peccatorum, & collationis gratiæ, nisi à Ministro applicentur Fidelibus; Ita Dæmon inuidus nihil operari vult per se immediatè, nisi homo aliquo vtatur Instrumento sibi proposito, quod tamen nullam habet in se virtutem operandi. 5

Dixi 4. Ad obtinendum aliquid, homo enim alio fine non vtitur Instrumento, nisi vt per eius vsum obtineat, quod desiderat, & si non obtinet, adhuc homo sortilegus nuncupatur, quia vsus fuit instrumento, quo sortilegium absoluitur. 6

Quæritur 2. Quotuplex sit Sortilegium?

℞. Duplex; vnum vocatur Sortilegium sapiens manifestè Hæresim, quod vocatur 7

qualificatum, seu hæreticale; alterum appellatur non sapiens manifestè Hæresim, quod nominant simplex. Deducitur ex cap. Accusatus 8.§.Sane, de Hæret. Vbi dicitur, quòd Inquisitores non se intromittunt in sortilegijs nisi Hæresim manifestè sapiant, ergo dantur sortilegia, quæ occultè sapiunt Hæresim, dato enim vno contrario secundùm Philosophum dandum est & alterum, opponuntur verò sapere manifestè, & occultè. De hoc duplici genere sortilegiorum omnes cum *Direct. par. 2. q. 42. ibi Pagna com. 47. Vers. Cæterum* Farinac. *q. 20. num.79. & q. 181. num. 2.*

8 In quibus locis sic diuidit sortilegia, quòd alia sunt hæreticalia, alia non hæreticalia, quæ distinctio mihi non placet, quia per negationem videtur inferre, suspicionem Hæresis excludi à sortilegijs non sapientibus manifestam Hæresim, hæc enim coincidunt cum non hæreticalibus secundùm ipsum. Tamen infra probabo omnia Sortilegia sapere Hæresim, & arguere illius suspicionem.

9 Non facio difficultatem circa Iudicem Sortilegiorum simplicium, cum nostris temporibus certum sit, esse solùm Episcopum, & Inquisitorem ex Bullâ Sixti V. *Cæli, & terræ creator* 17. priuatiuè ad quoscunq; alios, alijs citatis *Diana par. 4. tract. 7. resol. 10. Carena par. 2. tract. 12. num. 140. Salelles Reg. 124. num. 360.*

10 Sortilegium hæreticale sapiens scilicet manifestè Hæresim, est illud, in quo expressè inuocatur Diabolus; seu illud, cui admiscetur aliquid sacrum. De rebus sacris latè dixi sect.29. per totum, illuc remitto Lectorem, vbi numerauit quascunq; res, quæ nuncupantur sacræ. Et mixtionem alterius ex prædictis duobus inducere sortilegium qualificatum, docent omnes cum *Carena par. 2. tit 12. num. 23. ad 28.* vbi plura enumerat exempla. *Salelles Reg. 124. Farinac. q. 181. num. 49.* de mixtione rerum sacrarum, de inuocatione dæmonum *num. 5. 11. & 12. Pagna par. 2. com. 47. Vers. Hinc censeo* De rebus sacris, *Albergbinus cap. 18. sect. 2. num. 2. & 3.*

11 Sortilegium verò simplex, quod scilicet sapit Hæresim sed non manifestè, est illud, quod prædictis caret, scilicet expressâ inuocatione Dæmonis, & mixtione rerum sacrarum, hoc autem genus sortilegij simplicis nuncupatur hæreticale diuersimodè à præcedenti, quia illud manifestè præsefert Hæresim, hoc autem solùm importat suspicionem Hæresis in occultò, nempe ex pacto tacito Dæmonis, quod in his occultè operatur, non enim sortilegium quodcunq; illud sit, contingit esse sine Dæmonis pacto, vt patet ex eius definitione initio explicata.

Quæritur 3. An reuerà omne sortilegium includat suspicionem Hæresis? Seu an aliquo modo sapiat Hæresim? Nam vrget illa communis distinctio sortilegij hæreticalis, & non hæreticalis.

℞. Quodlibet Sortilegium propriè acceptum includere suspicionem Heresis, vt constat ex allatis vtriusq; definitionibus. Probatur. Tum ex D. August. relato cap. Nec mirum 14. 26. q. 5. *In quibus omnibus*, scilicet sortilegijs *ars Dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum, & Angelorum malorum exorta*. Tum ex cap. Accusatus 8. §. sane de Hæret. in 6. illis verbis? *De diuinationibus, aut Sortilegijs, nisi hæresim saperent manifestè, intromittere se non debent.* Ex quibus clarè infertur, omne sortilegium includere Hæresim, vel manifestè, vel occultè, & implicitè, ac tacitè; dato enim vno contrario, & alterum dandum est, vt superiùs dixi, ad quod facit illud Ioannis 7. 10. de Christo, qui *ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto*. Pactum ergo tacitum præsumitur in quibusdam sortilegijs quæ non sapiunt manifestè Hæresim. Et ita docet *Carena par. 2. tit. 12. num. 29.* alijs citatis, vbi supponit interuenire pactum tacitum. Ad quod facit Farin. q. 20. num. 77. de professione, & amicitiâ hominis cum Dæmone expressâ, vel tacitâ, quæ dicitur esse in Sortilegis, qui eam expressè non promiserunt, licet ab aliquo alio originetur, qui pactum expressum fecit cum Dæmone. Meritò igitur Iudices Fidei in omnibus sortilegijs præsumunt suspicionem Hæresis, quod antiquiores non aduerterunt. Ratio dubitandi resoluta fuit hic, & supra. 12

Quæritur 4. An fumigans cadauer defuncti, vel aliqua eius ossa, committat sortilegium qualificatum, an simplex?

℞. Est qualificatum Sortilegium, quia miscetur in eo incensatio, quæ est res sacra ex sect. 29. num. 48 fumigare enim idem est ac incensare. Et ita docent *Direct. par. 2 q. 42. num. 5. Carena par. 2. tit. 12. num. 28.* Si quis autem abutatur ossibus defunctorum extractis ex Cæmeterio non est Sortilegus sortilegio qualificato, sed sortilegus tantùm simpliciter, dum non vtitur fumigatione, nec aliâ re sacrâ; non enim cadauera, seu ossa ex cæmeterio extracta sunt res sacræ, esto Cæmeterium sit locus sacer, quia sacritudo à loco non communicatur cadaueribus. 13 14 15

Nec valet, quod aliqui dicunt, cadauer in depositione solemniter benedici, dum traditur sepulturæ, ac proinde tunc fieri rem sacram. Id enim nego, quia illa benedictio refertur ad animam, non ad corpus, vt colligitur ex Rituali, in cuius precibus, & orationibus fit mentio de anima, & remissione peccatorum, & non de benedictione corporis. Addit Carena cit. num.29. quod talis benedictio non est Sacramentalis eo modo, quo loquuntur Doctores; dic tu esse propriè Sacramen-

cramentalem, quia remittit talis ritus pœnam ex parte debitam peccatis iam remissis, non enim frustratoria est illa benedictio, immo contineret falsum, si non importaret remissionem, vt in ea exprimitur. Adiungit aliam rationem, quia sequeretur, sortilegium factum cum capillis mulieris, esse qualificatum, quia illius capilli ab Ecclesiâ in Sacramentis Baptismi, & confirmationis sunt benedicti, quod tamen hactenus nemo dixit. Ego dico non inferri sortilegium Hæresim manifestè sapiens, sed solùm esse simplex ex pacto Dæmonis tacito, non ex benedictione, quæ transiuit cum suo effectu in ipso eius fieri; sacramenta enim non permanent excepto Eucharistiæ Sacramento.

Quæritur 5. An baptizans magnetem, vel aliud incapax Baptismi, vel rebaptizans iam ritè baptizatum incurrat sortilegium qualificatum?

16 ℞. Affirmatiuè, quia abutitur Sacramento, iuxtà quod dixi Sect. 20. Ita *Direct. par.* 2. *q.*42.*num.*5.*Farinac.q.* 181. *num.*23. de rebaptizante; *& num.* 24. de baptizante cadauer; *& num.* 25. de baptizante Imagines, cum alijs *Carena par.*2.*tit* 12.*num.*25.

Quæritur 6. An tenens Dæmonem alligatum in annulo, vel vase committat sortilegium Hæresim manifestè Sapiens?

17 ℞. Affirmatiuè, quia talis alligatio non fit sine expresso Dæmonis pacto. Ita *Farinac,q.*181.*num.* 28. *Alberghinus cap.* 18 *sect.* 2.§.1.*num.* 12. *Sousa lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 15.

Quæritur 7. An suspectus de vsu sortilegij, eo quòd in domo eius inuentum fuit Instrumentum, pentaculum, secretum, liber prohibitus, torquendus super vsu talis Instrumenti.

18 ℞. Si sit vehementer suspectus, quod vsus fuerit Sortilegijs, sine dubio torquendus est ex responso Sacræ Congr. supremi Tribunalis referente *Genuens.cap.*12.*num.*12. *& ex eo Carena par.*2.*tit.*12.*num.*177.*Vers. Quinimo.* Dicitur autem Reus vehementer suspectus de vsu, quando apud eum inuentum fuit pentaculum, seu res, aut liber, vel cedula ad sortilegiandum; & erat propria illius, quam diu apud se retinuit, & custodiuit; ex hac enim retentione diuturnâ aliud argui non potest, nisi vsus illius, cum alius finis excogitari non possit, præter vsum. Excusari poterit ab hac vehementi Suspicione, si Reus nescit scribere, vel legere scripturam, aut librum apud ipsum repertum, vel si rem apud se habeat in custodiam, seu depositum, cum alia sit retentio titulo dominij, alia titulo custodiæ, seu depositi, modo probet titulum depositi, vel ignorantiam, & cum sine lecturà non contingat sortilegium, euacuatur suspicio vsus.

Quæritur 8. An, & qualiter sortilegus sit suspectus de Hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia præsumitur habere amicitiam, familiaritatem, & commercium cum Diabolo, siquidem sortilegium non contingit sine eius ope, & si non crederet res adhibitas non habere eam vim, & virtutem ad consequendum effectum, quem desiderat eis procul dubio non vteretur, ergo per hanc credulitatem, quæ falsa est, redditur suspectus de Hæresi. 19

Sortilegium autem qualificatum arguit sortilegum esse vehementer suspectum de Hæresi; sortilegium verò simplex infert tantùm leuem suspicionem. Probatur vtrunque simul, quia sortilegium qualificatum magis auget suspicionem Hæresis, quàm simplex; siquidem sortilegium qualificatum magis manifestat Hæresim, quàm simplex, quod subobscurè indicat, & implicitè. De vehementi suspicione *Alphonsus de Castro lib.* 1. *cap.*15. *Vers.Vt autem hoc apertiùs. Genuens. cap.* 18. *num.* 11. *Zanardus in summa Pracep. part.* 2. *cap.* 64 *Vers. Tertio sortilegium. Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. *vers. Ideo dico ex illis Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 242. Id procedit, siue Dæmon se immiscuerit cum cultu, siue sine cultu, sola enim Dæmonis inuocatio sine cultu est actus honoris, vt dicam suo loco sect. 33. num. 14. *cum Simancha de catol. instit. tit.* 21. *num.* 13. *& alijs Diana cit. vers. His tamen.* De suspicione leui ex sortilegijs simplicibus, *Zanardus cit. cap.*134. *Vers De leui vero, Carena num.*246. Ea enim occultatio Hæresis, pactum tacitum, & defectus rerum sacrarum sicut minuunt indicium Hæresis, ita & illius suspicionem reddunt leuem. 20

Quæritur 9. An sortilegus siue qualificatus, siue non sit torquendus, si interrogatus super Intentione respondeat, se catolicè semper sensisse.

℞. Sortilegus confessus delictum, vel conuictus, sed negans prauam habuisse credulitatem, torquendus est, quando Sortilegium à Consultoribus probatum fuit esse qualificatum, nam ex delicto probato non semper infertur qualitas Suspicionis, sed solùm ipsa suspicio in genere, in specie enim, & gradu specificatur per ipsos Consultores. Torquendus ergo est sortilegus qualificatus in gradu vehementis suspicionis, quia ex his Iudex suam intentionem fundatam habet, quòd hæreticè senserit; ideo per torturam Reus purgare se debet, vt Iudex possit se certificare, quòd non sit Hæreticus. Ita *Zanardus par.* 2. *cap.* 94. *de tortura in causis fidei num.* 14. *Genuens. cap.* 18. *num.* 13. *cap.* 68. *num.* 12. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 225. 21 22

Loquendo verò de Sortilegijs simplicibus, Reus illorum non est torquendus super Intentione, quia leui suspicioni non debet correspondere grauis pœna. Et quia talis suspicio 23

cio

... sufficienter tollitur per Abiurationem, ergo Tortura non est necessaria, sicut pro suspicione vehementi, quæ non purgatur sufficienter per Torturam. Ita *Pagna part. 3. com. 39. vers. Quare in hoc articulo, Genuens. cap. 68. num.* 8. *Carena part. 2. tit. 7. num. 66. vers. Si vero loquamur*. Dicentes, quòd si torquetur leuiter suspectus, non est cogendus ad aliquam Abiurationem, quia Tortura eam purgauit, & destruxit.

Quæritur 10. An, & qualiter debeat sortilegus abiurare?

24 ℞. Ex sortilegio qualificato Reus cogitur abiurare de vehementi; ex simplici de leui, ratio vtriusq; desumitur ex ea regulà, quòd talis debet esse Abiuratio, qualis suspicio, sect. 16. num. 28. Ita *Genuens. cap. 68. num.* 8. *Zanard. cap. 64. Vers. contra Sortilegos Pagna par. 2. com. 67. vers. Item illa sortilegia Farinac. q. 179. num. 59. vers. Quod si factum ex illis Carena par. 2. tit. 12. num. 245.*

Quæritur 11. An captus in fragranti crimine, qui cæpit facere sortilegium, torquendus sit, si non constat illud perfecisse? E.g. Præparauit media, candelam accendit &c. sed non constat, an perfecerit, vtrum sit torquendus.

25 ℞. Affirmatiuè, nam torquetur inuentus cum Instrumentis super vsu, licet non fuerit inuentus cum exercitio ex dictis sub q. 7. num. 18. à fortiori inuentus etiam cum exercitio. Ita Carena par. 2. tit. 12. num. 239. ex eo Salelles Reg. 351. num. 109.

Quæritur 12. An liber, seu carta continens sortilegium inuentus apud aliquem arguat eius vsum, ac proinde possit torqueri?

26 ℞. Affirmatiuè, quia est vehementer suspectus de eius vsu, alio enim fine illum non retinet, nisi vt eo vtatur. Dixi latiùs sect. 34. num. 63. Vide etiam hìc q. 7. num. 18.

SECTIO TRIGESIMA II.

De Potestate Dæmonis in Sortilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Dæmon magnam habet potestatem excedentem aliarum creaturarum potestatem.*
2 Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Iob. 41. 24.
3 Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua, Iob 2. 6.
4 *Non potest facere ea, quæ eius vires excedunt.*
5 *Mirabilia facit, non miracula.*
6 *Ad quæ infinita requiritur potentia.*
7 *Samuel excitatus ad vitam a Deo non à Dæmone.*
8 *Anima rationalis à Dæmone allicitur, sed non cogitur.*
9 *Secreta cordis non cognoscit.*
10 Tu solus nosti corda filiorum hominum. 2. Paralip. 6. 30.
11 *Coniecturam aliqualem elicere potest.*
12 *Transferre potest quodcunq; de loco ad locum.*
13 *Duo requiruntur, motus localis in transferente, & pondus translati non excedens vires transferentis.*
14 *Angeli mouentur localiter.*
15 *Terræ globum, nec mundum transferre non potest.*
16 Rem *vnam in aliam transformat.*
17 *Generare non potest, sed solùm hominis semen immittere in matricem.*
18 *Et ideo instrumentum est tantùm, non Pater, qui est emittens semen.*
19 *Thesauros cognoscit, & dare potest.*
20 *Naturalia post peccatum remanserunt integra in Angelis.*
21 *Alligatum Dæmonem non cogit homo.*
22 *Chirographum Dæmon cogitur restituere per exorcismum.*
23 *Media ad Sortilegium nullam habent virtutem.*
24 *Sunt inutilia, cur tamen adhibentur?*
25 *Mirabiles effectus naturales virgarum, & magnetis.*
26 *In dubio effectus dicitur procedere à causà naturali.*
27 *Nisi habeant adiunctam circunstantiam*

stantiam impertinentem.

28 *Quomodo cognoscatur effectus procedere à causa superstitiosâ.*

29 *Licitum est pactum, vt moriens appareat superstiti.*

QVoniam in omni sortilegio Dæmon partem habet, vt ex præcedenti Sectione patet, ideo hìc agendum est de eius potestate, in sortilegijs.

1 Suppono autem tamquam certum, Dæmonem magnam habere potestatem in terrâ respectu omnium rerum creatarum, nam de eo dicitur Iob 41. 24. *Non est super terram*
2 *potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Sermo est de Diabolo, qui in præcedenti cap. 40. num. 10. appellatur *Behemoth*, qui omnes deuorare cupit, vt notat Silua Allegoriarum V. eodem. Et licet eius potestas superet omnes aliarum creaturarum potestates, tamen tantam habet potestatem, quantam ei permittit Deus, vnde in animam hominis nullam habet, vt legitur Iob 2. 6. *Ecce in manu tuâ est, veruntamen*
3 *animam illius serua*, ac proinde etiam voluntatem eius, quam cogere non potest, cum essentialiter sit libera, vt mox dicam in quæstionibus, interim videri potest sacrum Tribunal cap. 16. vbi multa dico de eius potestate. Pauca hìc referam ad propositum.

Quæritur 1. An Dæmon facere possit ea, quæ excedunt eius vires?

4 ℞. Negatiuè. Tum quia sequeretur eius potestatem esse infinitam, quod implicat; solus enim Deus in operando est infinitæ potentiæ. Tum quia nullum agens operatur extra sphæram suæ actiuitatis, Sphæra autem cuiuslibet agentis est finita in creatis, ergo & ipsum agens. Demum id implicat, quia opus excederet eius vires, si excessum operaretur, & non excederet habens limitatam virtutem.

Quæritur 2. An faciat mirabilia, & miracula?

5 ℞. Facere quidem *mirabilia*, non tamen *miracula*, quia hæc requirunt potestatem in-
6 finitam, non illa, neque enim mirabilia oculis nostris excedunt vires agentis mirabilia. De mirabilibus habemus exempla ex sacrâ Scripturâ, Dæmon enim linguam serpentis fecit loqui articulatè, sicut loquitur homo, quando decepit Euam; Sapientes, & malefici Pharaonis, in quibus Dæmon operabatur per incantationes, fecerunt mirabilia, vt legitur Exodi cap. 7. Miracula ergo non fecerunt. Est communis, *Binsfeldius de confess.*
7 *magar. part. 1. fol.* 157. *Carena part. 2. tit. 12. num.* 13. *D. Thomas part. 1. q. 114. art. 4. Quadrius casu 4. concl. 9. à num.* 387. Quare Pitonissa arte Dæmonis non resuscitauit Samuelem ad instantiam Saul 1. Reg. cap. 28. ex mandato enim Dei reuixit, siquidem Saul ante tempus præfixum à Pitonissa vidit Samuelem. Et ita tandem ibi concludit Lyranus, Samuelem diuinâ virtute comparuisse cum suâ animâ, Doctores refert Barbosa *ad cap. Illud 6. 26. q. 2. Carena num. 16. vers. Solum. Defendens Quadrius de casibus reser. casu 4. num.* 402.

Quæritur 3. An Dæmon aliquid possit super animam rationalem, & eius potentias?

℞. Nihil potest cogendo hominem, sed 8
tantùm mouere, tentando, alliciendo, & incitando ad malum, ad quod tamen non cogitur, sed à seipso ad illud determinatur, quia homo essentialiter est liber, habens dominium suarum operationum, quas exercere potest, & non exercere, cum sit indifferens ad eas, seipsum determinando ad actum, ad quem à nullo cogitur, quia Deus eum reliquit in manu consilij, vt de fide est scriptum Eccl. 15. 14. Ita docent omnes *cum D. Thoma part. 1. q. 111. art. 2. 3. & 4. q. 114. art. 2. Lessio lib. 2. cap. 44. num 23. cum alijs Carena part. 2. tit. 12 num. 16.*

Quæritur 4. An Diabolus cognoscat secreta cordis?

℞. Negatiuè, ex 2. Paralip. cap. 6. num. 9
30. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Ratio est, quia exclusione aliorum sibi reser- 10
uauit hanc cognitionem, nolendo concurrere ad hunc actum cum Intellectu creato, secretum enim cordis est obiectum intelligibile, cum sit ens; tamen Deus non concurrit cum creaturâ generali, & ordinario concursu ex suo decreto incluso in præcitatâ auctoritate. Vide *Scotum in 2. dist. 9. q. 2. § Ad argumenta secunda quæstionis, & in 4. dist. 10. q. 8 Fabrum in 2 disp. 36. cap. 3. Quadrium casu 4. concl. 8 à num.* 365.

Adduco rationem, quia esto secretum sit ens, ac proinde intelligibile, tamen non potest reduci ad actum nisi medio aliquo, quo cognito cognoscatur ipsum ex se incognitum, quia secretum; id autem medium nihil aliud est, quam ipse cognoscens suum secretum, respectu cuius Deus hominem reliquit in manu consilij sui. Potest tamen Dæmon aliquid coniecturare, & sic producere aliquam cognitionem confusam, prouenientem ab actu aliquo indicante talem conie- 11
cturam de secreto cordis, nunquam tamen illius notitiam habebit, nisi illi manifestetur.

Quæritur 5. An Dæmon possit quodcunque corpus etiam hominis viuentis transferre de loco ad locum, quantuncunque distantem?

℞. Affirmatiuè, quia ad translationem 12
alicuius corporis duo requiruntur, vnum ex parte agentis transferentis, quod possit 13
moueri localiter; alterum ex parte passi transferendi, quod non excedat in pondere vires eius; sed hæc duo reperiuntur in prædi-

ctis

ctis, primum quidem, quia Dæmon, sicut alij Angeli, mouetur localiter, & hoc est de
14 fide, Matth. 17. 17. *Exijt ab eo Dæmonium.* Lucæ 8. 12. *Deinde venit Diabolus.* 1. Petri 5. 8. *Aduersarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Apocal. 12. 12. *Descendit Diabolus ad vos.* De motu locali Angelorum, ac proinde Dæmoniorum D. *Thom. part.* 1. *q.* 53. *Scotus in* 2. *dist.* 2. *q.* 9. *cum suis ibi.* Secundum patet, quia pro hac quæstione sufficit nobis, quòd quodlibet corpus per se spectatum non excedat vires eius; & de homine notum est, qui non est tanti ponderis, vt excedat vires Dæmonis, quod experientia docet tot Magarum, & Sagarum, quæ à Dæmonibus feruntur velocissimo cursu à domibus suis ad locum, in quo exercentur diuersa maleficia. Ita *Bernardinus Comensis de Strigis. Castrensis lib.* 1. *cap.* 16. *Lessius lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 15. *Delrius lib.* 2. *q.* 26. *Sayr. in* Claui *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 13. *cum alijs Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 5. quos citaui cap. 16. quest. 5. num. 35. Non potest autem globum terræ
15 mouere de loco suo ad alium extra suum centrum, quia illius pondus excedit eius vires; multò minus Cœlum totum, nec mundum ob eandem rationem, & quia extra mundum locus non est.

Quæritur 6. An Dæmon possit transformare quodcunque corpus de vna formâ ad aliam?

16 ℟. Posse mutatione accidentali, non substantiali, quia Dæmon cognitionem perfectam habet earum qualitatum, quæ inter se mixtæ possunt formare effigiem bouis in homine, eius substantiâ non destructâ, apponendo homini talem compositionem, quæ repræsentet eum v. g. bouem, qui talis non est. Talis fuit conuersio Nabuchodonosoris, de quo Daniel. cap. 4. Dei Imperio, vt cognosceret se non hominem, sed bestiam effectum propter suam superbiam à Deo humiliatum. Ita *Lessius lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 18. *Delrius lib.* 2. *q.* 18. *Ego cap.* 16. *num.* 38.

Quæritur 7. An Dæmon coniungēs se cum mulieribus, vel immittens semen humanum in vas mulieris possit generare?

17 ℟. Primum facere non potest, cum careat semine, quia est substantia omnino incorporea, ex cap. 1. de summa Trinit. ergo semen ex se emittere non potest, cum id sit corporeum, & præterea humanum, cuius naturæ non est Dæmon. Secundum vtique, quia Dæmon fingens se fœminam succubam receptum semen hominis incubi, deinde fingens se virum coeuntem cum muliere, in matricem illud semen aptum adhuc immittit. Ita *D. Aug. lib.* 5. *de ciuit. cap.* 23. *D. Thom in* 2. *dist.* 8. *q.* 1. *ibidem Scotus q.* 1. *vers. Sed quantum*, *Quadrius concl.* 7. *num.* 350. *S. Gregor. lib.* 7. *Moral. cap.* 12. *Sayrus lib.* 4. *Clauis cap.* 6. *num.* 17. *Conymbr. lib.* 1. *de Generat. cap.* 4. *q.* 10. *art.* 3. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 10. Non ideo tamen Dæmon dicitur Pater, cum 18
semen non tribuat, vt facit vir coitum habens cum Dæmone fœminam se fingente, ideo vir Pater est, & Dæmon instrumentum deferens semen. Quidam medici irrident huius generationis modum, asserentes id esse omnino falsum, quia semen, quod immediatè à viro non iaculatur in matricem lambentem illud, statim perdit suam virtutem.

Quæritur 8. An Dæmon possit manifestare Thesauros suis amicis?

℟. Affirmatiuè, & eos tradere illis, non 19
enim talis cognitio naturalis illi deest, non obstante eius casu, quia in Angelis post peccatum naturalia remanserunt integra, sicut 20
erant ante peccatum, *ex* D. *Dionisio S. Thomas part.* 1. *q.* 64. *art.* 1. Vide *Sayrum in Claui lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 14. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 36. & 37. *Lessium lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 20. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 8. Raró tamen benefacit suis amicis, & quandoque eis ostendit pecunias postmodum conuersas in carbones; qualis seruitus, tale stipendium.

Quæritur 9. An homo alligare possit Dæmonem in aliquo vase, vel alia re, à qua non possit exire? Dixi sect. 31. num. 17. alligantem in annulo Dæmonem esse suspectum vehementer de Hæresi, & ita est, ergo homo maiorem habet potestatem Diabolo.

℟. Non cogi, nec propriè ligari, quia Dæmon sine dubio potentior est ipso homine, vt dixi initio, sed per voluntariam coniunctionem, & pactum fingit se ligatum, vt decipiat hominem, dando responsa in annulo. Ita omnes *cum Simanchâ de Catol. instit. in tit. de superstit. num.* 30. *Farinac. q.* 181. *num.* 28. & 29. *Graffio part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 17. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 64 Qui dicunt id arguere vehementem suspicionem, cum quibus Ego cap. 17. num. 34. Ex his patet responsio ad rationem dubitandi. 21

Quæritur 10. An Dæmon per exorcismum cogi possit à Sacerdote ad restituendum chirographum, quo infelix homo se Diabolo totum dedicauit, scriptione sanguinis sui, vel alio signo?

℟. Sacerdos hanc habet spiritualem potestatem sibi à Deo collatam in collatione 22
Exorcistatus, eijciendi scilicet Dæmones ab energumenis, ergo & hanc, vt restituat chirographum, per quod factus est quodam modo energumenus; possidetur enim à Dæmone, sicut energumenus, immo fortiùs, cum se illi donauerit, quod non facit energumenus contra suam voluntatem patiens eius obsessionem. Quod si chirographum exorcista habere non potest, hoc non procedit, quia careat potestate, sed quia persona forsan non est ita disposita, vt mereatur restitutionem illius; id verò non impedit veram conuersionem

nem peccatoris, per quam dissoluitur obligatio expræssa in chirographo, vt ex *Bonac. disp. 3. de legibus q. 5. part. 5. num. 11. dixi cap. 17. num. 35.*

Quæritur 11. An media, quibus Sortilegus vtitur ad operandum, habeant virtutem producendi effectum, quem intendit sortilegus?

23 ℞. Nullam habere virtutem, quia si aliquam habent, vel à se, & naturaliter, vel supernaturaliter, aut virtute Dæmonis; nullo ex his modo virtutem habent. Non virtute naturali; quia effectus nullam proportionem, nec dependentiam præcisè habet à medio adhibito; quæ enim proportio inuenitur inter Cribrum, & notitiam furis? Quæ dependentia sanati vulneris à peciâ sanguine asperſa eiusdem vulneris applicata malo per cuspidem gladij. Quòd vulneratus crapuletur, & alter pro ipso abstineat à cibis, vt inde sequatur sanitas? Non supernaturaliter eam contulit Deus illis medijs profanis ad superstitiosè operandum, cum id repugnet diuinæ bonitati; nec rebus sacris, quibus Deus dedit tantùm virtutem pro salute humanâ, non pro consequendo aliquo fine etiam honesto, non conducente ad salutem animæ. Neque demum talia media à Dæmone virtutem acceperunt, sed Dæmon per seipsum operatur, vt pro mercede suæ operationis recipiat animam Sortilegij, aut saltem inficiat eam peccato mortali.

Dices, ad quid ergo seruiunt talia media, si nullam virtutem habent? Deinde vocantur signa, ergo significant, & causant, ergo virtutem habent naturalem ad operandos effectus, qui ex illis sequuntur. Tertio idem probatur eo axiomate; In herbis, & lapidibus consistit virtus, ergo Dæmon in illis non operatur, & sic tollitur Sortilegium.

24 ℞. Quamuis illa media sint vana, inutilia, & inefficacia, faciunt nihilominus pro Dæmone, per quorum vsus decipitur homo factus amicus Dæmonis, & inimicus Dei, à quo deberet petere auxilium, quando desiderat aliquod bonum non solùm spirituale, sed etiam temporale. Deinde per vsum talium mediorum Diabolus honoratur; sicut Deus honoratur per vsum Sacramentorum, quia sicuti ab hominibus bonis Deus recognoscitur, vt redemptor, ita Dæmon per vsum mediorum sortilego propositorum veneratur, quia recognoscitur, vt benefactor.

Ad secundum dico, talia media dici signa, quia significant effectum, quem tamen non causant, licet sequatur à Dæmone productus ad positionem signorum, & non aliter, vt sibi miserum hominem obliget ob acceptum beneficium. *Ad tertium* illud axioma esse verum, ac proinde vtens herbis medicinalibus, & lapidibus virtutem sibi innatam habentibus, sortilegus non est, nec in eorum efficiendis causandis Dæmon partem habet.

Refero exempla, experimur enim per contactum globuli lapidis pretiosi, quem vocant Diasprum sanguinem cessare è naribus. Per petram Aquilinam prægnantes faciliùs parere. Per virgam saliceam, amygdalinam, & sanguinaleam inueniri aquas, quorum vsus contingit sine admixtione rei superstitiosæ. Ita *Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 4. num. 14. Mazuchellus de casib. Mediol. disp. 2. cap. 10. num. 99.* quos citaui *cap. 18. num. 20.* Natura ergo in suis causis mirabiles producit effectus, vt experientiâ patet, nam magnes ferrum trahit, remora piscis exiguus nauem sistit. Vide Conymbr. lib. 7. Phisic. cap. 2. q. 1. 25

Quæritur 12. In dubio an effectus sit à causâ naturali, an à Demone, quid concludendum?

℞. Resoluendum est esse à causâ naturali, quia in dubio delicta non præsumuntur, *l. Meritò §. ff. pro Socio, cap. 2. de Rep. vir.* Ita Sanchez *lib. 2. cap. 40. num. 44 Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. part. 4. num. 9. vers. verum, Sousa lib. 1. cap. 54. num. 2.* 26

Quæritur 13. Quid si causæ naturali adiungatur aliquid impertinens, numquid sortilegium ibi locum habet?

℞. Affirmatiuè, quia ex illo adiuncto præsumitur pactum tacitum Dæmonis ibi cooperantis, effectus ergo ex circunstantiâ vocatur superstitiosus. Ita *ex D. Thoma 2. 2. q. 96. art. 2. ad primum, Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 8. Delrius lib. 3. par. 2. q. 4. sect. 1. quos citaui cap. 18. num. 22.* 27

Quæritur 14. Quomodo cognoscatur actum, seu effectum esse Sortilegium, & non effectum naturalem?

℞. Multis modis cognosci esse superstitiosum. *Primò*, per expræssam Dæmonis inuocationem tàm imperatiuam, quàm deprecatiuam, siue pactum expræssum, siue non expræssum, iuxta hactenus dicta in præcedentibus. Vide Thomam Hurtadum par. 1. tract. 5. cap. 6. referentem Doctores. *Secundò*, Si hoc, quod obtinetur, speretur à Dæmone, est enim Dæmonis inuocatio, *Sousa lib. 1. cap. 54. num. 4. Tertiò*, quando effectus sequitur ex medio euidenter inefficaci, vt si quis medeatur vulneribus cæpa, hæc enim non operatur, cum opponatur medicamini, sed ad eius applicationem Dæmon sanat vulnus *ex D. Thoma 2. 2 q. 96. Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 9. & 44. Sousa lib. 1. cap. 54. num. 5. Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 4. num. 9. Quartò*, quando adiungitur circunstantia impertinens, quæ nihil facit cum causa naturali ad effectum, iuxtà dicta q. 13. *Quintò*, si effectus statim apparet sine motu locali, vt mensa parata, flumen, pluuia sereno cœlo statim turbato. *Bonac. cit. num. 9. Vers. Secunda Sanch. num. 43. & Delrius citati. Sextò*, 28

subita sanatio infirmi ex applicatione medicaminis, quod paulatim operatur, ex eodem. Septimò, cum modus est inusitatus, medendo cum cuspide gladij, cum fimbria pilei, applicatione remedij parti etiam non offensæ aut alia re intermediante, rationem medicaminis non habente, non hi modi planè arguunt pactum Dæmonis tacitum. Retuli dicto cap. 18. q. 5. num. 23. Vide hìc sect. 34. q. 2.

Quæritur 15. An pactum inter amicos, quòd moriens prius appareat alteri superstiti, sit licitum, an inuoluat sortilegium?

39 ℟. Si pacto addatur conditio: *Si Deo placebit*, nulli debet esse dubium, licere, quia conditio iustificat pactum; non enim est in potestate animæ post mortem exire de loco sibi designato, nisi Deo iubente, vel faciente gratiam, ac proinde ea conditio pactum reddit honestum. Et ita sentiunt D. *Thom. quodlib. 3. art. 22. & Naldus V. Anima num. 3.* Est enim pium desiderium scire statum animæ post eius mortem, vt ei suffragetur, si est in Purgatorio, Si est in Paradiso, vt adiuuetur eius intercessione apud Deum.

Quòd si pacto ea, vel similis conditio honesta non apponatur, non licet, quia habet pactum speciem curiositatis, & periculum est illusionis diabolicæ. Ita alijs citatis Defendens Quadrius *casu 4. concl.* 10. *num.* 309. multis probans Doctoribus, *Sanch lib. 2. cap.* 38. *num.* 25. Quòd si deficiat curiositas, nec addatur ea conditio, pactum sine illis factum motu pij desiderij est licitum, & diabolica illusio abest, quando persona viuens animæ defuncti sibi apparenti respondet in nomine Dei, cum aliqua oratione, & Dæmonis expulsione, nullum est peccatum; idem dic, si in pacto exprimitur, cum apparuero, dicam: *Deo gratias*. Vel. *Sit nomen Domini benedictum &c.* Per hæc enim tolluntur illusiones diabolicæ.

SECTIO XXXIII.

De Inuocatione Dæmonis, & eius Pactis in Sortilegijs.

SVMMARIVM.

1 Petens à *Dæmone, quod à Deo postulandum est, Idololatriam committit.*

2 *Inuocatio Dæmonis est aliquid ab eo petere, quod à Deo esset petendum.*

3 *Qui petit aliquid ab alio dicitur indigere.*

4 *Petitio à Dæmone est de re tàm bona, quàm mala, à Deo autem solum bonum.*

5 *Inuocatio Dæmonis est vitium oppositum Religioni, & cultui diuino.*

6 *Prohibita Iure naturali, & diuino.*

7 *Inuocatio duplex, Deprecatiua, & Imperatiua.*

8 *Quæ tamen in re, & effectu est vnica, solùm verbaliter duplex.*

9 *Diabolus inimicus hominis.*

10 *Amicitia in dubio præsumitur esse inter aliquos.*

11 Qui vult esse dominus, fit seruus *Matth. 20. id contingit homini imperanti Dæmoni.*

12 *Doctores nullam facientes differentiam inter vtranq; differentiam.*

13 *Inuocatio vtraq; manifestam præsefert Hæresim.*

14 *Inuocatio simplex de se importat erga Dæmonem cultum.*

15 *Elias deprecatur Deum, vt se faciat cognoscere verum Deum contra idolum Baal.*

16 *Inuocatio regulariter fit à minori ad maiorem.*

17 *Inuocationem Dæmonis dari sine cultu probatur, & reijcitur.*

18 *Peccans homo seruus fit Diaboli.*

19 *Caietanus probat inuocari posse Dæmonem sine vlla reuerentiâ.*

20 *Impugnatur eius argumentum.*

21 *Peccatoris Dæmon fit dominus, & possessor.*

22 *Sortilegus non potest separare à se cooperationem Dæmonis.*

23 *Inuocationis alia duo genera dantur, Indignationis, & Adiurationis, quæ non honorem, sed obiurgationem important contra Dæmonem.*

24 *Adiuratio Dæmonis consistit in exor-*

exorcismis Sacerdotis.
25 *Curiosa à Dæmone quærenda non sunt.*
26 *Aliter petitio est superstitiosa.*
27 *Inuocatio adhuc sortilega est, licet inuocans non obtineat petitum.*
28 *Etiamsi imperatiuè inuocetur.*
29 *Aut res petita non excedat vires Dæmonis, quia inuocatio manifestat Hæresim.*
30 *Contra nonnullos.*
31 *Qui tamen reyciuntur.*
32 *Mutua collocutio est necessaria in inuocatione expræssa.*
33 *Pactum expræssum quod contingit mutuà collocutione verbo, vel facto.*
34 *Non autem si sortilegus vtatur scienter medio, habente pactum tacitum.*
35 *Tacitum, quo vtitur sine formali inuocatione verbo, vel facto.*
36 *Sortilegus nec pactum tacitum, nec operationem Dæmonis excludere potest.*
37 *Consequens qui vult, non potest excludere antecedens.*
38 *Pactum expræssum non necessariò includit professionem fidelitatis Dæmoni.*
39 *De qua fidelitate agit Ianuarius præstanda solemniter Dæmoni, vel eius delegato.*
40 *Scientia pacti taciti non inducit pactum expræssum.*
41 Probatio *pacti taciti non est necessaria, cum de se constet ex medio inutili.*
42 Pa*ctum tacitum non arguit manifestam Hæresim.*
43 Pa*ctum tacitum, & expræssum non differunt, nisi respectu effectuum.*
44 *Sortilegium ferè semper peccatum mortale.*
45 *Suspectus vehementer ex pacto expræsso.*
46 Sortilegia *sapientia manifestè Hæresim inducunt vehementem suspicionem.*
47 *Item si in sortilegijs sit abusus rerum sacrarum.*
48 *Si pactum fiat coram delegato à Dæmone.*
49 *Sortilegium simplex, à quo est exclusus rerum sacrarum vsus, inducit solùm suspicionem leuem.*
50 *Pactum tacitum licet notum sortilego inducit solum leuem suspicionem.*
51 *Sortilegium qualificatum inducit abiurationem de vehementi, simplex de leui.*
52 Santo Diabolo *blasphemia de se hæreticalis, apud* Siculos *simplex.*
53 *Diabolus est sanctus, Hæresis.*
54 *Inuocatio eius in adiutorium Sortilegium hæreticale.*

HOmo sua sorte non contentus quandoq; appetit scire, & facere, quod non oportet, relicto diuino auxilio, iuxta illud Ioan. 16. 24. *Petite & accipietis*, conuertitur ad Dæmonem, à quo petit non solùm licita, quæ à Deo petenda sunt, sed etiam illicita, & maleficia, cuius petitio sine cultu, & honore non contingit, & sic cultum Latriæ, qui soli Deo debetur, tribuit Dæmoni. Quare hìc agendum est de inuocatione dæmonis in sortilegijs, & de pactis cum eo. 1

Quæritur 1. Quid sit inuocatio Dæmonis in sortilegijs?

℞. Est petitio alicuius rei bonæ, vel malæ per sortilegum facta Diabolo, per se, vitium oppositum virtuti religionis, includens Iure naturali, & diuino prohibita. 2

Dixi primò, quod est petitio, nam qui petit, indiget, & hoc idem importat inuocare, vt legitur sæpius in sacrà Scripturà, Iob 12. 4. *Inuocabit Deum, & exaudiet eum* Psal. 17.7. *In tribulatione mea inuocaui Dominum.* Item 49.15. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Benè ergo inuocatio definitur per petitionem, quia inuocatio importat vocationem in adiutorium, & subsidium, ex allatis auctoritatibus, & non obtinetur, nisi petatur, iuxtà illud: *Petite, & accipietis*, supra scriptum. 3

Dixi 2. Alicuius rei bonæ, vel malæ, per hæc verba petitio extenditur ad quodcunq; in quo sensu differt à petitione, quæ fit Deo, nam cum Deus non sit auctor mali, sed solius boni, à Deo hoc petendum, non illud, ideo 4

ideo in definitione explicatur, quòd talis petitio fit Dæmoni, qui est auctor mali.

5 Dixi 3. talem inuocationem esse vitium Religioni oppositum, nam Religio dictat Deum esse colendum, ac honorandum propter eius excellentiam, cum omnium sit supremus dominus; huiusmodi autem inuocatio tribuit honorem, qui Deo dandus esset, Dæmoni, qui cum sit creatura, & perpetuus hostis, & inimicus Dei, à quo excellentiam auferre tentauit, volens esse similis illi, nullo modo colendus est.

6 Dixi 4. talem inuocationem vtroq; iure esse prohibitam, naturali quidem ex primo Decalogi præcepto: *Vnum cole Deum*, ergo nulla creatura eo cultu colenda est. Iure positiuo diuino, Leuit. cap. 19. num. 31. *Non declinetis ad Magos, neq. ab Ariolis aliquid sciscitemini*, & cap. 20. ibidem prohibetur D. Paulus I. ad Chorinth. cap. 10. num. 20: Idem interdicit: *Nolo autem vos socios fieri Dæ-*

7 *moniorum*. Qui enim est socius Dæmonis non potest esse amicus, nec seruus Dei, nemo enim potest seruire duobus dominis, *Matth. cap. 6. num.* 24. Inuocatione ergo Dæmonis fit amicus Diaboli, & inimicus Dei.

Quæritur 2. Quotuplex sit inuocatio Dæmonis mox explicata?

℞. Duplex, deprecatiua, & imperatiua. Illa exprimitur precibus, rogando, postulando, obsecrando, adiurando Dæmonem, vt aliquid faciat iuxtà desiderium petentis. Imperatiua verò est illa, per quam Sortilegus iubet, præcipit, & mandat Dæmoni, vt aliquid faciat. In priori Sortilegus se Diabolo subijcit, tamquam seruus suo domino; in posteriori prætendit se superiorem Dæmoni, qui annuit, vt ex hoc capiat sibi illum, & decipiat; non obedit ergo Dæmon sortilego, sed seruitium illi facit, vt eius animam lucretur. De hoc duplici inuocatione agunt *Simanch. de catol. instit. tit.* 30. *num.* 16. *Direct. par. 2 q. 43. ibi Pegna, Carena par. 2. tit. 12. num. 63. Vers. Simanch. Sanchez lib 2. cap. 42. à num. 13 Diana par. 4. tract. 7. resol.* 10. *Vers. Sed oritur hic.*

Quæritur 3. An dicta distinctio differat solùm in verbis, an etiam in re? Pegna par. 2. com. 68. Vers. Verùm plurimùm, multis *per Farinac. citatis q. 181. num.* 87. quos tamen non sequitur num. 88. Riccius verò *par. 1. resol.* 434. *fine* sequitur Pegnam & *Carena par. 2. tit. 12. num. 63. vers. Verùm*; asserentes esse veram, & realem distinctionem, quia ex eius membris inferuntur diuersi effectus, nam ex inuocatione deprecatiuà sortilegium sapit manifestam Hæresim, nequaquam verò ex imperatiuà, per quam non arguitur manifesta Hæresis.

8 ℞. Membra præfatæ distinctionis quò ad effectum, & in re coincidunt, & solùm in modo inuocandi differunt, ita quod ea est solùm verbalis. Probatur, quia ex vtraq; idem omnino sequitur effectus, nam vtraq; inuocatio est illicita, cum dicat amicitiam, & familiaritatem sortilegi cum Dæmone à se inuocato, ac proinde eundem infert effectum, nempe Sortilegium siue deprecatiuum siue imperatiuum sapere manifestam Hæresim ex amicitià cum Diabolo, est enim certum, quòd amicus Dæmonis redditur vehementer suspectus de Hæresi; amicitia autem vtroque modo contrahitur, quia Dæmon vtroq. modo inuocanti benefacit, amicitia enim vtilitate probatur, vt dixit Cicero; Dæmon ergo sinit sibi imperari palliando deprecationem sub imperio, vt sortilegum securiùs decipiat, & in laqueum trahat, indubitatum enim est, quòd diabolus est inimicus 9
hominis, Matth. 13. 25. *Venit inimicus, & super seminauit Zizania.* Habet enim Dæmonium mille artes decipiendi, vt docet Ioannes Papa relatus cap. 1. 16. q. 2. Allicit ergo sortilegum permittendo, vt sibi imperet & confidat in eo, parando illi præcipitium, quod ignorat, vnde in *Glos. cap. 1. dist. 93.* dicitur, quòd nulla pestis efficacior est ad 10
nocendum, quam familiaris inimicus; quod propriè intelligitur etiam inter Dæmonem, & sortilegum inuocatorem illius, de cuius amicitià fictà dubitandum non est, nam in dubio amicitia præsumitur *Carolus Grassus de Amic. num.* 33. & in casu nostro de eà non dubitatur, quando constat de inuocatione. De sortilego imperante potest dici illud Euangelij Matth. 20. *Qui vult esse dominus, fit seruus*, ac proinde qui imperat Diabolo, de domino fit seruus, & sic eum honorat, cui imperat, dum ex seruitio recepto obligatur, qui enim antea sui Iuris erat, factus est seruus ex imperio ficto. 11

Non differunt ergo in re deprecatiuà, & 12
imperatiua inuocatio, ac proinde ea distinctio vana est, & ridicula, vt docent *Homobonus part. 1. Exam. tract. 7 cap. 3. q. 16. Simanch. tit. 30. num. 17. Farinac. q. 181. num. 88. Diana part. 4. tract. 7. resol. 10. vers. Clarè igitur. Alberghin. cap. 18. sect. 3. §. 8. num. 6. Victoria Belect. de Magià num. 20. Sanchez lib. 2. cap. 41. num 17. cap 42. num. 19. Suarez de superstit. cap. 18. num.* 8. ex illis Castropalaus *part. 3. tract. 17. disp. 1. part. 12. num. 8. Raphael della Torre disp. 1. Assert. 4. in art. 4. q. 95. 2. 2. Sancti Thomæ, Delrius lib. 5. sect. 15. Salelles Reg. 124. num.* 340. Qui omnes asserunt sortilegium quauis inuocatione factum sapere manifestam Hæresim, quia idem iudicium de vtraq; 13
siquidem quælibet inuocatio in sortilegijs prohibetur.

Quæritur 4. An simplex verbalis inuocatio Dæmonis in sortilegijs sit formaliter cultus, & honor Dæmoni tributus?

℞. Affir-

14 R. Affirmatiuè. Probatur, tum quia in sacris Scripturis nomen *Inuocationis* importat cultum diuinum, vt videri potest in sequentibus auctoritatibus 2. Paralip. 20. 9. *Stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua inuocatum est nomen tuum*. Psalm. 17. 4 *Laudans inuocabo* Dominum
15 Elias Propheta Domini cum Prophetis Baal magnam habuit quæstionem de vero Deo cōtra Idolum Baal, ambæ partes Deum suum inuocabant, petentes instanter, vt qui esset verus Deus, de cœlo per ignem desuper missum absumeret sacrificium præparatum; verus Deus Eliam exaudiuit, quia sacrificium consumpsit. Deus verò Baal, quamuis pluries inuocatus per suos Prophetas, nunquam eorum sacrificium absumpsit, vt legitur 3. Regum cap. 18. quia Deus non erat, sed nihil, & chimera. Verbum *inuoco* sæpius repetitur, & nihil aliud importat ex sua pura voce, nisi honorem tributum Deo, cum petitione, vt exaudirentur ab eo in consumptione Sacrificij; solum sacrificium veri Dei habuit effectum, non illud Baal, quia huius inuocatio fuit Idololatria, veri autem Dei Latria.

16 Tum quia simplici *Inuocationis* verbo fit regulariter à minori ad maiorem implorans auxilium, Plautus in Asin. *Deam sibi inuocat quam habebit propitiam.* Cicero lib. 2. de Natura Deor. *Apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant*. Ecce, quòd nomen inuocationis etiam apud Gentiles importat honorem, & cultum erga inuocatum. Quod clariùs ex sacris litteris habetur, non solùm locis supracitatis, sed etiam in alijs, Psal. 30. 18. *Non confundar, quoniam inuocaui te*. Item Psal. 144 18. *Prope est Dominus inuocantibus eum*. Tum quia Glosa interpretans ea Genesis verba; *iste cœpit inuocare nomen Domini*; idest Enos filius Seth cœpit inuocare scilicet colere, & deprecari Deum. Ita Direct. part. 2. q. 43. num. 14. cum præcitatis in præcedenti quæstione.

17 Contrarium; quòd possit dari inuocatio Dæmonis sine cultu aliquo docet P*agna part. 2. com. 68. §. Tertius casus ex Caiet. 2. 2. q. 95. ad art. 4.* quos pro se citat Carena *part. 2. tit. 12. num. 63.* Probant primò, quia verbum *Inuocationis* quandoque indicat auxilium requirere ab eo, qui nos adiuuare potest sine vllà reuerentià. *Secundò* ex D. August. tom. 3. lib. 1. locutionum circa finem per hæc verba: *Iacob benedicens nepotes suos filios Ioseph, ait inter cætera*: Et inuocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum. *Vnde notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei sed hominum fit*. Hæc Augustinus. *Tertiò*. ex l. Episcopale C. de Episcop. audient verbum *inuocare* sumitur pro implorare auxilium, seu gladium ciuilis magistratus *cap. 1. de offic. ordin.* De se ergo non importat reuerentiam.

Tria hæc argumenta in idem recidunt in eo, quòd probant, verbum *Inuocationis* non semper importare cultum, & honorem. Concedo id esse verum in Inuocatione hominis facta ab alio homine, vt probant allata argumenta: non autem quando inuocatio dirigitur ad Deum, & Sanctos, tunc enim includunt honorem, & reuerentiam erga inuocatum. Pariter Dæmon inuocatus in auxilium ratione diuinæ excellentiæ, quam affectat, ex illà inuocatione dicitur honorari, quia indigens eius auxilio, inuocatione, &
petitione auxilij subijcitur Dæmoni, peccans 18
enim homo fit seruus Diaboli, subiectio autem maximus est honor, ergo inuocatio Dæmonis est formaliter reuerentia, qua recognoscitur benefactor in re petità.

19 Caietanus autem loco citato vers. Ad hoc dicitur, reuerà tenet Dæmonem inuocari posse sine vllà reuerentià, si inuocetur materialiter; vnde ait, Dæmonem inuocari posse formaliter, & materialiter. Inuocatur autem formaliter, cum inuocatur animo efficiendi id, ad quod Dæmonis inuocatio ordinatur. Et sic inuocatio formaliter spectat ad cultum illius. Inuocatur verò materialiter, si homo separet ab opere animum faciendi id, ad quod opus ordinatur, hoc est, quod nolit se subijcere Dæmoni, sed solùm tamquam à sciente, vel potente aliquid adiuuari, sicut ab altero homine requireret sine vlla reuerentia, & sic ad cultum spectat materialiter; non excluditur tamen à peccato mortali, quia adhuc ista opera materialiter accepta sunt superstitionis, & cultus, spectant enim ad societatem Dæmonis cum homine, quamuis non fiant tali animo.

Ea tamen distinctio subsistere non potest. 20
Tùm quia dabilis non est ea separatio animo facta ab homine sortilego, cum nihil sit, quia inuocando Dæmonem non potest non fieri illi subiectus, impius enim, qualis est secundum Caietanum ille sortilegus, inuocando materialiter, vt ipse dicit, cum peccet mortaliter, fit seruus peccati, ad Roman. cap. 7. 21
per totum, & sicut seruus possidetur à suo domino, ita peccator à Diabolo, à quo initium omnis peccati, vt dicunt Sancti Patres, D. August. *lib. 20. de ciuit. Dei cap. 7.* vbi Diabolus dicitur possidere impios D. Ioannes Chrisost. *tom. 2. Homil. 25. in cap 10. Matthæi ibi*: *Liber si opera mala fecerit, Diaboli seruus est* S. Petrus Chrisol. serm. 16 *Est enim Dæmonum ista cura, ne ad Deum possint reditum inuenire; non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab auctoris sui societate subducant.* Certum omnino est, & de fide, hominem impium reum peccati mortalis esse seruum Diaboli, illi esse subiectum, & ab eo possideri, vt colligitur ex illo Ioannis 13. 2. *Cum Diabolus iam misisset in cor vt traderet*

reteum Iudas Expressius Lucæ 22. 3. *Intrauit autem Satanas* in Iudam.

22 Cum ergo res ita sit, non potest sortilegus inuocare dæmonem materialiter, sed solùm formaliter, cum subiectio ex peccato sortilegij sit inseparabilis ab ipsâ inuocatione. Tum quia talis separatio animo facta est quædam protestatio, qua inuocans non vult se subijcere dæmoni, a quo petit auxilium; sed per ipsam inuocationem perimitur protestatio; quæ non potest suum obtinere effectum, trita enim est regula, quod protestatio contraria facto non releuat protestantem, *Gloss. V. sine praiudicio, cap. Cum M. 9. de constit.* dum enim protestans facit actum protestationi contrarium, dicitur ab ea recedere, *l. Cum in plures §. Locator ff. Locati*. Et eo magis, quia talis protestatio fieri nullo modo potest, quæ releuare possit, cum sit contra omne Ius, quòd homo impius fiat familiaris dæmoni, & ei non subijciatur ex dictis; protestatio enim non excusat, quando per eam præiudicatur tertio, *ex allegatis à Ciarl. cap. 106. num. 36.* talis enim protestatio est præiudicialis Deo, dum per illam materialem inuocationem adhuc peccat mortaliter, & sic de seruo Dei fit seruus dæmonis.

Exemplum ab ipso Caietano adductum, quòd detractio fit duobus modis, cum animo scilicet detrahendi, & sine animo detrahendi; sic inuocatio Dæmonis fit sine animo subiectionis Diaboli, & cum animo subiectionis; hæc formalis, illa materialis ab eo appellatur; exemplum, inquam, ab eo allatum non quadrat, quia detractio sine animo nocendi, tunc locum habet, cum narratur peccatum proximi alicui, eo fine, vt delinquens corrigatur, & remoueatur à peccato, aliter non potest separari nocumentum, cum verba detractoria ex sua naturâ sint nociua tertio, contra quem proferuntur coram alijs. Sic se habet inuocatio Dæmonis appellata à Caietano materialis; talis enim naturæ est, vt semper sit peccatum mortale, quod nec negat Caietanus, quomodo ergo ab ea animo separari potest subiectio Dæmonis, quæ tamquam effectus necessariò proueniens à peccato, est omnino inseparabilis ab huiusmodi inuocatione sortilegâ, quæ nullâ circunstantiâ, nullo fine cohonestari potest.

Quæritur 5. An præter supradictam inuocationem tàm deprecatiuam, quàm imperatiuam, licet in re eadem hæc sit cum deprecatiuâ, dentur aliæ inuocationes Demonum?

23 ℞. Affirmatiuè, & sunt duæ, inuocatio Indignationis, & Adiurationis, quæ non sunt ad fauorem Dæmonis, sed contra ipsum, & in eius odium. Inuocatio per modum indignationis est, cum quis iratus vocat Dæmonem, vel illi maledicendo, vel vt malum alicui inferat. Qui maledicit Diabolo ex irâ, & indignatione peccat venialiter, vt dicendo illi, vade in malam crucem, cessa à tentatione Spiritus immunde, magis enim in his locutionibus obiurgatur, quàm quod inuocetur, *Lessius, Sanchez, Suarez cum alijs Castropal. part. 3. tract. 17. disp. 1. p. 12. in fine*. Qui verò homini, vel alteri creaturæ per diabolum verbaliter, & ex animo malum precatur notabile, peccat mortaliter, ex Nauar. cap. 23. num. 117. Sub hac inuocatione compræhenduntur verba hæc: *Petre vnde Diabole venis? Quo Diabole vadis? Non dormias, nec quiescas, sed semper me cogitas.* Scripta à Vercello tract. 8 q. 22. num. 7. Nam sunt dicta per modum iræ, & indignationis, & sic sunt obiurgatiua; vnde nullam habent rationem superstitionis, nec sortilegij, cum tales modi loquendi sint repræhensiui, & iniuriam, non honorem, nec reuerentiam deferentes dæmoni.

Alterum genus inuocationis appellatur adiuratio, cum scilicet Dæmoni in obsesso corpore, vel alibi per Sacerdotem orationibus, & exorcismis ab Ecclesiâ institutis imperatur, vt exeat à corpore, neque offendat personas, neque earum res; exorcismus ergo contra dæmones fit imperando illos, & obiurgando cogendo illos exire, & nulli nocere, Sacerdos enim super dæmones imperium habet, & illi subijciuntur, Lucæ 10. 17. *Domine, etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Marci cap. fin. *In nomine meo Dæmonia eijcient.* Sacerdos ergo exorcizando non potest rogare dæmonem, vt exeat à corpore obsesso, nec quærere ab eo curiosa, aliter talis inuocatio est superstitiosa, & sortilega, quia tunc dæmonem honorat, & se illi subijcit, peccat ergo mortaliter. Ita omnes apud *Sanchez lib. 2. cap. 42. num. 12. Bonac. disp. 4. Decalogi q. 1. part. fin. num 5.* Vtraque inuocatio non spectat ad præsentem materiam, cum dæmoni non deferat reuerentiam, sed obiurgationem, & iniuriam, ideo de illa dicta sufficiant. 24 25 26

Quæritur 6. An inuocatio Sortilega effectu non secuto iuxtà petitionem factam dæmoni, sapiat manifestam Hæresim, siue effectus petitus excedat, siue non excedat vires dæmonis? Dixi cap. 17. num. 16. & 26.

℞. Inuocatio expræssa dæmonis ad aliquid sciendum, vel faciendum, etiam si non excedat eius vires, etiamsi imperatiuè vocetur, sapit manifestè Hæresim, esto sortilegus inuocans, & petens effectum non obtineat, quia ex probatis sub q. 4. sola verbalis inuocatio cum petitione rei importat actum reuerentiæ, & adorationis dæmonis, esto illum inuocet imperando, quia fingit se obedire, vt illum honorem inuocationis recipiat, & sortilegum sibi faciat mancipium, vnde S. Petrus Chrys. benedicit Serm. 10. num. 22. *Dæmones nisi victi non cedũt, lædere non valẽt, nisi iussi.* 27

Proce-

Procedit autem responsio primò esto sortilegus petens effectum non obtineat, quia expressa inuocatio de se sapit Hæresim, cum includat actum reuerentiæ,& adorationis ante executionem effectus petiti, fecit enim homo ex parte suà, quod erat necessarium, ergo ex solà inuocatione oritur manifesta Hæresis, & ad confirmationem huius adduco aliam auctoritatem, præter relatas sub q. 4. nam in Psalmo 55. 10. dicitur: *In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es tu*. Inuocatio ergo de se arguit cognitionem Dei, quod sine dubio actus est adorationis, ergo & inuocatio dæmonis infert cognitionem eius potentis benefacere, ac alter Deus, consequenter talis inuocatio de se sapit manifestè Hæresim, antequam sequatur effectus.

28 Procedit responsio secundò, etiamsi dæmon inuocetur imperatiuè, quia adhuc inuocans dicitur reuerentiam præstare Diabolo, quia illum non vocat per adiurationem, nec per indignationem, sed honorando illum vti potentem, si enim non crederet eum potentem, non honoraret, sed illuderet, & potius illum obiurgaret. Talis ergo inuocatio sapit Hæresim manifestè, cum honoretur Diabolus, vt docent præcitati q. 3. & 4.

29 Procedit tertiò, etiamsi effectus petitus non excedat vires dæmonis potentis facere, quod petitur, & indicare, quod petitur scire, quia vt dixi, manifestatio Hæresis non pendet ab executione effectus, sed ab ipsà formali inuocatione, quæ effectum præcedit, ergo sapit Hæresim, ac si petitio fuisset de re impossibili dæmoni, vt scire secreta cordium, resuscitare mortuos &c. Respectu enim vtriusque effectus, manifestatio Hæresis specificatur ab inuocatione, & petitione, per quam honor Deo dandus, tribuitur creaturæ, nam nihil à dæmone petendum est, quia fit manifesta iniuria Deo, qui mandat omnibus, vt ab eo omnia petantur, Psal. 36. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Lucæ 11. 9. *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis*. Scilicet à Patre meo, iuxtà illud Ioan. 14. 13. *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*.

Itaq; manifestum est non esse recurrendum ad Dæmonem, sed ad Deum, aliter defraudatur de suo honore, qui diabolo defertur per quamcunq. petitionem etiam rei, quam potest dæmon præstare. Ita *Simancb. tit. 30. num. 17. & tit. 21. num. 13. Homobonus part. 1. Exam. tract. 7. cap. 3. q. 16. Farinac. q. 181. num. 88. cum alijs Diana par. 4. tract. 7. resol. 10. Vers. His tamen non obstantibus. Dal Bene Dub. 195. sect. 42. num. 4. & dub. 229. sect. 7.*

30 Multi dicunt inuocationem Dæmonis ad ea, quæ eius cognitionem non excedunt, neq; potentiam faciendi rem petitam, non esse hæreticalem, sed tantùm illicitam, quia à Dæmone non procuratur cognitio, quæ est propria Dei, neq; petitur aliquid, quod solus Deus facere potest, sed quod non excedit vires dæmonis, ac proinde in talibus inuocationibus nulla ei tribuitur excellentia, quæ soli Deo conueniat, ergo ex tali inuocatione argui non potest manifestè Hæresis. Sic docent *Valentia 2. 2. disp. 6. q. 12. p. 3. & Leonardus Lessius lib. 2. cap. 43. num.* 28. apud Sanchez *lib. 2. cap. 38. num.* 9. opponens illis Suarez *de Superstit. cap.* 8. *num.* 16. Ad rem nostram, inuocantem dæmonem imperatiuè ad rem, quæ potest facere, non incurrere in sortilegium hæreticale, & sapientem manifestè Hæresim, nisi inuocet deprecatiuè, docent *Pagna com. 68 vers Verùm plurimum. Zanardus de diuinis Præceptis tom. 2. cap. 64. vers. Secundò erit sortilegium, Genuens. cap. 18. num. 11. vers. item inuocare*, quos sequitur cum multis alijs Carena *par. 2. tit. 12. num. 60. & 61.* cum aliquibus limitationibus, *Salelles Reg. 410. tom. 3. num. 913.* Qui referuntur etiam à Dal Bene locis citatis, quos tamen non sequitur.

His non obstantibus à responsione datà recedendum non est, quia reuera simplex Dæmonis inuocatio sapit manifestè Hæresim, cum de se deferat honorem ei, qui inuocatur, iuxtà quod dicitur Genes. 4. 26. *Iste* .i. Enos filius Seth. *cæpit inuocare nomen Dei*. Actus est Latriæ hæc simplex inuocatio, ex Lyrano ibidem, & Burgensi in Addit. 9. ac proinde solutum est argumentum Aduersariorum, dum dicunt, dæmoni inuocato nullam tribui excellentiam, quæ soli Deo conueniat, ex eo, quòd res petita non excedit vires Dæmonis; siquidem excellentia inuocationis contineretur in ipsà simplici inuocatione, qua inuocans honorat Dæmonem suum amicum, ac si beneficium reciperet ab eo, a quo de Iure petendum est, scilicet à Deo ex allatis auctoritatibus, honorem ergo Deo debitum diabolo dat, qui affectat huiusmodi petitiones, vt pro Deo habeatur solà inuocatione, per quam sortilegi paulatim se disponunt ad illius adorationem per alios actus maioris excellentiæ. 31

Quæritur 7. An, vt sortilegium sapiat manifestè Hæresim, necessarium sit, quòd inuocationi hominis respondeat sensibiliter Dæmon inuocatus?

℞. Affirmatiuè, quia inuocatio expressa essentialiter dicit respectum ad aliam personam inuocatam ad respondendum, vt patet, ad quod facit illud Iob 13. 22. *Voca me, & ego respondebo tibi; aut certè loquar, & tu responde mihi*. Inuocatio ergo, de qua hactenus, est mutua collocutio inter vocantem, & vocatum. Sed quoniam inuocatio superstitiosa fundatur in pacto cum Dæmone inito. 32

Quæ-

Quæritur 8. Quid, & quotuplex sit pactum, quod sortilegus facit cum Dæmone.

33 ℞. Duplex est. Expræssum, & Tacitum. Pactum expræssum est illud, quod contingit fieri duobus modis. *Primò* mutuis verbis e.g. Volo Thesaurum, vel scire &c. Dæmon respondit dabo, docebo &c. *Secundò*, verbis ex parte hominis inuocantis formaliter Dæmonem, ex parte verò diaboli non loquentis sed monstrantis, quod petitur e.g. Sortilegus vult scire, quid nunc facit N. & in speculo suo statim apparet imago N. cum actione, quam facit. Item quis erit Pastor? Statim in speculo apparet effigies futuri Pastoris, nihil loquente Dæmone. Dixi cap. 17. num. 17.

34 Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 3. sic definit, quando expræssis verbis inuocatur dæmon, & cum eo pactum initur; aut quando ipsomet facto hæc fiunt; si v.g. quis sciens Dæmonem per aliquod signum occulta docere, illud ea docendus vsurpet. Non placet professoribus in S. Officio hoc posterius, quia aliter destrueretur pactum implicitum, de quo mox dicam. Et ita docet *Carena par. 2. tit. 12. num.* 18. *Delrius lib. 2. q. 4. Salelles Reg.* 505. *n.* 479.

35 Tacitum pactum est, cum quis sine formali inuocatione vtitur superstitiosis signis, ad quorum vsum Dæmon vigore pacti expræssi habiti cum primo instituente, aliquid facit, & operatur. Ita *Delrius cit. cap. 9. ex eo Carena num.* 19. *Salelles tom.* 3 *Reg.* 505. *num.* 480. Ex hac definitione duo colliguntur, vnum est, sortilegium contingere posse cum ignorantià quantumuis crassa, quòd scilicet sortilegus ignoret hoc pactum tacitum, & Dæmonem operari cum sortilego, dum sine formali inuocatione contingit operatio. Alterum est, pactum tacitum supponere pactum expræssum, quod Diabolus fecit cum alio homine. Vt præfati docent.

Quæritur 9. An sortilegus possit excludere operationem Dæmonis in hoc pacto tacito dum illius cognitionem, seu suspicionem habet, protestando se velle vti illo medio sine Dæmonis concursu, vt excludat actum superstitiosum, & partem dæmonis, cum quo non vult operari?

36 ℞. Non potest excludere pactum tacitum dæmonis, nec eius cooperationem in sortilegio committendo. Probatur. Tum quia voluntas hominis non est potentior voluntate dæmonis, qui ex vi sui pacti indestruibilis à Sortilegiante, non potest remoueri ab operatione; & sic frustratoria, & inutilis est talis eius exclusio, Tum quia volens consequens, & effectum non potest separare, & excludere causam, à qua procedit effectus, qui ab alià causà produci non potest, quia antecedens dicitur velle, qui necessariò vult conse-

37 quens, *l. illud.*, *& l. de his*, *ff. de aquir. hæred.* non solùm ex ordine, & connexione effectus cum causà, sed etiam ex sensu disponentis, *l. Quamuis* 15. C. *de fideicom.* Certum autem est, sortilegium in actum exire non posse sine pacto dæmonis tacito, taliter enim disposuit, vt homo vtens signo instituto obtineat effectum, non virtute propria, sed diabolica operatione, si enim per se posset effectum obtinere, Dæmonis auxilium non quæreret per vsum talis signi, quod de se inefficax est ad effectum consequendum.

Quare dum quis vult vti medio ad aliquid obtinendum, intendit quoq; illud pactum connexum tali medio, seu signo ex institutione diabolicà, quam reprimere, & abijcere non potest, cum vires non habeat sortilegus vincentes Dæmonis potestatem; præterquam quod ipse vsus perimit illam protestationem, exclusionem, & noleitatem pacti, est enim illi ex diametro contraria, iuxtà quod dixi supra contra Caietanum sub num. 20. Ita docent *Bonac. p. 3. de superstit. num.* 4. *Lessius lib. 2. cap.* 43 *num.* 52. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 38. *num* 4. *Suarez cap. 9. num.* 17. *Carena par. 2. tit.* 12. *num.* 20. Inferentes posse dari casum, quo quis velit materiale sortilegij, formaliter excludendo pactum, sed illud intendendo virtualiter per vsum medij, cui inest pactum. Intellige lector amice, non esse volitionem, sed velleitatem, quia reuera materiale sortilegium adiunctam habet formalem malitiam sortilegij, & exclusio pacti est solùm verbalis, vana, & inutilis.

Quæritur 10. An pactum diabolicum formaliter includat professionem fidelitatis erga Dæmonem, & abnegationem Fidei catolicæ, ita quod homo fiat apostata?

℞. Negatiuè, sufficit enim mutua conuentio inter vtrumq; nimirum petitio ex parte hominis, & promissio ex parte Dæmonis, pactum enim stipulatione firmatur, *ex l. 1. de Pactis*, est enim pactum essentialiter consensus plurium in idem ad dandum, vel faciendum aliquid alteri ab altero eorum, ex quo oritur obligatio. Etimologia huius verbi *Pactum* importat amicitiam, & pacem inter paciscentes, nam componitur ex pace, & actu, quo ad inuicem conciliantur homo, & Dæmon, qui ante pactum erant inimici. In his autem non includitur professio fidelitatis erga Dæmonem, & abnegatio Fidei contra Deum, sed solùm stipulatio hominis petentis, & Dæmonis promittentis seruitium ergo ex his tantùm perficitur pactum diabolicum. 38

Confirmatur sagax enim, & prudens est astutus Dæmon, qui prius vult homini benefacere, quàm ab eo recipere beneficium, vt ex præuià obligatione hominem ad suam fidelitatem suauiter disponat, ita quòd nesciat negare illi, quod ab eo petierit, debitum enim debito compensatur.

Iosephus de Ianuario Neapolitanus multis titulis onustus in suis Resol. selectis de casibus 39

bus reseruatis Resol. 30. num. 3. assignat in pacto expræsso duplicem professionem solemnem, vel priuatam factam in manu Diaboli, in qua fidem Dei homo abnegat, & Dæmoni promittit fidelitatem. Si verò professionem faciat amicus Dæmonis in manibus alterius hominis à Dæmone delegati, dicitur pactum tacitum inijsse cum Dæmone. Id non placet mihi, quia talis delegatio importat expressam Dæmonis inuocationem, ergo pactum expræssum, cum delegatus repræsentet personam delegantis, cuius vice fungitur non suâ, *l. solet 16 ff. de iurisd. omn. iudic.* Vnde cum tacitum pactum confundat cum expræsso à Consultoribus audiendus non est, qui acurationes esse debent in discernendo pactum vnum ab altero propter eorum varios effectus suspicionis, & abiurationis.

Quæritur 11. An scientia pacti taciti probet sortilegum esse reum pacti expræssi, ac proinde illius sortilegium sapere manifestè Hæresim.

40 ℞. Negatiuè, quia nec scientia, nec ignorantia sortilegiantis potest mutare naturam ipsorum pactorum, cum in suis formalibus rationibus non dependeant ab ignorantiâ, & scientiâ, quæ illa supponunt, sed ab inuocatione expræssa, vel tacitâ tantum. Quare sortilegium factum à sciente illius pactum, non dicitur procedere à pacto expræsso, si non fuit eius auctor, ergo scientia non facit pactum expræssum, sed celebratio eius, qui cum Dæmone iniuit pactum; parum ergo refert siue sciat, siue ignoret existentiam pacti.

Confirmatur, quia ignorantia, aut scientia pacti non potest diuersificare illud, sed tale remanet, quale est ex suâ naturâ, hæc enim diuersitas non pendet à voluntate, neq; ab intellectu hominis, sed inest pacto ex auctore celebrante contractum, & pactum cum Dæmone respondente, adeo quòd qui non fuit auctor, si medio vtatur etiam scienter, dicatur solùm reus pacti taciti.

Quæritur 12. An vt pactum dicatur tacitum respectu vtentis, necessarium sit, quòd procedat ab aliquo primo instituente, & eius institutio probanda sit contra sortilegum?

41 ℞. Neutrum est necessarium probare, nempe auctorem, qui inijt pactum cum Dæmone, neque eius institutio vt sic, præscindendo ab hoc, vel illo homine, qui fit illius pacti auctor. Ratio est, quia ex medio inutili, vano, & inefficaci sufficienter probatur, existentiam pacti originem habuisse ab aliquo homine amico Dæmonis. Ita docent ex *D. August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. fine, & cap. 23. initio, Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 5. ex Victoria, & Caietano.* Et dixi cap. 17. num. 25. non obstare definitionem pacti taciti, quod prouenit a primo instituente, vt dixi supra sub num. 35. quia aliud est, quòd supponatur auctor illius, aliud quòd sit probandus auctor, vel eius institutio, cum ex medijs vanis sufficienter probetur vtrumque ipsis concludenter demonstratis per vsum illorum,

Quæritur 13. An pactum tacitum, quo quis vsus fuit, sapiat Hæresim manifestam?

℞. Negatiuè, qua pactum tale est; nisi medium sit res sacra, probatur quia tale medium non arguit de se Hæresim, ergo nec sapit Hæresim; vbi ergo Dæmon expræssè non inuocatur, ac proinde non datur tunc pactum nisi tacitum, sortilegium ex eo prouenien sine vsu sacrorum, non sapit Hæresim manifestè. Ita alijs citatis *Farinac q. 181. num. 11. ad 14. Carena par. 2. tit. 12. num. 28.* hæreticalia esse, quæ sunt facta à sortilegis habentibus pactum expressum cum Dæmone, *Delrius lib. 5. sect. 15. Vers. Axioma primum.* 42

Quæritur 14. An pactum expressum specie differat à pacto tacito?

℞. Specie non differre. Tum quia se habent, vt perfectum, & imperfectum, & secundum magis, & minus. Tum quia sunt ad instar professionis expressæ, & tacitæ, quæ versantur circa idem obiectum Professionis factæ Deo super tali Regulâ, sicut ergo specie non differt vna professio ab aliâ, ita neq; vnum pactum ab alio, cum vtrunque includat inuocationem Dæmonis. Ita *Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 3 num. 19 Mazuchellus de casibus reseru. Mediol. disp. 2. cap. 10. q. 4. diffic. 6.* quos citaui *cap. 17. num. 32.* Hæc dicta sint pro speculatiuis. 43

Pro Consultoribus, & practicantibus in S. Officio aliter dicendum est, nimirum, magnam esse differentiam inter vtrunq; pactum, nam expræssum indicat Sortilegium sapientem Hæresim manifestè, non verò pactum tacitum; expræssum contingit cum scientiâ sortilegi; tacitum quandoq; non. Expræssum infert vehementem Hæresis suspicionem, ad quam sequitur talis abiuratio qualis suspicio, vt dicam infra; tacitum solùm leuem suspicionem, & abiurationem, iuxta quod dicam infra; expræssum semper est peccatum mortale, tacitum quandoq. veniale, vt mox dicam. Demum alijs pœnis punitur sortilegus ex pacto expræsso, alijs ex tacito, vt patebit infra.

Quæritur 15. An Sortilegium sit semper peccatum mortale?

℞. Est semper mortale procedens ex inuocatione formali, & pacto expræsso; amicitia enim & familiaritas, immo & reuerentia ex inuocatione huiusmodi sine dubio arguunt peccatum mortale. Et ita omnes docent referendi, qui dicunt quandoq. ignorantiam excusare, si sortilegium procedat ex pacto tacito ignorato, modo res sacra non adhibeatur, vt legi potest apud *Nauar. cap.* 44

11. *num.* 31. *Vers.* 18. *Graffium in Praxi cap.* 1. *num.* 10. *ex illis Floronum part.* 2. *de casibus reseruat. casu* 1. §. 2. *num.* 10.

Quæritur 16. An Sortilegus sit vehementer, vel leuiter suspectus de Hæresi? Dixi etiam sect. 21. q. 8. num. 19.

45 ℞. Ille sortilegus est *primò* suspectus de hæresi vehementer, qui in suo sortilegio expręsse dæmonem inuocauit, etiam sine alio cultu. *Secundò*, pariter est vehementer suspectus, licet dæmonem expræsse non inuocauerit, modò vsus fuerit rebus sacris ad sortilegiandum. *Tertiò*, est vehementer suspectus de Hæresi, qui pactum fecit cum dæmone in manu delegati ab ipso. *Quartò*, vbi sortilegium pendet tantùm ex pacto tacito, sine abusu rerum sacrarum, sortilegus est tantùm leuiter suspectus de Hæresi. *Quintò*, ex pacto pariter tacito licet noto sortilego incurritur solùm leuis suspicio.

46 Primum probatur. Tum quia familiaritas ex inuocatione contracta efficaciter talë arguit suspicionem. Tum quia sortilegia manifestè sapientia Hæresim inducunt vehementem Hæresis suspicionem, dum eam manifestant; talia sunt ea, in quibus locum habet pactum expræssum, quod idem est ac expræssa dæmonis inuocatio. Ita docent omnes, cum quibus est *Alphonsus de Castro lib.* 1. *cap.* 15. *vers. Vt autem*; *Carena par.* 2. *tit.* 2. *num.* 242. *Genuens. cap.* 18. *num.* 11. *Zanardus part.* 2. *cap.* 64. *vers. Tertio Sortilegium*. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. *vers. Ideo dico*, *Alberghinus cap.* 18. *sect.* 2. §. 2. *num.* 5.

47 Secundum probatur, quia vtens rebus sacris in sortilegijs, sine expressà inuocatione, præsumitur credere id licere, ac proinde non prodesse fidelibus, si illis liceat vti ad turpia. Confirmatur, quia sortilegium sacris mixtum etiam sine inuocatione dæmonis expressà sapit Hæresim manifestam; ita omnes *cum Pegna part.* 2. *com.* 67. *vers. Hinc censeo*, *Farinac. q.* 181. *num.* 49. *de Leone part.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. *Salelles Reg.* 124. *num.* 343. *Ianuarius de casib. reseruat. resol.* 14. *num.* 8. *Diana part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 14. *Hurtadus ex Clericis Minoribus part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 43. *dixi hic sect.* 29. *num* 74 Ergo est vehementer suspectus de Hæresi propter Hæresis manifestationem. Est communis, Alphonsus de Castro lib. 1. cap. 15. vers. vt hoc autem, *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 243. & 244. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *reso.* 10. Genuens. cap. 18. num. 11.

48 Tertium probatur, quia pactum factum de mandato in manu delegati, siue hominis, siue alterius diaboli est pactum expressum, ac si factum esset immediatè in manu dæmonis, vnde & sapit Hæresim manifestam, & sic inducit vehementem Suspicionem ex num. 39.

Quartum de sortilegijs non qualificatis, qualia sunt, quæ procedunt ex pacto tacito agenti sortilegium, in quo nihil ex sacris miscuit, sortilegus præsumitur solum leuiter suspectus, cum eius sortilegium careat illis circunstantijs, quæ inferre possunt vehementem suspicionem. Ita *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 146. *cum Zanardo part.* 2. *cap.* 134. *vers. de leui*. 49

Quintò demum ex pacto tacito licet noto sortilego, qui scit originem habere à dæmone alio auctore solam leuem inducit Suspicionem, quia notitia non manifestat Hæresim in pacto, quod ex scientià non fit de tacito expressum, vt dixi sub num. 40. & cum remaneat occultatio Hæresis præsumendus est sortilegus solùm leuiter suspectus. 50

Quæritur 17. An, & qualiter sortilegus abiuret Hæresim?

℞. Sortilegium qualificatum ex inuocatione expressà dæmonis, seu ex pacto expresso, quod in idem recidit, vel mixtum rebus sacris, obligat ad Abiurationem de vehementi; simplex verò, quod scilicet caret inuocatione, & pacto expressis, atque mixtione rerum sacrarum, consistens proinde in solo pacto tacito inducit abiurationem de leui, ex eà regulà, quòd Abiuratio talis esse debet, qualis est ipsa suspicio; sed sortilegium qualificatum infert suspicionem vehementem Hæresis, simplex verò solùm leuem, ergo abiuratio talis esse debet, qualis est suspicio. Ita docent omnes, quos citaui sect. 31. q. 10. num. 24. 51

Quæritur 18. An diabolum inuocans sanctum sit sortilegus, & suum dictum sapiat manifestè Hæresim? Est consuetudo apud Siculos sic vocandi diabolum.

℞. Nullum committi sortilegium, quia talis inuocatio non tribuit reuerentiam, nec cultum dæmoni, cum ab illis inuocetur ex irà, & indignatione, ergo non est inuocatio reuerentialis, sed contemptibilis. Ita ego sentio. Alberghinus noster cap. 16. in suo Manuali Qualificatorum num. 10. dicit, in Sicilià propter communẽ vsũ illud proferre nõ haberi pro Blasphemià hæreticali, sed pro nõ hæreticali, & tantũ simplici, vbi quod sic docet Ioseph de Augustino, vbi subiungitur, Albertinum de Agnosc. catol. Assert. q. 6. nu. 21. excusare à specie Hæresis Perusinos iurantes per pudibunda Christi, quia non animo indurato, sed per lasciuiam id faciunt, vt scribit Baldus *in l* 2. *Ad legem Iulia Maiestatis.* Ignatius Lupus super Edictum S. Officij lib. 23. dist. 2. diff. 1. idem dicit, de *Santo Diabolo*, ex eà consuetudine; talem tamen inuocationem de se, hæreticalem esse blasphemiam, quia quæ competunt Deo, & sanctis eius tribuuntur Dæmoni, qui nunquam fuit sanctus, nec vnquam erit, & id asserere, & credere est hæreticum, nam dicitur Matth. 25. 41. 52 53

41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius.* Si quis autem eum cum eá sanctitatis qualitate in adiutorium interpellaret sine dubio committeret sortilegium hæreticale, & qualificatum, quia talis inuocatio est reuerentialis. Facit quod habet Farinac. q. 181. num. 15. vbi de sortilegio hæreticali eius, qui vocabat Angelum sanctum intelligens Dæmonem.

SECTIO XXXIV.

De Sortilegijs pro salute Corporis.

SVMMARIVM.

1 *Orare licet pro sanitate non solùm animæ, sed etiam Corporis.*

2 *S. Didacus vngebat Infirmos Oleo Lampadis, & sanabat eos.*

3 *Orationes non ex opere operato sanant.*

4 *Sortilegium sanitatis contingit, cum media sunt vana;*

5 *Nullam enim virtutem in se habent.*

6 *Media quædam inefficacia narrantur.*

7 *Vtentes illis bonâ fide excusantur à mortali; admoniti non.*

8 *Media carere virtute quomodo cognoscantur.*

9 In Camo & freno maxillas eorum constringe.

10 *In dubio, effectum resoluitur procedere à causâ naturali.*

11 *Salutatores, & Ensalmatores quid sint?*

12 *Virtus sanandi dabilis est in quibusdam.*

13 *Quomodo cognoscitur, talem virtutem non esse in illis.*

14 *Virtus personalis non est communicabilis.*

15 *Francorum Reges medentur strumas.*

16 *Ensalmatores sunt sortilegi.*

17 *In Ensalmis stat absconditum pactum Dæmonis.*

18 *Heretici caudas, licet diuersas, habent colligatas.*

19 *Quid in dubio an Ensalmus operetur naturaliter, an diuinitus.*

20 *Sanatio Rabiei an sit sortilega.*

21 *Canibus datur nomen Tarroni, an sortilegium.*

22 *Sortilegium qualificatum rebus sacris mixtum; aliter simplex.*

23 *Sortilegium sapit manifestè Hæresim mixtum rebus sacris.*

24 *Caracteres, & nomina ignota arguunt Sortilegium.*

25 *Angelorum malorum inuocatio est sortilega.*

26 *Bonorum inuocatio in bonum, sortilega non est, si sit pura.*

27 *Lumen candelæ arguit cultum.*

28 *Præscire futura, vel auctorem furti videntur paria.*

29 *Amatorium sortilegium ex solo pacto tacito non est qualificatum.*

30 *Boni Angeli inuocandi sunt sine vanis circumstantijs.*

31 *Michael, Gabriel, & Raphael, tres Angeli de Fide.*

32 *Vriel est Angelus bonus nominatus in lib. 4. Esdræ.*

33 *Esdræ liber 4. licet non canonicus, magnæ tamen auctoritatis.*

34 *Alij Angeli boni vocantur, Lauriel; B. Ioannæ de Cruce.*

35 *Numerantur alij septem astantes coram Deo.*

36 *Angeli septem mouentes* Planetas *vocantur.*

37 *Zacharias* Papa *ait, de fide esse, quod Angeli sunt tantùm tres, explicatur.*

38 *Sortilegus modus medendi passum in distans.*

39 *Agens agit in distans passum, non agendo in medium.*

40 *Modus ergo medendi sine applicatione remedij passo, probatur sortilegus.*

INdubitatum est, licitum esse orare pro fidelibus infirmis, vt à Deo sanitatem mentis, & corporis recipiant, vt patet in Oratione B. M. Virg. *Concede nos famulos tuos perpetuâ mentis, & corporis sanitate gaudere.* Vnde Sacerdotes tamquam Medici spirituales, etiam in hoc legunt orationes, tam publicas ab Ecclesiâ institutas, quam à fidelibus compositas super infirmos, rogantes Deum, Beatam Virginem, & sanctos, vt eorum intercessione dignetur illis concedere sanitatem corporis, & in hoc nullum reperitur peccatum, sed maximum Charitatis opus, dum imitantur Apostolos, qui pro ægris orabant, Marci 16.18. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quod docet S. August. Epist. 112. his verbis: *Licet desiderare sufficientiam vitæ, & salutem corporalem, & quod Deus à nobis auertat mala, & nociua.* Alteri ergo pro altero rogare Deum licet. S. Didacus vt legitur in eius proprio officio tempore pestis, quæ Romæ grassabatur, oleo lampadis perungendo infirmos sanabat. 1 2

Itaque in sententiâ omnium sanatio huius generis sortilega non est, facta inuocatione Dei

Dei, & sanctorum, adhibitis etiam cæremo-
3 nijs signo Crucis, aspersione aquæ sanctæ,
osculatione rei sacræ, & huius generis, dum-
modo Sacerdos, seu alia persona vtatur ora-
tionibus claris, in quibus Deus, & sancti in-
uocentur, vt Deus dignetur concedere sani-
tatem corporis, non enim habent ex vi ope-
ris operati virtutem sanandi, quod solis Sa-
cramentis competit; sed per modum impe-
trationis gratia sanitatis obtinetur.

Quæritur 1. Quandonam contingat Sor-
tilegium sanitatis per Orationes, vel verba
Sacræ Scripturæ recitata super infirmum?

4 ℞. Contingere, quando procuratur sani-
tas mediantibus nonnullis rebus, aut verbis
cum oratione coniunctis, quæ de se non ha-
bent virtutem sanandi nec per se, nec cum
oratione, & tamen eis vtens sic credit sanita-
tem aquiri illis mediantibus, quasi operen-
tur vt faciunt Sacramenta, quod falsum est,
hoc ergo modo contingit Sortilegium.

Probatur, quia illud est sortilegium, cuius
medijs inefficacibus positis sequitur effectus
occultè causatus à Dæmone; sed ab huius-
modis medijs non procedit sanitas, ergo à
5 Dæmone. Confirmatur, quia nulla alia cau-
sa, præter Dæmonem est assignabilis, non
medium ipsum, cum talem virtutem à se non
habet; nec à Deo, quia talem virtutem ope-
randi de se tribuit solis Sacramentis; nec ip-
sæ orationes ab Ecclesiâ ordinatæ sanitatem
conferunt, cum sint tantùm deprecatoriæ, &
impetratoriæ apud Deum, ergo sanitas tali-
6 bus medijs positis, vel cum oratione coniun-
ctis, procedit à Dæmone, qui pactum fecit
expræssum cum aliquo, quòd respectu alio-
rum appellatur tacitum. Est communis, *Na-
uar. cap.* 11. *num.* 32. *vers.* 18. Si applicetur
aliquid, quod nullà virtute polleat ad sanan-
dum, vt cingulo metiri, vimen findere, ape-
rire arborem, mingere super certam herbam
&c. peccat mortaliter, inquit, nisi ignoran-
tia excusetur; ex eo *Mazuchellus disp.* 2. *cap.*
10. *num.* 80. *Bonac. p.* 4. *num.* 7. *ad* 10. *Tolet.*
7 *lib.* 4. *cap.* 16. *vers. Secundò Rodriq. cap.* 7.
concl. 6. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 39. Ex-
cusantur ergo à mortali ignorantes, & bonà
Fide procurantes sanitatem per media vana,
& inefficacia; quod si admoniti non desistant
à vanis medijs peccant mortaliter, *Sanchez
lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 13. *&* 25. *Bonac. part.* 4.
num. 23. *Lessius lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 4. *Sayrus
lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4.

Quæritur 2. Quomodo cognoscatur, me-
dia ad sanandum adhibita esse vana, & sine
vlla virtute sanandi, ac proinde Dæmonem
operari?

8 ℞. Multis modis. *Primò*, si ea adhibean-
tur cum certis circunstantijs, numeri, loci,
temporis, situs, & alijs modis inusitatis. *Se-
cundò*, si verba sunt ignota in suà significa-
tione, præsumuntur enim inuenta esse à Dæ-
mone, & importare eius honorem. *Tertiò* si
verba desumantur ex Sacrâ Scripturâ, siue
coniuncta cum profanis, siue non; siquidem
de se talem non habent virtutem sanandi, vt
dixi supra, nec præseruandi à læsione corpo-
ris; vnde sortilegium committunt, qui con-
tra canes aggressores proferunt verba Psal.
31. 9. *In camo, & freno maxillas eorum con- 9
stringe, qui non approximant ad te.* Non
enim hic sermo est de animalibus latrabili-
bus, nec de alijs, sed solùm de hominibus
malis, & inobedientibus, qui dum in pecca-
tis sunt, tenentur quasi constricti Camo, vt
Asini per Capiciam Prouerb. 26. 3. & fræno,
vt Equi, ne appropinquent Deo, à quo per
peccatum longè se fecerunt. Hæc ergo verba
impertinentia sunt, ne viatores lædantur à
Canibus, quòd si non offenduntur ab illis,
id tribuendum est Dæmoni, quia sic homi-
nes decipit, recipiendo ab illis honorem per
ea verba, quæ in Deum referenda sunt, non
implicitè in Dæmonem. *Quartò*, certis signis,
& Crucibus factis super Hostiâ quacunque
iuxta dicta sect. 21. 26. ad 30. & sect. 29. 53.
super Imaginibus, super membrana virgine,
vel cartà qualibet, &c. Farinac. q. 181. num.
30. *Quintò*, quando vulnus, seu aliud ma-
lum medetur modo inusitato, iuxta quod di-
cam infra sub q. 14. Ita cum alijs *Sanch. lib.* 2.
cap. 40. *num.* 22. *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 10. *à
num.* 80 *ad* 84. *Bonac. part.* 4. *per totam.* Vi-
de alia sect. 32. q. 14. num. 28.

Quæritur 3. in dubio, an medium operetur
propriâ virtute naturali, quid concludendum?

℞. Concludendum est effectum processisse 10
à causâ naturali, quia in dubio non præsumi-
tur delictum, vt dixi sect. 32. num. 26.

Quæritur 4. Quid sint Salutatores, & En-
salmatores in Hispaniâ?

℞. Salutatores sunt illi, qui virtute propriâ 11
sibi à Deo concessa sanant homines. Ensal-
mator ille est, qui vtitur orationibus, vt plu-
rimùm ex Psalmis compositis, quibus tri-
buitur virtus ad sanandum. Ita docet *Hurta-
dus par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 28. De En-
salmatoribus agit à Resolut. 43. *Dal Bene
Dub.* 228. *sect.* 16. *&* 17.

Quæritur 5. An Salutator in suis functioni-
bus sit Sortilegus?

℞. Quamuis talis virtus, & naturaliter, &
supernaturaliter dabilis sit in aliquo homine;
immo, & in eius familiâ, tamen id passim
credendum non est, vnde non probantes
hoc, habendi sunt suspecti de Hæresi.

Primum quod talis virtus in personis sit 12
dabilis non repugnat, nam Plinius lib. 28.
Histor. cap. 3. refert, quòd in Aphricà fami-
lia de Psillis, in Italiâ Massorum, & in agro
Romano Faliscorum; ambulabant super
strues lignorum ardentium sine læsione, vt
etiam refert Solinus cap. 8. Vterque apud
Hurtadum resol. 28. num. 280. In agro Par-
mensi

mensi, in loco dicto Bilena quidam Ferrarius ante dicitur habere virtutem, reducendi perfectè os in suum naturalem situm, à quo casu violento recesserat. Quidam hæc tribuunt virtuti naturali Personæ, quia non implicat, nasci cum tali virtute ex influxu cœlestium, vt docent aliqui apud *Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 45. Hurtadum resol. 28. num. 279. Dal Bene* Dub. 228. *sect.* 17. *num.* 1. Alij veriùs dicunt esse gratiam gratis datam illis ad vtilitatem aliorum, & appellatur 1. Corinth. cap. 12. num. 9. gratia sanitatum, vt dicit cum alijs *Sanchez num.* 49. *Dal Bene sect.* 17. *num.* 1.

13 Secundum, quòd habendi sunt pro suspectis, si non probant aliquà ratione abesse dæmonis pactum, quod fit exclusione sequentium. *Primo* censentur suspecti, si sanant per panem à se morsum personam morsicatam à Cane rabioso, quia cum virtus sit personalis communicabilis non est extraneo, vt do-
14 cent *Raphael della Torre*, *&* *Delrius apud Hurtadum. Resol.* 30. *num.* 297. quod procedit siue sit virtus naturalis, siue supernaturalis, cum sit incommunicabilis, quare præsumitur pactum Dæmonis. *Secundo*, dicentes multo vino indigere, vt eorum virtus efficacior, & viuacior fiat, reddit enim se suspectum de amicitià Dæmonis, quia naturalia operantur sine artificio huius generis. *Tertio*, si dicant debere operari tali die, tali horà, videntibus, vel non videntibus alijs, quia reddit se suspectum, natura enim in suà operatione non recipit virtutem à prædictis, si habet à naturà, vel à Deo. *Quarto*, si dicat, se eam virtutem habere à Deo, nam hoc probandum est, aliter præsumitur velle, hoc mediante, subterfugere Iudicem, & pœnas.
15 Nam probatur, Reges Franciæ habere à Deo, gratiam sanandi strumas, *Hormisda Papa Epist.* 1. *ad Remigium Rhemensem*, *Bonifacius VIII. in Bulla Canonizationis S. Ludouici Regis, D. Thomas de Regim. Princip. lib.* 2. *cap.* 16. *apud Hurtadum. Resol.* 29. *num.* 290. *Lupus lib.* 15. *dist.* 2. *art.* 1. refert verba, quæ dicit vngendo: *Io ti tocco, e Dio ti sana.*

Quæritur 6. An Ensalmatores dicantur Sortilegi, sanantes infirmos per Ensalmos? Ensalmus est oratio, vt plurimùm composita ex Psalmis, seu vt loquar more Italorum, est, cum quis vtitur orationibus, & rebus sacris ad acquirendam sanitatem.

16 ℞. Esse sortilegos, & committere sortilegium, quia orationes, & verba Sacræ Scripturæ hanc vim non habent sanandi infirmos ex proprià earum virtute, nam nullibi reperitur, quòd Deus, nec Ecclesia illis contulerit hanc virtutem, ergo ad positionem illorum, tamquam pactum tacitum Dæmonis sequitur sanatio ex Diaboli auxilio.

Confirmatur, quia ex compactione diuersorum verborum Sacræ Scripturæ factà oratione, per eius recitationem defertur honor operanti sanitatem, vel alium effectum; sed ex tali oratione non sequitur effectus petitus, cum careat virtute huiusmodi, ergo in illis verbis recitatis occultè operatur Dæmon, inquit enim Maiolus tom. 2. Dierum Colloquio 3. §. Vnicum. *Nomen Dei non est destinatum ad depellendas febres, ergo qui ad has res diuino nomine vtitur, eo abutitur.* Refert Hurtadus tract. 5. cap. 6. resol. 44. num. 544. sed non sequitur.

Sortilegium ergo committitur, adhibendo res sacras in sanando infirmitates; inuentæ enim sunt medicinæ pro sanitate corporis, & non orationes, per quas solùm impetratur quandoque sanitas à Deo, non ex virtute illis insità à Deo, vt sortilegi putant, sed Dæmon operatur illis positis, per quas occultatur Dæmonis operatio. Ita Hieronymus *Lamas part.* 3. *Methodi tit. Incantat. vers. Ad secundum, Moura de Incant. & Ensalm sect.* 3. *cap.* 1. *cum illis Dal Bene* Dub. 196. *sect.* 76. quod puniuntur à Iudicibus Fidei, *Carena part.* 2. *tit* 12. *num.* 36. vbi citat *Dianam part.* 4. *tract* 8. *resol.* 122. *& tract.* 3. *resol.* 62. vbi refert Sacram Congreg. S. Officij, declarasse, orationem, quæ incip. *Crux Christi*, esse superstitiosam; cum illis est *Torreblanca lib.* 12. *Iuris spirit. cap.* 22. *num.* 39. *&* 40.

Thomas Hurtadus part. 1. tract. 5. cap. 6. resol. 44. concludit sub num. 546. huiusmodi Ensalmos inuocatiuos, seu deprecatiuos compositos auctoritate publicà, siue priuatà licitos esse ex genere suo. Probat, quia licet cuilibet personæ orare in particulari non solùm pro se, sed etiam pro alijs, quod de fide est, deinde licet oratione à Deo petere bona temporalia, vt petijt licitè Salomon Prouerb. 30. Sed Ensalmi inuocatiui, seu deprecatiui nihil aliud sunt, quàm orationes, & deprecationes ad Deum pro salute infirmi, vel ad depellendum aliquod nociuum à nobis, vel à proximo, ergo sicut licita est oratio, ita & licitus est Ensalmus deprecatiuus, quamuis ab aliquo particulari sit compositus, & collectus ex verbis Sacræ Scripturæ.

Respondeo, huiusmodi Ensalmos, priuatà 17
auctoritate compositos, habere adiunctum pactum Dæmonis tacitum, eo quòd cum eorum vsu Ensalmatores solent adiungere circunstantias impertinentes; ex quibus arguitur Dæmonis palliatum adiutorium. Deinde isti supponunt Ensalmum ex opere operato producere sanitatem, & alios effectus, quod tamen falsum est, cum id sit proprium Sacramentorum. Præterea mixtura orationis ex varijs Sacræ Scripturæ locis accepta arguit occultum mysterium Hæresis, nam de Hæreticis dicitur *cap. Excommunicamus* 13. *initio, de Haret.* quòd habent diuersas facies, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum. Ensalmatores

18 tores ex facie cognoscuntur diuersi, sed caudas hoc est orationes habent colligatas, quia diuersas clausulas Sacr. Scripturæ in vnum colligunt, conuenientes in idipsum Dæmonis pactum occultum. Insuper ab Ecclesiâ certæ habentur orationes pro infirmis, cur inuenire alias, aut vti eis, quarum auctor ignoratur? Et ita ab omnibus fere Doctoribus reijciuntur, & præcitatis adiungo D. *Thomam* 2. 2. q. 96. art. 4. *Delrium lib.* 3 *part.* 2. q. 4. *sect.* 3. *Couar. lib.* 4. *variar. cap.* 17. *num.* 12. D. *Anton. part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 1. §. 13. Quos Hurtadus citat contra se sub num. 545. licet in re teneat contrarium num. 550.

Ad eius argumentum respondeo, ea omnino esse vera, immo & de fide, quæ dicit in maiori propositione; falsa verò, quæ exprimuntur in minori, nam adiutorium Dei non miscetur cum auxilio Dæmonis palliato in mixturâ simbolicorum Ensalmorum. Quare cum Dei Ecclesia habeat orationes proprias in Missali insertas puras, & non mixtas, & in alijs libris similes approbatas, recurrendum est ad illas, quibus mediantibus impetrant Sacerdotes salutem infirmis, iuxta placitum diuinæ bonitatis, & eius prouidentiam.

Quæritur 7. An si dubitetur de operatione Ensalmi, proueniat ne à virtute diuinâ, an naturali, quid concludendum?

19 ℞. Negando suppositum, quia cum originem habeat à Dæmone, neutro modo operari dicitur; non naturaliter, quia talem vim non habet sibi insitam à naturâ, cum res naturalis non sit, sed ab arte Dæmonis, cum res artificiosa sit; non diuinâ virtute ex quo eius operatio est superstitiosa, & diabolica, ex supra probatis. In sententiâ Ensalmatorum negantium sortilegium; resoluendum quod operetur naturaliter respectu Salutatorum; diuina verò virtute respectu Ensalmatorum, quia procedit ex Ensalmo. Moura apud Dianam part. 4. tract. 3. resol. 62. dicit non esse licitum vti Ensalmo dubio, an operetur virtute diuina, an diabolica, quia exponit se periculo incurrendi sortilegium, immo illius Reus est, quia non contingit sine sortilegio. Idem docet Hurtadus cit. num. 606. Del Bene dub. 228. sect. 26. dicit licere, quia melior conditio possidentis suam libertatem. Sed hoc ius non habet, ergo nec libertatem.

Quæritur 8. An sanatio canis rabidi, vel animalis, seu hominis ab eo morsi sit sortilega?

20 ℞. Vt dixi sub q. 2. Vers. Secundum, sanationem factam per panem e. g. morsum à sanatore, esse sortilegam, quia virtus illius, cum sit personalis non communicatur, ergo in sanatione operatur Dæmon. Ibi Doctores citaui. Si verò mordeatur personam morsam per seipsum admittunt aliqui vsum licitum concurrentibus conditionibus, de quibus dictum est q. 2. & 5. Vide *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40 *num.* 45. *& seq. Bonac. part.* 4. *num.* 20. *Mazuchel disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 84.

Ne canes euadant rabiosi nomen *Tarroni* illis componunt. Numquid talis impositio sit sortilega? Si nomen deriuat à flumine Tari se exonerantis in Padum, inter Parmam, & Burgum S. Domnini ciuitates siti, nihil superstitiosum est; si deriuent à Thare patre Abram, Genes. 11. 27. vel à Thara Eunuccho Regis Assueri Ester 12. 1. denominatio est actus superstitiosus, scilicet & impositio, quia per relationem ad eas personas nullam aquirit virtutem, per quam præseruari possit à rabido morsu alterius canis, & si morsus fuerit sine rabie non apparente, talis effectus Dæmoni tribuendus erit. Non habeo Doctorem; pro quo stet ratio, Doctori enim sine ratione non creditur. 21

Quæritur 9. An, & qualiter vtens Sortilegijs ad sanandum sit suspectus de Hæresi?

℞. Qui sanat infirmitates per vsum rerum sacrarum, de quibus latè dixi eas recensendo sect. 29. per totam, est suspectus vehementer de Hæresi, quia honorem, qui per res sacras tribuendus est Deo, Sortilegus attribuit Dæmoni, ac proinde cum præsumatur ita credere, sicut agit, aliter non ageret, redditur vehementer suspectus de Hæresi. *Del Rius lib.* 3. *cap.* 2. *q.* 4. *sect.* 7. *vers. Per Christum*, *Torreblanca de Magia lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 56. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 31. *Salelles* Reg. 351. *num.* 87. vbi Ensalmos appellat sortilegia qualificata, quæ proinde inferunt vehementem suspicionem Hæresis, & sapiunt manifestè Hæresim, *Diana part.* 4 *tract.* 8. *res.* 122. Quod si absit in vsu mixtura rei sacræ, sortilegium non inducit suspicionem vehementem, sed tantùm leuem, vt aiunt præfati, cum Sortilegium sit simplex. 22

Quæritur 10. An Sortilegium sanitatis cum vsu rerum sacrarum sapiat manifestè Hæresim?

℞. Affirmatiuè, quia vbi miscetur res sacra ibi sortilegium sapit manifestè Hæresim, vt dixi sect. 31. num. 10. ergo, & sortilegium sanitatis habens admixtam rem sacram. Vide Farinac. q. 181. num. 21. 29. & 33. de morbis curandis. 23

Quæritur 11. Quale Sortilegium, est illud, in cuius cartulà inscribuntur nomina incognita, & caracteres, seu signa ignota pro sanitate, vel alio effectu?

℞. Si his nominibus, seu caracteribus adiungatur aliquid sacrum sortilegium est qualificatum, sicut, & si inuocetur expressè in vsu illorum Dæmon, iuxta dicta sect. 31. num. 10. & hic q. 9. Si verò illis careat, est simplex tantùm. Ita *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 55. Prohibentur autem Leuit. 19. 28. *Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Et alia 24

alia ibi prohibentur; quia in illis homines decipiuntur per Dæmones. Vide *Azor. part. 2. lib. 9 cap. 26. Farinac. q. 20. num. 97. & q. 181. num. 3.*

Quæritur 12. An inuocatio Angelorum ad sanitatem sit sortilegium, & quale?

25 ℞. Inuocatio Angelorum malorum est sortilegium qualificatum, quia talis inuocatio est Dæmonis inuocatio. Quod procedit etiamsi nomina sint incognita, quia præsumuntur nomina Dæmonum, vt docet Laurentius de Ananià *lib. 2. de naturà dæmonum cap. 6. apud Carenam num 55. vers. Ad finem,* vbi referuntur hæc nomina *Gob, Giber Gabir Gadebru* esse Dæmonum.

Quæritur 13. An detur sortilegium inuocatione bonorum Angelorum ad aliquid bonum obtinendum pro corpore?

26 ℞. Datur, quandocunque Angelus purè orando non inuocatur, sed circunstantijs impertinentibus, vel rebus sacris cum profanis adiunctis ad quod refertur exemplum Barbatiæ lib. 1. cons. 55. per Farinac. q. 181. num. 15. alijs citatis, per hæc verba: *Angelo bianco, Angelo santo per la tua santità, per la mia virginità, mostrami chi ha tolto la tal cosa & chi n'ha fatto.* Proferuntur hæc verba, à puero, vel puellà cum candelà accensà respiciente phialam aquà plenam. Et tunc quandoque apparent imagines, vel vmbræ, & figura rei perditæ. Tale sortilegium est qualificatum, ac sapiens manifestè Hæresim, cum sacra profanis iuncta sint, exprimuntur enim verba sacra ex sanctitate, & lumine candelæ, quæ præfert cultum Latriæ, aut

27 saltem Duliç, dum accenduntur candelæ in honorem Dei, & Sanctorum, dicitur enim in Simbolo *Lumen de Lumine,* idest Filius à Patre in diuinis, his adiungitur phiala plena aquæ, est enim quid profanum, ac proinde hęc mixtura componit Sacrilegium, in cuius operatione latet Dęmon recipiens honorem ex lumine, & sanctitate, quę duo nullo iure illi debentur.

Clarus §. Hæresis prope finem non bene reprobat Barbatiam, cum quo asseruimus sortilegia ad sciendа furta sapere manifestè Hæresim, dum id negat, probando ex sortilegio amoris, quod non sapit Hæresim, quia inuocatur Diabolus ad id, quod ei maxime conuenit, cum sit tentator animarum, ergo multò minus sapit Hæresim inuentio furti, quæ mala non est. Ego autem dico in vtroque casu sortilegium sapere Hæresim manifestam, si inuocatio est expressa, quia per eam reuerentia præstatur Diabolo, quæ Deo conuenit, iuxta quod probaui sect. 33. num. 14. sicut & quando Sortilegium fit cum rebus sacris, ex probatis sect. 29. num. 74. sect. 31. num. 10. Et Clarus, dum initio num. 23. dicit, quòd quando inuocantur Dæmones, vt quis sciat futura, hoc sapit Hæresim manifestam, quia tribuit Diabolo id, quod est proprium Dei, scilicet ventura præscire. Videtur probare responsum Barbatiæ eo quòd 28
pro eodem fere accipiuntur velle scire futura, vel auctorem furti, horum enim obiectum ignotum est, & inuestigatur arte Dæmonis, ergo in vtroq; Dæmoni datur, quod proprium est Dei. Itaq. Sortilegium non erit qualificatum, sed solùm simplex, si careat expressa inuocatione Dæmonis, seu mixturà rei sacræ, ex probatis locis citatis. Et difficultas de Sortilegio amatorio Romæ decisо, quòd non sapiat manifestè Hæresim, intelligitur de sortilegio simplici, quod illis 29
temporibus non spectabat ad Inquisitores, *ex cap. Accusatus, §. Adijcimus, de haret in 6.* vtique nostris temporibus, vt probaui sect. 29. num 77. & 78.

Boni autem Angeli pijs orationibus inuocandi sunt sine aliqua circunstantià, ex qua 30
possit argui actus superstitiosus, & in ea latere Dæmonis inuocationem implicitam. Hac occasione referam nomina Angelorum, vt mali distinguantur à bonis.

Tria tantùm nomina, quæ sunt Michael, 31
Gabriel, & Raphael, de Fide tenenda sunt, quia exprimuntur in sacrà Scripturà; quibus additur Vriel expressum lib. 4. Esdræ cap. 4. 32
nemo tamen cogitur per Fidem credere hoc, quia hic liber est extra Canonicos, tamen 33
magnæ auctoritatis, cum annexus fuerit sacris iussu Sixti V. in recognitione Bibliæ. De hoc autem Vriel fit mentio in officio S. Gabrielis Arcangeli in Breuiario Franciscano, pro eo est. *Nicolaus Serarius Iesuita, apud Delrium lib. 1. in fine cap. 4.*

Alia Angelorum nomina, quæ sunt Eromiel, Seniel, Azael, referuntur ab Hurtado 34
par. 1. tract 5. cap. 5. resol. 71. num. 1780. qui præcedenti numero vocauerat Angelum Custodem B. Ioannæ de Cruce Tertij Ordinis S. Francisci, Laurielem à Deo sibi reuelatum *ex Petro Nauaro in eius vità lib. 2.*

Alberghinus noster cap. 18. sect. 3. §. 3. 35
num. 7. refert ex Cornelio de Lapide cap. 1. in Apocal. quod B. Amædeo reuelata fuerunt nomina septem Angelorum, qui adstant coram Deo, quibus Panormi dicata est Ecclesia cum eorum nominibus insculptis hoc modo. *Michael Victoriosus; Gabriel Nuntius, Raphael Medicus; Vriel Fortis Socius; Iehudiel Remunerator; Barachiel adiutor; Sealthiel Orator.* Quæ etiam sunt scripta in Sacello Didaci de Haiedo Archiepiscopi Panormitani ibidem in Catedrali sepulti, vt scribit Rochus Pirrhus in Notitià Panormitanà fol. 195.

Lucas Guaricus Geophonensis, Episcopus Ciuitatensis in suo Calendario ecclesiastico supputato iussu Iulij II. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. Venetijs impressum 1552. fol. 17. & 18. ex Abrahamo insigni Astro- 36

Astronomo recensset nomina septem Angelorum, quos vocat ductores septem Planetarum, qui sunt Caphthiel ducens Saturnum, Sathquiel Iouem, Samael Martem; Raphael Solem; Anael Venerem, Michaël Mercurium & Gabriel Lunam. Hæc nomina à nullo damnantur, quod sciam, puto non esse superstitiosa, quia cœli mouentur ab intelligentijs scilicet Angelis in sententiâ non solùm Philosophorum, sed etiam Theologorum *cum Scoto in 2.dist.2.q 6.& in 4.dist.48 q.2.* apud Meldulensem de cœlo *disp.2.q.4.art. 3. num.* 147. Sigismundum Serbellonum Barnabitam in suà Philosophiâ *Ticinensi tom. 2. q. 4. de motu cœlest. art. 2. §. 23.* Asserentes, vnum quemq. Planetam suum habere motorem. Si quis sperat aliquid boni ab his Angelis bonis, non debet eos inuocare quà sunt ductores, sed quatenus sunt amici Dei pro nobis intercedentes, aliter facit se suspectum de Astrologià iudiciariâ, de qua infra suo loco.

Prædictis de numero Angelorum obstat Zacharias Papa, qui in Concilio 2. Romano contra Adelbertum hæreticum definiuit, tria tantùm esse nomina bonorum Angelorum, Michael, Gabriel, & Raphael, alia verò nomina, quæ sunt Angelus, Vriel, Raguel, Tubuel, Michael, Adimis Tubuas, Sabaoth, & Simihel, quos ille Adelbertus indifferenter docebat vocari in auxilium, & sub obtentu Angelorum Dæmones in suum auxilium inuocabat, condemnauit esse non Angelos, sed Dæmones. *Carena par. 2. tit. 12. num. 55. in Notab. 4.*

37 ℞. Locutum fuisse de Angelis, qui ex scripturà Sacrà tantùm tunc noti erant, excludendo etiam Vriel, qui solùm reperitur lib. 4. Esdræ cap. 4. quatenus ex libris Canonicis, inter quos non reperitur quartus Esdræ, definiuit haberi de Fide tantùm illa tria nomina Angelorum, qui sunt Michael, Gabriel, & Raphael, de alijs nominibus, preter illa nihil dixit, quia nondum erant in vsu postmodum reuelata, vel inuenta.

Quæritur 14. An modus medicandi vulnera medicamine non applicato immediatè vulneri sit sortilegium, & quale?

38 ℞. Est sortilegium simplex, si fiat sine vsu alicuius rei sacræ, si cum eà, est qualificatum, vt patet ex regulis allatis sect. 29. num. 74. & sect. 31. num. 10. Probatur, talem modum medendi esse superstitiosum. Tum quia agentia naturalia agunt per contactum formalem, & quantitatiuum immediatum iunctum cum passo saltem virtualiter, inducendo scilicet suam vim in medium, à quo eius virtus demum transit in passum, & in eo operatur; sed medicamentum ex assertione vtentium operatur in qualibet distantiâ, etiam medio tali interposito, quod non possit disponi, & per illud virtus transire medicaminis ad producendum suum effectum sanitatis in passum offensum; ergo talis effectus sanitatis non prouenit ab ipso medicamento, sed aliunde, nempe ab Dæmone occultè operante ad positionem medicamenti non applicati vulneri. Tum quia si dicatur applica remedium vulneri, si respondebit, nihil proficiet, vir prudens non potest non inferre, latere in illo modo deceptionem Dæmonis, & sic talis vsus est sortilegium. Tum quia regula Medicorum Canonica, & legitima est, vt remedium applicetur malo. Tum quia recedens à communi vitâ, & moribus aliorum reddit se suspectum de Hæresi, *cap. Excommunicamus 13. §. Adijcimus, de haret.* Medici omnes nullo dissentiente remedium applicant immediatè passo, ergo qui aliter faciunt superstitiosi sunt. Ita docet *Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 4. num. 18. ex eo Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 88.*

Nonnulli fautores horum Sortilegorum probant remedium, esto non applicatum, 39 suum producere sanitatis effectum, per quandam virtutem occultam ab eis nuncupatam simpathiam, id suadentes, quia agens naturaliter potest producere suum effectum in passum à se distans, id probant *ex Scoto in 2. dist. 9. q. 2. & in 4. dist. 44. q. 2. ad 3. princip.* Nempe passum posse pati ab agente distans, nullatenus agente in medium, & cum eo Meldulensis *disp. 7. Physicâ. q. 4. art. 3. à num. 58. Raphael Auersa q. 14. de causâ efficienâ sect. 8.* Probant multis, sed ad præsentem materiam sufficiat argumentum ab experientià causarum cælestium; astra enim in subiectis terrestribus plurimos producunt effectus tam substantiales, quam accidentales, & constat sublunaria multùm distare in terris ab astris; effectus autem sunt metalla in visceribus terræ; morbi in corporibus viuentium; motus aquæ maris secundum fluxum, & refluxum, & huius generis, nihil producendo im medio. Quare ex hoc videtur sequi, remedia sanandi per talem modum, secundum quem non applicantur passo immediatè, agere & sanare vulneratum à se distans, cum causa naturaliter sic agere possit, ergo sic sanare non est actus superstitiosus. His tamen non obstantibus.

Dicendum est, talem modum medendi 40 esse omninò superstitiosum, & diabolicum inuentum, & quidem nouum, ex probatis superius, quod confirmatur. Tum quia secundum Paulum I. ad Timoth. 6. 20. *Deuitans profanas vocum nouitates* à fortiori huius generis nouitates in facto consistentes. Tum quia S. Aug. lib. 3. cap. 3. contra Iulianum inquit: *Mira sunt quæ dicis, noua sunt, falsa* 41 *sunt, sunt noua caueamus.* S. Bernardus Epist. 174. dicit. *Nouitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis.* Et nouitates contra consuetudinem sunt vitandæ, *cap. 3. de consang. Nauar. cons. 15. de reb. eccl. non alien.*

aliter. Solent enim discordias generare, *cap. cum consuetudinis 9. de consuet. Megalius cons. 88. num. 7.* Tum quia insolita arguunt
42 fallitatem, *Greilenz. cons. 170. per cap. Quod super, de fide instr. cap. cum teneantur 6. de praebend.* Inducunt fraudem, *Rota par. 7. dec. 201. n. 12.* Et praeseferunt suspicionem, *Decius in cap. Ex parte, de Rescr. num. 37. Moditius lib. 2. §. Principum placita, dub. 210. num. 5.* Quare nec sunt credenda, *Nauar. cons. 1. de praesumpt.* Ergo talis modus medendi insolitus, & contra regulas medicinae accipi non potest in bonam partem, vt habeat virtutem naturalem ad sanandum vulnus, quod remedium non tangit, sed vrget vehemens suspicio, quod in eo Daemon partem habeat.

Ad rationes Scoti, & aliorum Philosophorum, respondeo licet id sit verum, vt ipsemet Scotus planè demonstrat lib. 1. dist. 37. & locis supracitatis, nihilominus à causà naturali non licet inferre ad causam pariter natu-
43 ralem mixtam cum artificiali, cuiusmodi est medicamen ex arte, & naturà mixtum, quod non potest agere nisi applicatum passo, iuxta vsum legitimum medicorum; & Azaria, Ra-
44 phael Angelus, qui sibi illud nomen viri imposuit, vt legitur Tobiae cap. 5. 18 *Ego sum Azarias Ananiae magni filius*, docuit Tobiam modum, quo suum patrem sanaret à caecitate cap. 6. 9. *Et fel*, scilicet piscis, *valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur*, Vnctio autem fieri non potest, nisi vniatur passo, & hoc fecit Tobias patri suo, cap. 13. 13. *Tunc sumens Tobias de fele piscis liniuit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & capit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimq. visum recepit.* Dum ergo quis in medendo non sequitur modum seruatum à Tobià edocto ab Angelo canonicè non dicitur mederi, sed arte à Daemone inuentà, & sic se reddit vehementer suspectum de Haeresi.

Quaeritur 15. An sit sortilegium qualificatum eius, qui sanat infirmum oratione, in qua inuocat sub conditione sanctum, vel beatum, si sanctus, vel beatus est?

45 ℞. Est sortilegium manifestè sapiens Haeresim, ac proinde qualificatum, quia sanctitas de tali personà canonizatà per Papam certa vertitur in dubium, nam conditionalis
46 *Si*, rem facit dubiam, *ex Menoch. lib. 6. de praesumpt. 28. num. 4. Barb. Dict. 364. num. 8.* Sed de fide credendum est, seruum Dei esse verè sanctum, si est canonizatus, non enim Papa in moribus vniuersae Ecclesiae errare potest, iuxta promissum factum Petro, & eius
47 successoribus: *Rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua*, Lucae 22. 32. Probaui id multis contr. 13. q. 4 quae est resol. 113. impressionis Lugdun. contra nonnullos, vbi num. 17. idem probaui etiam de Beatificatione, scilicet esse haereticum dicere, in his Papam posse errare.

Quaeritur 16. An quaedam orationes praeseruantes earum gestatores sint sortilegia? 48
Refero exemplum huius orationis incipientis sic: *Christus mecum ✠ Istam Crucem semper adoro ✠ Crux est certa salus mea ✠ Crux diuidit gladios ✠ Crux soluit vincula ✠ Crux est in me ✠ Crux est in anima mea ✠ Crux est signum immobile &c.* quam excerpsi ex officio Paruo B. M. V. impresso Venetijs anno 1530. Narratur in eo virtus dictae orationis, his verbis: *Haec est Epistola S. Saluatoris, quam quilibet homo secum ferre potest. quam S. Leo Papa misit Carolo Imperatori, & quicunq. eam legit, aut audit eo die non morietur ferro, igne, vel aquà, nec in terra malus homo ei nocere poterit, nec inimicus vllà causà ei poterit offendere, & si moritur illo die poenas inferni non sentiet.*

℞. Est sortilegium qualificatum, & eam habens apud se est vehementer suspectus de eius vsu, & de vehementi suspicione Haeresis notatus, si probatur eà vsus fuisse. 49

Primum de sortilegio qualificato probatur quia in eà continentur res sacrae, cuius verba de se talem non probantur habere virtutem, nec habere possunt, quia nullus sanctus Pater dixit, verba sacrae Scripturae praeseruare ex se ab offensione, & à poenis inferni, ergo talis effectus est inuentum Daemonis ad decipiendum homines, qui talem orationem habent.

Secundum de suspicione vsus probatur, & quia ipsa gestatio illius est vsus, & si neget eius experimentum, torqueri potest; dum apud ipsum inuenta est, alio enim fine eam non habet, nisi quia credens in ea putat certò se per eius retentionem praeseruari ab omni malo, de quo in eà.

Tertium, quòd sit vehementer suspectus de Haeresi, patet, quia spem suae salutis ponit in ea, quam non retineret, si in ea non crederet, & sic suam salutem ponit in eà, & non in Deo, à quo praesumitur in hoc recessisse tamquam ab auctore salutis. Et forsan dicta oratio est illa, quam sacra Congr. reprobauit, vt dixi q. 6. & recenset Salelles Reg. 351. num. 87.

Dicta autem oratio non est S. Saluatoris, 50
quia Martyrologium Romanum nullum Saluatorem recenset Sanctum, & licet Philippus Ferrarius Seruita in suo Martyrologio mentionem faciat duorum Saluatorum, vnius sub 18. Martij, qui sanctus non est, sed Beatus Saluator Minorita, alterius sub 7. Aprilis nuncupati Saluatoris Martyris in Anglia; de alio sub 3. Ianuarij, quem appellat episcopum Bellunensem; eodem die 7. Aprilis mentionem faciat alterius S. Saluatoris confessoris in Calendario antiquo Comi 25. Maij, de quo Lazarus Caratinus

nus Episcopus Comi non recenset in sua Synodo editâ 1634. vbi numerat sub fol. 107. omnia Sanctorum ciuitatis, & diœcesis nomina, vnde ex his redditur suspectus iste Dei seruus.

51 Deinde in Martyrologio Romano numerantur quatuor S. Leones I. II. IV. & IX. Sub quibus nullus Imperator nomine Carolus reperitur, vt clarè probatur apud Baronium, dum coniungit Pontifices, & Imperatores, nusquam Carolum coniungit cum S. Leone, Apocripha ergo est ea oratio.

Quæritur 17. An sortilegia contingant in inuentione rerum perditarum?

52 ℞. Inquisitio rerum perditarum tripliciter fieri potest; inquisitione humanâ, diuinâ, & diabolicâ, & in hac solùm contingit sortilegium. *Prima* fit industriâ, diligentiâ, & labore hominis, vt legitur 1. Reg. cap. 9. vbi Cis de Tribu Beniamin misit Saul filium suum, qui fuit à Samuele prophetâ ex mandato Dei vnctus in primum Regem, ad quærendum asinas, quas tamen inuenire non potuit, sed à Samuele audiuit inuentas esse. Saul quærebat asinas, & earum loco inuenit sacram vnctionem in Regem. Quid Rex cum asinis? Populus Israel vsque ad illud tempus regebatur non ab aliquo homine, sed à Deo, à quo petierunt Regem ibi: *Regem constitue super nos* cap. 10. num. 19. quod Deo displicuit, ibidem num. eod. *Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos, &c.* Populus ergo petendo Regem loco Dei, qui eius verus Rex est, factus est asinus, quem Saul quærebat. Clarius de drachmâ à muliere perditâ, quæ lucernam accendit, & euerrit domum quærens eam diligenter donec inueniat: Lucæ 15. *Secunda* inquisitio rerum perditarum fit inuocatione Dei, & eius Sanctorum, habemus exemplum in S. Antonio de Padua, qui multis miraculis de inuentione rerum perditarum illustratur, in cuius officio apud Ordinem Franciscanum canitur in Resp. 9. *Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt, & accipiunt iuuenes, & cani.* Specialis enim est aduocatus rerum perditarum, eosque exaudit, qui eius Responsorio integrè deuotè recitato, perdita statim inueniunt.

Inquisitio tertia rerum perditarum fit ope Dæmonis ab iniquis, qui relictis prioribus duabus inquisitionibus nonnulla verba, vel signa proferunt, ad quorum positionem Dæmon docet inuenire rem perditam. Hoc sortilegium est qualificatum, si in reinueniendâ adhibentur res sacræ, aliter vsus profani signi arguit solùm sortilegium simplex ex pacto tacito, quod præsumitur esse in re, quæ de se indicare non potest rem perditam. Dixi ad rem q. 13.

Quæritur 18. An liceat deferre quasdam orationes, & Breuia pro tuitione corporis, & salute animæ?

℞. Licet, modo vtens illis, certò non credat, ex eis bonum esse effectum euenturum, quia licet solùm sperare bonum euentum per intercessionem sanctam, si Deo placebit. 53
Orationes autem, & Breuia nihil superfluum nihil incognitum, nec signa continere debent aliàs ex illis arguitur sortilegium, & pactum Dæmonis tacitum. Ita *Sayr. lib. 4. cap. 6. num. 6. Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 20. Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 4. num. 11. quos citaui cap. 18. num. 33. Suarez lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 9. cum alijs Albergh. cap. 18 §. 2. num. 4. sect. 3 & §. 4. de Breuib. & Reliquijs*, qui cum Pegna ad licitam gestationem Breuium requirit quatuor conditiones. *Prima*, quòd nomina in eis scripta sint cognita, & sanctorum. *Secunda*, nullus ad sit caracter, vel signum, nisi Crux, aut imago sacra. *Tertia*, nihil vanum, aut falsum. *Quarta*, nulla spes ponatur in modo scribendi, vel in cartâ, vel in modo plicandi. Demum superstitiosum est credere in illis adesse virtutem, vt ea gestantes non possint interfici, submergi, vel pati aliquod malum, hoc enim credere est à Dæmone sperare auxilium, quod graue sortilegium est. 54

Quæritur 19. An colligentes herbas medicinales certis diebus recitando orationes committant sortilegium Hæreticale?

℞. Nullum sortilegium committunt, nisi credant habere aliquam maiorem virtutem ex illo modo colligendi e.g. in festo S. Ioannis Baptistæ. Ita colligo ex cap. Non liceat 3. 26. q. 5. illis verbis: *Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes liceat attendere nisi tantùm cum symbolo diuino, aut oratione Dominicâ, vt tantùm Deus creator omnium, & Dominus honoretur.* Et ita docent omnes, quos citat Farinac. q. 181. num. 64. *Sanchez lib. 2. cap. 40. num 31. Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 4. num. 12. Mazuchel. de casib. Mediol disp. 2. cap. 10. num. 89.* quos citaui *cap. 18. num. 34.* 55

Quæritur 20. Quid dicendum sit de quadam obseruantiâ, quam appellant inciarmaturam, quam introduxerunt milites paucis ab hinc annis, ordinatam ad defensionem corporis contra inimicos, & alios tentantes vulnerare, & occidere proximum; fit autem hoc modo, nam hoc habens secretum; acu, vel aliâ cuspide sibi perforat in aliqua parte corporis, à qua fere nihil sanguinis exit, & nullus sentitur dolor. Casus accidit, quòd quidam acu maxillam sibi perforauit sine dolore, cum modico tantùm sanguinis, & extracto acu de maxilla, & illo pauculo sanguine exterso, apparuit maxilla sine aliquo signo perforaminis. Est autem hoc remedium, vt dixit miles, solùm contra arma incisiua idest *da taglio*. Quæritur ergo an, & 56

quale sortilegium sit huiusmodi perforatio appellata inciarmatura contra arma offensiua?

57 ℟. Esse Sortilegium simplex, quandiu non apparet in eo expressa inuocatio Dæmonis, nec abusus rerum sacrarum, si enim constat vnum ex his interueniſſe, tunc sortilegium est qualificatum, cum sapiat manifestè Hæresim.

Dices, non constat nisi de perforatione, quæ est merus actus naturalis, non excedens vires perforantis, ergo in eà nullus actus superstitionis, nec sortilegium.

58 ℟. Vt perforatio sit naturalis duo sunt necessaria, sanguis exiens è foramine, & dolor ex foramine, dolor enim causatur propter continui disiunctionem, vt dixit *Arist sect.* 5.

59 *Problem.* 26. *ex eo Meldulens. disp.* 5. *de Anima num.* 358. Defectu autem vtriusque, vel alterius, perforatio probatur sortilega, cum taliter facta sine dolore sit præter naturam, ergo in ea operatur Dæmon ne exeat sanguis, vel si exit, sed sine dolore. Comprobatur etiam ab effectu defensiuo ab armis, qui est improportionatus causæ perforatiuæ, quæ omnino vana est nullam habens proportionem cum defensione ab armis, nullam ergo de se, nec in se habet virtutem perforatio defendendi ab armis, ergo non ipsa, sed Dæmon in eà operatur, si quandoque defenditur aggressus.

Quæritur 21. An Exorcista eijciens Dæmonium ab homine energumeno remedijs naturalibus committat sortilegium? Remedia recensentur *ab Hurtado tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 48. *num.* 626. quæ sunt fumus bonus, odor thimyamatum, incensi &c. Fumus malus cornuum, coriorum, ossium &c. Hærbæ, lapides, musica &c.

60 ℟. Quamuis hæc de se nullam vim habeant contra Dæmones, quia corporalia non agunt in incorporalia, ex communi sententiâ Philosophorum, tamen benedicta à Sacerdote, cum exorcismis spiritualibus ab Ecclesiâ, & eius Ministris, institutis fugantur Dæmones ab humanis corporibus, & ab alijs animalibus, & locis; per benedictionem enim eleuantur ad operandum cum orationibus, quibus à Deo impetratur fuga Dæmonum, adiunctis etiam bonis dispositionibus Sacerdotis exorcizantis, & obsessi rogantis Deum, vt liberetur à malo spiritu. Ita *Thomas, Zerola V. Superstitio* §. 3. Nullus in his apparet actus superstitiosus, quia omnia tribuuntur Deo, & Diabolus inuocatur non in auxilium, sed in adiurationem, & fugam eius à personis, vel à loco, quod illi non in honorem, sed in vituperium eius redundat, de qua inuocatione dixi *sect.* 33. *q.* 5. *num.* 23. Vide Hurtadum loco citato de more multa congerentem.

Dices, remedia etiam naturalia quamuis sint, corpora, de se virtutem habent non solum sanandi, sed etiam fugandi Dæmones, vt habetur Tobiæ cap. 6. 7. *Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti? Et respondens Angelus dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, itaut vltra non accedat ad eos. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Non ergo necessaria est eleuatio per benedictionem, vt per naturalia remedia fungentur Dæmonia. Dixi supra q. 14. vers. Dicendum, occasione nominis Angeli comitis Tobiæ, nuncupati Raphaelis. 61

℟. Cor illius piscis ad fugandum Dæmonem à Deo specialem habuiſſe virtutem, & ideo fuiſſe remedium à Deo eleuatum efficaciter ad fugandum Dæmonem, ne Tobias periret. Et cum Tobias liniuit oculos patris sui, prius orauerat, vt dicitur cap. 11. 12. *Cumque adoraſſet Deum, & gratias egiſſet, consederunt, tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris.* Sanatio ergo oculorum, & fuga Dæmonis non fuit præcisè ex remedio naturali cordis, & fellis, sed ex diuinà benedictione, & virtute collatà illis remedijs, vt efficaciter sequeretur effectus. Qualis fuerit ille piscis? ignoratur à me. 62

Quæritur 22. An ille, apud quem inuenta est carta continens secreta pro sanitate, vel defensione corporis, sit vehementer suspectus de eius vsu?

℟. Affirmatiuè. Tum ex retentione diuturnà, retentio enim ad aliud referri non præsumitur nisi ad illius vsum, sicut Instrumentum numismatis ad aliud non refertur, nisi ad cudendum monetam, & librorum retentio ad legendum. De cussione monetæ argutà per retentionem instrumenti ad eam fabricandam, *Farinac. cons.* 161. *num.* 6. & 7. facit indicium ad torturam, si sit malæ famæ; alij non limitant, sed absolutè loquuntur cum *Giurbà cons.* 85. *num.* 26. Habens ergo Cartulam sanitatis, vel ad alium effectum, siue bonum, siue malum cum vehementer sit suspectus de illius vsu, si neget vsum, torquendus est, sine alijs indicijs, vt docent *Genuens. cap.* 18. *num.* 13. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 177. *vers. Quinimo num.* 218. & 219. *Ego cap.* 18. *num.* 61. 63

Notandum est, quòd sortilegia sunt in duplici differentià respectu instrumenti, seu Clarius Instrumentorum alia exprimunt virtutem, & effectum habent in solà portatione, quæ stat pro vsu, vt si in ea sit scriptum sic: *Chi portarà adoſſo quest' oratione, questa carta, non potrà mai eſſer' offeso d'alcuno.* Alia præter portationem requirunt, vel lectionem, de qua adduxi exemplum hic q. 16. manducationem, inciarmaturam, de qua sub num. 56. 64

56. &c. Virtus eius non habetur in gestatione, sed in actu lectionis, manducationis, &c. In priori casu probatus est vsus ex inuentione rei, non in secundo, hoc enim ipso, quòd quis habet librum non probatur Illius lectio, sed tantùm retentio, vnde si neget vsum, torquendus est, vt supra dixi. Carta manducanda caret vsu, ideo non probatur, cum enim existat non est manducata, quia repugnat, quod sit, & quod non sit, vnde carta existens est indicium, an aliam similem manducauerit, sed leue.

Quæritur 23. An committat Sacrilegium qualificatum, qui sibi facit celebrare missas defunctorum, dum viuit, ac si esset mortuus.

65 ℞. Quamuis non sit sortilegium, quia in hoc ritu Dæmon partem non habet, est tamen actus superstitiosus, & contrarius Ritibus Missalis, & Breuiarij, tam ipse, quam Sacerdos celebrans pro ipso. Probatur. Tum quia Ecclesia instituit suffragia pro viuis diuersa ab illis, quæ præscripsit pro defunctis, ergo est contra Ritum ecclesiæ ea, quæ sunt pro mortuis applicare viuis. Tum quia sess. 22. id prohibetur his verbis: *Postremo ne superstitioni locus detur, edicto, & pœnis propositis caueant* scilicet Episcopi, *ne Sacerdotes alijs, quam debitis horis celebrent, neue ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant*. Tum quia in Bulla Pij præcipitur ad vnguem, vt obseruentur Ritus, & cætemoniæ sine mutatione, ac proinde hoc facere erit peccatum mortale, quia notabilis est mutatio. Tum quia recitans missam de Requiem pro viuis Sacerdos profert mendacia in his? *Quam de hoc seculo migrare iussisti*. Item Hic, *& vbique in Christo dormientium*. Item *Quorum anniuersarium depositionis diem commemoramus*. Nec dicas, omitti ad euitandum mendacium, vel repræsentare personam tempore mortis, quia mutilæ erunt orationes, nec ea repræsentatio tollit mendacium, cum sit ficta, & ens rationis, quæ cum sint absurda, omnino tales missę defunctorum prohibentur celebrari pro viuentibus; cum omnes alię prosint viuentibus, & speciales adsint pro peccatoribus viuentibus, nulla ergo ratio suadet recitare pro viuis missas defunctorum. Ita *Layman lib. 5. cap. 2. num. 15. vers. Veruntamen*, *Fraxinel. sect. 3. Pranot. 4. §. 3. num. 4. Diana part 5. tract. 13. resol. 2. vers. verum ego, Auers. q. 11. de Eucbar sect. 12. vers. In quibusdam. Quartus in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. dub. 9. quos cum alijs citat Pasqualig. de Sacrif. q. 292. num. 2. Ego cap. 18. num. 59.*

Contrarium tenent Nauara, Zerola, Pinellus, Homobonus, Peyrinus, Faustus, Barbosa, Lezana, Leander, & Marchinus apud dictum Pasqualigum. Probant, quia est magis proficuum, quam expectare post mortem, quia dum celebrantur pro mortuis, solum prosunt quò ad satisfactionem, cum verò celebrantur pro viuis, prosunt & quò ad satisfactionem, & quò ad impetrationem. Ita *Peyrinus cap. 1. in Addit. ad Pyrrbi const. num. 21.* Secundò ad euitandum mendacium reliquunt verba. *Quem de hoc seculo migrare iussisti*. Tertiò, quia Sacerdos dum Missam de Requiem recitat pro viuis repræsentat eos, ac si essent iam mortui; modus autem anticipatè loquendi est vsitatus in sacris Scripturis. Quartò, illa verba: *Ne absorbeat eas tartarus ne cadant in obscurum*. Referuntur ad existentes in Purgatorio, quæ tamen non possunt cadere in infernum, & ex hoc nullum sequitur mendacium, ergo nec in recitatione pro viuis.

℞. Ad primum, missæ defunctorum non sunt magis proficuæ pro viuis quàm viuorum, cum illæ nihil prosint viuis, ad quos 66 non sunt destinatæ. Et cum missæ de Requiem non habeant vim impetrandi, sed solùm satisfaciendi; eam virtutem non aquirunt quando celebrantur pro viuis, siquidem solis missis de viuis illæ duæ virtutes tribuuntur. *Ad secundum* iam dixi non excludi mendacium, & eam omissionem arguere defectum, ac proinde intentionem Ecclesiæ esse, ne dicantur Missæ de Requiem pro viuis, nam si hoc esset verum, Ecclesia notasset talem omissionem, ne igitur dicatur defectuosa in suis Ritibus, inferendum est, missas de Requiem applicari non posse viuis. *Ad tertium*, ea repræsentatio est reprehensibilis, & superstitiosa, cum sit vitiosa, nemo enim potest viuens se præsentare mortuum, dum obtinere potest, quod desiderat, nam Missæ viuorum prosunt viuis, & quò ad satisfactionem, & quò ad impetrationem. *Ad quartum*, ea verba referri ad agonizantes magis, 67 quàm ad defunctos iam existentes in Purgatorio.

Quæritur 24. An Bona Ventura, quæ datur à Cingaris sit sortilegium?

℞. Negatiuè, quia cum risu accipiuntur, 68 nec creduntur à dantibus, & recipientibus. Quod si misceantur res sacræ, vel assertiuè prænuntient futura, & secreta cordium pendentia à libero arbitrio sunt suspecti de arte Chiromantiæ, & sic habere pactum saltem tacitum cum Dæmone, consequenter subduntur Inquisitoribus. *Carena part. 2. tit. 12. à num. 157. ad 165. Diana part. 4. tract. 8. resol. 128.*

Quæritur 25. An sit sortilegium in die S. Stephani secare venam Equorum?

℞. Negatiuè, extrahitur enim sanguis, ne 69 ab eo inficiantur, quia illis diebus cessant à laboribus. Nec aliter sentit Farinac. q. 181. num. 64. nisi quis putet id virtutem aliquam trahere à S. Stephano, sed nemo id intendit, nisi quod dixi. DalBene dub. 228. sec. 11. n. 11.

Quæ-

Quæritur 26. An in sequentibus actibus
70 inueniatur sortilegium. In Ecclesiâ S. Michaelis propè ciuitatem N. seruatur talis ritus, quòd nemo eam ingreditur, nisi prius eam ad extra circundederit nouies sereno cœlo; eo existente pluuioso ad intus circundatur, & deinde audiuntur Missæ ab intrantibus. Item in Ecclesiâ S. Genesij, seu extra, laborantes caduco morbo totâ nocte saltant sperantes liberari ab ea infirmitate. Numquid isti actus sunt superstitiosi?

71 ℞. Negatiuè, nam quò ad primum, illa circuitio quasi Processionis, fit in honorem nouem Chororum Angelorum, est ille motus laboriosus species quoque peregrinationis, & sic nullus est actus superstitiosus. Saltatio arguit cultum erga S. Genesium, sicut saltatio Dauid coram Domino 2. Reg. cap. 6. num. 14. dum Arca ducebatur in iubilo, & Clangore buccinæ, laborant ergo saltando in honorem S. Genesij, vt pro ipsis intercedat apud Deum sanitatem. Dixi latius *cap.* 18. *num.* 43. *ad* 46. *Dal Bene Dub.* 228. *sect.* 11. *fine*.

Quæritur 27. An repertus in fragranti crimine sortilegij inchoati puniendus sit ac si illud perfecisset? E. g. Parauit vasculum aquæ benedictæ, & puella tenebat candelam accensam, sed nondum apparuit res deperdita, vel effigies furis. Vide supra sub num. 26.

72 ℞. Affirmatiuè, quia sortilegium in se est perfectum, licet nondum effectus appareat, modo prolata sint verba, & nihil appareat, vt dixi cap. 18. num. 57.

Quæritur 28. An conuictus, vel confessus interrogandus sit à quo receperit secretum Sortilegij? vel à quo illud didicerit? seu an habeat complices in illius perpetratione?

73 ℞. Affirmatiuè, licet enim, vt dicitur cap. 1. de confessis, nemo super aliorum conscien-
74 tijs interrogandus sit, nisi in crimine læsæ Maiestatis, tamen etiam in multis alijs interrogatur, nempe, Hæretici, Strigæ, Conspiratores in Principem, seu Prælatum, Sacrilegi, Simoniaci, publici latrones, falsæ monetæ fabricatores, ibi *Barb. num.* 3. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 35. *Farinac. q.* 43. *à num.* 58. *ad* 67. *Sousa lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 18. Et hoc decreuit faciendum in S. Officio Pius V. vt legitur apud Locatum Decreto vltimo fol. 477. sed ibi sermo est de Hæreticis tantùm, confessis, vel conuictis, torquendis super complicibus, cuius verba refert etiam Carena part. 2. tit. 1. num. 116. in his autem terminis non est interrogandus sortilegus, nisi sit qualificatus, quia tunc est sacrilegus, qui proinde torquetur super complicibus ex Doctoribus per allegatis, non autem si Sortilegium est simplex, in odiosis autem res est restringenda ad casus expressos.

75 Quæritur 29. Quibus pœnis afficiantur sortilegi benefactores corporum?

℞. Qualificati solent damnari ad triremes per quinquennium, septennium, vel minus. 75
Ita Zanardus *part.* 1. *cap.* 5. *vers. Quinto, & cap.* 64. §. *Ideo aduerte, Delrius lib.* 5. *cap.* 16. *Carena part.* 2. *num.* 257. §. *Si vero*. Alij fustigantur, vel carcerantur ad tempus, vel publicâ pœnitentiâ ad fores Ecclesiæ sistuntur, aut in exilium mittuntur. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 67. *Vers. Sed amplius, Genuens. cap.* 68. *num.* 8. *Zanardus part.* 2. *cap.* 134. *vers. Tertio differunt, Carena num.* 258.

Quæritur 30. An beneficiati à Sortilego sint puniendi?

℞. Affirmatiuè. Tum quia id prohibetur 76
Leuit. 19. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos.* Peccant ergo, ac Proinde Pœna digni sunt. Tum quia agentes, & consentientes pœnâ digni sunt, *ad Roman. cap.* 1. *in fine* Sed cum illis mitius agendum est, cum ex se non sint sortilegi, sed tantum sortilegium in se patientes ob sui corporis beneficium sanitatis. Vide infra sect. 42. q. 11.

Quæritur 31. An obseruatio dierum faustorum, & infaustorum sit vana obseruantia, & actus superstitiosus?

℞. Affirmatiuè, quia dies vt dies talem in 77
se virtutem non habet, vt homines faciat fortunatos, fælices, & faustos, vel faustos, infelices, & subiectos varijs calamitatibus, & periculis; & propter hoc vocantur dies critici, quia iudicium præseferunt de actionibus hominum siue prosperis, siue aduersis. Eorum ergo obseruatio vana est, & peccatum mortale, si eis homo firmiter credit, aliàs est veniale tantùm, ideo ab omnibus Catolicis talis obseruatio reijcitur edoctis à S Paulo ad Galatas 4. 10. *Dies obseruatis, & tempora, &* 77
menses, & annos, timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vos. D. Ioannes Chrys. Homil. 23. Contra obseruatores Nouiluniorum interpretatur de obseruationibus superstitiosis his verbis; *Dies enim bonus, & malus est, non suâ quadam, & propriâ naturâ,* 79
nihil enim dies à die differt, sed nostrâ, vel diligentiâ, vel ignauiâ, si iustitiam feceris, bonus tibi dies erit, sine peccatum designaueris mali, & supplicij plenus. Ergo dies in se ipsis spectati nec mali, nec boni sunt, sed homo quadam extrinsecâ denominatione facit malos ex improbis actibus, bonos vero ex actibus honestis. Quare ab omnibus talium obseruatio reijcitur cum *D. Thomâ* 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 15. *&* 16. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 119. *ad* 136.

Quandoque in eis contingere potest suspicio Hæresis, nam Hurtadus part. 1. tract. 5. 80
cap. 5. resol. 38. talem obseruationem connumerat inter delicta, quæ generant suspicionem Hæresis. Dixi cap. 18. num. 42. hunc super-

superstitionis actum non pertinere ad Sanctum Officium; intellige, nisi in casu, quo interuenit abusus rerum sacrarum, aut Dæmonis inuocatio, quæ tamen meo iudicio non præsumitur, sicut in alijs delictis.

SECTIO XXXV.

De Sortilegijs ex Inuentione Rerum.

SVMMARIVM.

1 *Inuenitur occultum industriâ humanâ, inuocatione Dei, & Sanctorum, atque ope Dæmonis.*
2 *Cum scilicet adhibentur media vana, & inefficacia.*
3 *Media sunt ad decipiendum, & occultandam Dæmonis astutiam.*
4 *Sapit hoc sortilegium manifestè Hæresim.*
5 *Suspicionem inducit vehementem Hæresis ex abusu sacrorum, vel pacto expresso.*
6 *Solo autem pacto tacito incurritur leuis suspicio.*
7 *Qualis est suspicio, talis debet esse Abiuratio.*
8 *Chribri vsus ad cognoscendum furem.*
9 *Thesaurus continet non solùm pecuniam, sed quamlibet rem pretiosam.*
10 *Thesaurus inuentus cuiusnam sit.*
11 *Nemo laborare debet in alieno fundo, nisi vocatus.*
12 *Thesaurus inuentus in loco profano arte Dæmonis est Fisci laicalis.*
13 *In loco Ecclesiæ, vel fundo Ecclesiæ, vel Ecclesiastici est Fisci Ecclesiæ.*
14 *Perdita inuestiganda sunt labore, vel inuocatione Dei, & Sanctorum, non Dæmonis ope.*
15 *Cribro furta non sunt inquirenda.*
16 *Alchimia superstitiosè quærenda non est.*
17 *Est etiam impossibilis Hominis industriâ.*
18 *Aqua quibusdam virgulis naturæ virtutibus inuenitur.*

RErum inuentio tribus modis contingere potest. Primò viribus naturæ, arte, & labore ipsius hominis. Secundò speciali Dei reuelatione, & intercessione Sanctorum. Tertiò, per diabolicam inuentionem, iuxta precedentem sect. num. 52. vbi triplicem hanc inuentionem denominaui Humanam, Diuinam, & Diabolicam. De hac postremâ hic agendum est iuxta subiectam materiam. Scilicet de inuentione rerum perditarum casu; de rebus furtiuè sublatis; De inuentione Thesaurorum, & Alchimiæ, atq; Aquarum sub terrâ. Statuo sequentem Regulam. 1

2 Inuentores prædictarum rerum tunc dicuntur sortilegi, quando in illis inueniendis talibus vtuntur medijs, quæ de se nullam habent virtutem demonstrandi rem occultam. Eo autem in casu vir prudens aliud arguere non potest, nisi quòd res occulta manifestata est ope Dæmonis ad positionem talis medij vani, & inefficacis, ex quo nec inuentione humanâ, nec diuinâ res occulta, vel perdita inuenta est; non humanâ, quia media non sunt proportionata potentiæ humanæ, nec humano effectui, non diuinâ, quia non constat de reuelatione, & manifestatione factâ per Deum, aut sanctos eius. Ex medijs ergo inefficacibus resultat manifestatio rei ope Dæmonis operantis ad illorum positionem, quæ se habent tamquam causa moralis ad cuius positionem Diabolus operatur tali modo, vt decipiat homines, qui imaginantur effectum manifestationis rei occultæ procedere à talibus medijs. Dæmon autem ex duplici capite proponit huiusmodi media; primò, vt decipiat, vt dixi, suos amicos; secundò, vt sortilegium occultet Iudicibus S. Officij, quod est vt plurimùm difficilis probationis ob astutiam Dæmonis. 3

4 Huiusmodi autem sortilegium sapit manifestè Hæresim, & appellatur qualificatum, quandocunq; inuocatur expressè Dæmon, vel eum medijs immiscetur aliquid sacrum, ac proinde Sortilegus est vehementer suspectus de Hæresi, credit enim planè Dæmoni cui defert honorem pro inuentione rei, quam desiderat habere, vt dixi *sect.* 33. *q.* 16. *à num.* 45. *ad* 50 & *sect.* 16. *num.* 34. Si vero prædicta desint, & adsit solum pactum tacitum, quod præsumitur ex vanis medijs adhibitis, sortilegium est simplex, inducens solùm leuem Hæresis suspicionem, *ex locis citatis sect.* 16. *num.* 13. & *sect.* 33. *num.* 49. consequenter qualis est suspicio, talis esse debet Abiuratio hæc enim regulatur à qualitate suspicionis, ex dictis 5 6 7

dictis sect. 16. num. 28. Vide *Delrium lib. 4. q. 2. sect. 3 num.* 9. de Cribro moto ad inueniendum furem, nam Cribrum mulierculæ supponunt forcipi, binis digitis forcipem comprehendentes eleuant cribrum, prolatis nonnullis verbis, subijciunt nomina eorum, quos suspicantur fures rei ablatæ, & ille iudicatur Reus furti, quo nominato cribrum mouetur, aut trepidat. Vides, hæc media esse inefficacia, & vana ad demonstrandum auctorem furti, ideo in eo operatur Dæmon. De singulis rebus supra enumeratis aliquid dicendum.

9 Thesaurus continet non solùm pecuniam, sed quamcunq; aliam rem pretiosam, cuius dominus ignoratur ab antiquà illius absconditione, cuius memoria non extat, *l. Vn. C. de Thesauris*.

10 Thesaurus autem inuentus in proprio fundo est illius, cuius est fundus. Inuentus verò in alieno fundo casu, est inuentoris partim, & altera pars est domini fundi, in quo ab extraneo fuit inuentus. Quod si non casu, sed ex industrià inuentus est, solius patroni est fundi, soluto labore inuentori, nisi aliter cum eo conuenerit. Ratio est, quia patronus fundi habet illius dominium, iuxta illud Matth. 13. *Simile est regnum cælorum Thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, præ gaudio vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* Deducitur etiam ex cit. Cod. & ex Institut. de rerum diuis. §. Thesauros. Procedit, siue fundus sit priuati, siue Principis, siue Ecclesiæ. Ratio, cur ex industrià quærens in alieno fundo Thesaurum non facit suum, nec diuidit? Est, quia nemo laborare potest in

11 alieno fundo sine licentià domini, ideo meretur illum perdere, qui sibi vsurpauit alienam seruitutem.

12 Inuentus Thesaurus arte magicà pertinet ad Fiscum, quò ad eam partem, quæ aliàs esset inuentoris, quam tamen sibi retinere potest ante sententiam; altera vero dimidia pars danda est patrono fundi. Ita ex præcitata lege Codicis, *iuncta Glos. V. Arte, Lessius lib. 2. cap. 5. num. 66.* Bonac. *de Restit. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 6. *num.* 6. *Castropal. de iust. tract.* 32. *disp. vn. p.* 17. *de Lugo disp.* 6. *à num.* 111. Si fuit inuentus in agro Ecclesiæ, vel personæ ecclesiasticæ, pars debetur Fisco Episcpi, quia

13 ea bona gaudent priuilegijs Ecclesiæ ac proinde non sunt subiecta Fisco laicali, siue sortilegus sit ecclesiasticus, siue laicus, quia priuilegium respicit rem, non sortilegum.

14 Res perditæ inueniendæ sunt industrià & labore, vt fecit illa mulier, de qua in Euangelio Lucæ 15. & dixi sect. præced. num. 52. quæ industria humanà drachmam perditam inuenit. Vel inuestigandæ sunt inuocando Deum, & Sanctos eius, vt ibidem dixi de S. Antonio, ibidem num. 52. Aliter quærens perdita per media inepta, & vana sortilegium committit, quia quærit illa ope Dæmonis.

Res furto sublatas inueniens per cribrum, 15
aut alio medio sine dubio est Reus sortilegij, quia in talibus medijs operatur Dæmon, dum illa media nullam de se habent virtutem demonstrandi auctorem furti, vel restituere rem ablatam.

Ars fabricandi Alchimiam, quamuis non 16
sit de se mala, tamen ei inesse potest aliquis actus superstitiosus propter auaritiam, quà homines tempus consumunt in inuestigatione auri, & argenti, quæ nemo hactenus inuenit, quia ignoratur modus perueniendi ad eius veram cognitionem; vnde tale desiderium habentes, & quidem quandoq; vehementissimum facilè Dæmonem inuocant in præceptorem. De hac re agunt Delrius lib. 1. cap. 5. q. 3. Vbi ait, verum aurum fabricatum sine ope Dæmonis pertinere ad magiam naturalem, Falsum verò aurum, apparens verum spectare ad magiam præstrigiatricem, & dæmoniacam, ope Dæmonis fabricatum. esse autem eius inuentionem impossibilem 17
probat Vericellus tract. 7. Et ita est, quia quamplurimi laborarunt, & laborant, & nihil concludunt. Contrarium dicit Dal Bene Dub. 228. sect. 20. plectuntur pœnis Alchimistæ per extr. Spondent, Ioan. XXII. de crimine falsi. Truncum partim ferrum, partim aurum in Arsenali Magni Ducis Florentiæ putant esse opus Dæmonis, quia illius auctor fugam arripuit, ne se sortilegum proderet.

Aquas sub terrà latentes inueniendi ars 18
mediantibus nonnullis virgulis amigdalinis, saliceis, vel sanguinuleis non est superstitiosa, quia hi effectus viribus naturæ fieri possunt, ob qualitates ab aquà in virgulas impressas, siue ob sympathiam virgæ in manu hominis cum aquà, non est ergo superstitiosa, quia nititur viribus naturæ. Ita *Sanchez lib* 2. *cap.* 38. *num.* 37. *Bonac. p.* 4. *de Superstit. num.* 14.

SECTIO XXXVI.

De Sortilegijs ex Magià rerum Mirabilium.

SVMMARIVM.

1 *Magia est productio rerum mirabilium.*

2 *Omnia miracula Magorum sunt à Dæmone.*

3 *Inor-*

3 *Inordinata potestas faciendi res mirabiles opere Dæmonis.*

4 *Peccatum mortale ex genere suo.*

5 *Diuinatio est cognitio occultorum.*

6 *Numerantur effectus mirabiles superstitiosi.*

7 *Tribus modis discernuntur effectus mirabiles naturales à superstitiosis.*

8 *In dubio effectus censendus est naturalis.*

9 *Locus Parmensis nuncupatus Sanctus mirabilis.*

10 *Protestatio exclusiua pacti, & potestatis Dæmonis non releuat protestantem.*

11 *Nisi intendat effectum, & illum nullo modo velit, vt noluit Caietanus.*

12 *Magus ex inuocatione expressa, vel abusu rerum sacrarum est vehementer suspectus de Hæresi.*

13 *Solum leuiter ex solo pacto tacito, illis exclusis.*

14 *Illi de vehementi abiurans, isti de leui.*

15 *Pœnis varijs plectuntur.*

1 MAgia est rerum mirabilium productio, quæ contingit duobus modis. Primò naturaliter, cum scilicet homo per suam scientiam applicando causas naturales producit mirabiles effectus, qui tamen non excedunt virtutem causarum naturalium, itaut præsumi non possit, quòd effectus aliunde, quam à causis naturalibus procedebant. Sed Sed quoniam in his quandoque Dæmon se immiscet, vt homines decipiat, ideo ab his mirabilibus abstinendum est, quando apertè non probatur mirabiles effectus procedere solùm à causis naturalibus, vnde D. August.
2 lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 19. inquit: *Omnia miracula magorum doctrinis fiunt, & operibus Dæmonum*, vt alijs allegatis docet Dal Bene Dub. 227. sect. 1.

3 Quare secundo modo contingit productio rerum mirabilium, nempe operà Dæmonis, à quo homo magus edoctus fingitur facere mirabilia applicatione mediorum, quæ de se talem non habent virtutem operandi mirabilia. Et hæc magia superstitiosa definitur inordinata potestas faciendi res mirabiles ope Dæmonis, quæ excedunt vires naturæ. Ita omnes *cum Bonac. de Superst. part. 5. num. 4. Lessio lib. 2. cap. 44. num. 2.* Bassao *Capucino V. Magia, Mazuchel. disp. 2. cap. 10. nu. 98. Direct. Inquis. part. 3. com. 26. vers. Prudenter, Castropal. part. 3. tract. 17. disp. 1. p. 8. num. 2. Lupus in Edicto S. Officij lib. 17. dist. 1.* Est autem peccatum mortale ex genere suo, cum sit actus ab homine mago factus cum inuocatione, si non expressà, saltem tacità Dæmonis, vt docent præcitati, nisi ignorantia excuset, *Hurtad. tract. 5. cap. 2. resol. 7. Moronus* Resp. 95. *num.* 140. 4

Differt magia à Diuinatione, quia hæc consistit in cognitione rerum occultarum; illa in operatione rerum mirabilium, & ab alijs, quæ non versantur circa mirabilia. Dico *mirabilia* non miracula, quia Dæmon hæc facere non potest, vt probaui sect. 32. num. 5. 5

Mirabilia autem sunt huius generis, asportare hominem, vel rem aliquam grauem ab vno loco ad alium breuissimo tempore, quamuis loca sint ab inuicem remotissima. Facere conuentum cum Strigis, incantare serpentes: mutare faciem alicuius faciendo apparere aliam figuram, caput hominis fingendo caput asini, decipiendo visum adstantium. Fingendo resuscitare mortuos &c. 6

Difficultas est in discernendo effectus naturales à superstitiosis, ideo pro eorum discretione pone sequentes regulas. *Prima est*, tunc effectus censendus est superstitiosus, & magicus, cum medium, seu signum adhibitum est vanum, & inefficax nullam relationem habens ad effectum, tunc enim non causà illa, sed Dæmon ad eius positionem operatur. *Secunda est* ex modo operandi, vt si in instanti, & ex prouiso sequatur effectus, quem magus ex se tam cito efficere non potest, excedens eius vires. *Tertia est*, si cum causa misceatur aliquod sacrum. In his, & simihbus cognoscitur effectus mirabilis esse superstitiosus. Ita *Sanchez lib. 2 cap. 40. nu. 8. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 101. & 102.* 7

In dubio autē an effectus proueniat à causà naturali, an à Dæmone? censendum est prouenire à causà naturali nisi, manifestè constet excedere vires Naturæ. Ratio illius est, quia causæ naturales habent multos effectus licet nobis ignotos, non ideo tamen illis tales effectus mirabiles negandi sunt. Ratio vero istius est, quia si effectus excedit viros causæ naturalis, non potest ab ea procedere, ac proinde Dæmon est causa illius mirabilis effectus, maxime quando effectus est malus, aut indifferens, aut curiosus, est superstitiosus, *ex Sanchez num. 44. Mazuchel. num. 102.* 8

Refero effectum naturalem valde mirabilem prouenientem ex Lacu sancto sic nuncupato in Ducatu Parmensi supra Cornilium prope alpes Apennini, à quo Lacu originem trahit flumen Parmæ denominatum à ciuita- 9

te Parmæ meâ patria; nam si quis iaciat lapidem in dictum Lacum, esto totum cœlum sit serenum, statim cœlum nubilosum factum emittit magnam imbrium copiam circum ipsum Lacum, ita quòd abundè aquis de cœlo cadentibus inde fugientes madefiunt vsque ad pellem. Ex aqua enim turbatà ascendunt cito exhalationes, & vapores, & in aquam conuersi descendunt in terram, & paulo post cœlum redit serenum.

10 Protestatio nolendi adhibere illud medium prout diabolicum est in faciendo aliquid mirabile, non excusat protestantem, quia factum ipsum illi aduersatur, vt dixi *sect.* 8. *num.* 33. *sect.* 25. *num.* 211. *sect.* 28. *num.* 62. Et ita docent *Philiarch. tom.* 1. *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *vers. Quarta conclusio*, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40. *nu.* 25. *Castropal. part.* 3. *tract.* 17. *disp.* 1. *part.* 8. *num.* 3.

11 Excusari autem potest ille, qui non ad faciendum opus mirum, sed ad ostendendum illud procedere à Dæmone, vt constet circunstantibus non posse fieri licitè, cum sint actus superstitiosus, dum vtitur signo in nomine Domini excludendo pactum diaboli, vt fecit Caietanus *V. Incantatio vers. Secundo*, qui protulit quædam verba, & annulus stetit immobilis, qui tamen mouebatur, mago proferente eadem verba, quia non excluserat artem Dæmonis, sicut fecerat pius vir Caietanus Cardinalis, Salelles Reg. 121. nu. 258. alium similem casum refert.

12 Magus est vehementer suspectus de Hæresi, dum mirabilia facit inuocatione Dæmonis expressâ, aut dum illis miscetur aliquid de rebus sacris, tale enim sortilegium est sapiens manifestè Hæresim, ac proinde qualificatum, arguens magum esse vehementer suspectum de Hæresi, apud *Pegnam part.* 2. *q.* 43. *vers. Ex his apparet. Farinac. q.* 181. *num.* 36. *Alberghinus cap.* 18. *sect.* 3. §. 4. *num.* 4. in quantum dicunt, eius mirabilia sapere manifestam Hæresim, *Salelles Reg.*

13 124. *num.* 347. Si absit expressa inuocatio Dæmonis, & abusus rerum sacrarum sortilegium solùm ex pacto tacito inducit leuem Hæresis suspicionem, cum sortilegium sit simplex, iuxta Doctores citatos sect. 35. nu. 5. & 6. & docet alijs citatis idem Salelles par. 3. Reg. 505. num. 482.

Abiurant autem magi, suspecti quidem

14 vehementer, de vehementi, alij verò de leui iuxta dicta præced. sect. num. 7. Salelles Reg. 410. num. 901.

Pœnis autem triremium ad quinquen-

15 nium, vel septennium, & vltra iuxta grauitatem delicti plectuntur, vel fustigatione, aut carcere, Salelles Reg. 505. num. 464. & 490. & seq. cum alijs.

SECTIO XXXVII.

De Arte Notoria, & Cabala.

SVMMARIVM.

1 *Ars notoria est superstitiosa aquisitio scientiæ ope Dæmonis.*

2 *Scientiam Deus dat affluenter petentibus.*

3 *Notoria dicitur à noscendo, & cognoscendo.*

4 *Peccatum mortale est illius aquisitio.*

5 *Suspectus de Hæresi aquirens illam, vehementer, si abutitur sacris, vel inuocat expræssè Dæmonem.*

6 *Aliter est suspectus solùm leuiter.*

7 *Media ad eam aquirendam recensentur.*

8 *Si illis homo miscet laborem suum id totum est superstitiosum.*

9 *Medicinam licet sumere pro conseruandâ memoriâ.*

10 *Licet vsus tali scientiæ, modo non pendeat à Dæmone.*

11 *Cabala idem quod ars notoria. Datur etiam cabala sancta nobis ignota.*

Ars notoria est vana obseruantia, & sortilegium, per quod homo certis medijs vanis, & inefficacibus, putat se posse consequi scientiam sine studio, & labore, vel etiam cum labore, confisus tamen illis medijs credit sibi infundi scientiam; sed quoniam talibus, medijs Deus nō dedit virtutem aquirendi scientias, quas viribus naturæ & proprio labore aquirere non potest, ideo talis scientiæ aquisitio tribuitur Dæmoni, qui positis illis medijs, & signis scientiam confert homini amico tuo, vt illius animam perdat cum suâ curiositate, relinquendo Deum, à quo omnis scientia petenda est, iuxta illud D. Iacobi Epist. 1. cap. 1. num. 5. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui omnibus dat affluenter*. Ita faciebant sancti viri, & religiosi, qui ante studium præmittebant orationem, per quam petebant à Deo illuminationem scientiarum. 1 2

Scientia ergo hæc appellatur ars notoria à no- 3

noscendo res occultas, & curiosas operâ Dæmonis, qui in eâ colitur, & honoratur ab hominibus, qui honorem, quem Deo tribuere debent, dant Diabolo; in illis enim medijs miscetur pactum Dæmonis, quo scientia infunditur in Intellectu praui hominis. Ita omnes cum *Bonac. de legib. disp. 3. p. 4. de superstit num. 5. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 7. Alberghin. cap. 18 sect. 3. §. 1. Castropal. par.*
4 *3. tract. 17. disp. 1. p. 8. num. 6.* Qui omnes dicunt, esse peccatum mortale quærere scientiam hoc modo, quia honor Deo tribuendus datur Dæmoni. Quare huiusmodi Sortile-
5 gi, si in illis inuocant Dæmonem expressè, vel immiscent illis res sacras, sunt vehementer suspecti de Hæresi, & eorum sortilegium est hæreticale, & qualificatum sapiens manifestè Hæresim; sin verò ab hac arte abest in-
6 uocatio Dæmonis expressa, & abusus rerum sacrarum Sortilegium est simplex ex pacto tacito, ac proinde Sortilegus est solùm leuiter suspectus, iuxta dicta in præcedentibus sectionibus, præsertim sect. 35. num. 6. & 17.

7 Media autem ad aquirendam scientiam superstitiosè sunt hæc, orationes, ieiunia, quorumdam verborum prolationes, cum circumstantijs, & alijs signis, inspectione figurarum, & similium, quæ nullam habent ex se, nec in se virtutem infundendi scientiam, cum sit vanum, & ridiculum credere, quòd huiusmodi media in se habeant vim communicandi scientiam, cum nullam proportionem, nec relationem habeant ad effectus scientiarum, quæ solâ Dei gratiâ, & proprio labore aquiruntur.

8 Superstitiosus dicitur ille, qui ad laborem suum pro aquirendis scientijs vteretur illis medijs cum spe augendi memoriam, & acumen Intellectus, & hæc conseruandi, nam miscendo hæc media inutilia cum proprio labore, totum inficit opus, illudq; reddit superstitiosum, cum honorem Dei misceat cum superstitioso cultu Dæmonis. Ita *Suarez de superstit. cap. 25. num. 7. Alberghin. cap. 18. sect. 3. §. 1. fine.*

9 Qui medicinam sumeret conflatam ex diuersis ingredientibus, nullo interueniente signo, cum solâ benedictione, ad augendam, & conseruandam memoriam, non esset reus Sortilegij, quia talis medicina ex medicorum iudicio dicitur proportionata ad hunc effectum, in herbis enim, & lapidibus consistit virtus; phantasmata enim & species intelligibiles promptiores, vegetiores, & sagaciores fiunt ad excitandam memoriam, sed reuerâ memoriâ excolẽdo sicut omnia augetur, sicut dixit *Quint. lib. 2. cap. 3.*

An habens scientiam arte Dæmonis aquisitam possit licite ea vti?

10 ℞. Potest, quandocunq. conseruatio, & vsus illius non pendeat à Diabolo, eo quòd vsus de se bonus, est. Ita *Bonac. de superst. p. 4. num. 6. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 79. Sanchez lib. 2. cap. 42. num. 20. Suarez cap. 17. num. 1. & 2. Lupus lib. 15. Dist. 1. Diffic. 2.* Vt sit securus protestetur se nolle vti illâ, nisi auxilio Dei, cui honorem deferre velit, maledicendo Dæmonem.

Huc pertinet scientia dicta Cabala, qua homo Diabolo operante didicit multa occulta, & hæc ab omnibus catolicis reijcitur cum & ipsa sit ars notoria. Datur aliud genus Cabalæ, quod Deus docuit Moysen in monte Sinai, sed quoniam ignoratur, nihil de eâ dici potest. Vide citatos *à Philippo Fabro contra Atheos disp. 1. cap. 11. num. 240. à Lugo super Edictum S. Officij lib. 15. dist. 1. à Gabriele de S. Vincentio consil. 35.* 11

SECTIO XXXVIII.

De Diuinatione ex Bullis Sixti V. & Vrbani VIII.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia est præcognitio proueniens ex contemplatione Astrorum.*
2 *Alia naturalis, alia iudiciaria superstitiosa.*
3 *Prior est licita, posterior illicita, cum sit ex pacto Dæmonis.*
4 *Iudiciaria damnata est prædictio futurorum contingentium hominis.*
5 *Eius triplex species, Reuolutionis, Electionis, Natiuitatis.*
6 *Iure naturali, diuino, ecclesiastico, & ciuili prohibita.*
7 *Bullæ ambæ obligant etiam in Foro conscientiæ.*
8 *Lex fundata in præsumptione non obligat, quando veritas est in contrarium, explicatur.*
9 *Contrarium, quòd fundentur in præsumptione.*
10 *Bullæ non fundantur in præsumptione.*
11 *Natiuitas, & mors Christi collecta ab Astrologis, sed inepte.*
12 *Fidei misteria non subsunt Astrologiæ.*

13 *Stellæ seruiunt homini, non homo stellis.*
14 *Quid prohibeatur in Bullâ Sixti V.*
15 *Notabiles personæ non comprehenduntur sub generali prohibitione, nisi exprimantur; fallit, nisi crimen sit perniciosum Reipublicæ Catholicæ.*
16 *Bulla Sixti prohibet astrologiam Omnibus.*
17 *Natiuitatem suam petens est Reus Bullæ.*
18 Intromittere *se, est cum alijs se ingerere.*
19 Exercere *importat pluralitatem actuum.*
20 *Semel diuinans est reus Bullæ.*
21 *Dicens per se Astrologiam est reus Bullæ.*
22 Discere *enim est se exercere in eo, quod discit.*
23 *Prohibetur non solùm prædictio sed etiam cognitio causæ à quâ procedit.*
24 *Prædictio siue certa, siue coniecturalis hic prohibetur.*
25 *Contrarium proponitur & reijcitur.*
26 *Canones prohibentes diuinationem non distinguunt inter certam, & coniecturalem.*
27 *Diuinatio non est scientia, sed insipientia.*
28 *Futura contingentia præsumens scire est sibi vsurpare, quod est proprium Dei.*
29 *Diuinatio est intrinsecè superstitiosa.*
30 *S. Thomas, & cum eò Caietanus docent, quod nos diximus.*
31 Quocunque *nullum excludit modum cognoscendi.*
32 *Caietanus loquitur de præcognitione tàm certâ, quàm coniecturali.*
33 *Figuræ formatio, & non solùm conclusio prohibetur.*
34 Quomodolibet *includit quemlibet modum operandi.*
35 *Consequente prohibito, etiam antecedens.*
36 *Quærere non licet causas euentuum iam extantium.*
37 *Retentio natiuitatis iam factæ non prohibetur à Sixto.*
38 *Astrologia de temperamento non est prohibita.*
39 *Astra enim influunt directè in corpus.*
40 *Prohibitum non est iudicare de inclinationibus tantùm.*
41 *Astra nullo modo influunt in animam rationalem.*
42 Stellæ *factæ sunt propter hominem, & non homo propter stellas.*
43 *Bulla Vrbani VIII. refertur.*
44 *Nomine vitæ tria veniunt.*
45 *Mors, aut vitæ actiones prædictæ.*
46 *Prædicens futurum Papam est Reus Bullæ.*
47 *Actiones prohibitæ numerantur.*
48 *Et afficiunt consulentes, & Astrologos tantùm.*
49 *Vnde habentes prognostica non consulentes, non Astrologi non sunt rei Bullæ.*
50 *Correlatiua non iudicantur ad imparia, nisi adsit diuersa ratio 52.*
51 *Leges pœnales non extenduntur. Si Voluisset, expressisset.*
52 *Correlatiua sunt paria, vbi eadem viget ratio 50.*
53 *Ignarus retinens pronosticum non est Reus.*
54 *Dicta de Papâ intelliguntur etiam de eius consanguineis.*
55 Que *pro* Et *copulat præcedentia cum sequentibus.*
56 *Quando est sub eadem oratione contepta.*
57 *Consanguinei etiam ex copulâ illicitâ comprehenduntur.*
58 *Agens super nullitate & defectu requisitorum non est Reus Bullæ.*
59 *Abbatis Ioachini Vaticinia non sunt sortilega.*
60 *Cum non sint prædictiones ex pacto*

to Dæmonis.

61 *Procurans mortem Papæ sine diuinatione non est Reus huius Bullæ.*

62 *Prædictio futuri, siue iam defuncti non prohibetur hic.*

63 *Iudices S. Officij puniunt Reos harum Bullarum.*

64 *Suspecti sunt de Hæresi.*

65 *Abiurant de vehementi, vel leui iuxta gradum Suspicionis.*

66 *Pœnis arbitrarijs ex Bulla Sixti.*

67 *Excommunicati non sunt diuinatores de Iure communi.*

68 *Vtique ex Bullà Vrbani, cum bonorum confiscatione, & alijs pœnis.*

69 *Ecclesiastici degradantur.*

70 *Non sunt excommunicati habentes libros, & legentes, nisi.*

71 *Reg. 9. Indicis exponitur.*

1 ASTrologia in genere spectata est cognitio proueniens ex contemplatione Astrorum, vt ipsius nomen compositum demonstrat. Subdiuiditur in Naturalem, & Iu-
2 diciariam. Illa est cognitio habita ex contemplatione situs, cursus, motus, & coniunctionis Astrorum, ex quibus Astrologus venit in cognitionem effectuum naturalium e. g. Ecclipsis Lunæ, Solis, pluuiarum, imbrium, ventorum &c. De omnibus autem
3 certa cognitio, exceptà Ecclipsi, dari non potest, vnde non cognitiones simpliciter sunt dicendæ, sed veriùs coniecturæ. Et hæ sunt licitæ, nam illi effectus in sententià omnium naturaliter proueniunt ab Astris, cœlestia enim influunt in hæc inferiora; vnde Sixtus V. in suà Bullà 17. incip. *Cæli, & ter-*
4 *ra creator Deus*, hanc Astrologiæ speciem non condemnat, sed tantùm iudiciariam, quæ est prædictio effectuum dependentium à libero arbitrio, & aliorum euentum casu, & fortuitò euenientium, qui alio modo cognosci non possunt, nisi operà Dæmonis.

5 Iudiciaria autem diuiditur in triplicem speciem, scilicet Reuolutionis totius anni quò ad bellum, vel pacem, animalium morbos, aeris temperiem, vel intemperiem, seu salubritatem. Electionis secunda, prædicens quid agendum obseruatis quibusdam circunstantijs loci, temporis, personarum &c. Tertia se occupat in natiuitate prædicens in particulari homini quidquid illi euenire potest toto tempore vitæ suæ, e. g. si sit futurus diues, si habiturus sit dignitates, si periturus ferro, &c. si vxorem &c. Ita *Delrius lib. 4. cap. 3. q. 1. Sanchez lib. 2. cap. 3. num. 27. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 44. Salelles Reg. 115. num. 99.*

Quæritur 1. Quo iure Astrologia iudiciaria sit prohibita?

℞. Iure diuino, Canonico, & Ciuili. Pro- 6
batur iure diuino, Deuter. 18. 10. *Nec inueniatur in te, qui lustret Filium suum, aut Filiam ducens per ignem, aut per Ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos, aut quarat veritatem à mortuis, omnia enim hac abominatur Dominus.* Isaias cap. 41. 23. citatus à Sixto in præfata eius Bullà, sic: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Michæas 3. 7. *Et confunduntur diuini*, cap. 5. 11. *Et diuinationes non erunt in te.* Zacharias 10. 2. *Diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra.* In Actis Apost. cap. 1. num. 7. *Non est vestrum scire, tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suà potestate.* Et ex his manifestè patet Astrologiam diuinatoriam esse prohibitam Iure diuino, quia aliud non continet nisi mendacia à Dæmone inuenta ad perdendas animas.

Iure Canonico idem prohibitum fuit in causà 26. per tot capita quæstionis quintæ, & in tit. de sortilegijs, Pijssimi quoque Imperatores interdixerunt hoc idem *l. 2. 3. & 7. C. de Maleficis, l. Matematicos C. de Episcopali audient.* De his prohibitionibus Sanchez *lib. 2. cap. 38. num. 30. Suarez lib 2. tom. 1. de Relig. cap. 11. num. 13. Salelles Reg. 115. num. 92. Pegna part. 3. com. 26. Farinac. q. 181. num. 59. Hurtadus part. 1. tract. 5. cap. 4. resol. 35.*

Quæritur 2. An Bulla Sixti V. obliget solùm in Foro externo, an etiam in Foro Conscientiæ? Idem de Bullà Vrbani VIII. incip. *Inscrutabilis* 113.

℞. Ligat, & obligat in vtroque Foro, pro- 7
batur, quia solùm Lex fundata in præsumptione excusat in Foro Conscientiæ, quando veritas est in contrarium, *Nauar. cap. 17. num. 284. & cap. 23. num 62. Couar. in cap. Cum esses, de testam. num. 9. Suarez lib. 3. de Legib. cap. 23. num. 1. Sayrus in Claui lib. 3. cap. 7 num. 8.* Diana *part. 1. tract. 10. resol. 27. cum quib. Castropal. part. 1. tract. 3. disp. 1. part. 14. num. 12.* Vbi cum prædictis duplicem distinguit præsumptionem, vna est Iuris de quolibet scilicet casu singulari, altera de præsumptione in casu communiter contingente. Quando Lex fertur ob præsumptionem Iuris alicuius delicti vel facti, si veritas est in contrarium, tunc præsumptio abest, ac proinde obligatio Legis, seu superioris e. g. Ego per fallos testes probatus sum debitor, qui reuerà tamen non sum, cogor soluere debitum in Foro externo, non tamen teneor

teneor in Foro conscientiæ, quia veritas se opponit præsumptioni, ideo occultà compensatione vti possum. Quando autem fertur lex non in præsumptione delicti, vel facti, sed ipsa præsumptio fundatur in periculo illius, esto in aliquo casu particulari cesset, non tamen cessat obligatio, quia non cessat generaliter, & absolutè in omni casu periculum, vbi ergo dubitatur de periculo frauid non cessat præsumptio, nec proinde Lex, sed obligat, vnde contractus minorum sine solemnitate initi, esto absit fraus, tamen quia in illis præsumitur periculum Fraudis, ideo Lex vlterius obligat contrahentes cum minoribus, seruatis solemnitatibus.

Posito hoc fundamento subiungo minorem, sed allatæ constitutiones Sixti, & Vrbani non sunt fundatæ in præsumptione; immo & si essent fundatæ, adhuc obligarent, ergo ambæ obligant. Quòd non fundentur eorum Leges in præsumptione probatur, quia Astrologia iudiciaria reuerà intrinsecè adiunctum habet pactum Dæmonis in sententià omnium; vt deducitur ex allatis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ diuinationes appellat mendacia, Dæmon enim pater mendacij dicitur, primus enim fuit, qui mendacio Euam decipit illis verbis. *Nequaquam morte moriemini*, Gen. 3. 4. Et in cap. Episcopi 12. 26. q. 5. dicitur ars à Diabolo inuenta; Summi ergo Pontifices Vrbanus, & Sixtus non fundauerunt suas constitutiones in præsumptione, quod posset esse fraus Dæmonis in Astrologià, sed quia certò sciebant Dæmones decipere homines, & eos inducere ad peccatum, ideo vt eos retraherent ab hoc vitio, eas Constitutiones ediderunt nullà habità ratione ad præsumptionem, quia non præsumebant, sed certò sciebant, Astrologiam non posse contingere sine dolo, fraude, & peccato.

Datà etiam præsumptione, adhuc obligant in Foro etiam Conscientiæ, quia semper adest periculum supra explicatum. Et ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 34. Trullenchus in Decal. lib. 2. cap. 10. dub. 4. part. 2. Lupus lib. 18. dist. 3. difficult. 7. Peyrin. ad constit. 9. Pauli V. §. 2. num. 24. Compend. Bullar. Schol. 1. Homob. part. 1. Exam. tract. 6. cap. 5. q. 22. Bonac. disp. 2. in Bullà q. 2. part. 38. num. 5. Salelles Reg. 115. num. 108. Hurtadus part. 1. tract. 5. cap. 4. resol. 8.* Rem hanc latiùs probat *Bonac. in Bullà disp. 2. q. 2. part. 38. num. 5.*

9 Contrarium, quòd Bullæ Sixti, & Vrbani habeant locum solùm in Foro externo, ac proinde quidquid licitum erat ante prohibitionem, etiam nunc licere in Foro Conscientiæ, excluso scandalo, docent *Suarez cap. 11. num. 30. Valentia 2. 2. q. 12. disp. 6. part. 3. Delrius lib. 4. cap. 2. q. 3. Naldus V. Astrologus num. 4. Molfesius part. 1. summa tract. 11. cap. 7. num. 120. Raphael della Torre in 2. 2. q. 95. art. 5. disp. 2.* quos citat Diana part. 1. tract. 15. resol. 58. qui proinde non damnaret Reum eius Bullæ illum, qui coniecturà tenuissimà aliquid prædiceret. Eandem probabiliorem putat Carena part. 2. tit. 12. num. 66. Et omnes ad id dicendum fundantur in eo, quòd Bullæ illæ nituntur præsumptione, quod etiam docet Dal Bene Dub. 223. sect. 3. vbi tamen non obstante præsumptione, ait, obligare, esto cesset in aliquo casu præsumptio, quod scilicet nullum sit pactum cum Dæmone, quia prohibitio expedit bono publico Religionis Christianæ.

Sed reuerà superiùs probatum est, Bullas non fundari in præsumptione, sed in veritate, nam ex allatis auctoritatibus, & ratione manifestum est Astrologiam iudiciariam non dari sine pacto saltem tacito Dæmonis, ergo hìc præsumptio locum habere non potest, dum veritas reperitur, *cap. Veritate 4. dist. 8. l. Nuptura filio ff. de iure dot.* 10

Confirmatur, quia præsumptio non habet locum in Astrologià iudiciarià, cum iudicium in ea haberi non possit viribus naturæ, eo quod, vt dicitur 1. Act. *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suà potestate*, ergo qui iudicat non proprià scientià, sed arte Dæmonis non iudicat proprijs viribus; ergo neque locum habet in coniecturà, quæ & ipsa dependet ab astris, quorum virtus in ordine ad effectus liberos, & casus fortuitos ignota homini est, ex eadem auctoritate, iudicium enim, & coniectura referuntur ad idem obiectum.

Quæritur 3. An Astrologia per quam misteria Fidei iudicantur sit prohibita per Bullas Sixti V. & Vrbani VIII. Immo an ante ipsarum editionem? Videtur, quòd non, quia de genitura, & morte Christi ex astris figuras proposuerunt Dionisius Abbas Romanus, Petrus de Aliaco, Nicolaus Cusanus S. R. E. Cardinales, refert etiam duas figuras Lucas Guaricus Episcopus Ciuitatensis in suo Calendario fol. 25. 11

℞. Et si id non sit prohibitum ex dictis Bullis; est tamen certissimum misteria Fidei nostræ dependere essentialiter, & infallibiliter à diuinà reuelatione, independenter ab Astris, ita quòd nec sciri, nec coniecturari possunt mediantibus astris, quæ cum illis nullam habent connexionem, nec proportionem, ordinata non sunt ad cognitionem misteriorum Fidei, quæ Deus per Angelos, & Prophetas dedit antiquis Patribus, & tempore Legis gratiæ sua misteria per Filium suum, & Apostolos toti Ecclesiæ per Christum plantatæ reuelauit. Et in hoc nulla difficultas, & aliter sentiens est Hæreticus. 12

Ad rationem dubitandi dico præfatos Mathematicos mendacia locutos fuisse, quia natiuitas,

tiuitas, & mors Christi nullam habuerunt dependentiam, nec indicium ad motum, & constellationem Astrorum, vnde bene dixit S. Gregorius Papa lect. 8. Secundâ die infra octauam Epiphaniæ, quòd ea Stella, quæ apparuit in Natali Domini, cucurrit ad Puerum, non Puer natus ad Stellam, nam Stellæ à Deo creatæ sunt in seruitutem hominum, non homines propter Stellas, quasi homines ab illis dependeant. Supradicti oculos mentis cæcutientes habebant sub præcedenti censurâ adhuc palpitantes, sed Sixtus V. anno 1585. aperuit illis occulos, & detersit caliginem ab eis, qui catolicè viuere intendunt. Misteria ergo Fidei ab astris non pendent, sed à solo Deo, aliter intendens Hæreticus est. Ita *ex Molfesio tract.* 11. *cap.* 7. *num.* 115. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 31. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 67.

13

Quæritur 4. Quid prohibeatur in Bullà Sixti V.?

14 ℞. Ex §. 3. Prohiberi sequentia eius verbis relata. Mandamus, vt tam contra Astrologos, Matematicos, & alios quoscunque dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem (præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem Medicam) imposterum exercentes, aut facientes Iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitis casibus, aut actionibus ex humanâ voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id non certò affirmare asserant, aut protestentur; quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent profitentur, & docent; aut discunt. Quique huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, &c.

Reduco prædicta ad tria capita. Sub primo continentur actiones Astrologiæ. Sub secundo effectus ab illis actionibus procedentes. Sub tertio personæ, quibus prohibetur Astrologia iudiciaria.

Actiones sunt exercitium astrologandi, & diuinandi, Iudicium etiam non certum super hominum natiuitates, professio, docere, aut discere, facere diuinationes, sortilegia, & superstitiones, incantationes, seu veneficia, seu in prædictis se intromittere. Quare hìc non solùm prohibetur diuinatio per Astra, sed quælibet alia actio superstitiosa, esto non sit propriè diuinatio, & præcognitio futurorum per Astra.

Effectus in Bullà prohibiti sunt futura contingentia, successus, casus fortuiti, & omnes actiones pendentes ab humanâ voluntate, quorum vt futurorum prænotio ab astris quæritur. Et effectus quosque quorumlibet Sortilegiorum?

Personæ vero, quibus hæc sortilegia diuinatoria prohibentur, est quilibet homo tam masculus, quàm fœmina prædictas actiones profitens, faciens, docens, addiscens, se in prædictis intromittens. Super quibus occurrunt sequentes difficultates, pro quarum resolutione.

Quæritur 5. An prohibeantur hic Episcopi, Cardinales, Duces, Reges, & Imperator, si quis istorum exerceat hanc artem? Non videntur contineri, quia notabiles personæ non comprehenduntur sub generali 15
prohibitione, *cap. Sedes* 15. *de Rescr. vbi Gloss. iura citat cap. De multà de prebend.* & de Cardinalibus, & Episcopis id expressè dicit *Ioannes Baptista Plotus Nouariensis lib.* 1. *consil.* 19 *num.* 15. & 16. Hoc autem consilium extendit Gaticus in sua Catenà aureà pro Immun. Eccles. vol. 1. fol. 639.

℞. Prohibentur, quia allegata ratio limitatur, quandocunque agitur de crimine enormi, & Christianæ Religioni pernicioso, Marta de Claus. 23. num. 2. Patet autem ex Bullà, Astrologiam iudiciariam esse perniciosam Christianæ Religioni, & sanctæ Fidei, cum non possit exerceri sine Dæmonis auxilio. 16

Quæritur 6. An petens ab amico Astrologo propriam natiuitatem, vel quid simile hìc prohibitum, sit Reus huius Bullæ sicut ipse astrologus?

℞. Affirmatiuè, tum quia dicitur addiscere, dum legit, vel audit natiuitatem sibi factam. Tum quia se intromittit in eam artem 17
petendo suam natiuitatem, nam se intromittere est cum alijs se ingerere in aliquo 18
negotio, & differt ab intromittere alium in domum suam, in quo motu persona introducta dici potest, esto non sequatur negotium, qui verò se intromittit, negotium cum alijs quærit.

Quæritur 7. An semel faciens natiuitatem, seu diuinans per astra sit Reus huius Bullæ? Ratio dubitandi est, quia vtitur verbo *Exercentes*, *Exercent*, quod importat pluralitatem actuum, *ex allegatis à Nauar.* 19
cap. 27. *num.* 250. *Quaranta V. Sodomia, vers. Quartò*, per vnicam ergo natiuitatem non videtur Reus huius Bullæ.

℞. Esse Reum per iudicium semel factum, quia præter verbum *exercentes* subiungitur disiunctiuè, *aut facientes Iudicia*, quæ referuntur etiam ad vnicum actum. 20

Quæritur 8. An per se hanc artem addiscens, non docens, nec ea vtens pro se, nec pro alijs, habendo se merè speculatiuè sit transgressor Bullæ?

℞. Affirmatiuè quia is continetur sub illis 21
verbis *Exercent*, *Profitentur*, *vel Discunt scientias*. Qui enim studet dicitur se exerce- 22
re

re in eo, illud profiteri, & discere.

Confirmatur, quia huiusmodi Astrologia talis est naturæ, vt ordinetur ad praxim, & Operationem, adeo quòd non videtur posse stare sine exercitio cum solâ speculatione, cum de se sit operatiua.

Dices posito effectu possum speculari eius causas, à quibus procedit, & sic sistere in merâ speculatione, consequenter est speculatio sine praxi.

Resp. Artem astrologicam ex naturâ rei esse prænotionem futurorum, non effectuum præsentium, adeo quòd nemo solet quærere id quod existit, cum iam notum sit ex suâ existentiâ, sed quod euenturum est.

Quæritur 9. An in Bullâ prohibeatur cognitio causarum, à quibus processit effectus, qui ab Astrologo supponitur procedere ab astris?

23 ℞. Affirmatiuè, quia vno prohibito, & alterum sequens ab eo censetur interdictum, *l.oratio 16 ff. de spons.* interdictis sponsalibus & matrimonio, cuius illa sunt promissio; sed in Bulla prohibentur natiuitates, ergo & earum præcognitiones, non solùm prout antecedunt conclusionem, sed etiam vt sequuntur effectum, cum huiusmodi præcognitiones non solùm ante effectum, sed etiam post ipsum sint superstitiosæ habentes adnexum Dæmonis pactum, ergo quouis modo spectatæ sunt prohibitæ.

Confirmatur, quia euentus & effectus in tantùm est superstitiosus, in quantùm dicitur procedere ab astris, à quibus tamen reuerà non procedit, nisi Dæmonis arte, & deceptione, vt docet Bulla, ergo Astrologus eius causam vlterius quærere non Potest, nisi dependenter à Dæmone, cuius adiutorium inseparabile est ab huiusmodi Iudicio, & cognitione.

Quæritur 10. An sit Reus huius Bullæ non solùm, qui certò prædicit ex astris futuros euentus, sed etiam, qui illos prædicit solùm ex coniecturis.

24 ℞. Ex vtraque præcognitione incurri transgressionem Bullæ non solùm pro Foro externo, verùm etiam pro Foro Conscientiæ. *Primum* exprimitur clarè in Bullâ his verbis: *Facientes iudicia, aut natiuitates, &c. aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur.* Quæ verba repetuntur, in Bullâ 113. Vrbani VIII §. 3. Et ita docet ex *Salas 1.2.q.9 art.5.tract.5 disp. 2. sect. 3. num. 36. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 34 Homob. in Exam. par. 1. tract. 6 cap. 5. q. 22. Compend. Bullar. const. 17. Schol. 1. Salelles Reg. 115. num.* 104. *Bonac. in* Bulla *disp. 2. q.2.p.* 38. *num.5.*

25 Contrarium, quod coniecturantes, illicitè non agant, docent plerique quos pro se citat *Dal* Bene *Dub.222. sect. 2. num. 5. Abbas in cap. 2. de Sortileg. num. 7. Toletus lib. 4. cap. 15. num.6. Sayrus lib. 4. cap. 7. num. 4. Caiet. cum* D. *Thoma 22. q. 95. art. 5.* Ea ratione, quòd prædictio coniecturalis circa dependendentia à libero arbitrio haberi possit ex sideribus sine Dæmonis auxilio. Non omnes expressè id dicunt in terminis coniecturæ, sed quòd non licet certò affirmare, quod prædicitur.

Sed contra, quia in sacris canonibus caus. 26
26. q. 5. dum prohibentur diuinationes, incantationes, & similes diabolicæ artes, nulla fit distinctio certitudinis, aut coniecturæ in illis, sed simpliciter interdicuntur, ergo neque nos distinguere debemus, ex vulgatis iuribus;

Confirmatur, quia diuinatio vt sic nullam dicit certitudinem, cum astra nullum influxum habeant determinatum in effectus liberos, & casus fortuitos, vnde dicitur Ierem.
10. *A signis cæli nolite metuere.* Diuinatio 27
ergo quædam coniectura est, non scientia,
immo insipientia, quia prætendens diuinare 28
sibi vsurpat, quod proprium est Dei, iuxta illud, quod dicitur apud Isaiam 41. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Sed impossibilis est Deorum pluralitas, ergo & annuntiato futurorum per Astrologos.

Ratio adducta de se falsa est, cum diuina- 29
tio astrologica de se sit intrinsecè superstitiosa, & inuentum diabolicum. Nec Sanctus Thomas ab illis citatus eius fuit opinionis, sed nostra responsio ipsius sancti Doctoris est nam in corp. art. 1. inquit. *Sed considerare* 30
huiusmodi in seipsis, antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in suâ æternitate videt ea, quæ futura sunt, quasi præsentia. Et ibi refert dictum Isaiæ, & subdit: *Si quis ergo huiusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocunque modo præsumpserit, nisi Deo reuelante, manifestè vsurpat sibi, quod Dei est.* Obseruo ea verba *prænoscere quocunq.* 31
modo, nam id importat quamlibet prænotionem siue certam, siue coniecturalem. Dictio enim *quocunque modo* nullum excludit modum præcognoscendi, *ex allegatis à Barb. Dict.* 339.

Nec obstat, quod dicit in corp. art. 5. illis verbis: *Si quis ergo consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsâ, & vanâ opinione* Caietanus ibidem sic explicat sanctum Doctorem his verbis: *Cauendus ergo triplex est error in* 32
huiusmodi. Primò vt non quæramus ex cœlestib. supernaturalia, qualia sunt misteria Fidei. Secundò, vt nullum contingentium quæramus ex cœlestibus cognoscere per certitudinem. Tertiò vt cognitioni per coniecturam, quam ex cœlestibus, habere quærimus

non

non inhaereamus secundum affectum, & executionem tamquam legi &c. Subdens. *Errantes in tertio digni sunt duplici pœnâ, quia scientes corpora cœlestia non plusquam passiones nostras posse, subijciunt seipsos corporalibus, & in captiuitatem seipsos redigunt, non in obsequium Christi, sed Diaboli.* Ex quibus manifestè patet, non solùm prædictionem secundùm certitudinem, sed etiam secundum coniecturam, esse prohibitam etiam ante publicationem Bullæ Sixti V. Caietanus ergo cum S. Thoma non est huius opinionis, sed prioris iam probatæ.

Secundum, quòd vtraque prædictio certitudinis, & coniecturæ prohibetur etiam in Foro conscientiæ, probatum fuit supra sub q. 2.

Quæritur 11. An in Bullâ prohibeantur simplices supputationes natiuitatum cum suis directionibus, etiamsi non prænuntiato euentu alicuius futuri? Seu An prohibeatur solùm conclusio futuri euentus, & non præmissæ inferentes illam?

℞. Non solùm prædictionem, sed etiam
33 supputationes cum suis directionibus sunt prohibitæ. Probatur ex verbis Bullæ: *Facientes Iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus affirmare audent.* Nam ex prioribus verbis habetur supputatio cum suis directionibus, & conclusio seu prædictio ex sequentibus. Item ex illis: *Quiue illicitas diuinationes, sortilegia, & superstitiones faciunt.* In his enim includuntur præmissæ, & conclusio, important enim delictum perfectum. In sequentibus verò: *Aut in eis se quomodolibet intromittunt* manifestè probatur, hic prohiberi incohatio diuinationis, quamuis non reducatur ad suam perfectionem; non enim potest negari intromissio aliqualiter per illud aduerbium *Quomodolibet* importans quemlibet modum operandi, *ex allegatis à Barb. Dict.* 330.

34 Confirmatur, quia prohibito consequente, intelligitur prohibitum antecedens, à quo necessariò pendet consequens, *l. Eos C. de vsur. l. Pupillus §. sed si per interpositam ff.*
35 *de auctor. tutor.* Sed conclusio necessariò pendet à præmissis, ergo prohibitâ conclusione, etiam præmissæ interdictæ sunt. Quare ridiculum videtur, formare figuram, & nihil ex eâ concludere, cum nullus petat formationem, sed eius conclusionem, & prædictionem.

Queritur 12. An sit prohibitum inquirere causas euentuum iam existentium, vel præteritorum non diuinatorum?

36 ℞. Affirmatiuè, quia hoc est facere superstitiones, & sortilegia ibidem prohibita, nam obseruatio natiuitatis postulat eandem cognitionem, si non tantùm laborem, vnde parum refert, quod præferatur, vel postponatur effectui, semper enim dependet ab auxilio Dæmonis.

Confirmatur, quia in hoc casu habetur cognitio iudicatiua ex illis supputationibus, directionibus, & alijs concurrentibus, non secus ac si facta fuisset natiuitas de effectu futuro, & ex eâ tantum didicit, quantum si prænuntiasset effectum ante eius existentiam, cum causa non mutet suam naturam quouis modo spectetur; siue in potentiâ, siue in effectu, & post illius euentum.

Quæritur 13. Vtrum interdicatur retentio natiuitatis factæ, aut alicuius eius partis, seu geniture, vel calculationis, tam euentum futurorum, quàm præteritorum, tam viuentium, quàm mortuorum?

℞. Nihil prohiberi in Bullâ Sixti, vtique 37
in Bullâ Vrbani, illis verbis: *Prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisue quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint.* De qua re infra in explicatione huius Bullæ, vbi restringitur ad præmissa ibidem.

Quæritur 14. An prohibita sit Astrologia iudicans de temperamento corporis humani ex obseruatione influxus constellationum tempore natiuitatis?

℞. Negatiuè, quia certum est Cœlum di- 38
rectè influere in corpus humanum, & aliorum animalium, dicitur enim §. Physic. T. 26. Sol, & homo generant hominem, talem enim habent virtutem dispositiuam ad formationem fœtus, vt inde fiat temperamentum humorum, & quatuor qualitatum, iuxta concursum constellationum diuersum, ex quibus sequitur partus alius habens bonum temperamentum, alius malum. Astra ergo directè influunt in corpus humanum
quò ad temperamentum. *It D. Thom. part.* 39
1. q. 115. art. 3. & 4. Scotus in 2. dist 14 q. 3. vers. Quartò, num 6. & ibidem in Reportatis num. 5. Abbas in cap. 2 de Sortileg. Rodriquez in sum. part. 1. cap. 7. num 3. Suarez tom. 1. de Relig lib. 2. de superstit. cap. 11. nu. 8. cum alijs Dal Bene Dub. 222 sect. 2. num. 1. Hurtadus part. 1. tract. 5. cap. 4. resol. 33. num. 366. & 369. Quod nec in sacris Canonibus, nec in præfatis Bullis interdicitur, quia in his nullum Diaboli consortium habet locum.

Obseruandum autem est, vt dixi in sacro Tribun. cap. 20. q. 7. num. 17. non posse sciri certò quale temperamentum sit in corporibus humanis, cum ad illud non solùm concurrant astra, sed etiam alia, nam dependet ex qualitate seminis progenitorum, ex educatione, ex diuersitate aeris, & alijs causis, ac proinde cum in dies varietur temperamentum, non cognitio, sed coniectura de eo potius habetur.

Quæritur 15. An prohibitum sit iudicare de inclinationibus bonis, aut malis hominũ?

40 ℞. Non est prohibitum coniecturare inclinationem personæ ad malum, vel bonum e.g. ad iram, auaritiam, luxuriam, furtum &c. ad mansuetudinem, ad pacem, &c. Ratio est, quia huiusmodi passiones, quæ sunt motus sensitiui appetitus cognoscuntur ex temperamento quatuor qualitatum inducente huiusmodi passiones; sed Astrologus, vt probatur præced. quæst. cognoscere potest temperamentum, ergo & passiones ab eo præcedentes. Ita *D. Thomas part. 1. q. 115. art. 4. Scotus in 2. dist. 14. q. 3. vers. Quartò, Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. Ego cap. 20. num. 18. & præcitati præcedenti quæstione.* Dixi, *coniecturare*, quia cum astra directè, & immediatè agant in corpus, & per corpus in animam, ac proinde indirectè, & remotè, sequitur, quòd sicut fortior est causa agens directè in corpus, & minus fortis agens in animam, ita & valde infirmior cognitio Astrologi in coniecturando inclinationes malas, vel bonas hominis. Dico *inclinationes*, quia de liberis actibus mox dicam.

Quæritur 16. An astra influuant in animam rationalem cogendo eius Intellectum, & Voluntatem ad malum, seu bonum effectum?

41 ℞. Negatiuè, quia nullum corpus agere potest in spiritum, qualis est anima rationalis. Confirmatur, quia anima in suis operationibus est omnino libera, ergo ab astris cogi non potest, aliter eius libertas destrueretur, quod repugnat, quia sicut solus Deus hominem fecit liberum, ita solus illum cogere potest, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. de Regul. iur. Præterea vt dicitur in Bullà Sixti. *Cæli, & Stellæ non imperant, sed inseruiunt.* Et infra

42 ex S. Ambrosio: *Neque enim propter Stellas homo, sed Stella propter homines factæ sunt.* Nihil ergo astra in hominem influere possunt, per quod cogatur ad bonum, siue malum; quicquid enim agit homo, liberè agit, astris in nullo subiectus, dum illis imperat, iuxta illud: *Sapiens dominabitur astris*. Vide cap. 20. num. 19. Dæmon non potest cogere animam, sect. 32. num. 8. multò minus astra.

Quæritur 17. Quid Bulla Vrbani VIII. prohibeat Astrologis, & alijs consortibus? Incip. *Inscrutabilis* 113. in Bullario Nouo.

43 ℞. Bulla Sixti V. hactenus explicata per nos, approbata, confirmata, & innouata ab hoc Papa, per hanc sequentem prohibitionem sub §. 3. Et insuper, omnibus, & quibuscunque laicis cuiuscunque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vità, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum, Matematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresue nuncupatos, vel alios Astrologiam iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes, de cætero consuluerint, seu desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, illisue quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint; Nec non ijsdem Matematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, siue alijs Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentes, qui iudicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fecerint, siue à se, siue ab alijs iam facta, vel factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quouis modo etiam improbando scripto, vel verbis tractauerint, ne dum excommunicationis &c.

Præsens Bulla restringitur ad diuinationem circa statum Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, aut super vità, & morte Papæ, & eius consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè, etiam si diuinatio sit coniecturalis. Prohibitio autem afficit consulentes, & Astrologos consultos facientes prognostica super præmissis. Item recipientes, vtentes, retinentes, ostendentes, & dantes. Atque tractantes de prædictis scripto, vel verbo, etiam impugnando. Dixi cap. 21. q. 13. vbi Bullam extendi, & quæst. 14.

Super hanc Bullam pono sequentia Dubia *Primum* An consulens, seu prædicens super functiones futuras Papæ sit Reus huius Bullæ? Ratio est, quia in Bullà prohibetur iudicium *de vità, & morte Pontificij Romani*; functiones autem sunt extra vitam, & mortem ipsius. *Secundum*, an prædicens de vità, & non de morte; vel de morte, & non vità sit Reus huius Bullæ? *Tertium*, an prædicens futurum Pontificem sit Reus huius Bullæ? *Quartum*, An Astrologus nihil prædicens de Papa ab amico, à quò consilium non petijt, oblatum prognosticum sibi retinere possit? Ratio dubitandi est, quia retentio soli consulenti videtur interdicta? *Quintum*, an prædicta de Pontifice in ijsdem terminis intelligenda sint de eius consanguineis? *Sextum*, an in Bullà comprahendantur consanguinei naturales ex copulà illicità?

Primo dubio respondetur, esse Reum Bullæ, quia nomine vitæ veniunt etiam operationes, & functiones; nomen enim vitæ tripliciter accipitur, & pro esse viuentis, quod est coniunctio animæ cum corpore; & pro operatione vitali, & pro principio directiuo operationum vitalium, *D. Thom. part. 1. q.* 44

18.

18. *art.* 3. 2. 2. *q.* 19. *art* 7. *in corp.* Accipitur ergo hic pro illis tribus acceptionibus, nam vita hominis talis non est, nisi quæ exercet suas operationes vitales, & morales, vnde apud Terent. in Adelph. sumitur pro moribus, his verbis: *Inspicere tamquam in speculum vitas hominum iubeo*. Facit quoq; illud Iob 7. 1. *Vita hominis est militia super terram*. Quare in Bullà prohibetur non solùm vita in ratione suæ originis, sed etiam in ratione operationum, ne subijciatur iudicio Astrologorum, & ex his patet ad rationem dubitandi, functiones scilicet Papæ esse in ipsius vità.

45 Secundò, sufficit prædicere aut de vità, aut de morte ad transgressionem Bullæ, nam dictio aut intermedians est alternatiua, & disiunctiua, sufficit vnius executio tam in ordine ad obseruationem Legis, quàm ad eius transgressionem, *ex allegatis à Barb. Dict.* 46.

46 Tertiò, prædicens futurum Papam est Reus huius Bullæ ex illis verbis: *De statu Republicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ*, dum enim agitur de futuro Pontifice; tractatur de statu Reipublicæ Catolicæ, & Apostolatus.

47 Quartò, Astrologus prædictionem ab alio factam, & sibi oblatam retinens, licet ipse nō fecerit, est Reus Bullæ, illis verbis. *Siue à se, siue ab alijs, iam facta seu factas in posterum penes se similiter retinuerint.* Sermo est de Astrologis, & Matematicis retinentibus, nam in præcedenti clausulà, prohibetur retentio respectu consulentium ibi: *De cætero consuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisue quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint*. Quatuor hic actiones prohibentur, receptio, vsus, retentio, & ostensio, respectu quorum prohibitio est disiunctiua, ita quòd ad transgressionem vnaquæque actio sufficit.

Quid si quis ignorat esse prohibitum receptum, retentum, & ostensum? Excusatur propter illud verbum *Scienter* referibile ad omnes actiones; & licet consulens non præsumatur ignorare, dum ab Astrologo iudicium petijt, & postmodum reecepit, retinuit, vel ostendit; tamen in foro Conscientiæ dabilis est ignorantia, quæ potest excusare ab Excommunicatione, dum putat vnam rem pro alià accepisse.

48 Illæ quatuor actiones referuntur ad ipsos consilium petentes, adeo quòd alij, qui non consuluerunt, recipientes, retinentes, seu ostendentes, non comprehenduntur sub eà Clausulà, nec sub sequenti de Matematicis, & Astrologis, vbi illis prohibentur pariter quatuor actiones, quæ sunt retinere propria, vel aliena, dare, seu ostendere illa alijs, aut tractare etiam illa impugnando verbis, vel scripto.

Sed quid dicendum de habente apud se tale Iudicium, seu prædictionem, qui non est Astrologus, nec consuluit aliquem ex his professoribus, numquid est Reus huius Bullæ? Non, quia Bulla prohibet eas actiones consulentibus, & Astrologis vt clarè colligitur ex verbis Bullæ.

Dices primò, correlatiua non iudicantur ad imparia, quia regula correlatiuorum est regula parium, *l. Iulia* §. *Si procurator ff. de act. empt.* Vnde si quid est prohibitum vni, & alteri correlatiuo, *Menoch cons.* 136. *num.* 10. *&* 11. *Gonzal. Glos.* 50. *num.* 12. Sed correlatiui sunt dans, & accipiens, ostendens, & videns, ergo ambo sunt Rei huius Bullæ. Secundò vsus Iudicij, & prognostici non solùm est perniciosus Reipublicæ Catolicæ &c. respectu consulentium, & Astrologorum, sed etiam aliorum, qui non consulunt nec sunt Astrologi, possunt enim isti nocere, sicut illi, si nocent consilium petentes, à fortiori vtentes Iudicio, & prædictione. 50

℞. Cum in odiosis Leges intelligendæ sint potissimùm secundum propriam verborum significationem, nec vlterius sint extendendæ ad id, quod Legislator non expressit, vt docent communiter omnes super Reg. 15. in 6. Nam si Legislator voluisset expressisset, *l. Vn.* §. *Vbi autem C. de caduc. tollend. l Si seruus* 70. §. *Prætor ait, vers.* Non dixit *ff de aquir. hæred. cap.* 2. *de translat. Episcop. cap. Ad audientiam, de decim. Menoch.* 1 *num.* 170. *& cons.* 140. *num.* 4. *Surd. dec.* 88. *num.* 4. *Scotus in* 4. *dist.* 7. *q.* 5. *vers. Cum ergo.* Sequitur quòd non consulens, nec Astrologus existens, habens prognosticum non est Reus huius Bullæ, cum non exprimatur, sicut illi. 51

Quare ad primum argumentum de correlatiuis, habere locum quando eadem ratio in vtroque militat, non autem si diuersa est, *Baldus lib.* 1 *cons.* 188. *num.* 2. *fine*, *Tuschus lit. C. concl.* 1041. *apud Barbosam Axiom.* 61. *fine*. Manifesta autem est diuersitas, quia talis recipiens, vel retinens non consuluit, nec professor est, sicut expressi in Bullà, lata ergo est diuersitas, & ratio cur vnum expressum, & non alterum subijciens pœnis. 52

Ad secundum argumentum, esto habeat apud se Iudicium, & prædictionem, cum sit ignarus, vt supponitur, non potest rem deducere in vsum, & sic retinet inutiliter, ac si apud se non haberet. 53

Quintò, hactenus dicta de Iudicijs, præcognitionibus, & actionibus contra Pontificem, intelliguntur etiam super vità, & morte eius consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè; clara sunt verba hæc: *De vità, aut morte Romani Pontificis pro tempo-* 54

re existentis eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum. Indicantia, quod respondimus, nam copulatiua *Que* coniuncta
55 huic dictioni *Eiusque*, copulat sequentia cum præcedentibus, *Barbosa dict.* 110. *num.* 7. Dispositio enim quā lo est sub eâdem oratio-
56 ne concepta, vt in casu nostro, tunc copulatiua est repetitiua omnium conditionum præcedentium, *Zabarella consil.* 58 *in princ. Alex. cons.* 120. *lib.* 1. *cum alijs Barb. num.* 30. Idem autem importat dictio *Que*, quod *Et*, habent enim eundem omnino sensum.

57 Sextò, Bulla comprehendit quoscunq. consanguineos Papæ siue ex copula matrimoniali, siue illicitâ extra Matrimonium, nam consanguinitas est vinculum personarum ab eadem personâ carnali propagatione descendentium, inquiunt Theologi *cum* D. *Thoma in* 4. *sent. dist.* 40. *cum Scoto ibidem q. vn. vers. Hic præmittendę*. Carnalis autem propagatio prouenire potest tam ex copulâ licitâ, ratione Matrimonij, quàm illicitâ, vt notum est, cum consanguinitas proueniat à naturâ, non à contractu Matrimonij ex copula tantùm licitâ.

Quæritur 18. An Iudicium faciens super nullitate electionis Papæ viuentis, sit Reus huius Bullæ Vrbanæ?

58 ℞. Negatiuè, quia scribens pro nullitate electionis, vel etiam petens scribatur, productis rationibus super nullitate nullum exercet actum Astrologię iudiciariæ, sed simpliciter procedit per rationes relatas ad defectus conditionum, quæ requiruntur ad probandam nullitatem electionis. Confirmatur, quia id non est diuinare, sed opinari allatis rationibus contra nullitatem ex non seruatis requisitis legitimæ electionis.

59 Quæritur 19. An obseruantes, seu speculantes Vaticinia Ioachimi Abbatis. Item Prognostica Ioannis Abbatis. Item Vincentij in antiquissimo libro Viterbij reperto. Item ex alio libro pariter antiquissimo F. Ægidij Poloni prophetia extracta à B. Ioanne de Capistrano, & missa ab eodem Æneæ Picolomineo postea Pio II. reperta post eius mortem inter scripturas eius cum litteris dicti Ioannis ordinis Franciscani nunc Beati, cuius officium celebrant Franciscani 23. Octobris. Item B. Iodochij Palmerij. Quæ omnia typis impressa sunt Venetijs anno 1646. apud Christophorum Tomasinum Item S. Malachiæ Episcopi, sint Rei Bullæ Vrbani VIII.?

60 ℞. Negatiuè, quia non sunt prædictiones sed regulæ, ex quarum cognitione ducimus in notitiam Pontificum Romanorum, quia in Vaticinijs exprimitur aliquid spectans, vel ad eorum familiam, locum, & operationes, quas faciunt. Vnde multi dicunt, Ioachinum Abbatem in suo Vaticinio 8. prædixisse destructionem ordinum Canonicorum S. Georgij in Algâ Venetiarum, Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, & Fesulanæ Congregationis, quos Clemens IX. nunc feliciter regnans suppressit anno 1668.

Sed reuera Vaticinium illud satis obscurum est, & non videtur facere ad rem. Figura vero nonnihil repræsentat, nam Papa equitat, recedendo à muliere, quæ significat præfatas tres religiones suppressas, & derelictis à Papa recedente, vbi etiam figuratur Ecclesia clausa cum campanili.

Quæritur 20. An procurans mortem Papæ, vel eius consanguineorum medijs superstitiosis, sine diuinatione sit Reus huius Bullæ?

℞. Negatiuè, quia in ea solùm prohibetur superstitiosa diuinatio ex astris, sine vllo maleficio. Nec obstat, quòd in Bulla fiat mentio de morte, nam id non refertur ad læsionem corporalem, sed ad prædictionem mortis naturalis, vel violentæ per solam superstitionem diuinatoriam. 61

Quæritur 21. An prædictio astrologica futuri Pontificis hic prohibeatur? Item & post eius mortem?

℞. Negatiuè, vt patet ex illis verbis: *Romani Pontificis pro tempore existentis*. Nihil ergo disponitur de futuro, neq; de præterito & iam defuncto, seu de illo, qui Papatui renuntiauit. Idem dic de eius consanguineis, quòd de illis prædicere sit prohibitum, dum viuit Papa, & non aliter, neq; enim melioris debent esse conditionis, & fauoris. Dixi de hac Bulla Vrbani latius cap. 21. à num. 14. ad 22. 62

Quæritur 22. Ad quos Iudices spectat punire astrologos iudiciarios, & diuinatores? Item addiscentes, seu se intromittens in diuinationibus?

℞. Ad iudices S. Officij, ex Bullâ Sixti V. illis verbis: *Tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, etiamsi in plerisq; ex his casibus antea non procedebant*. Per illud verbum *Locorum* excluduntur superiores regulares, quia non habent potestatem localem, sicut alij ecclesiastici restrictam, & loco cohærentem, citant enim suos subditos à quocunq; loco, & tenentur respondere, cum promiserint obedientiam independenter à quocunq; loco. Ex Bullâ quoq; Vrbani VIII. sub. §. 5. *Ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus*. In Vrbe, & pro eius districtu, & extra in statu ecclesiastico assignauit etiam alios officiales expressos in Bullâ. 63

Quæritur 23. An & qualiter Astrologi, diuinatores, petentes diuinationes, & alij Rei prædictarum Bullarum sint suspecti de Hæresi?

℞. Omnes Rei dictarum Bullarum sunt 64
suspec-

suspecti de Hæresi, quia præsumuntur habere commercium ex pacto cum Dæmone, dum prædictionem naturalibus viribus sui Intellectus assequi non possunt, sed solùm Dæmonis ope, & auxilio, vt probatum fuit hìc q. 1. auctoritate S. Scripturæ, addo Ierem. 10. *Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes:* Alia enim ratione Deus hanc præcognitionem, & diuinandi modum non prohibuit, nisi quia non obtinetur nisi Dæmonis auxilio & operà. Quod si diuinatio fiat expressa Dæmonis inuocatione, aut cum mixtione rerum sacrarum, tunc suspicio est vehemens aliter sine prædictis cum solo pacto tacito est solùm leuiter suspectus diuinator. Ita omnes cum *Pegna par. 2 com. 67. Vers. Item illa, vers. Iam illa, vers. Hinc censeo*, *Lucerna* V. *Diuinatio*, *Genuens, cap.* 18. *num.* 11. *Carena par. 2. tit.* 12. *num.* 242. & 246. de leui suspicione *Ego, cap.* 21. *num.* 13.

Quæritur 24. Qualiter abiurare debeant Rei dictarum Bullarum?

65 ℟. Vehementer, vel leuiter iuxta gradum Suspicionis, quo probantur Rei ex ea communi regula, quòd Abiuratio sequitur gradum suspicionis sect. 16. num. 28.

Quæritur 25. Quibus pœnis afficiantur diuinatores & alij dictarum Bullarum Rei?

66 ℟. Ex Bulla Sixti V. Sic disponitur. *Atque in eos seuerius canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio, animaduertant*. In sacris au-
67 tem Canonibus nulla est censura Excommunicationis ipso iure inflicta, & siqua reperitur extra corpus Iuris, ea non fuit recepta, vt alijs citatis probat *Bonac. in Bullà disp.* 2. *q.* 2. *p.* 38. *num.* 1. vbi reijcit priorem sententiam de Excommunicatione. Quare pœnis arbitrarijs diuinatores, & alij Rei huius Bullæ plectendi sunt, exilio, carcere, priuatione officiorum, triremibus &c. *Pegna par.* 2. *com.* 67. *Salelles Reg.* 505. *num.* 463. 486. 490. & *seq. Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 17. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 34.

68 Ex Bullà Vrbani VIII. sub §. 3. Sic disponitur: *Ne dum Excommunicationis maioris latæ sententiæ, sed etiam vbi læsæ maiestatis Reis vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, & deuolutionis quarumcunq. ciuitatum, Castrorum, & locorum iurisdictionalium, & feudalium*. Cum autem mors, & confiscatio bonorum sint pœnæ, quibus alia maior dari non potest, non est verisimile eas pœnas esse dandas omnibus Reis huius Bullæ, sed tantùm facientibus Iudicium qualecunq; illud sit, vel petentibus ab Astrologo.

69 Subditur in eadem Bullà §. 4. contra quoscunq; ecclesiasticos seculares, & regulares *Vtriusq sexus vltra prædictas, etiam priuationis Beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum ecclesiasticorum; etiam Monasteriorum, Prioratuum Præceptoriarum, ac aliorum quorumcunq. & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda, ita quòd personæ ecclesiasticæ prauia illarum degradatione curiæ seculari tradantur puniendæ. In Episcopali vero &c.* Et quauis alia maiori sunt Rei Excommunicationis, priuati omni officio, & beneficio, cum inhabilitate. De morte, & confiscatione contra hos postremos nulla fit mentio? Nulla autem fit mentio de reseruatione Excommunicationis.

Quæres 26. An habentes libros de hac materia Astrologiæ Iudiciariæ, seu eos legentes sint Excommunicati, & suspecti de Hæresi, licet hanc artem non exercuerint?

℟. Nullam incurrere Excommunicationem, nec suspicionem Hæresis, nisi exercuerint, probatur, quia talis Excommunicatio latæ sententiæ nullibi exprimitur in his terminis, ergo non est asserenda. 70

Dices exprimitur in Bullà Sixti V. his verbis sub §. 4. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ; aut in quibus sortilegia, veneficia, Auguria, Auspicia, execrabiles Incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato Indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscunq. Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scientes legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

Respondetur quò ad Censuram, illa verba: *In memorato Indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis*. Intelligenda esse iuxta tenorem Regulæ IX. sequentium verborum. Libri omnes, & scripta Geomantiæ &c. siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ prorsus reijciuntur. Episcopi verò diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisq; casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia, & naturales obseruationes, quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta sunt. Et ibi nihil aliud dicitur; sed in ijs nulla censura, nulla pœna exprimitur. 71

Quòd si dicas, ergo in Bullà frustra expri-mun-

muntur illa verba. Respondeo, non frustra sed prudenter, referuntur enim ad censuram Excommunicationis positæ sub Reg. X. illis verbis: *Quod si quis libros Hæreticorum, vel cuiusuis Auctoris scripta ob Hæresim, vel ob falsi, dogmatis suspicionem damnata, atq. probibita, legerit, siue babuerint statim in Excommunicationis sententiam incurrat*. Si liber huiusmodi habeat hæc adiuncta; sine dubio diuinator ex solâ retentione, seu lectione, sine exercitio Reus est huius sententiæ, licet nulli sit reseruata sicut nec illa Pij IV.

SECTIO XXXIX.

De Diuinatione per signa Sublunaria.

SVMMARIVM.

1 *Diuinatio non astrologica fit per signa sublunaria ope Dæmonis.*
2 *Æromantia per signa in aere.*
3 *Arúspicium per animalia imolata Dæmoni.*
4 *Augurium ex auditu animalium.*
5 *Auspicium ex motu animalium viso.*
6 *Chyromantia ex signis manuum.*
7 *Geomantia ex signis apparentibus in corporibus animalium.*
8 *Hydromantia ex signis in aquâ.*
9 *Metoposcopia ex signis faciei, & frontis.*
10 *Necromantia fingens reuocationem mortuorum.*
11 *Omen ex verbis casu prolatis.*
12 *Onicrisica ex somnijs, de qua sect. 40.*
13 *Præstigium deceptio hominis in sensibus.*
14 *Pyromantia ex signis in igne.*
15 *Phytonia ex hominibus arreptis.*
16 *Spatulamantia ex signis in humeris.*
17 *Diuinatores in prædictis sunt suspecti vehementer, si inuocarunt Dæmonum, vel sint abusi sacris, aliter solùm leuiter.*
18 *Abiurare debent iuxta qualitatem Suspicionis.*

SVb hac sectione agendum est de diuinatione per media, & signa sublunaria, quæ proinde non appellatur Astrologia, de quâ, actum est in præcedenti sectione ad terminos Bullarum Sixti V. & Vrbani VIII. Eorum autem nomina alphabetico ordine paucis referam. 1

Æromantia diuinatio est prædictio futuri euentus per signa in aere apparentia. *Sousa in Aphorism. lib. 1. cap. 45. Defendens. in casibus Comi disp. 2. q. 1. num. 90. Dal Bene Dub. 221. sect. 2. num. 29. Floronus de casib. reseruat. Fauent. part. 2. casu 1. §. 1. num. 25.* Consistit in obseruatione mutationis aeris, ex quâ prædicuntur occulta, quæ ex aere non dependent, vnde mutatio aeris de sereno in nubilum indicat pluuiam non ex diuinatione superstitiosa, sed ex causâ, à quâ procedere solet pluuia, & idcirco non est effectus occultus. 2

Aruspicium est prædictio, qua cognoscuntur occulta per partes animalium Dæmoni imolatorum. *S. Thomas 2.2. q. 95. art. 3. Sousa lib. 1. cap. 47. Floron. num. 31. Dal Bene num. 31. Defend. num. 92.* De quo D. Augustinus relatus in cap. Nec mirum 14. 26. q. 5. 3

Augurium est cognitio habita ex auditu auium, & aliorum animalium mugientium. D. *Thomas 2.2. q. 95. art. 3. & 7. Sousa lib. 1. cap. 49. num. 1. Defend. num. 95. Dal Bene num. 33.* 4

Auspicium cognitio est per visum auium se mouentium. Sousa cit. num. 1. Dal Bene num. 33. 5

Chiromantia est cognitio rerum futurarum per figuras, seu lineamenta manuum. *Dal Bene num. 33. Defend. num. 97.* Floron. num. 34. 6

Geomantia est cognitio signorum apparentium in corporibus animalium virtute Dæmonis inferentium res occultas. Ita *Defend. num. 88. Dal Bene num. 27. Sousa lib. 1. cap. 52.* dicit fieri per quandam artificiosam protractionem punctorum ad cognoscenda occulta. 7

Hydromantia est cognitio occultorum per aquam, vel in aqua *D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. Sousa lib. 1. cap. 44. Floron. num. 23. Defend. num. 9.* D. *Aug. in cap. Nec mirum 14. 26. q. 5.* 8

Metoposcopia est cognitio occultorum per signa in fronte, & facie repertis, *Sousa lib. 1. cap. 51. num. 4. Floron. num. 35.* 9

Necromantia est ficta reuocatio mortuorum ad vitam facta certis signis inuocatione Dæmonis, quæ reuera esse non potest, cum Dæmon id præstare cum possit, cum supe- 10

re

ret eius vires, virtus enim infinita requiritur ad resuscitandos mortuos. Ita dixi de Samuele sect. 32. num. 7. D. Thomas 2. 2. *part.* 1. *q.* 117. *art.* 4. *ad* 2. *Sousa lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 5. *Defend. num.* 86. *Dal Bene num.* 25.

11 Omen est diuinatio, quà attenduntur verba absque intentione diuinandi dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoscere. D. *Thomas* 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. *Floron. num.* 42. *Sousa cap.* 49. *num.* 2. *Defenden. num.* 96.

12 Onicritica est diuinatio, per somnia, de qua infrà sect. seq.

13 Præstigium est quando Dæmon quibusdam figuris fictis, & apparentibus decipit hominem in sensibus visus, vel auditus, facit quandoque apparere quod tale non est. Ita S. *August. relatus cap. Nec mirum* 14. 26 *q.* 5. *Defend. num.* 82. *Floron. num.* 43. *ad* 4. Vbi refert varios modos præstigiandi, & sic appellatur, quia præstringit oculos, ne videant, quod sit, vel aliter, quàm fiat.

14 Piromantia est obseruatio alicuius rei, quæ iacta est in ignem, ibique saltatio, scintillatio, vel motus eius attenditur, vt inde sequatur præcognitio. Ita *Defend. num.* 91. *Floron. num.* 26. *Sousa lib.* 1. *cap.* 46. Piromantia ergo est prædictio rei occultæ per ignem.

15 Pytonia est diuinatio per homines viuos arreptitios. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 95. *art.* 13. *D. August. in cap. Nec mirum* 14. 26. *q.* 5. *Defend. num.* 87. *Floron. num.* 48. De Pytonibus non consulendis in sacrà Scripturà Deuter. cap. 18. 1. Reg. 28.

16 Spatulamantia est diuinatio per signa in spatulis. Floron. num. 36. Dal Bene num. 33. Signis ergo repertis in humoris dictis vulgariter *le Spalle* potissimum, & alijs hominis partibus, præter faciem, frontem, & manus, contingit hæc diuinatio, Sanch. lib. 2. cap. 38. num. 13. Sousa lib. 1. cap. 51. num. 3.

17 Supradicti modi diuinandi sunt omnes superstitiosi, cum dependeant ab astutià Dæmonis, qui his medijs amicos sibi facit diuinatores, credentes effectus prænuntiatos procedere ab illis signis, & cùm reuerà res ita se non habeat præsumuntur diuinatores suspecti de Hæresi præsertim in signis sub num. 10. 13. & 15. recensitis, & etiam in alijs, & quidem vehementer, si inuocatio adsit Dæmonis, vel abusus rerum sacrarum in diuinando, aliter ex solo pacto tacito sine inuocatione, & abusu sacrorum leuis est solùm suspicio. Ita *Director. part.* 2. *q.* 42. *num.* 6. *ibi Pegna com.* 67. *vers. Item illa, & vers. Iam illa*, Salelles Reg. 124. vbi distinguit sortilegia, ac proinde etiam diuinationes illius species, in qualificata, cuiusmodi sunt, quæ fiunt cum expressà Dæmonis inuocatione, seu ex abusu sacrorum, ac proinde dicuntur etiam sapientia Hæresim manifestè, consequenter inducentia vehementem Hæresis suspicionem; & in simplicia, quæ fiunt sine expressà Dæmonis inuocatione, & sine abusu sacrorum, in quibus habet locum pactum tacitum ipsius Dæmonis, qui occultè operatur in eis. *Barbatia vol.* 1. *cons.* 55. *Genuens. cap.* 18. *num.* 11.

Abiurare verò tenentur iuxta qualitatem 18
Suspicionis, cuius sunt Rei, iuxta dicta sect. 16. num. 28.

Pœnis arbitrarijs plectuntur, de quibus 19
præced. sect. num. 67.

SECTIO XXXX.

De Diuinatione ex Somnijs.

SVMMARIVM.

1 *Somnus est carentia sensuum exteriorum à suis operationibus, causata à vaporibus ex concoctione cibi ascendentibus ad cerebrum, & obstruentibus meatus, ne spiritus animales descendant ad operationes sensuum externorum.*
2 *Somnus est imago Mortis.*
3 *Quò maior est copia vaporum, eò profundior, & longior somnus.*
4 *Vigilia somno opposita priuatiuè est potentia operatiua in sensibus.*
5 *Somnium est phantasma, & imago apparens dormienti.*
6 *Somnia in pueris ante quartum annum non apparent.*
7 *Homo in principio nihil somniat, in medio confusè, in fine clarè.*
8 *Somnia à Deo, ab Angelis tam bonis, quàm malis immittuntur.*
9 *In dubio à quo censentur immissa.*
10 *Quærere, desiderare, & credere illis est peccatum mortale.*
11 *Suspicionem vehementem, vel leuem inducunt.*
12 *In dubio referenda sunt in Dæmonem.*
13 *Somnia molesta considerari possunt, ne sequatur malum.*
14 *De pœnis horum remissiuè.*

Agen-

AGendum modò est de diuinatione per somnia, vnde primo aliquid dicendum est de somno, & vigiliâ illi priuatiuè, oppositâ, quare.

Quæritur 1. Quid sit somnus, & vigilia?

1 ℞. Somnus est carentia sensuum exteriorum à suis operationibus causata à vaporibus ex concoctione cibi vti leuibus ascendentibus ad cerebrum, quod cum ex suâ naturâ sit valde frigidum efficit, vt ipsi vapores incrassati, & tumidi facti obstruant meatus per quos spiritus animales non possunt descendere ad prouocandum sensus externos ad suas operationes, & ideo dicuntur cessare, & quiescere à suis operationibus, quod nihil aliud est, quàm dormire; est autem duplex dormitio Somni, de quo hic, & Mortis, de quà Ioan. 11. 13. Et quia dormiens nihil agit assimilatur mortuo à Cicer. apud Nizo-

2 lium dicente V.Somnus: *Nihil morti est tam simile, quàm somnus. Somnus imago, vel simulacrum est mortis.*

3 Somnus autem eo est longior, & profundior, quò maior est copia vaporum. Papauer, Mandrogora, Vinum &c. mittunt ad caput magnos vapores, & incitant ad prolixiorem dormitionem. Homo initio somni profundior, in medio remittitur paulatim, & in fine leuis, vnde ab eo dicitur semidormire. Meldul. disp. 5. de Anima q. 12. art. 1. à num. 348.

4 Vigilia somno opposita priuatiuè est potentia exercendi operationes sensuum exteriorum, immo & potentiarum Intellectus, & Voluntatis immanenter operantium: apertis enim meatibus destructione vaporum descendunt spiritus animales ad operandum. Ita præcitatus cum Arist. cap. 1. de Somno.

Quæritur 2. Quid sit somnium?

5 ℞. Est phantasma, & imago apparens homini dormienti, quod Intellectus speculatur sicut ipsi repræsentatur. Somnia autem causantur à negotijs antecedenter tractatis, ab affectionibus, à complexionibus, nam malencolici somniant horibilia, & tristia; colerici cædes, pugnas, & bella; flegmatici aquas; sanguinei risum, res iucundas. Galenus in lib. de præsagijs somn. ait, somniantem incendia molestari à flauâ bili, phantasmata obscura, ab atrâ bili; pluuiam, niuem, aut aquam à pituitâ, vel frigido phlegmate; qui verò somniat se in loco angustiori reperiri, vbi non potest se mouere, vel graue pondus portare, abundat humoribus; si verò somniat res luxoriosas spermate exuberat, qui sibi videtur volare, vel currere velociter, est temperatæ complexionis. Talia ergo phantasmata arguunt in somniatore præfatas passiones.

6 Somnia autem in pueris ante quartum annum non apparent, & quia temperamentum bonum valde est, & quia parum cogitant, 7
quod possit inducere in eis imagines, quibus cognoscant somnia. Homo initio somni fere nihil somniat, quia sensus nimis occupatur, in medio aliquid confusè videt, prope vigiliam clarè, & distinctè somniat, quia omnes potentiæ excitantur ad operandum cum non amplius debeant quiescere.

Quæritur 3. A quibus causis liberis immitti possint somnia in dormientibus?

℞. A tribus, à Deo, Angelis, & Dæmonibus. Bona sunt somnia, quando causantur à Deo, & Angelis, quia malum ab illis esse non potest, & de his somnijs pluries fit mentio in sacrâ Scripturâ, Genes. cap. 37. de somnijs Ioseph, cap. 40. de somnijs Eunuchorum Pharaonis. Somnia immissa à Dæmonibus sunt mala, quibus credendum non est. An autem in dubio sint immissa ab Angelo bono, an malo? Si est de obiecto bono, & relinquat somniatorem consolatum in ordine ad opus bonum, consideratum bene cum timore, & tremore, censetur esse ab Angelo bono. Ita *Sayrus lib. 4. cap. 5. num. 7. Lessius lib. 2. cap. 43. dub* 8. *Sanchez lib. 2. cap. 38. num.* 52. *Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. 3. num. 7.* Dal *Bene Dub.* 224. *sect. 1. quos citaui cap. 20. num. 6.* in sacro Tribunali. De somnijs, seu de diuinatione per somnia hic agendum est quatenus à Dæmone immittuntur. 8 9

Quæritur 4. An quærere aut desiderare à Dæmone somnia, vel eis credere sit actus superstitiosus inducẽs peccatum mortale in diuinatore cum suspicione Hæresis, & qualis sit Suspicio.

℞. Quærens, desiderans, vel credens somnijs à Dæmone immissis est peccatum superstitionis mortale inducẽs suspicionem Hæresis vehementem, si illum inuocauit, aut abusus fuit in inuocatione re sacrâ; aliter est tantùm suspectus leuitèr cum obligatione abiurandi taliter, qualiter suspicio iudicata fuit.

Prima pars de peccato mortali docetur ab omnibus cum *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 53. Mazuchel. disp. 2. cap 10. num. 31. Castropal. part 3. tract. 17. disp. 1. de superstit. part. 5. num 6.* Dal *Bene Dub. 224. sect. 1. num. 5. Salelles Reg. 116. num. 122.* Secundum vnum ex illis tribus actibus desiderandi, quærendi, vel credendi; prohibetur enim seriò credere somnijs in *Leuit. cap. 19. Deuter. cap. 18. cap. Non obseruetis. 26. q. 7.* Aliàs credens bonâ Fide, & ex ignorantiâ, quòd Dæmon non habeat partem in illis, non est mortale. 10

Secunda pars de suspicione tam vehementi, quàm leui respectiuè patet ex dictis præced. sect. num. 17. & 18. de Abiuratione. 11

Quæritur 5. Quid concludendum sit in dubio, an somnium sit à Deo, an à Dæmone?

℞. Esse à Dæmone, vt euitetur periculum 12
peccan-

peccandi, quod deducitur ex cap. 34. Eccl. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne des in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia.* Ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 52. Delrius lib. 4. cap. 3. q. 6. concl. 5. ex illis Sousa lib. 1. cap. 50. num. 12.*

Quæritur 6. An obseruare somnia naturaliter prouenientia, siue bona, siue mala, aut indifferentia, eo quòd conturbant, territant somniatorem, cui sæpe numerò occurrunt, liceat?

13 ℞. Affirmatiuè, quia talis obseruatio non refertur ad diuinandum aliquid, sed solùm ad remouendum, & repellendum terrorem, & inquietudinem animi. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 50. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 3. num. 6. Sousa lib. 1. cap. 50. num. 6.*

Pro confirmatione huius pono casus de somnijs, quæ acciderunt. Quidam Religiosus per multum tempus pluribus noctibus somniabat, se à conuentu, vbi libenter morabatur, recessisse de mandato suorum Superiorum, tandem inde discedens peruenit cum obedientià ad secundum Monasterium, vbi post aliquot menses varias persecutiones passus est. Post quas cum quadam die memoriæ occurrissent præscripta somnia, cœpit illa contemplari, dicens, ea fuisse causã prænuntiatiuã tot tribulationum, quia quando illi accidebant, multum contristabatur in ipso somno de tali recessu, & si dormiret, ita quòd expergefactus credebat non amplius esse in priori conuentu, & volendo se certificare tangebat tabulas cellæ ad caput suum, quæ erant loco parietis, nihilominus nunquam cognouit tantæ tristitiæ causam, nisi post expertam tribulationem, anima ergo id præuiderat, sed corpori non communicauit euentum, sicut quandoque aures audiunt, non attendente mente.

Iterum in alio Conuentu moram trahens cœpit eodem modo somniare derelictionem eius loci, vbi quiete viuebat, & transitum sæpe sæpius ad alium Conuentum sibi certum, sed statim reuerti ad cellam prioris Monasterij, in huiusmodi autem somnijs plurimis eiusdem materiæ transitus, & reuersionis tanto afficiebatur dolore, & tristitià, vt anima sibi videretur separari à corpore. Cessauit somnium, & post aliquot menses de priori Conuentu translatus fuit ad somniatum, vbi varias passus tribulationes, vsque ad propinationem veneni inefficacis, coactus fuit inde recedere, & redire ad priorem locum, sicut somniauerat.

Addamus tertium. Idem Religiosus assumptus ad Generalatum somniauit, se à visitatione quasi absolutà recessisse ad Patriam non celebrato capitulo, & in eodem somno redijsse ad perficiendum quod reliquerat imperfectum, transactis nonnullis diebus, dum prosequebatur visitationem accepit ab æmulis literas, quibus à Sacrà Congregatione vocabatur Romam ad reddendum rationem villicationis suæ. Obediuit, & redditã ratione bonæ visitationis, & calumnijs apertis, & excussis, Papa iussit illum prosequi munus suum, scilicet Alexander VII. felicis nunc recordationis. Quid indicat hoc somnium, nisi vocationem factam ad instantiam malignantium? Post effectum in prædictis somnijs venit in cognitionem illa præsagia esse tribulationum, quæ illi acciderunt.

Numquid ex huiusmodi euentibus, & somnijs expertis poterit iste somniator obseruare, & suspicari aliquid mali in futurum ex somnijs prænuntiantibus? Vtique, quia hic nullum video actum superstitiosum, sed tantùm intentionem sibi in futurum prouidendi, si occurrent somnia huius generis, anima enim sibi sub obscurè prædicebat malum in genere futurum. Posita ergo experientià non est illicitum ex huiusmodi somnijs frequenter occurrentibus, & animum turbantibus aliquid mali conijcere, & suspicari esse euenturum.

Quæritur 5. Quibus pœnis afficiatur procurans somnia ad aliquid futurum prænoscendum?

℞. Iisdem Pœnis, quibus alij diuinatores, de quibus dixi sect. 38. num. 67 de transgressoribus Bullæ Sixti V. 14

SECTIO XXXXI.

De Diuinatione per Sortes.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegium ex etimologià dependet à sortibus.*
2 *Sors triplex. Diuisoria, Consultoria, & Diuinatoria.*
3 *Diuinatoria est actus superstitiosus, quo homo vtitur aliquo medio diabolico ad aliquid sciendum.*
4 *Cum eo semper est mixtum Dæmonis pactum saltem tacitum.*
5 *Consilium petitur de ijs, quæ sunt in potestate Hominis.*
6 *Quomodo differt ab alijs duabus speciebus Sortis.*
7 Peccatum *mortale.*
8 *Sine Excommunicatione.*

9 *Inducens suspicionem Hæresis.*

10 *Sors diuisoria ordinatur ad aliquid diuidendum.*

11 *Electio per sortes ad Officia, & Beneficia ecclesiastica iure ecclesiastico prohibita est.*

12 *Matthias electus per sortem Deo inuocato.*

13 *Vsus sortium in electionibus non est prohibitus Iure naturali.*

14 *Electio per sortes est ipso Iure nulla.*

15 *Actus corruit omissâ formâ substantiali.*

16 *In concursu ad Beneficia sors locum non habet, sed accessus Episcopi, quando vota sunt paria.*

17 *Concilium Trident. cap. 18. sess. 24. de accessu Episcopi ad tollendam paritatem votorum.*

18 *In componendis litibus Beneficiorum admittuntur sortes.*

19 *Vsus sortium licet in officijs secularibus.*

20 *Vt liceat, in vrnâ reponendi sunt digni tantùm.*

21 *Sors consultoria ordinatur ad indagandum veritatem à Deo ad aliquid cognoscendum, an sit faciendum.*

1 SOrtilegium quamuis referatur ad omnes Diuinationis species, immo, vt dixi sect. 31. initio, sit superstitio, quà quis vtitur instrumentis diabolicis ad obtinendum aliquid. Nihilominus quò ad eius ætimologiam dicitur à Sortibus legendis, consistens in eo, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, aut cognoscatur. Est communis cum *D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 8. Toleto lib. 4. cap. 15. num. 3. Sanchez. lib. 2. cap. 38. num. 56.* Bonac. *de superstit. p. 3. num. 12. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 58. Salelles Reg. 117. num. 131. Castropal. part. 3. tract. 17. disp. 1. de superstit. part. 6 initio. Dal Bene Dub. 225. sect. 1.* His positis.

Quæritur 1. Quotuplex sit sortilegium explicatum?

2 ℞. Triplex, Diuinatorium, Diuisorium, & Consultorium, ita prædicti sine vllà discrepantià, de singulis dicendum, licet prima species magis spectet ad institutum nostrum, nihilominus de singulis est tractandum.

Quæritur 2. Quid sit Sors diuinatori a?

℞. Est actus superstitiosus, quo homo vtitur aliquo medio diabolico ad aliquid sciendum. Media sunt *Taxilli*, *Carta*, vel quid aliud cadat, ex tali casu diuinat euentum prosperum, vel aduersum. Si in vrna reponantur plures schedulæ cum diuersis nominibus ad sciendum Furem, qui censetur ille, cuius nomen è vase sorte extrahitur. Item apertio libri in materià gaudiosà, vel tristi &c. 3

Dixi, quod est actus superstitiosus, quia cum illud medium de se non sit causa productiua cognitionis illius, quod quæritur, quia cum illo nullam habet connexionem, nec dependentiam, aut relationem; inferendum est, in eà cognitione immisceri tacitam Dæmonis inuocationem, & pactum. Ita præcitati *Sanchez num.* 88. *Mazuchel. num.* 60. Bonac. *num.* 15. *Castropal. p. 6. num.* 13. *Salelles num.* 149. *Floron. part. 2. casu 1. §. 1. num.* 14. Atque proinde prohibita. *Caus. 26. q. 5. fere per totum, cap. 1. de sortileg.* 4

Quæritur 2. An sors iacta super aliquid futurum cognoscendum semper sit actus superstitiosus? Ratio dubitandi est; quia etiam in alijs duabus speciebus sortis videtur habere locum cognitio, quæ terminatur ad rem sortiendam, nam in electione per sortem determinatur electus ex pluribus indeterminatis, & incognitis, quò ad consecutionem effectus; & idem apparet in consultorià, nam consilium est de obiecto incerto, Arist. 3. Ethicor. & versatur circa ea, quæ sunt in nostra potestate, *ibidem cap. 2. & 6. Ethicor. cap. 5. & lib. 1. Magnor. moral. cap.* 33. Ergo sors in omnibus eius speciebus quærit cognitionem incertorum, & ignotorum nobis, ergo talis inquisitio respectu omnium specierum erit superstitiosa? 5

6 ℞. In alijs duabus non datur diuinatio, licet obiectum cognoscendum sit incertum ante missionem Sortis, ad quam sequitur certitudo effectus ex pluribus, eà ex differentià, quòd diuinatio refertur ad ea obiecta, quæ homo viribus naturæ consequi non potest ex medijs improportionatis, vt patet in exemplis datis, nam ab extractione nominis ex vrnà non potest certò cognosci auctor furtis nec ex cædulà cum nomine criminis adulterij, Sodomiæ, Simoniæ, &c. personam, respectu cuius extracta fuit cædula esse tali vitio Reum, ex his enim, & similibus exemplis manifestè apparet Dæmonem operari in illis medijs, quæ ex se nihil operari possunt, nec significant cognitionem, quam intendit consequi ipse diuinans, ergo Dæmon pro ipso operatur.

In diuisorià verò, & consultorià sorte, talis diuinatio diabolica locum habere non potest, cum determinatio eius, qui eligendus est, vel consilij executio dependeat a voluntate

tate eius, qui operari potest, cum effectus eius vires non excedat, sicut excedit cognitio auctoris furti, & aliarum rerum occultarum, vt dictum est; in consultorijs verò, & electorijs de re constat, & de eius indifferentiâ tollendâ, vel determinatione voluntariâ, vel sorte, in quâ nulla præsumi potest societas Dæmonis, nisi in ipsâ cædulâ, vel alio signo immisceatur aliquid sacrum, vel inuocetur expressè Dæmon.

Quæritur 3. An, & quale peccatum sit diuinatio per sortes?

7 ℟. Est mortale sub specie superstitionis, quia in eo Dæmon inuocatur si non expressè saltem tacitè, vt supra dixi. Ita *D. Thomas 2.2. q. 95. art. 8. Angel. Siluest. V. Sors, Nauar. cap. 11. num. 38. vers. Trigesimò tertiò. Floron. casu 1. num. 18. cum alijs supra initio citatis.*

Quæritur 4. An huiusmodi diuinatio per sortes inducat excommunicationem?

8 ℟. Negatiuè ex probatis sect. 38. num. 67. Doctoribus ibi citatis, quibus addo Lupum super Edictum lib. 17. dist. 4. art. 2. Diffic. 2.

Quæritur 5. An hoc sortilegium inducat suspicionem Hæresis in mittentem sortes?

9 ℟. Affirmatiuè, quia tale delictum non contingit sine Dæmonis inuocatione, vt patet ex hactenus dictis; ergo diuinatorem per sortes reddit suspectum de Hæresi, & quidem vehementer, si in missione sortium miscet Dæmonis inuocationem expressam, vel abutitur sacris, aliter sine his, est solùm leuiter suspectus propter pactum tacitum cum Dæmone. Doctores citaui *sect. 38. num. 64. & sect. 39. num. 17.* Et qualis iudicata fuit suspicio, talis debet iniungi Abiuratio, hæc enim ab eâ regulatur, vt sæpius dictum fuit locis citatis.

Quamuis autem hæc sola Sortis species sit delictum spectans ad Officium S. Inquisitionis, tamen ne materiæ huius cognitio maneat imperfecta de alijs speciebus aliquid dicendum est Quare

Quæritur 6. Quid sit Sors diuisoria?

℟. Est illa, quâ mittuntur Sortes ad ali-
10 quid diuidendum, quodcunque illud sit, siue bonum siue malũ pœnæ. E.g. si in electionibus paria sint vota eligendorum, ponuntur nomina eorum in vase, & extractum consequitur Officium. Vel ex idoneis in vase positis extractus designatur electus, hoc modo electus fuit ab Apostolis Matthias loco Iudæ præuaricatoris Act. 1. fine. *Et cecidit sors super Matthiam.* Et in similibus sors vocatur electoria ab electione, de quâ infra an & quomodo sit prohibita.

Item in pœnis, vnus ex pluribus subire debet pœnam Mortis, carceris, triremium, &c. sorte ex vrnâ extrahitur. Item dubium est, cuiusnam sit hæreditas, sorte dirimi potest, sicut & transactione, seu compositione. In his, & similibus licet tollere dubium, indifferentiam, & in determinationem per sortes, modò non obstet prohibitio, de qua infra, neque misceatur aliquod Dæmonis pactum, neque rerum sacrarum abusus; aut læsio Iustitiæ, his enim non existentibus in vsu sortium, in quibus neque præsumuntur, nullum contingit in illis delictum. Ita cum D. *Thoma 2. 2. q. 95. art. 8. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 57. Bonac. de Legib. disp. 3. q. 5. p. 3. num. 13. Castropal. part. 3. disp. 1. part. 6. num. 2. Salelles Reg. 117. num. 131. & 136.*

Quæritur 7. An electiones ad Officia ecclesiastica fieri possint per sortes? Videtur, quod sic, quia Matthias, vt supra dixi, electus fuit ad Officium Apostolatus per sortes?

℟. Id prohibitum esse Iure ecclesiastico, 11
c. Nõ statim c. Non exemplo 4. 26. q. 2. c. fin. de sortileg. in fine. *Sortis vsum in electionibus perpetuâ prohibitione damnantes.* Hæc prohibitio refertur in electionem cuiuslibet Officij, seu Beneficij ecclesiastici. Ratio huius prohibitionis fundatur, quia qui volunt vti sortibus violant decretum Innocentij III. relatum cap. Quia propter 42. de elect. celebrandis vna ex tribus formis, scrutinij scilicet, compromissi, aut inspirationis, aliter sit nulla, & ideo Honorius III. eius immediatus successor prohibuit vsum Sortis in electionibus ad eum finem, vt seruaretur præfatum cap. Quia propter, *vt ex Lauorio de elect. tit. 4 cap. 20. num. 34 vers. Quarto docet Barb. in dictum cap. fin. de Sortileg. num. 5.*

Ad rationem dubitandi dico, Matthiam 12
sorte electum fuisse oratione ad Deum præmissâ, quia eo tempore nulla extabat forma præter diuinam inuocationem, nam tunc Deus posuit sortem Matthiæ in manibus illius, qui extraxit, iuxta illud Prouerb. 16. fine. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur,* relatum ad hoc à Lyrano super cap. primum Act. fine. In citatis cap. 2. & 4. 26. q. 2. respondetur id fuisse speciale priuilegium non trahendum in exemplum.

In aliquibus Religionibus electiones fiunt per sortes ex Bullis Pontificijs, referentibus *Sigism. Capucino de elect. Dub. 27. num. 5. & 6. Petro Maria Passerino de Sextula Ordinis Prædicatorum Procuratore Generali cap. 18. q. 4. num. 6.* Quod autem sortes in electionibus non sint prohibitæ iure naturali, sed tantùm positiuo docent fere omnes cum Dal Bene Dub. 125. sect. 5. 13

Quæritur 8. An electio ecclesiastica per Sortes facta sit ipso Iure nulla? Videtur, quòd non, quia in nullo ex illis capitib. mox citatis initio præcedentis quæstionis in Resp. exprimitur decretum irritans.

℟. Affirmatiuè respectu eorum, qui tenentur seruare formam cap. 42. de elect. seu 14
Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. nam vtrobi-

que exprimitur decretum irritans, vsus autem sortium non est scrutinium, compromissum, nec inspiratio requisitum in cap. 42. nec vota eligentium in Tridentino; ergo illis vtens non seruat formam præscriptam in Decretali, neque in Concilio, consequenter nihil omninò facit; omissio enim formæ substantialis, cuiusmodi est hæc habens decretum irritans, vt alijs citatis dixi *Resol.* 138. *num.* 6. *tom.* 4. *impress. Lugdun.* inficit factum, ac si factum non fuisset, formà enim
15 substantialis non seruatà corruit actus, *Afflic. dec.* 355. *num.* 4. *Osasch. dec.* 165. *num.* 16. *Onded. lib.* 1. *cons.* 27. *num.* 2. *cum alijs Ludouis. dec.* 1. *num.* 1. Et ita docent *Sigism. dub. cit.* 27. *num.* 8. *Passerin. num.* 11. *Dal Bene sect.* 6. *Castropal. num.* 9.

Et ex his patet ad rationem dubitandi, scilicet electionem factam per sortes, vbi non est seruanda forma cap. 42. de elect. & cap. 6. Tridentini esse validam, quia illi textus non habent decretum irritans. Quare electiones Regularium factæ per sortes, cum teneantur seruare Trident. nisi habeant Bullam specialem post illius publicationem obtentam, nullæ, & inualidæ sunt.

Quæritur 9. An in concursu Beneficiorum, si plures habeant vota paria electio dirimi possit per sortes? Videtur quod sic *ex Gloss. in caus.* 26. *q.* 2. *V. Sortes.*

16 ℞. Negatiuè, quia Episcopus per accessum, vni exiapprobatis tollit paritatem, vt expressè determinatur in Tridentino sess. 24. cap. 18. ibi: *Quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur.* Quare cum habeatur hoc remedium non est recurrendum ad Sortes. Dal Bene dub. 225. sect. 3. vtramque refert opinionem, & cum negatiuà stat, non tamen refert Tridentinum.

17 Dices, textus Concilij non videtur facere ad rem, quia aliud est approbatio Examinatorum, aliud electio spectans ad Episcopum de iam approbatis, vt dicitur ibidem infrà: *Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat.*

℞. Immo facere, quia talis accessus est dispositiua electio ordinata ad eum, cui vult conferre Beneficium, neque enim accedit minus digno, sed magis digno, vt illum disponat proximè ad collationem Beneficij.

Quæritur 10. An in componendis litibus in beneficijs ecclesiasticis liceat vsus Sortis?

18 ℞. Affirmatiuè, quia aliud est eligere, aliud lites componere auctoritate Superioris ecclesiastici. Ita *Gloss. V. vti possideas cap. Licet causa. de probat. cum alijs Felin. & Dal Bene cit. sect.* 4. vbi de more suo multa congerit, Castropal. cit. num. 7.

Quæritur 11. An liceat vsus sortium in officijs secularibus?

℞. Licere, quia nullo Iure id prohibetur. 19
Ita docent omnes cum D. *Thoma* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *Bonac. cit. Castropal. num.* 8.

Quæritur 12. Quid requiratur, vt electio per sortem tam ad officia ecclesiastica, vbi non est prohibitio, quàm secularia sit licita?

℞. In Vrnà ponenda sunt nomina perso- 20
narum, quæ sint idoneæ ad munus, ad quod assumendæ sunt, non patientes aliquem defectum repellentem à promotione. Ita colligo ex Act. Apostol. in electione Matthiæ ad Apostolatum cap. 1. 23. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam.* Apostoli ergo capitulariter congregati inter plures discipulos, duos statuerunt ex melioribus, & ex illis Matthiam sorte elegerunt. Qui ergo destinati sunt ad eligendum ex melioribus, aliquot eorum nomina reponere debent in vase, vt inde resultet electus sorte.

Quæritur 13. Quid sit Sors consultoria?

℞. Est illa, quà sortes mittuntur ad inda- 21
gandam diuinam veritatem ad sciendum, quid sit agendum, vel non agendum. Vt sit licita requiritur necessitas ex parte quærentis; reuerentia eiusdem erga Deum, & quòd id procedat ex diuinà inspiratione; aliter, est illicita, cum sit tentare Deum. Doctores citati *Castropal. part.* 3. *disp.* 1. *part.* 6. *num.* 10. *& sequent. Dal Bene Dub.* 225. *sect.* 8. Et hæc sufficiant, quia non spectant ad præsens institutum.

SECTIO XXXXII.

De Maleficijs Superstitiosis.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium aliud cum Superstitione, aliud sine illà.*
2 *Illud est ars nocendi alijs cum adiutorio Dæmonis.*
3 *Obsessio hominis aliquando est Sortilegium.*
4 *Est peccatum mortale.*
5 *Maleficium duo requirit; signum ex parte malefici, & pactum ex parte Dæmonis.*
6 *Maleficium multipliciter diuiditur.*
7 *Maleficium hostile versatur circa infirmitates, & Mortem.*
8 *Amatorium maleficium.*
9 *Maleficus societatem habet cum Dæmone.*

10 *Suf-*

10 *Suspectus de Hæresi maleficus in amatorio.*
11 Pegna *impugnatur.*
12 *Vehementem suspicionem inducit inuocatio Dæmonis expressa.*
13 *Somnificum maleficium.*
14 *In dubio causa censetur naturalis, non superstitiosa.*
15 *Matrimonium patitur maleficium.*
16 *Impedimentum impotentiæ est naturale, aut casuale, idest superstitiosum.*
17 *Dubia sex de maleficio in Coniugibus.*
18 *Maleficium quinque modis fit in Matrimonio.*
19 *Frequentius accidit in Marito, quam in Vxore.*
20 *Quia Vir agit, & Fæmina patitur.*
21 *Alter coniux sine altero maleficatur.*
22 *Dæmon non naturâ, sed voluntate operatur.*
23 *Impotentia ex maleficio cognoscitur multis modis.*
34 *Frigidus virgam non erigit.*
25 *Impotentia præsumitur ex maleficio; non probata ex causâ naturali.*
26 *Maleficium censetur perpetuum.*
27 *Exorcismus non prodest ex opere operato.*
28 *Perpetuitas non destruitur per causas extrinsecas.*
29 *In dubio an impotentia sit perpetua, an temporalis?*
30 *Maleficium perpetuum dirimit Matrimonium sequens.*
31 *Maleficium in actu celebrationis Matrimonij est hæreticale.*
32 Sacramenta *omnia præter Eucharistiam sunt tantum in fieri.*
33 *Maleficia in bonis fortunæ extra hominem.*
34 *Maleficium in rebus contingit tribus modis.*
35 *Synodus Cornazana, & Nembrina punit exorcizantes in æstate.*
36 *Ægrotus non potest vti medicinâ superstitiosâ.*
37 *Pœna Iuris contra sortilegos, & maleficos referuntur.*
38 *Pœna Mortis, & carcerationis perpetuæ ex Bullâ Gregorij XV.*
39 *Difficultates septem super eam proponuntur, & resoluuntur.*
40 *Conditiones quatuor, vt maleficus tradatur Morti.*
41 *Ex indicijs indubitatis maleficus non traditur Morti.*
42 *Mors sequitur a maleficio, & febri ab eo inductâ.*
43 *Contra Carenam dicentem procedere in dubio à febri.*
44 *Veneficatur intus potione, vel extra vnctione.*
45 *Vulneratus lætaliter, si naufragium patitur, dicitur mortuus ex naufragio.*
46 *Abortus non necessariò causatur ab antecedenti morbo, sicut Mors à maleficio.*
47 *Attentatum maleficium non infert pœnam Mortis.*
48 *Mandans maleficium non est Reus Mortis ex Gregorianâ.*
49 *Mandans non afficitur pœnis committentis.*
50 *Degradatur Clericus maleficus tradendus curiæ seculari.*
51 Aliquis, Quis *referuntur etiam ad personas ecclesiasticas.*
52 *Notabile damnum in maleficio quale sit relinquitur arbitrio Iudicis.*
53 *Pœnæ arbitrariæ contra maleficos ex pacto expresso.*
54 *Item contra alios, qui sunt simplices malefici, seu sortilegi.*
55 *Lucrum ex maleficio nō restituitur.*
56 *Non est infamis, nisi post condemnationem.*
57 *Maleficus damnum illatum tenetur reficere.*
58 *Strigæ, & lamiæ; cur sic dicantur maleficæ.*

Male-

1 Maleficium generaliter acceptum, & in totâ suâ latitudine est id, quod male fit contra legem. Subdiuiditur autem in illud, quod non habet admixtum aliquem Superstitionis actum, & de hoc hic agendum non est: & in aliud, quod admixtum habet aliquem Superstitionis actum, vnde & appellatur maleficium superstitiosum, sortilegum, & veneficium, de quo hic agendum est.

Quæritur 1. Quid sit Maleficium superstitiosum?

2 ℞. Est ars superstitiosa nocendi alijs operâ Dæmonis. Ita omnes cum *Toleto lib. 4. cap. 16. Sayr. lib. 4 cap. 6. num. 23. Floren. casu 1. §. 4. Mazuchell. disp. 2. cap. 10 num. 103. Albergbin. cap. 18. sect. 3. Salelles Reg. 122. num. 264.* Sub illa dictione *alijs* comprehenduntur non solùm homines, sed etiam res illorum, vt animalia, eorum possessiones, & bona maleficio dissipata grandine, tempestate, & alijs modis opere Dæmonis inuocati à Lamijs, Strigibus, & Sagis.

Quæritur 2. An obsessio hominis sit maleficium superstitiosum?

3 ℞. Si Dæmon ad instantiam alicuius hominis ingrediatur corpus humanum illud obsidens, ex quo appellatur energumenus homo obsessus, sine dubio est maleficium superstitiosum; cum instante venefico, homo vexetur Dæmonis operâ. Quod si in obsessione nullus homo partem habeat; in tali casu maleficium non est superstitiosum, cum talis actus non sit ab aliquo homine, sed à solo Dæmone procedat, qui non est capax talis delicti superstitione specificati.

Quæritur 3. An maleficium hoc sub genere Superstitionis sit peccatum mortale?

4 ℞. Affirmatiuè, quia contingit cum Societate Dæmonis, vnde in Apocal. cap. 21. num. 8. dicitur, quòd venefici partem habent in stagno ignis ardentis, & sulphure, quod est mors secunda; & cap. 22. num. 15. dicitur: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis seruientes.* Excluduntur enim à regno cœlorum. Est ergo mortale, & ratione pacti cum Dæmone; & ratione nocumenti, quod regulariter est graue in personâ, & rebus illius, cum obligatione resarciendi damna illata. Ita præcitati, nullus contradicit.

Quæritur 4. Quot sunt necessaria ad complementum maleficij?

5 ℞. Duo, vnum est aliquod signum consistens in re aliquâ, vel verbo, quod de se sit vanum, & inefficax ad producendum maleficium, vt mortem, infirmitatem, &c. exemplum sit in Imagine punctâ à venefico, quæ de se non potest inferre dolorem, nec infirmitatem in personâ, cui non adhæret illa imago, nec signa strigarum inuenta in lecto Infirmi de se virtutem habent inducendi morbum in infirmum. Vnde inferendum est, maleficium non prouenire ab illo signo, sed à Dæmone occultè operante maleficium.

Si autem probatur medium naturaliter posse producere talem effectum infirmitatis, mortis &c. in tali casu maleficium tribuitur tali Instrumento, seu causæ, vt si quis veneno, gladio, vel alio medio hominem occidat. Item si mulier remedijs naturalibus redderetur sterilis. Hi ergo, & similes effectus sunt naturales, non maleficia superstitiosa. Et quamuis Deus infirmitates immittere potest, cum sint malum pœnæ, non culpæ, id tamen non præsumitur, nec probari potest, nisi reuelauerit; ideo quando constat, causam non esse naturalem, & efficacem, sed vanam, inefficacem, nullam habentem proportionem cum maleficio producto, concludendum est, maleficium esse superstitiosum. Signa, & instrumenta reducuntur ad septem capita apud Delrium *lib. 2. q. 1. Salellem Reg. 122. num. 266. Defendens. casu 4. concl. 13. à num. 420. & seq. Albergbinus cap. 18. §. 7.*

Alterum requisitum, vt maleficium sit superstitiosum est Dæmonis pactum expressum, vel tacitum, sine enim eius inuocatione saltem tacitâ non contingit maleficium; ipse enim Dæmon, posito à malefico signo, operatur infirmitatem, vel alium effectum nociuum in personâ maleficatâ; dum enim signum est inefficax, & vanum ad productionem effectus, inferendum est Dæmonem esse auctorem mali ad positionem signi. Ita præcitati.

Quæritur 5. Quotuplex est maleficium hactenus explicatum?

℞. Triplex. Hostile, ex quo sequitur mors; Amatorium ducens ad libidinem, & Somnificum ordinatum ad dormiendum. Ita Salelles Reg. 122. num. 273. Addo alias species duas, Maleficium scilicet in Matrimonio, & in rebus arte Dæmonis dissipatis. De singulis aliquid dicendum. 6

Quæritur 6. In quo consistat hostile maleficium?

℞. Non solùm terminatur ad mortem maleficiati, sed etiam ad infirmitates arte Dæmonis inductas, licet mors non sequatur *Salelles Reg. 122. num. 285.* Et quia homicidium est grauissimum peccatum; iure Pontificio inducta fuit Mors contra maleficos occidentes homines arte Dæmonis, per Bullam Gregorij XV. incip. *Omnipotentis Dei 46.* Antea enim hoc delictum non poterat puniri Morte, nisi cum notâ irregularitatis, vt notat *Farinac. q. 20. num. 105. Diana part. 4. tract. 7. resol. 10. Albergbinus cap. 18. sect. 3. §. 9. num. 7. & 8.* De quâ pœnâ mortis infra sub q. 12. 7

Quæritur 7. De maleficio amatorio?

℞. Maleficium amatorium est illud, per quod 8

quod homo procurat medijs diabolicis trahere personam ad sui amorem impudicum. Quod contingere potest duobus modis, cibo, potuq; vel verbis; & respectu prioris appellatur Philtrum, idest, Pharmacum, hoc est poculum amatorium, quo quis alterius amorem sibi conciliat. Ita *Delrius lib.* 3. *q.* 3. *Mazucbel. disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 101. *Salelles Reg.* 122. *num.* 280. *Farinac. q.* 181. *num.* 82. *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 48. *Ego cap.* 18. *num.* 40. Dæmon autem ad positionem signi realis, porrecto scilicet poculo, vel verbalis factam per maleficum, humores concitat, imaginationem, & mentem mulieris conturbat, totumq; illius corpus accendit ad tentationem, & libidinem, excidendo etiam quandoq; semen, sicut contingit in somnis, *ex Delrio cit. sect.* 2. *Salelles num* 283 *&* 284.

9 Maleficus huius generis est de Hæresi suspectus, quia societatem cum Dæmone habet, illa enim signa de se, & ex se nullam habent virtutem excitandi ad libidinem, sed Dæmon ad eorum positionem operatur, ergo est suspectus de Hæresi ex eius societate in male agendo. Quod si maleficus probatur habuisse pactum expressum cum Dæmone, vel abusum fuisse re aliquâ sacrâ, seù verbis sacris, est vehementer de Hæresi,

10 aliter ex solo pacto tacito censetur solùm suspectus de leui. Ita præcitati *cum Simancha de instit. Catol. tit.* 31. *in Rubr. de Diuinat. num.* 13. *Menoch lib.* 5. *Præsumpt.* 7. *nu.* 2. *Farinac. num.* 85. *Alberghin. cap.* 18. *sect.* 3. §. 8. *num.* 4.

Pegna par. 2. *com.* 68. *Vers. Si verò Dæmones* dicit, communem esse opinionem, inuocationem Dæmonis ad tentandam pudicitiam mulieris non sapere manifestam Hæresim, quia Dæmon tunc inuocatur ad id, quod sibi competit, quod est tentare, multis ibi citatis, & subdit *vers. verùm plurimum* sapere manifestam Hæresim, si maleficus inuocet Dæmonem deprecatiuè, quia talis inuocatio includit adorationem. Illum sequitur Defendens concl. 18.

11 Sed contra Pegnam est, quia certum est, expressam Dæmonis inuocationem ad quodcunq; inducere suspicionem Hæresis vehementem ex precitatis, & id probaui

12 sect. 33. num. 45. & 46. Quod autem proprium sit Dæmonis tentare, id verum est, non solùm ad delicta carnis, & cuiuslibet alterius generis, sed quia eius proprium est etiam insidiari homini, & illi nocere, non idcirco actus maleficij perdit rationem sortilegij, & superstitionis, ex illa inuocatione, siue deprecatiuà, siue imperatiuà, quæ includit respectu vtriusq; actum Idololatriæ, ac proinde manifestam Hæresim, vt notat *Farinac. q.* 181. *num.* 88. *Alberghin. cum alijs num.* 6. Eam autem distinctionem vti verbalem diuersos non inferre effectus impugnaui *Sect.* 33. *q.* 3. *num.* 8.

Quæritur 8. de maleficio somnifico?

℞. Dæmon somnum diuturnum, & longæuum immittere potest in corpus Hominis ad instantiam alicuius, id enim eius vires non excedit, cum & arte id homo efficere possit in alio homine, nam somnus vt dixi sect. 40. causatur ex copiâ vaporum ascendentium ad cerebrum, & huius virtutis sunt nonnulla, vt papauer, vinum, mandragora &c. Finis autem huius maleficij à Dæmone petiti est ad inferendum nocumentum dormienti in personâ, rebus, & honore. Si verò fiat ex medicinâ canonicè factâ non est maleficium, sed beneficium ægroto factum, vt requiem inueniat. Ita *ex Torreblanc. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 2. *&* 4. *Salelles Reg.* 122. *num.* 275. *ad* 280. *Delrius lib.* 3. *q.* 2. 13

Quid in dubio an dormitio prolixa sit causata arte Dæmonis, an per medicinam, aut inebriationem? Hoc posteriori modo dicendum est vbi enim possunt concurrere duæ causæ, vna naturalis, alia superstitiosa standum est pro naturali ad euitandum peccatum, quod non presumitur, *l. Merito ff. pro socio, cap.* 2. *de Regul. iur.* Responsio hæc procedit in omnibus maleficijs, in quibus si potest concurrere causa non solùm superstitiosa, sed etiam naturalis, dubium resoluendum est per causam naturalem, nam in illis continentur virtutes mirabiles, quæ non omnibus notæ sunt, quarum effectus humana ratio credit esse potius miracula, quàm naturæ operationes. Ita *ex D. Aug. lib.* 14. *de Ciuit. Dei cap.* 24. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 44. *Castropal. par.* 3. *tract.* 17. *disp.* 1. *p.* 10. *num* 2. 14

Faciens autem dormire arte Dæmonis est suspectus de Hæresi iuxta superius dicta de poculo amatorio, num. 10.

Quæritur 9. De maleficio in Matrimonio?

℞. In Matrimonio specialiter quò ad eius vsum contingere potest maleficium arte Dęmonis, vt cum vir non potest erigere genitale, aut non emittere semen, licet illud procuret, vt satisfaciat parti, aut mulier facta est sterilis non impedimento naturæ, sed arte Dæmonis. His & alijs causis impeditur copula inter coniuges, vt docent omnes *cum Theologis in* 4. *sent. dist.* 34. *ibi Magister vers. De maleficij autem impedimento, Ibidem Scotus Vers. De secundâ*, Vbi assignat duplex impedimentum, vnum naturale, quod est frigiditas, vel mutilatio testiculorum, vel membri ex parte viri, & arctatio vuluæ ex parte fœminæ, intra cuius vas intrare non potest membrum genitale. Alterum impedimentum Scotus vocat casuale, quod fit per malignos spiritus, qui habentes pactiones cum hominibus seruant 15 16

promissa,

promissa, vt honorentur ab illis, nam Dæmones ex suâ superbiâ appetunt honores diuinos. De hoc impedimento per maleficium diabolicum agitur cap. Si per sortiarias 4.33.q.1. De priori sub nomine frigidorum agitur in tit. de frigidis, de quo nobis non est sermo, sed tantùm de maleficiatis, de quibus *Salelles Reg.* 122.*num.* 297.

17 Propono super hoc impedimentum copulæ in Matrimonio sequentia dubia *Primum*, quot modis vir ex maleficio fit impotens ad copulam? *Secundum*, an Dæmon maleficiat magis hominem, quàm fœminam? *Tertium*, an Dæmon vnum sine alio ex coniugibus possit maleficiare? *Quartum*, ex quibus signis cognoscatur impotentiam esse causatam à Dæmone, & non à frigiditate? *Quintum*, quale maleficium censeatur esse perpetuum? *Sextum*, an impotentia perpetua maleficij casualis idest procedentis à Dæmone dirimat subsequens Matrimonium?

18 Primo dubio respondetur, quinq; modis fieri hoc maleficium. *Primò*, impediendo, ne corpus corpori coniungatur. *Secundò*, inflamando ad actum, vt vir seminet ante ingressum. *Tertiò*, turbando imaginationem, itaut vnus alteri ita appareat exosus, vel deformis, vt abhorreant coniunctionem. *Quartò*, impediendo erectionem virgæ. *Quintò*, impediendo ne semen moueatur à suo vase. *Ex Paludano in* 4. *dist.* 34. *q.* 2. *art.* 3. *num.* 16. *Delrius lib.* 3. *par.* 1. *q* 4. *sect.* 8. & ex vtroque *Sanchez lib.* 7. *disp.* 94. *num.* 2.

19 Secundo, magis impeditur vir, quàm fæmina, eo quòd in viro plus laboris, & instrumentorum requiratur, cum sit agens; & præterea vir maleficiatur per actionem aliquam realem, vel ipsius Dæmonis motum nullâ re applicatâ; fæmina vero maleficiatur vel per læsionem phantasiæ, vel per solam opinionem, immo quandoq; arctatur vas fæmineum, aut matrix impeditur, ne semen recipiat. Vel dic plures esse maleficæ, quam malefici, & ideo viri magis in gene-
20 ratione læduntur, quàm fæminæ. Alijs citatis idem Sanchez num. 3.

21 Tertio, Dæmon vnum sine alio potest reddere impotentem, vt patet ex mox dictis
22 quia Dæmon non naturâ, sed voluntate operatur, ergo vnum molestare vult, & non alium. Ita D. *Thom. in* 4. *dist.* 34. *q. Vn. art.* 3. *ad* 4. *Sanchez num.* 4.

23 Quarto, impotentia ad coeundum cognoscitur procedere ex maleficio *Primò*, si cum alijs mulieribus coeat, & non potest cum sua vxore (nisi impotentia sit relatiua se tenens ex parte Fæminæ, quæ ita est arcta naturaliter, vt viri membrum ingredi non possit in vas fæminæ) quia constat de impotentiâ, quæ non prouenit à naturâ, ergo à maleficio. Ita *Glos. V. Cognoscendi cap. fin. de frigid. ibidem Canon. quos citat Sanchez lib.* 7. *disput.* 94. *num.* 6. *Secundò*, si vir erigit virgam, & non seminat intra vas fæminæ, in quo se agitat, signum euidens, quòd Dæmon impedit excisionem seminis; in 5. modo in respons. ad primum dubium. *Tertiò* si erigat membrum, sed statim decidat, & relaxetur, antequam se coniungat cum vxore; ista enim relaxatio ab alio prouenire non potest, nisi à Dæmone, quia spiritus non ita facilè deficiunt, nisi post emissum semen, & nullo modo à frigiditate, quia frigidus virgam non erigit. Ita *Abulen. q.* 90. 24
in cap. 19. *Matth. Sotus in* 4. *dist.* 34. *q. vn. art.* 3. *cum alijs Sanchez cit. num.* 6 *Castropal. par.* 5. *de Sponsal. disp.* 14. *p.* 14. § 3. *num.* 3. Demum, si constat, virum habere membrum modicum nimis, vel magnum nimis; ita quòd non detur ingressus in vuluam, vel est corrosum, aut ex infirmitate graui non possit illud erigere, tunc in his maleficium Dæmonis locum non habet, sed impotentia est naturalis. Ita precitati dicunt. Vnde *Scotus in* 4. *dist.* 34. *Vers. Sed* 25
qualiter ait, in dubio qualis sit impotentia, præsumi ex maleficio, quandocunq; per inspectionem corporis, vel per Iudicium medicorum probatur abesse causam naturalem huiusmodi impotentiæ; necessario enim tunc prouenit ex maleficio, cum nulla alia causa preter has inueniatur, vt docet etiam eius comment. ibidem num. 19.

Quinto, illud maleficium censetur per- 26
petuum, quod licet possit tolli, & destrui, aut benè, scilicet miraculosè, exorcismis, vel licitâ destructione signi; aut malè, per aliud scilicet maleficium, nihilominus in se spectatum est perpetuum, quia allegatæ causæ ablatiuæ maleficij non necessitant ad destructionem eius, nam Deus non tenetur miraculum facere; notum quoq; est exorcismos non operari, quia in se non ha- 27
bent hanc virtutem ex opere operato, sed effectus pendet ex dispositione patientis, & Sacerdotis exorcizantis; quandoq; malefica ignoratur, vel mortua est, aut si viuit, non vult auferre; demum non licet maleficio maleficium destruere, cum in eo concurrat Dæmon, vt dicam infra suo loco. Ex his patet maleficium posse esse temporale, & perpetuum, & quòd ex se est potius perpetuum, quàm temporale, quia causæ quæ possunt illud reddere temporale, vt plurimum non operantur, vt experientia docet, & Brancatus de matrim. disp. 23. art. 3. num. 52. predicta conuincit esse vera, nimirum maleficium esse perpetuum, & posse esse temporale pluribus exemplis; vnum refero in eo, qui damnatus fuit perpetuò ad triremes, & sic pœna hæc de se est perpetua, tamen potest esse per accidens temporalis, si,

scilicet,

ſcilicet, fugiat, ſi redimatur, ſi gratificetur
28 &c. rationem reddit, quia hæ cauſæ extrinſecæ non auferunt vinculum perpetuitatis. De hac perpetuitate D. *Thomas in 4. diſt. 34. art. 3. Gutierez cap. 113. Pontius lib. 7. de matrim. cap. 65. num. 6. ex illis Caſtropal. de Sponſal. diſp. 4. §. 3. num. 4. Sanchez lib. 7. diſp. 94. num. 8 ad 12.*

29 In dubio autem an ex maleficio oriatur impotentia perpetua, vel temporalis? Reſpondetur, quòd poſtquam coniuges per triennium vacauerint copulæ carnali, declarandum eſſe maleficium eſſe perpetuum, ſi nihil perficere potuerint, *Sanchez num. 12. Gutierez num. 7. Caſtrop. num. 5. ex cap. fin. de frigid.*

30 Sexto, maleficium perpetuum antecedens Matrimonium dirimit illud, cum ſit impedimentum dirimens, ibi. *Si forte coire nequibis*. Ita *fin. 33. q. 1. & cap. fin. de frigid.* Ita docent omnes *cum Sanchez. lib. 7. diſp. 94. num.* 8. Quos ibi magno numero citat, quibus addo *Scotum in 4. diſt. 34. num. 5. Verſ. De iſtis duobus cum ſuo Com. num. 11. Brancatum diſp. 23. art. 3. num. 62.*

Quæ ſuperius dicta ſunt ſub num. 10. de ſuſpicione Hæreſis, & Abiuratione applicantur maleficis in cauſa matrimoniali. Sed videtur quædam ſpecialitas in Matrimonio, quod cum ſit quædam res ſacra, ex quo eſt Sacramentum, quòd maleficium in eo ſemper arguat ſuſpicionem vehementem ex abuſu ipſius Sacramenti, quod miſcetur maleficio.

31 Reſpondeo, ſi mixtio fiat in actu, quo Sponſi contrahunt, tunc maleficium manifeſtam ſapit Hæreſim, quia incantationem, & ſignum coniungit cum celebratione Sacramenti Matrimonij; quod ſi malefica faciat maleficium ante, vel poſt contractum Matrimonium; Sacramentum non dicitur miſceri cum ſigno, quia illis temporibus
32 non eſt Sacramentum, cum aliud eſſe non habeat, niſi in fieri, non enim eſt permanens hoc Sacramentum, ſed tranſiens, ſicut alia, pręter Sacramentum Euchariſtiæ. De Matrimonio reſpectu hæreticorum dixi ſect. 11. à num. 37. ad 66.

Quæritur 10. De maleficio circa res qualcunq; extra corpus humanum?

33 ℞. Maleficium non ſolùm nocet hominibus in corpore, ſed etiam in rebus, & animalibus illorum, deſtruendo ſegetes, vineas, arbores excitatione tempeſtatum, & grandinum, atq; ventorum, quæ nocumenta Dæmones ad inſtantiam maleficarũ perſonarum faciunt. *Delrius lib. 3. ſect.* 10. de maleficio incendiario, *& lib. 2. q. 11.* de grandinibus, imbribus, & alijs malis illatis à Dæmonibus. Hæc autem Dæmones facere nullus dubitat, ſi in corpus hominis, multo magis in alijs rebus.

Maleficium autem incendij, grandinis, & tempeſtatis accidere poteſt tribus modis. 34
Primò, cum Dæmon Deo permittente aliquam perſonam vexat in bonis fortunæ, vt de Iob dicitur cap. 1. num. 16. ibi: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, pueroſq. conſumpſit*. Et num. 19. *Repente ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos ſuos, & mortui ſunt*. Et de hoc ſermo noſter non eſt, ſed de *Secundò*, cum ſcilicet Dæmon ad inſtantiam alicuius præſtat maleficia, homine ſignum ponente re, vel verbo, ad cuius poſitionem, tamquã honorem latum ſibi, operatur maleficium; tunc autem maleficium præſumitur à Dæmone prouenire, & non à naturà, cum ſerenum Cœlum ſtatim turbatur, & decidunt grandines, & tempeſtates in magnà quantitate cum nocumento ſegetum, vinearum, & arborum explantatione ob vehementiam ventorum. *Tertiò* contingit, cum Dæmon exorciſmis ſpiritualibus cogitur exire è corpore energumeni, nam quandoq; ægreferens exitum infert damna circum circa in loco, vbi adiuratur exire.

Quare in Synodo Cornazana tit. 36. & 35
Nembrina cap. 10. prohibeatur à menſe Maij incluſiuè per totum menſem Octobris incluſiuè exorcizare Sacerdotes ſub pœnà ſuſpenſionis ipſo facto incurrendà; quæ pœnà non exprimitur in Cornazanà, in quà & menſis Maij excluditur à prohibitione; ſed modo ſeruanda eſt Nembrina. Si tamen Exorciſta conuincatur de tranſgreſſione punitur à ſolo Epiſcopo, is enim caſus non ſpectat ad ſanctum Officium, eſto ſequatur maleficium, quia Exorciſta non preſumitur id petijſſe à Dæmone, contra quem agit Exorciſmis Spiritualibus.

Si quis conuincitur in ſecundo caſu de maleficio, iudicandus eſt ſuſpectus de Hæreſi iuxta dicta ſuperius ſub q. 5.

Quæritur 11. An maleficiatus vti poſſit medicinà vana, & ſuperſtitioſa ad recuperandam ſanitatem?

℞. Negatiuè, quia maleficium maleficio 36
deſtrui non poteſt, vt probabo infra ſuo loco. Confirmatur, quia vſus talis medicinę eſt de ſe malus, cum ſanitatem dicatur maleficiatus recuperare auxilio, & gratia Demonis. Ita *Suarez tom. 1 de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap.* 18. *Sanchez lib. 7. diſp. 95. num. 12 & lib. 2. cap. 41. num.* 15. quos citaui *cap. 19. q. 9. num.* 11. Non credo maleficiatum eſſe puniendum, quia ſoluit maleficium, non illud propriè fecit, maleficium enim fit in alterum, non in ſeipſum. Et per hæc reuoco oppoſitum, quod ibidem virtualiter dixi, eſt ergo Reus culpæ, non pœnæ in S. Officio. Nec his obſtat, quod dixi, ſect. 34. q. 30. num. 76. quia ibi locutus

sum de petentibus vsum sortilegij sine ordine ad aliud, vt in presenti casu, in quo supponitur vnum sortilegium ad aliud. Vel dic non puniri in S. Officio.

Quæritur 12. Quibus pœnis afficiantur malefici?

37 ℞. Primò, iure antiquo sortilegi omnes ac proinde etiam malefici erant excommunicandi, non ipso iure excommunicati, *vt sect. 38. num. 67 probaui, & cap. 21. num. 1.* aliæ pœnæ exprimuntur *cap. Qui 2. cap. Non liceat 3. 26 q. 5.* Quinquennio debent pœnitere. *cap. si quis 5. ibidem*, ariolos, & magos consulentes, exercentes, vel docentes hanc artem priuandi sunt suis honoribus, vt dicitur etiam *in cap. Quicunq. 13. eod.* Et præterea multantur exilio, vel carceribus. De quibus pœnis *Farinac. q. 181. num 51.*

38 ℞. Secundò, Iure nouo Bullæ Gregorij XV. incip. *Omnipotentis Dei* 46. ita statuitur: *Mandamus, vt constito, quòd aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à Fide apostatando, maleficijs, seu sortilegijs vnam, vel plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio Mors secuta sit, etiam pro primo lapsu curiæ seculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui verò similiter apostatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licet Mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi; siue animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus in S. Inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis mancipari debeat.*

39 Difficultates nonnullæ occurrunt super hac Bullà. *Prima*, quot requirantur conditiones, vt maleficus necator tradatur curiæ seculari? *Secunda*, An ex indicijs solùm, indubitatis tamen, maleficus condemnari possit ad mortem? *Tertia*, Quid concludendum in dubio an Mors secuta sit ex maleficio, an ex febri? *Quarta*, An attentans maleficium mortiferum sit Reus Mortis ex hac Bullà? *Quinta*, an mandans maleficium mortiferum sit Reus Mortis, sicut ipse maleficus? *Sexta*, An personæ ecclesiasticæ sint degradandæ? *Septima*, quodnam sit notabile damnum?

40 Primæ respondetur, vt maleficus tradi possit curiæ seculari requiritur. *Primò*, quòd fecerit pactum expressum cum Dæmone, scripto, vel verbo. *Secundò*, quòd à fide apostatauerit vel coram Dæmone, vel alio ad eius requisitionem, in causà maleficij. *Tertiò*, Mors debet sequi ex maleficio. *Quartò* debet constare de corpore delicti. Hæc colliguntur ex tenore ipsius Bullæ.

41 Secundæ, maleficus ex solis indicijs indubitatis pœnà mortis plectendus non est, quia illa clauf. *Vt constito*, requirit probationem plenam, & concludentem, ita quòd præsumptiua non sufficiat, *Garcias de Benefic. par. 6. cap. 3. num. 64. vbi dec. Rota refert, Beltraminus ad decis. 53. Ludouis. Ciarlin. cap. 10 num 72. cap. 41. num. 4. Theodos. Rubeus clauf. 216. num. 10. Farinac. q. 86. num. 110. Guazin. defens. 33. cap. 14. num. 14.* Dixi etiam *Sect. 28 num. 103.*

Contrarium docet *Carena par. 2. tit. 12. num. 263.* Quia hoc delictum est atrox, occultum, & difficilis probationis. Sed cum primis standum est, vbi enim agitur de Morte inferendà, testimonia debent esse luce clariora, l. fin. de probat. Et qui gladio ferit, gladio perit, Matth. cap. 26. 52. sed gladius feriens in pœnam est certus oculis visibilis, ergo & gladius maleficij feriens in culpam debet esse visibilis, nam signa maleficorum sunt sensibilia, ex quibus probanda est Mors ex illis orta.

Tertiæ, concludendum est, mortem secutam fuisse non minus à maleficio, quàm à febri, dum enim de vtroq; constat, certum quoq; est, maleficium, à quo febris causata fuit, esse causam principalem, & immediatam Mortis, quia inter duas causas concurrentes ad eundem effectum, magis attenditur ea, quæ est potentior, & efficacior, quàm quæ est minus potens; clarum autem est, sortilegium esse causam potentiorem Mortis, quàm febrim etiam malignam, quia malignatur ab ipso sortilegio, quod auget intemperiem in corpore ægrotante, ergo Mors tribuenda est maleficio, non soli Febri, cum hęc sit causata à maleficio, quod enim est causa causæ, est causa causati, sortilegium autem causauit febrim, ergo & Mortem. 42

Carena *par. 2. tit. 12. num. 257.* sentit oppositum, nimirum, mortem procedere ex febri, non ex maleficio, illa enim est causa proximior hoc remotior. Rem probat *ex l. Huic Scripturæ §. Si seruus ff. ad l. Aquil.* vbi constabat, seruum lethaliter vulneratum & post vulnus superuenerat naufragium, & ibi resoluitur, quòd non potest agi contra vulnerantem, nisi de vulnere, quia præsumitur seruus mortuus ex naufragio. 43

Confirmat hoc ex duabus decisionibus 220. & 239. Caualerij, in quibus narratur, quod fuerat contracta Societas super periculo cuiusdam fœminæ, excepto casu partis, mulier quinto mense correpta fuit febre malignà cum morbillis, & die 14. critico fecit abortum cum magnà effusione sanguinis, & post septem horas obijt. Rota decidit, mulierem esse mortuam ex abortu vti ex causà proximiori. & quamuis dicat, quòd febris potuerit esse causa abortus, quia vt dicit *Zacbias in suis Quæst. Medico leg tit. 4. q. 4. num. 85.* Febris acuta solet partum interimere; attamen Rota ait, quòd de hoc non est curandum, quia febris est causa æquiuoca Abortus.

Abortus. Igitur idem erit concludendum in casu hoc, quòd scilicet Mors intelligitur causata à febri acutà, & malignà, cum ex eà vt plurimum soleat Mors subsequi, non ex maleficio; quod est causa æquiuoca. Ego illum secutus sum cap. 21. num. 25. nunc muto sententiam.

Ad id, quod dicit Carena, impugnandum sufficit, quod dixi supra, nimirum, sortilegium de se influere in febrim, & eam causare, ita quòd ex vtraq; sequitur Mors tamquam à causà non æquiuocà, sed vniuocà, non enim dubitatur de influentià sortilegij dum de eo constat.

Confirmatur, quia causa est æquiuoca, à qua ignoratur processio effectus, certum autem est, quòd maleficus hostilis vocatur veneficus, eo quòd per venenum necat homines; vnde Grilandus *apud Delrium cap.*
44 *3.sect.2.vers.Grilandus*, agnoscit duos modos veneficandi, vnum per intus, dando cibum, vel potionem; vel per extra vngendo corpora dormientium, cuius vnctionis tanta vis est intus penetrando, quod vadit ad penetralia cordis maleficiati, & causat ingentes dolores, distemperando humores, generat Mortem, quæ euenit ex antecedenti morbo, & infirmitate causatà à veneficio diabolico. Venenum quoq; ex sua natura causat febrim, cum generet intemperiem in toto corpore venenati, corrumpendo dispositiones vitæ, & tandem statuto tempore cor inuadens Mortem infert maleficiato, *Mercurial.lib.1.de Venenis cap.* 10. *&* 11. Venenum ergo diabolicum non est causa æquiuoca, sed certa, & de se productiua febris, morbi, & Mortis, ergo illi tribuenda est Mors, non febri de se, quæ vt illius est instrumentum, per quod operatur.

45 Ad exemplum de seruo vulnerato, ex naufragio, non vulnere mortuo dico, esse latam differentiam, nam vulnus, & naufragium sunt duæ causæ, quæ interse nullam habent connexionem, nec vna est causa alterius, nec inter se sunt concausæ; in casu autem nostro maleficium, & febris connectuntur, & vna causat aliam, & ambæ concurrunt ad eundem effectum; quod non operantur vulneratio, & naufragium, vt dixi, neq. enim vulneratio causauit naufragium.

46 Ad confirmationem refero disparitatem, quia abortus non necessariò ortum habet à precedenti infirmitate: ideo dicitur habere causam æquiuocam, & incertam, quia potuit prouenire ab alià causà. Mors verò ex maleficio, & febri eius instrumento necessariò prouenit, nam potatum venenum, seu vnctio diabolica de se induxit febrim, & concordiam rupit quatuor qualitatum, ex quibus sine dubio dicitur, Mortem processisse

47 Quartæ, ob attentatum maleficium, quod mortem non intulit, non incurritur pœna Mortis, vt expresè dicitur in textu requirente Mortem, ibi: *Vt ex maleficio, vel sortilegio Mors secuta sit*. Ergo non sufficit attentatio; vnde per sortilegia inducentes Infirmitatem, licet Mors non sequatur, plectuntur pœna carceris etiam perpetui, vt dicitur in Bullà.

Quintæ, mandantes maleficium fieri non sunt Rei pœnæ Mortis, sed alijs pœnis, quia Mors infligitur tantùm contra committentes, vt ibi dicitur, his verbis: V*nam, vel plures personas læserit*. Item infra. *Maleficium, aut sortilegium commiserit*. Confirmatur, quia est Regula generalis, quod pœnæ inflictæ contra facientes, non compræhendunt mandantes nisi exprimantur, de communi *Megal.lib.3.de censur.cap.6.num.* 48
14.*lib.4.cap.2.num.13. Bonac.q.1.de censur.p.6.Thesaurus Iesuita par.1.cap.* 10. §. *Sed quod*. Loquuntur de censuris, à fortiori idem dicendum respectu pœnarum temporalium, præsertim Mortis, quà maior dari non potest. 49

Sextæ, personæ ecclesiasticæ maleficio mortem inferentes sunt degradandæ, licet de illis in suis terminis non exprimatur, vt nominatæ fuerunt in Bullà Vrbani VIII. de qua dixi sect. 38.q.17.num. 43. & ideo ibi fit mentio de degradatione. Hic nihilominus subintelligitur, sicut ecclesiastici comprehenduntur sub illis pronominibus vagis *Aliquis*, atq; *Qui*. Prior enim dictio comprehendit absq. vlla distinctione, *Barb. ad iam dict.22.num.* 8. Posterior eundem habet conceptum, vt omnes comprehendat sine exceptione, etiam ecclesiasticas personas, *Barb.in cap. Si quis 29.17 q. 4. num.2.* 50 51

Septimæ; puto quale sit notabile damnum vt Reus sit perpetui carceris, relinquendum esse Iudicis prudenti arbitrio. Puto autem notabile damnum debere esse maius, quàm furti, de quo opiniones succinctè refert Diana par.1.tract. 17. resol. 57. hic enim agitur de pœnà seueriori, quæ est perpetui carceris. Dixi cap. 21. fine. 52

Respondeo 3. alterius generis Sortilegos, non solùm puniri posse carceribus, sed etiam ad triremes per quinquennium, seu septennium transmitti, & fustigari tam mares, quàm fœminæ personæ viles. Ita *Zanardus par.1.cap.5. vers. Quinto, & cap.64.§. Ideo aduerte, Delrius lib.5.cap.16. Carena par.2.tit.12.num.257.vers.Si verò.* 53

Qui verò sunt Rei Sortilegiorum simplicium, publicè plectuntur carceribus ad aliquot menses, vel pœnitentijs alijs salutaribus. Ita *Genuens cap.68.num.8. Zanardus par.2.cap.134.vers.Tertiò differunt. Carena par.2.tit.12.num.258.* 54

Quæritur 13. An sortilegus hæreticalis sit infamis?

55 ℟. Non nisi post condemnationem. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 9 Suarez lib. 2. cap. 19. num. 3. & 13. Filliuc. tract. 24 num. 197. Thesaurus V. Superstitio num. V.*

Quæritur 14. An sortilegus, & matematicus teneantur restituere lucra quæsita ex Sortilegijs?

56 ℟. Negatiuè, nisi fingant se prestare, quod sciunt, se non posse facere, decipiendo proximum. Ita *Petrus Nauar. lib. 2. de Restit num.* 113. *Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 96. Layman lib. 4. cap. 4. num.* 8. per l. Item apud, §. Si quis Astrologus ff. de iniur. *Vbi Glos. V. Non potest, ex Thesauro V. Superstitio ad finem.*

Quæritur 15. An maleficus teneatur reficere damnum illatum maleficiatis?

57 ℟. Affirmatiuè, quia dans damnum alicui, iniustè æquiparatur furi, qui furto damnum infert, sed fur tenetur, ergo & damnificans. Ita *l. 1. C. de lege Aquil. tit. de Iniurijs, & damno dato*. Nullus contradicit.

Quæritur 16. Quid sibi vellint hæc nomina Lamiarum, & Strigarum, per quas dicuntur homines maleficiari?

58 ℟. Nomine fœminino appellantur, quia maleficium diabolicum magis est in vsu apud fœminas præsertim vetulas, & visu turpes, quàm in masculis, aptiores enim sunt ad decipiendum.

Strigæ autem dicuntur à quadam volucre quæ appellatur Strix, quia de nocte stridet, & pueris nocet, teste Ouidio 6. Fastorum his carminibus.

Sunt auidæ volucres, non quæ Phineia mensis
Guttura fraudabant; sed genus inde trahunt,
Grande caput, stantes oculi rostra apta rapina,
Canities pennis, vnguibus hamus inest;
Nocte volant, puerosq. petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis,
Capere dicuntur lactantia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen, sed nominis huius
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.

Ex his igitur carminibus nominis, & artis deriuationem habent vetulæ, quæ vocantur Strigæ, quia instar huius auis necant auxilio Dæmonis infantes in cunis, iuuenes & senes quoq; varijs ægritudinibus, & doloribus cruciant, & ad mortem deducunt.

Lamiæ verò ab antiquis mulieres esse putabantur, seu veriùs Dæmonum simulacra quędam, seu phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumptà pueros pariter, & iuuenes blandicijs allectos vorare credebantur, de quibus Horat. ita cecinit *Nec pransæ lamiæ puerum viuum extrahat aluo*. Ex Dictionario Passeratij. Lupus verò lib. 20. in Edictum S. Officij dist. 6. art. 1. vocat quoddam animal ita auidum, quod etiam proprios filios deuorat. De lamijs fit mentio in Isaia cap. 34. 14. & in Threnis idest lamentationibus Ieremiæ cap. 4. 3. De his vide Doctores citatos à Farinac. q. 181. *num. 46. & 47. Albergbin. cap. 18. sect. 3. §. 9. Sousa lib. 1. cap. 57. num. 16.*

SECTIO XXXXIII.

De Probatione Maleficiorum.

SVMMARIVM.

1 *In delicto maleficij probandum est corpus delicti, & eius qualitas.*
2 *Antequam citetur Reus, aliter citatio est nulla.*
3 *Corpus delicti probandum.*
4 *Aliter Tortura, & condemnatio nulla est.*
5 *Probatio illius debet esse plena, & concludens, non presumptiua.*
6 Patefacta *importat plenam probationem per inspectionem ocularem.*
7 *Adeo quòd confessio Rei nulla est, si prius non constat de corpore delicti.*
8 *Dummodo relinquat aliquod sui sensibile vestigium.*
9 *Homicidium simplex, sed qualificatum spectat ad Iudices Fidei.*
10 *In cuius qualitatis probationem suam fundant intentionem.*
11 *Maleficium probatur coniecturis solum quò ad Torturam.*
12 *Medicus, & Exorcista Fidem faciunt de maleficio.*
13 *Cum iuramento.*
14 *Quod cadere potest super rem probabilem.*
15 *Ad condemnandum non sufficit nuda confessio.*
16 *Debet enim præcedere aliqua probatio.*
17 *Neque confessio extraiudicialis.*

18 Fa-

IN præcedentibus tractatum fuit de Sortilegijs, & Maleficijs in suis speciebus, modò agendum est de probatione huiusmodi delictorum in ordine ad Torturam, & condemnationem ad pœnas corporales.

1 Suppono ex dictis in præcedentibus in delicto maleficij superstitiosi, quòd scilicet fit ab homine auxilio Dæmonis operantis, quòd homo maleficus ab eo petit, duo potissimum inueniri; corpus delicti; & qualitas superstitiosa, quà delictum fuit commissum, & vtrumq; esse probandum, antequam

2 deueniatur ad capturam, nisi timeatur de fugà, quia in tali casu in sententià omnium capi potest, vel adstringi sub fideiussione de se præstando, *Farinac. q. 27. num. 125. Clarus q. 4. num. 3. Guazin. defens. 4. nu. 7. & 8.*

3 Corpus ergo delicti in primis probandum est in sententià omnium, l. 1. §. Item illud ff. ad senat. cons. Sillanianum. Adeo quòd, si prius de hoc non constet, citatio, examinatio, tortura, & condemnatio, nullius 4 sunt momenti, de communi *Clarus q. 4. Farinac. q. 2. Guazin. defens. 4.* Carena *p. 2. tit. 12. num. 173.* in terminis nostris. Ratio est, quia

quia probatio corporis delicti est vnum de
substantialibus Iudicij, sine qua hoc consi-
stere non potest.

Huiusmodi autem probatio debet esse
plena, & concludens, non præsumptiua, vt
5 colligitur ex citatâ leg. ibi: *Liquere igitur*
debet scelere interemptum. Et in l. Si quan-
6 do C. Vnde vi. per illud verbum *Patefactâ*,
ex Boerio *dec.* 288. *num.* 2. *fine*, *Farinac.*
cons. 70. *num.* 18. quod dixerat etiam alijs
citatis consil. 37. num. 11. Adeo quòd cor-
pus delicti non dicitur probatum per confes-
sionem Rei, nec eius confessio illi nocet,
7 non constito de corpore delicti, *ex allegatis*
ab eodem Farinac. q. 23. *num.* 2. *Guazin. de-*
fens. 4. *cap.* 3. Probandum ergo est corpus
delicti per inspectionem ocularem, ibidem
num. 10. Nihilominus, quando delictum
est difficilioris probationis sufficiunt coniec-
turæ, & præsumptiones ad illud probandum,
8 *Gabriel. lib.* 7. *de crim. concl.* 17. *num.* 13. *&*
14. *Clarus q.* 99. *ex illis* Farinac. *cons.* 43. *n.*
27. *Sperellus dec.* 136. *num.* 18. Quamuis pro-
batio corporis delicti cadaueris occisi, vel
aliter defuncti sit facillima; tamen in mate-
riâ præsenti de maleficio mortui ex Supersti-
tione, ac proinde de eius qualitate probatio
est valdè difficilis, cum pendeat à sortilegio,
& arte Dæmonis, qui occultissimè operatur
ad instantiam malefici.
9 Cum homicidium simplex non pertineat
ad Tribunal Iudicum S. Fidei, sed prout est
qualificatum Maleficio superstitioso, à quo
probato Iudices fiunt huius delicti; idcircò
necessariò hæc qualitas probanda est, tàm in
homicidio, quàm in qualibet infirmitate,
vel damno illato, vel alio sortilegio, quia
Iudices in qualitate probatâ fundant suam
Iurisdictionem, aliter nihil omninò agere
possunt.

Quod autem qualitas fundans Iurisdictio-
nem sit probanda, est communis Doctorum
10 per *l. Non ignorat* 9. C. *De ijs, qui accusan. l.*
Fulcinius §. 1. *ff. Ex quibus causis in possess.*
Farinac. cons. 37. *num.* 2. *& q.* 8. *num.* 86. *Ric-*
cius part. 3. *decis.* 152 *num.* 4. *Ciarlin. cap.* 2.
num. 33. *cap.* 10. *num.* 63. *Sperell. decis.* 79.
num. 51. *& dec.* 102. *num.* 11. In terminis
nostris, *Albertinus q.* 25. *num.* 24. *Paramus*
lib. 3. *q.* 6. *num.* 81. *Farinac. q.* 2. *num.* 26.
Martinus Delrius lib. 5. *sect.* 2. *sub initium, &*
sect. 16. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.*
173. *Vbi sub Vers. Et in hac*, dicit in Sorti-
legijs corpus delicti probandum in eo, quòd
infirmitas, mors, destructio rerum processe-
rit ex maleficio. Duo ergo sunt corpora de-
licti probanda contra sortilegos, & malefi-
cos per Fiscum S. Officij, nimirum homici-
dium simplex, infirmitas, damnum illatum
&c. deinde, quòd sit qualificatum tale de-
lictum, scilicet, probandum est, quod pro-
cesserit ex Maleficio diabolico. Sed cala-
mum conuertamus ad quæstiones.

Quæritur igitur primò, an qualitas expli-
cata probanda sit plenè, & concludenter
per inspectionem illius?

℞. In ijs, quæ sunt difficilis, immò dif- 11
ficillimæ probationis, non est opus oculari
inspectione, sed sufficiunt coniecturæ, &
indicia, vt dixi supra; Sed maleficium
diabolicum est huius generis cum cæteris
sortilegijs, cum solùm occultè fiant, & à
solà voluntate dependeant, per quam sor-
tilegus cum Dæmone pactum facit ad sorti-
legiandum, ergo sufficit illud probare indi-
cijs, & coniecturis. Ita *Farinac. q.* 2. *num.*
26. *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 174. *Comensis*
de Strigijs num. 14.

Quæritur 2. Quænam sint hæ coniecturę,
& indicia probantia maleficium, & sortile-
gium?

℞. Si sermo sit de Morte, & infirmitate 12
ex maleficio, Fides Medici periti, seu etiam
Exorcistæ, qui tractauerunt infirmum, est
coniectura sufficienter probans infirmitatem,
seu mortem procedere à sortilegio, dum ex-
cluditur infirmitas à causâ naturali, vel vio-
lentâ ab extrinseco. Ita præfatus *Bernardus*
Comensis in fine sua Lucerna num. 14. *Vers.*
Cognoscetur, *Fachineus lib.* 1. *cons.* 12. *num.*
12. *Torreblanc. lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 16. *Ca-*
rena par. 2. *tit.* 12. *num.* 208. Medici tractan-
tes de his maleficijs cognoscendis à Salelles
Reg. 123. num. 327. referuntur, ideo illi
sunt consulendi, vt recta attestatio fieri pos-
sit. Et puto faciendam esse cum iuramento, 13
quod probabiliter credit talem infirmita-
tem, & subsequentem Mortem procedere
à maleficio diabolico, nam iuramentum
cadit non solùm super rem certam, sed eti-
am super probabilem, licet non super incer-
tam, vt docet *Scotus in* 3. *dist.* 39. *Vers.* 14
Quantum ad secundum, *à num.* 4. *ad* 9. *San-*
chez lib. 3. *cap.* 4. *num.* 10. *Barbosa ad l.* 1. *C.*
Qui, & aduer. quem, *num.* 6.

Quæritur 3. An nullo extante indicio so-
la confessio Sortilegi sufficiat ad conde m-
nandum illum, cum nullum inueniatur
vestigium, quo probari possit ipsa qualitas
sortilegij?

℞. Solam confessionem non sufficere ad 15
condemnandum aliquem Sortilegum taliter
cognitum per solam eius confessionem,
quando de nullo penitus indicio constat, ra-
tio est, quia talis confessio non est legitima,
siue facta sit coram Iudice, siue extraiudicia-
liter, nullitas primi probatur, quia non in-
terrogatur iuridice, debet enim ante inter-
rogationem præcedere aliqua probatio sal-
tem ex indicijs, vt dicunt omnes cum *D.* 16
Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *Nauar. in Rubr. de iu-*
dic. à num. 52. *Miranda q.* 19. *de ordine iu-*
dic. art. 13. *Mar. Socin. cons.* 130. *num.* 34.
fine, *Bossio de interrog. reorum num.* 6. *cum*
alijs

alijs Guazin. defens. 20. *cap.* 7. *num.* 4. & *Defens.* 32. *cap.* 31. *Farinac. q.* 81. *num.* 15.
17 *Ego cap.* 67. *num* 2. & 6. *tom.* 5. *impress. Lugdun. Praxis crimin.* Neq; valet ad condemnandum confessio extraiudicialis, *ex allegatis à Farinac. q.* 82. *num.* 1. *Guaz. Defens.* 32. *cap.* 33.

Solùm facere potest indicium ad Torturam, si sit clara, & verisimilis, seriò facta, & probata duobus testibus, *ex adductis à*
18 *Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 58. *ad* 63. Demum si confessio est spontanea coram Fidei Iudice facta, non inducit Reum in condemnationem, sed expeditur pœnis salutaribus, *Carena part.* 2. *tit.* 18. *num.* 8. *de Haereticis, num.* 16. *de suspectis.* Quare concludendum, solam confessionem à Sortilego, seu male-
19 fico factam de suo Sortilegio, nullis praecedentibus indicijs, non sufficere ad condemnandum Reum in pœnam, neque extraordinariam, nisi propriam confessionem Torturà firmauerit, quod tunc facit locum pœnae extraordinariae. Ita *Farinac. q.* 2. *num* 26. vbi, quòd maleficus confessus homicidium
20 sortilegum non est condemnandus ad Mortem, nisi aliunde constet de hoc delicto, *Ferrer. ad consit. Cathaloniae soluto Matrimonio &c. apud Carenam part.* 3. *tit.* 8. *num.* 50. *Vers. Et quidem*, cum sequentem impugnantem Delrium.

21 Qui lib. 5. sect. 16. Vers. En Rhodus, en saltus, licet videatur approbare propriam Rei confessionem cum indicijs sufficere ad condemnationem, cum solà verò, & nudà confessione non posse procedi contra maleficum; nihilominus hoc posterius probat *Primò* ex verbis Euangelij, vbi Paterfamilias seruum iudicat nequam *ex ore eius*. Probat deinde *Secundò* in Foro Poli statur confessioni pœnitentis, cuius tali confessioni confessarius stat, & illum iudicat ex proprià eius confessione coram ipso factà, ergo & in Foro Fori Iudex stabit nudae confessioni Rei, & secundùm illam condemnabit ad Mortem. *Tertiò*, in alijs delictis furti, latrocinij, adulterij, sodomiae, &c. statur legitimae confessioni, cur non in hoc quoq; delicto? iniquum plane est aliam exigi certitudinem, quàm quae iuxta criminis naturam potest haberi; huius enim criminis natura est, vt de eo fermè Iudici aliunde nequeat constare, quàm ex indicijs, praesumptionibus, & Reorum confessione, eo quòd clam committatur, & saepe nulla post se sceleris vestigia relinquat, ergo sola confessio legitima sufficit ad condemnationem. Et pro se citat *Godelmanum lib.* 3. *de Lamijs cap.* 10. *num.* 47. *Molerum sect.* 2. *à num.* 11. *Clarum q.* 55. Confirmari id potest, quia ad condemnationem sufficit vnum ex duobus, conuictio, aut confessio, *Farinac. q.* 81. *sub initium iuribus allegatis*, & *q.* 187. *num.* 73.

Sed persistendum in decisis suprà, quia 22
sola, & nuda confessio, nullà probatione praemissà non potest dici confessio iudicialis, nec legitima, cum Iudex non possit procedere contra determinatam personam nisi prius sit diffamata, *ex allegatis à Farinac. q.* 9. *sub initium*, vel loco diffamationis adsint indicia, *ex eodem num.* 20. aliter acta sunt nullius momenti, ex ibi dictis, ac proinde pro nullà habenda est confessio.

Ad primum argumentum dico, illa ver- 23
ba Euangelij Lucae 19. 22. *De ore tuo te iudico serue nequam*, supponunt indicium praecedens, in eo consistens, quòd ille seruus ostendit solam mnam acceptam, quam conseruauerat in sudario, & non negotiauerat, sicut alij, & ex hac negligentià, & ex murmuratione eum condemnauit in nequitiam suae murmurationis ex ore eius, & ad restitutionem ex indicio negotiationis non exercitae; constabat ergo de corpore delicti per negatiuam negotiationem, & ex eius confessione illum condemnauit. Argumentum ergo non facit ad rem.

Ad secundum, non valet argumentum à 24
Confessione Sacramentali ad Confessionem criminalem, & profanam, ob latam differentiam, nam illa fit ad remissionem, & condonationem culparum, haec ad condemnationem paenarum; illa ordinatur ad salutem animae, haec ad nocumentum personae; illa perficitur sine testibus, sine accusatore, sine denuntiatore; haec non fit sine illis; ex diuersis ergo non fit illatio, *l. Papinianus* 21. *ff. de minor.*

Ad tertium dico, stari quidem legitimae 25
cōfessioni in praedictis delictis, in casu nostro autem nō dicitur legitima confessio, quae nuda est carens Testibus indicantibus eam; non enim desunt indicia in maleficijs, quae sine illis non fiunt, & hoc supponitur in Bullà Gregorianà, de qua dixi sect. 42. num. 38.

Clarus non facit pro Delrio, quia in q. 26
55. num. 9. dicit, per solam Rei confessionem non esse condemnandum, & num. 10. ait, si delictum est facti transeuntis, cuius scilicet nulla solent remanere vestigia, puta adulterium, furtum &c. & tunc vbi cum querelà partis concurrit etiam confessio Rei, vtiq; erit sufficiens ad condemnandum. In nostro autem casu semper adesse potest aliquod indicium, Daemon enim non seruit, nisi honoretur per aliquam rem sensibilem,
& patet experientià, quod in lectis malefi- 27
ciatorum semper inuenitur signum maleficij. Adde, quòd Bossium citat, qui in tit. de delicto num. 21. ait id procedere, si agatur ciuiliter, non criminaliter. Deinde querelanti in causà proprià non est credendum, cum agatur de proprio interesse, vnde ex querelante non potest Iudex firmare ani-

mum

mum suum contra Reum. Præterea in cap. Forus 10. de Verb. signif. in omni negotio quatuor personæ quæruntur, Iudex, Accusator, Reus, & Testes, ergo Reus pro Teste non habetur.

28 Demùm verum quidem est, quod Reus condemnatur, si sit conuictus, vel confessus cap. 1. & 22. q. 1. *Vel confessus* idest legitimè, præcedentibus scilicet Testibus, quia Reus idem esse non potest, & Testis.

29 Addo prædictis, quòd Doctores citati à Delrio, cum alijs cum quibus est *Castropal. p. 1 tract. 4. disp. 8. p. 16 §. 1. nu. 1. vbi citat. Fegnam part. 3. com.* 28. *Simancham de catol. instit. tit.* 13 *de confessis num.* 1. *Mascardum concl.* 859. *Farinac. q.* 187. *num.* 73. Loquuntur in terminis Hæresis, non de delictis, ex quibus deducitur suspicio Hæresis, quòd scilicet sola confessio Hæretici sufficit ad condemnationem, sed non distinguunt de pœnà ordinarià, an extraordinarià.

Quæritur 4. An non constante plenè, & concludenter per inspectionem ocularem de corpore delicti maleficiati, sed tantùm per præsumptiones, & signa, seu Fidem Medici periti, possit maleficus condemnari ad Mortem?

30 ℞. Negatiuè, vt probaui sect. 42. num. 41. Et confirmatur ex ijs, quæ refert Farinac. q. 187. num. 2. & quamuis nonnulli dicant sufficere præsumptiones ad condemnandum Reum, quos refert num. 3. & 4. tamen num. 5. ait, quòd opinio verior, & magis communior est, quòd præsuptiones non sufficiant, sed requiri probationem plenam, & concludentem, *Carena alijs citatis par. 3. tit. 3 num 9. Salelles Reg.* 167. *num.* 24. Ergo idem dicendum est in præsenti casu de Morte maleficorum.

Quæritur 5. An pro pœnis extraordinarijs, & arbitrarijs sufficiant probationes ex præsumptionibus, & coniecturis?

31 ℞. Affirmatiuè, & probatur ex cap. Accusatus, de hæret. in 6. illis verbis: *Licet ante Abiurationem suam Hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum*. Ita *Albertin. q.* 34 *num* 56 *Menoch. lib.* 1. *cons.* 82. *num.* 144. *Pegna par.* 2. *com.* 80 *Vers. Sed hanc sententiam*, *Simanch. tit.* 50. *de præsumpt. nu.* 21 *Royas par.* 2. *num.* 304. Farinac. *q.* 187.

32 *num.* 9. 40. & 41. *ex illis Castropal par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8 *p.* 10. *num.* 1 *Carena par.* 3. *tit.* 3. *num.* 13. Ratio disparitatis est, quia vbi agitur de Morte inferendà, probationes debent esse clariores luce meridianà, non sic respectu aliarum pœnarum, pro quibus sufficit minor probatio, sicut ergo pœnæ se habent secundum magis, & minus, ita & probationes debent esse inæquales.

Quæritur 6. Quænam sint indicia, quibus probatur maleficium diabolicum esse?

33 ℞. Plura sunt, de quibus *Delrius lib.* 5. *sect.* 3. & 4. *Carena par.* 2. *tit.* 12. §. 21. *à num.* 177 *Ego cap.* 19. *q.* 12. *num.* 16.

Primum indicium est Liber, seu Scriptura continens modum maleficiandi personas tale enim indicium vrget Iudicem ad duo, & quod habens talem librum sit suspectus de Hæresi, & quod eo vsus fuerit ad maleficandum, non enim sine causà, & inutiliter sine vsu retinetur; consequenter est indicium sufficiens ad torquendum denuntiatum, si negat vsum maleficij. Ita *Genuens. cap.* 18. *num.* 13. *ex eo Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 177. *vers. Quinimò. Zanardus par.* 2. *de Præceptis cap.* 94. *num.* 13. *Vers.* Primò Procedit hoc, esto nullum aliud adsit indicium. Idem dicendum, est de instrumentis magicis, vt sunt Astrolabia, pentacula, & huius generis, quæ inseruire possunt sortilegijs, cum pertineant ad has artes: & pro solà retentione, si nihil emergat super vsu, & intentione abiurant de leui. Ita *Delrius lib.* 5. *sect.* 17. *vers. Sunt etiam tales*, *Genuens. cap.* 68. *num.* 12. *Carena num.* 178. 34 35

Secundum indicium est cicatrix impressa in corpore sortilegi aliàs puniti in S. Officio, & hoc signum est graue argumentum sufficiens ad Torturam. Ita *Delrius lib.* 5. *sect.* 4. *num.* 28. *Lambertus Danaus in Dialogo de sort. Ioannes Bondinus lib.* 2. *Demonom. cap.* 4. & *lib.* 4. *cap.* 4. *cum eis Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 182. Contra Bisfeldium, illud vocans leue indicium. In hoc casu crederem necessarium esse probare cicatricem fuisse impressam de mandato Iudicum Fidei, quia Rei aliorum delictorum, præsertim furti notantur. 36

Tertium, vas plenum ossibus, rebus sacris, & similibus est signum graue indicatiuum sortilegij, & maleficij, sufficiens ad Torturam. Ita *Castropal. par.* 3. *tract.* 17. *disp.* 1. *q.* 13 *num.* 7. *Torrebl. lib.* 5. *de Magià cap.* 17 *num* 36. *Carena num.* 194. 37

Quartum mutua collocutio maleficæ cum Dæmone circumstantibus audientibus, sed non videntibus nisi strigam. Ita *Ludouic. Ghilausenus in Arbore Iud. crimin. cap.* 6. *par.* 7. *sect.* 2 *num.* 106. *Carena num.* 195. graue indicium ad Torturam. 38

Quintum, si quis se offert ad docendum hanc artem, est indicium graue ad Torturam. Ita præfatus *Ghilausen. cit. num.* 103. *ex eo Carena num.* 197. 39

Sextum, si ex tactu, vel re datà ad manducandum, vel bibendum per lamias, statim recipiens aut moriatur, aut notabiliter infirmatur; signum graue indicans maleficium, quia natura tam cito non operatur, sed in tempore paulatim inducit infirmitatem. Ita *Faber in suo cod. Fabriano in tit. de Malefic. lib.* 9. *Defin.* 2. *vers. sed si quod plerunque Carena num.* 198. inducens Torturam. 40

Septimum, inuocatio, seu pactum expræs- 41

præssum cum Dæmone est signum indicatiuum maleficij, & quidem graue. Ita *Ioan.Zanger.de quæst.& tort. cap. 2. num.* 100. inducens Torturam.

42 Octauum, expoliatio cadauerum patibulo suspensorum est indicium non leue, eo quod malefici solent vti vestibus illorum ad maleficandum. Ita *Torrebl. lib. 2. cap. 36. lib. 5. cap. 17. num 34. & 35. Carena num. 196.* inducens Torturam.

43 Nonum indicium est collectio granorum herbæ nominatæ Felicis in nocte S. Ioannis, magi enim solent vti pro maleficijs. Ita *Torrebl. & Carena mox citati.* graue indicium inducens Torturam.

44 Decimum, crebra Dæmonis inuocatio in damnum proximi indicat amicitiam, & societatem cum Dæmone, non est tamen graue indicium, quia pertinet ad malam famam, ac proinde insufficiens ad Torturam. Ita *Delrius lib. 5. cap. 4. num. 24. Binsfeld. in com leg. fin. vers. vndecimum, Carena num.* 180. E.g. *Il Diauolo ti porti via. Sij maledetto dal* Diauolo, *va casa del* Diauolo *&c.* Solent hæc, & similia proferri ab iratis. Si tamen in prolatione horum verborum ille, in quem proferuntur, statim periret, aut grauiter subitò infirmaretur, cum immediatè ante esset sanus, videtur indicium vrgens, & indubitatum causatiuum maleficij, cum non possit alia causa assignari præter hanc, nam causæ naturales non instanti sed tempore operantur paulatim subiectum disponendo, vt dixi num. 60.

45 Duodecimum, mala physionomia terribilitatis personæ, aut deformitatis vultus eius est indicium amicitiæ cum Dæmone, sicut enim laborantes in venis argenti viui sunt pallidi, ita & amicitiam cum Dæmone habentes faciem deformem contrahunt. Ita *Eymeric. part. 3. Direct. tit. de signis exter. Binsfeld cit. Vers.* 13. *Carena num.* 181. *Delrius lib. 5. sect. 4. num.* 21. Qui dicit, non esse curandum de his signis, aliunde enim prouenire possunt.

46 Decimum tertium, generatio magi ex maga, seu malefico, est quidem indicium, sed leue, ex prædictis apud Carenam num. 183. Suadetur, quia sicut filij adulterorum præsumuntur incontinentes, *Sapient. cap. 3. 16. cap. Si gens 9. dist. 56.* ita, & geniti ex magis, & sortilegijs præsumuntur sequi artem diabolicam suorum progenitorum.

47 Decimum quartum est assertio eius, qui vidit maleficam vngentem hominem, vel potionem pestiferam propinantem homini, vel animali, & paulo post facti sunt infirmi, seu statim interierunt. Et hoc sufficit ad Torturam, si sit maior omni exceptione in suà assertione. Ita *Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. p. fin. in fine, Castropal. par. 3. tract. 17. disp. 1. p. 13. num. 7.*

Decimum quintum sunt minæ, quibus quis comminatur malum alicui, qui paulò post infirmatur grauiter, & non potest ab infirmitate se liberare adhibitis remedijs; vnde stante quoq; antecedenti inimicitia, minæ videntur sufficere ad Torturam. Ex eodem Bonac. 48

Decimum sextum indicium est fama publica, quòd talis persona sit striga, & malefica, quæ volat ad aures omnium; sed quoniam mala fama contra vetulas originem solet habere ex maleuolentià, & commune odium in huiusmodi personas, ideo hoc indicium pro leui habendum est in hac materià, & insufficiens, nisi alia concurrant. Ita *Torrebl lib. 5. de Magià cap. 17. num. 1. Ludou. Gilhaus in Arbor lud. crim. cap. 6. par. 7. sect. 2. num. 106. Vers. verum fama, Castropal. tom. 1. tract. 4. disp. 8. p. 16. §. 5. num 2. ex illis Carena par. 2. tit. 12. num. 202. & 203. Ego cap. 19. num. 17.* 49

Ex dictis super præfatis indicijs patet quænam sufficiant per se singulariter ad Torturam, & quæ sint insufficientia; indicia autem ad Torturam debent esse certa, & concludenter probata, non dubia, neq; æquiuoca, aliter Tortura inferri non potest De qua re vide *Farinac. q. 37. Guazin. Defens. 30. cap. 4.* Dicam suo loco.

Quæritur 7. An dictum duarum sagarum asserentium se vidisse in conuentu talem sagam sufficiat ad inquirendum contra eam, ad capturam, & Torturam?

℞. Negatiuè, quia illis nulla fides est adhibenda, dum præcisè deponunt, se sociam vidisse in conuentu, nisi dicant de his, quæ viderunt antecedenter circa præparationem ad pergendum ad conuentum diabolicum. Quare nec earum dicta sufficiunt ad inquirendum, multò minus ad citandum denuntiatam, nec Torquendum. 50

Primum, quòd illis nulla Fides sit adhibenda respectu illorum trium; probatur, quia binas patiuntur exceptiones, sexus scilicet, & societatis in crimine, quæ valdè diminuunt, immò destruunt earum Fidem. De sexu dixi sect. 25. num. 179. ad 183. De exceptione societatis, quòd socius nihil probet, & quod ei non sit credendum, alijs citatis docet *Farinac. q. 43 num.* 8. fatendo enim delictum facit se infamem *ex cap. infamis 7. 2. q. 1.* Ita docent *Simanch. de Catholic. tit. 37. de lamijs num. 14. Scaccia lib. 1. cap. 82. num. 10. Castropal par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 16. §. 5. num 2. Diana par. 4 tract. 16. resol. 30. Sousa lib. 2 cap. 25. num. 25. Carena par. 2. tit. 12. num.* 227. Qui subdit, nec earum depositiones sufficere ad inquirendum ex decisione sacri Tribunalis de Vrbe, teste Scaccià supra citato. 51

Secundum, quòd valeat earum dictum, si sit adminiculatum ex indicijs præparatorijs, 52

docent *Simancb.* & *Seattia supracitati apud dictum* Carenam *num.227.Vers.Quod verum* adminicula ex eis sunt, si deponat vidisse sociam se vnxisse ad volandum, vocauit Dæmonem, ascendit caprum &c.

53 Contrarium, quòd testimonium duarum sagarum faciat indicium etiam ad Torturam docent *Binsfeld. de confess. sagar. membro* 2. *concl.6.dub.2.Delrius lib.5.in Append.* 2.*q*.8. *Valentia disp.* 6.*q*.13 *p*.4. *§*.3. *Pegna par.*3. *com.*110. *vers. Si tamen duo*, quos refert Farinac.q. 185. num.153.sed non sequitur, vt patet ex Vers. Quamuis. Ratio eorum est, quia persona in conuentu non semper illuditur, nec res vna pro alia apparet, ergo inesse potest veritas. Sed hæc ratio nullius est momenti, cum non possit sciri, quando Dæmon decipit, & quando demonstrat, quod in se verum est, & consequenter cum assertio sit dubia, & æquiuoca, nihil est probatum, vt respondet Farinac. in fine num. 153.

Quæritur 8. An sagæ torturandæ sint, vt earum dictum valeat?

54 ℞. Negatiuè, ne retrahantur à testificatione fauore Fidei. Et ità praxis S. Officij obseruat. Ita Simancb. *de Catol. instit. tit.* 53.*num.*38.*Pegna par.*3.*com.*113.*Diana par.* 4 *tract.6.resol.* 10. *Carena num.* 233.

Quæritur 9. An dictum Dæmonis, & energumeni faciat indicium contra Sortilegum?

55 ℞. Negatiuè, quia Dæmon loquendo per se, vel per energumenum creditur esse mendax, cum sit pater mendacij, & in eo non sit veritas Ioan. 8. 44. Dicente *S. Aug. tom.9.tract.42.& tom.5. lib.5. de ciuit. Dei cap.* 7. Diabolum esse vigilantissimum, ad decipiendum, in quo maxima fallendi cu-

56 piditas viget, *ex eodem lib.* 4. *de ciuit. cap.* 31. In nullo ergo ei credendum est, quia habet mille nocendi artes, Rituale Romanum Pauli V. in tit. de Exorcis. Et ita docent *Faber lib. 9. tit. de Malefic. Homob. de casib.reseruat.cap.2.fol.* 272. *ex illis Carena par.2.tit.12.num.* 227.*Vers.in qua re*. Ratio est, quia non à Diabolo, sed ab hominibus quærenda sunt indicia.

Quæritur 10. An sanguis fluens è cadauere defuncti ex maleficio sit indicium ad Torturam?

57 ℞. Negatiuè hoc solum sufficere, quia probationes pendent à causis notis, & non ab ignotis quærendæ, causa autem effussionis sanguinis est omnino ignota, ergo tale inditium insufficiens est, & æquiuocum. Confirmatur, quia causari potest à Dæmone ad decipiendum Iudicem. Ita *Farin. q.* 52.*num.*156.*Mascard.concl.*867.*num.*24.*Casonus de Malefic. cap.* 3. *Gomez tom.* 3. *cap.* 13.*num.*5. *Delrius lib.*5.*q.*5 *sect.* 4 *num.* 20. *Ludou.Ghilansenus cap.6.par.7.de quæstion.* & *tortura sect.7. num.* 79. *apud Angel. Mariam Vericellum tract.* 1. *singul. opin. q.* 22. *sect.* 5. *num.* 28. reijciens oppositam opinionem, & multa dicit circa hoc prodigiosum Carena in terminis nostris par. 2.tit.12.num. 189.cum prædictis sentit.

Quæritur 11. An iactatio se sortilegium seu maleficium fecisse sit indicium ad Torturam?

℞. Si probatur sola iactantia, & non delictum, in eo casu punitur iactans se, *ex cap. Quàm sit graue, de excessib. Prælator.* Vbi Barbosa citat Doctores. Si verò plura sortilegia asseruit non se iactando, sed dicendo, quòd illa fecit, talis assertio sic probata est species confessionis extraiudicialis faciens semiplenam probationem, quæ sufficit ad Torturam. Ita *Pegna par.*3. *com.* 110. *vers. Ergo præter. Giurba plures citans cons.* 87. *num.*20.*cum illis Carena par.*2.*tit.* 12. *num.* 259. In primo casu non est opus Abiuratione, cum iactantia non sit delictum inducens suspicionem Hæresis. 58

SECTIO XXXXIV.

De Maleficiorum Destructione.

SVMMARIVM.

1 *Maleficus tenetur tollere Maleficium.*

2 *Eius ablatio est actus licitus, & bonus.*

3 *Maleficium tolli non potest Maleficio.*

4 Petens *solutionem Maleficij intendit semper licitam.*

5 *Licita est petitio, esto dubitet, vel opinetur Maleficum tollere Maleficium alio Maleficio.*

6 *Immò & si se declaret nolle destruere, nisi per aliud Maleficium.*

7 *Non licet petere destructionem à Dæmone etiam imperando.*

8 *Licet petere mutuum sub vsuris, & iuramentum ab infideli.*

9 *Sciens certò magum velle dissoluere alio Maleficio, adhuc licitè petit.*

10 *Intellectus nō peccat, sed voluntas.*

11 *In-*

11 *Intellectus semper rectè agit.*
12 *Cogi licitè potest Malefica ad tollendum Maleficium, si scit modum licitum illud tollendi.*
13 *Mingere intra annulum Sponsalitium est actus Superstitiosus.*
14 *Mingens sic salutaribus pœnitentijs expeditur.*
15 *Denuntiare debet eum, qui docuit illum hunc actum.*

CErtum est, Maleficium esse ex genere suo peccatum mortale, ex probatis sect. 42. num. 4. & cum soleat habere tractum successiuum in signo à Dæmone inuento, quo durante, durat quoq; vexatio, & infirmitas in maleficiato, ideo remanet obligatio in malefico ad tollendum signum, vt cesset infirmitas in maleficiato, super quo.

Quæritur 1. An qui posuit maleficium teneatur illud tollere, & destruere?

1 ℞. Affirmatiuè Micheas cap. 5. num. 11. *Auferam maleficia de manu tuâ, & diuinationes non erunt in te*. Ioannes Epist. 1. cap. 3. num. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, vt soluat opera diaboli*. Ratio est, quia malum illatum auferendum est ab eo, qui illud intulit; nam destructio signi non est mala, sed bona, & vtilis, cui nocebat, igitur vt opus bonum faciendum est, vt vexatus curetur. Ita docet Scotus *in 4. dist. 34. sub vers. Et*
2 *ex hoc*, inquit: *Non enim solùm licet, sed est meritorium destruere opera diaboli, nec in in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non aquiescit operibus malignis, sed credit, Dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis imponet finem tali vexationi*. Ecce, quòd operatio Diaboli voluntariè dependet ab illo signo, quo destructo cessat Dæmon à molestiâ, & vexatione. Maleficus ergo, vel quiuis alius sciens vbi est signum maleficij illud destruere debet, vt à nocumento eximatur vexatus, vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo, Eccl. 17. 12. Et ita docent omnes cum *Lessio lib. 2. cap. 44. num. 36. Sanchez lib. 2. cap. 41. num. 18. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 115. Castropal. part. 3. tract. 17. disp. 1. part. 11. num 9. Defendens. de casibus reseruat. Comi, casu 4. concl. 24. num. 497.*

Quæritur 2. An liceat Maleficio tollere Maleficium?

3 ℞. Non licet, quia id est intrinsecè malum, cum tunc maleficus vtatur operâ Diaboli; neque dissolutio cohonestari potest à bono fine recuperandi sanitatem, quia secundum Apostolum ad Rom. 13. mala non sunt facienda, vt inde eueniant bona, neq; enim malum cohonestatur propter bonum cohærens, *cap. Neque 7. cap. Denique 8. cap. Scriptura 9. 14. q. 5.* Et ita id prohibetur *cap. Admoneantur 15. 26. q. 7. Sanchez lib. 2. cap. 41. Lessius lib. 2. cap. 44. num 35. Castrop. cit. part. 12. initio, Bonac. part 5. num 7. Mazuchel. num 106.* Farin. *q. 181. num. 33. Lupus lib. 20. dist. 7. diffic. 1. defend. num. 488.*

Quæritur 3. An sit Maleficio Maleficium tollere, si destruatur signum, quando malefica cum Dæmone pactum inijt non solùm nocendi, sed etiam desistendi à nocumento signo remoto? Ratio dubitandi est, quia in hoc maleficio duo spectantur; nocumentum, & desistentia à nocumento, quæ ambo pendent à Dæmone, ac proinde non solùm positio signi, sed etiam illius destructio videtur secundum maleficium.

℞. Negatiuè quia dissoluens maleficium hoc, nihil aliud intendit, quàm tollere nocumentum, & pactum, ac amicitiam cum Dæmone distrahere. Quòd si intenderet rogare Dæmonem vt desisteret à nocumento iuxta pactum prædictum, tunc maleficio maleficium tolleret submittendo se Dæmoni. Et ita docent Sanch. *lib. 7. disp. 95 num 3. & lib. 2. cap. 41. num 19. Sayrus in Claui lib. 4. cap. 6 fine, Suar tom. 1. de Relig lib. 2. de superstit. cap. 17. num. 9. cum alijs Castropal. cit. part. 11. num. 8.* 4

Quæritur 4. An liceat petere dissolutionem Maleficij, quando dubitatur an medium ad illud dissoluendum sit superstitiosum?

℞. Non licere dubio durante, quia peccatum est operari cum conscientiâ dubiâ; dum enim sic operatur euidenti periculo peccati se exponit in sententiâ omnium, dum agunt de conscientiâ dubiâ. Ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 41. num. 7. Bonac. disp. 3. de legib. q. 5. part. 5. num 8. cum alijs Castropal. part. 12. num. 2.* Dixi *Dubio durante*, quia si bonis rationibus probatur medium non esse superstitiosum, iam euacuatur dubium, cum transierit in opinionem. 5

Quæritur 5. An liceat petere à Dæmone dissolutionem maleficii saltem imperando illi, vt dissoluat illud?

℞. Non licere simplici petitione, quia id est se Dæmoni subijcere, & cum eo amicitiam facere. Neque pretextu præcepti, quia homo, nisi sit Exorcista, non potest præcipere Dæmoni, cum homini non subijciatur, immo per tale præceptum potius videatur honorare Dæmonem, quàm illum inhonorare, cum per hoc confiteatur magnam eius potestatem. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 41. num. 3. Bonac. p. 5. num. 5. Castropal. p. 12. num. 7. & 8.* 6

Quæritur 6. An liceat petere à malefico destructionem maleficij, quando petens scit, illud destrui posse etiam modo licito?

7 ℞. Licet, quando Maleficus habet notitiam modorum tam licitorum, quàm illicitorum ad destructionem maleficij: non solùm, si petens probabiliter opinetur, ipsum vti velle modo illicito, verum etiam si solùm dubitet. Ratio est, quia Magum inuitat ad bonam actionem, quam facere tenetur ex probatis q. 1. ergo non peccat, vtitur enim iure suo, nec cōsentit in malam actionē malefici, cum absolutè petierit, quòd bonum est, & quod facere tenetur, non ergo cooperatur eius malæ actioni, dum Magus poterat dissoluere maleficium medio licito, & noluit.

8 Confirmatur, quia licet petere mutuum ab vsuratio, & iuramentum ab Infideli, quamuis vsurarius nolit gratis dare, nec Infidelis iurare, nisi per falsos deos. De mutuo sub vsuris *Diana par. 1. tract. 8. resol. 31.* De iuramento *Sanchez lib. 3. cap. 8. à num. 11.* Et ita docent idem Sanchez *lib. 2. cap. 41. num. 13. Lessius lib. 2. cap. 44. num. 46. Mazucbellus disp. 2. cap. 10. num. 111. Castropal. p. 12. num. 4. Ego cap. 19. num. 8. Defend. casu 4. num. 492.* Et ex his patet responsio ad argumenta Caietani, qui tom. 2. Opuscul. tract. 12. de Malefic. probat non licere, & quia cooperatur peccato alterius, & quia scit dissolutionem esse futuram peccaminosam. Si quidem falsum est cooperari peccato alterius, ex probatis; nec petit rem peccaminosam, cum procedat hoc ex malà intentione operantis, qui bene operari potest, si vult.

Quæritur 7. An liceat petere ab eo, quem certò scio, quòd maleficium destruet alio maleficio, licet possit illud medio licito soluere? Is enim casus differt à priori, in quo petens solùm opinatur, vel dubitat, non certò scit illicito remedio esse vsurum.

9 ℞. Adhuc licere, sicut probaui licere in casu dubitationis, & opinionis, si quidem cognitio quæcunq; ea sit non est causa peccaminosa, & inducens malitiam in actionem destructiuam maleficij, intellectus enim non peccat, sed voluntas, *ex D. Aug.*

10 *Scotus in 2. dist. 42. Vers. Item,* qui in præcedenti dist. 40. num. 4. dixerat, quod intellectus semper rectè agit intellige, nisi trahitur à prauà voluntate; sed petens destructionem maleficij prauam non habet voluntatem, cum liceat petere, quod honestum est, non obstante, quòd petens sciat certò maleficum dissoluere maleficium, eo quòd respondit, se nolle dissoluere, nisi mediante alio maleficio, quod tamen non intendit petens, & se declarat velle solùm licitam destructionem maleficij. Ita præcitati.

Quæritur 8. An Princeps, an priuatus minis cogat maleficam ad dissoluendum Maleficium?

12 ℞. Princeps cogere potest, & alij metum solùm incurere ad dissolutionem maleficij: cum enim dissolutio sit quid licitum, & bonum atq; vtile maleficiato, sine dubio talis coactio, & metus adhiberi potest ad vtilitatem proximi; in casu, quo malefica scit vti remedio licito, aliàs non, quia malum precipi non potest. Ita *Lessius lib. 2. cap. 9. num. 48. Naldus V. Maleficium num. 4. Suarez cap. 18. num. 7. cum illis Defend. casu 4. conclus. 19. num. 466.*

Quæritur 9. Quidam Sponsus fuit maleficiatus in causà copulæ matrimonialis, ita quòd virgam erigere non poterat, edoctus pro dissolutione maleficij, vt ipse vrinam emitteret per annulum sponsalitium, vt fecit, & deinceps virgam erigebat, & copulabatur bene, & viriliter cum vxore suà. Verum maleficium hoc dicatur destructum per aliud maleficium?

℞. Affirmatiuè, nam talis annulus nec in se, nec in benedictione suà talem habebat virtutem, sed simplex signum erat, quo Dæmon vsus fuit ad tollendum primum maleficium per positionem vrinæ transeuntis per medium annulum, ac proinde per sortilegium maleficium sublatum fuit. Hoc autem sortilegium est qualificatum mixtione annuli benedicti cum vrina mingente maleficiato per medium annulum. 13

Numquid iste ab aliquo denuntiatus sit puniendus in S. Officio? Et ipse teneatur denuntiare maleficum, à quo instructus fuit?

Ad primum dico, hunc sine Abiuratione pœnitentijs salutaribus esse expediendum, quia non vitiosè vsus fuit eo remedio, sed vt se eximeret ab impotentià, dignus est ergo misericordia, dum sibi consulit. 14

Ad secundum, debet denuntiare suum Magistrum, cum sit Sortilegus, & pro teste spectari potest, cum non sit illi socius in crimine, dum Sponsus solus fecit sortilegium expulsiuum maleficij. 15

SEC-

SECTIO XXXXV.

De Blasphemià.

SUMMARIUM.

1 *Blasphemia varijs modis definitur à Doctoribus.*

2 *Est maledicentia contra Deum, Sanctos, & res sacras per modum Contumeliæ.*

3 *Blasphemare est malum dicere de Deo, & Sanctis eius.*

4 Ex ipso ore procedit Benedictio, & Maledictio. *Iacobi* 3. 10.

5 *Blasphemià afficiuntur iniurià Deus, & Sancti.*

6 *Benedictio opponitur, Blasphemiæ, & maledictioni.*

7 *Contumelia est iniuria verbo facta arguens contemptum.*

8 *Tres modi blasphemandi, indicatiuè, imperatiuè, & optatiuè.*

9 *Falsitas reperitur in omni Blasphemià.*

10 *Imprecatio Blasphemiæ importat malum, & capacitatem mali in blasphemato.*

11 *Vnde tribuit capacitatem ad malum subeundam in subiecto incapaci.*

12 *Imprecatur malum Homini non solùm capaci, sed etiam incapaci illius.*

13 *Caietanus docet reperiri falsitatem in omnibus Blasphemijs.*

14 *Etiam de membris Sanctorum confuse permutatis.*

15 *Odium prauo voluntatis affectu consumatur contra Deum.*

16 Blasphemia in Sanctos non committitur. *Est Hæresis Beelichij.*

17 *Quæ impugnatur.*

18 *Cultus diuinus non conuenit Sanctis.*

19 *Adoratio triplex Latria Deo, Hyperdulia Mariæ, Dulia cæteris Sanctis.*

20 *Adoratio politica debita Officiali propter excellentiam sui Officij.*

21 *Deus offenditur, cum eius Sancti blasphemantur.*

22 *Cur Angelus noluit adorari à Ioanne in Apocal. 19. 10.*

23 *Adoratio vt ab inferiore ad superiorem, & sic non datur inter pares.*

24 *Indirectum supponit directum.*

25 *Blasphemat quis, licet non habeat hanc prauam intentionem, quia stat in dicendo.*

26 *Facto quoq; committitur Blasphemia.*

27 *Opponitur Virtuti Religionis.*

28 *Specie distinguuntur Blasphemiæ.* Blasphemia duplex, hæreticalis, et simplex. n. 29.

29 *Imprecatiuæ sunt saltem implicitè hæreticales.*

30 *Blasphemus an, & qualiter suspectus de Hæresi.* Blasphemia qualificata n. 30. 35.

31 *Consuetudinarius, qui quinquies blasphemauit.* Leuiter suspectus non torquetur. n. 47. 54.

32 *Linguæ lubribus non ita facilè ad pœnam trahendus.* Non e santo, se non è questo miracolo à simili de Deo n. 153.

33 *Ira, Ludus, Ebrietas non excusant blasphemantes.*

34 *Ebrietas triplex.*

35 *Leuiter suspectus Blasphemus non consuetudinarius.*

36 *Iulij III. Bulla contra Blasphemos in Vrbe tantùm.*

37 *Facto blasphemantes sunt vehementer suspecti de Hæresi.*

38 *Facta sunt fortiora, & potiora verbis.*

39 *Hispani, & Itali contrarij sunt in suspicione Hæresis blasphemantium.*

40 *Credulitas cuiusq; ex verbis, vel factis cognoscitur.*

41 *Verba sunt signa eorum, quæ in mente habentur.*

42 *Excusationes in peccatis non sunt quærendæ.*

43 *Blasphemans semel est leuiter suspectus*

pectus de Haeresi.

44 *Abiurant blasphemi iuxta gradum Suspicionis.*

45 *Licet iratus semel blasphemauerit.*

46 *Imprecatiui sunt suspecti leuiter.*

47 *Blasphemus torquetur negans blasphemiam semiplenè probatam.*

48 *Ius enim super illum Iudex aquisiuit.*

49 *Tortura est species probationis, & in eius subsidium datur.*

50 *Semiplena probatio torturà fit plena.*

51 *Torquetur super delicto probato, esto sit leuiter tantùm suspectus.*

52 *Paruitas in Blasphemia non datur.*

53 *Torquetur super Intentione negata confessus, vel conuictus, si sit vehementer suspectus de Haeresi.*

54 *Non torquetur leuiter suspectus de Haeresi.*

55 *Iurans seriò per falsos Deos Blasphemus est hæreticalis.*

56 *Infidelis iurans per suum Deum coram Iudice, solus ipse hæreticè loquitur.*

57 *Iurans seriò per creaturas Blasphemus est hæreticalis.*

58 *Amasiam suam vocans Deam non est Blasphemus.*

59 *Nemo iurans intendit honorem Dei tribuere creaturæ.*

60 Putana di Dio, Christo, & Maria *hæreticalis.*

61 *Mens talis præsumitur, qualia sunt verba.*

62 Putana dell' Hostia consecrata *hæreticalis.*

63 Putana di S. Pietro *non est hæreticalis.*

64 *Vtique contra hos, quos constat ex S. Scriptura esse virgines.*

65 Pota &c. *hæreticalis.*

66 Coglione, minchione.

67 Al corpo, al sangue.

68 Al corpazzo, Per la barba di Dio.

Al conspetto di Dio: Conspetazzo di Dio

Sia maledetto Dio

Virgo, meretrix. n. 24.

Voglio più tosto negare la Fede di Christo, e farmi Turco. Sect. VII. n. 49.

69 *Per pudenda Sanctorum.* Al conspetto.

70 Dio sagradone, Mariazza, &c.

71 Disgratiato disgratiadone.

72 Malgrado habbia.

73 Disgratiato Dio, di quel che mi fà.

74 Non piaccia à Dio &c.

75 Non puol far Dio &c.

76 Non lo potrebbe far Dio &c.

77 Se Dio lo dicesse, direi &c.

78 Ne tu, ne quell' Asino di Christo &c.

79 La vostra Fede è fede de Cazzi.

80 Se io hauessi Dio nelle mani &c.

81 Non hà poter Iddio.

82 Per la vita di Dio.

83 Dio credule, traditore, partesano.

84 Abenche sia offesa di Dio, lo voglio far.

85 Voglio peccar abenche dispiacia à Dio.

86 Credo, che Dio non si ricordi di me.

87 Dio non hà fatto questo Matrimonio.

88 Possanza di Dio. Può far Dio. O Dio sagrato.

89 Ne Dio stesso, se descendesse dal Cielo, rimouerebbe &c.

90 Dio inuidioso, bugiardo, tiranno, poltrone.

91 Dio ignorante, e goffo.

92 Neanco Dio può far questo tempo chiaro.

93 Dio non hà cura di me.

94 Dio non vede quello, che si fà in terra.

95 Dio non prouede alli nostri bisogni.

96 Dio becco cornuto.

97 Dio cieco, losco, guerzo.

98 E tanto misericordioso, che non ricerca, ne castiga i nostri peccati.

70 Vide infra sect. 65. n. 55.

349 Diabolo santo Sect. 33. cart. 52.

99 E

99 E tanto giusto, che non riceue i peccatori.
100 Dio bonazzo.
101 Dio non è patrone di me.
102 Dio vada dietro à porci.
103 Dio non hà che far meco, lo lascio in vn cantone.
104 State voi nel vostro cantone, che io starò nel mio.
105 Non mi rompete il culo.
106 Io son patrone, Dio è in Cielo.
107 Sete voi più di Dio, ò del Duca?
108 Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. *Psal.* 113. 16.
109 Al dispetto di Dio *hæreticalis*.
110 *Contrarium probatur, & reprobatur.*
111 *Resistere voluntati Dei stat dupliciter.*
112 *Voluntas Dei in se spectata vnicà est, respectu obiectorum multiplex.*
113 *Respectu quorum spectatur in actu secundo, & exercitij.*
114 *Beneplaciti voluntas est Dei actus internus, qui semper impletur.*
115 *Signi voluntas est actus externus manifestans internum. Signa autem sunt hæc:* Præcipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.
116 *Signorum istorum actus boni sunt.*
117 *Voluntas signi impropriè dicitur, cum sit merè signum voluntatis Beneplaciti.*
118 *Absoluta voluntas, quæ semper adimpletur, ac proinde efficax.*
119 *Conditionata est illa, per quam Deus Vult aliquid dependenter à conditione.*
120 *Includit duo; salutem, & media, quæ ad eam aquirendam ordinat.*
121 *Non includit voluntatem complacentiæ, quæ nihil operatur.*
122 *Antecedens voluntas est illa, quæ vult aliquid secundum se, præscindendo a circunstantijs, & medijs ordinatis.*
123 *Consequens est, quæ vult aliquid habità ratione circunstantiarum, & requisitorum ad illud consequendum.*
124 *Vtraque voluntas est species voluntatis Beneplaciti, & Antecedens est efficax; & Consequens conditionata.*
125 *Suarez Antecedentem vocat Velleitatem. Reijcitur.*
126 *Efficax est illa, quæ benè agentes remunerat, & malè punit agentes.*
127 *Efficax dicitur, quandocunq; ei respondet effectus.*
128 *Inefficax, quæ vult omnes benè agere, & neminem peccare; caret effectu.*
129 Ad despectum Dei. *Ad tria referri potest.*
130 Velit, nolit Deus, volo occidere.
131 Quamuis hoc sit peccatum, vel offensa Dei, volo facere.
132 Volo peccare, quamuis displiceat Deo.
133 Voi volete, che questo touagliolo &c.
134 Voglio far à mio modo, & non al vostro.
135 Voi volete, che questo ferro &c.
136 Al dispetto di Dio voglio, che &c.
137 Al dispetto di Dio cattiuo.
138 Al dispetto di Dio Baccho.
139 Al dispetto di Zio, di dieci, &c.
140 Al dispetto di Christo di legno.
141 *Christus ligneus adoratur, sicut verus,*

Variae

1 VAriæ definitiones Blasphemiæ referuntur à Doctoribus relatæ à Luca Floreno de caſibus reſeruatis, & ab alijs, quæ ſecundum eorum iudicium, & veritatem videntur concurrere in eundem ſenſum. Pro cuius clariori cognitione.

Quæritur 1. Quid ſit Blaſphemia?

2 ℞. Blaſphemia eſt maledicentia contra Deum Sanctos, & res ſacras, per modum contumeliæ. Singulæ particulæ explicantur.

3 Dixi 1. quòd Blaſphemia eſt maledicentia, nam blaſphemare eſt propriè malum dicere de Deo, ſecundum D. Auguſt. tom. 1. lib. 2. de morib. Manich. cap. 10. his verbis: *Eſt autem Blaſphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgò Blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere; de hominibus namque dubitari poteſt, Deus verò ſine controuerſia bonus eſt*. Definitio ergo noſtra in ratione *generis* accipitur à S. Auguſtino, & planè definitum explicat; Blaſphemia enim, mala dicit de Deo, Sanctis, & rebus ſacris per vitium linguæ, per quam vt ait S. Iacobus cap. 3. num. 10. benedicimus, & maledicimus, ibi: *Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio*.

4 Quod Chriſtus ipſe dixerat Matth. 15. 18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt & ea cohinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, Blaſphemiæ*. Blaſphemia ergo, ſicut alia peccata, concipitur in mente, & ex corde exiens, in ore per linguam exterius conſumatur,

5 Dixi 2. *Contra Deum, Sanctos, & res ſacras*. Nam per Blaſphemiam illa tria maledicuntur, & iniuriâ afficiuntur, vt ex ſacrâ ſcripturâ colligitur. De Deo certum eſt ex Leuitico 24 15. *Homo, qui maledixerit Deo ſuo portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur*. De Deo, & ſanctis, Act. 6. 11. *Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent, ſe audiuiſſe, eum dicentem verba Blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum*. De blaſphemiâ in res ſacras, Iſaia cap. 5. 24. *Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Iſrael blaſphemauerunt*. In Apocal. cap. 13. num. 6. *Et aperuit os ſuum in Blaſphemias ad Deum blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant*. Patet ex his, maledicentes Deum, Sanctos, & res ſacras, blaſphemare; ratio eſt, quia in his tribus reperitur bonitas, per quam digni ſunt benedictione, quæ opponitur maledictioni.

6 In Deo autem eſt perfectio eſſentialis; in ſanctis Angelis, & Beatis per communicationem, & participationem, & eorum ſanctitas, & gloria ſine dubio bonitas eſt; in rebus quoq; ſacris bonitas reperitur illis communicata per benedictionem, & dedicationem diuino cultui. Ex auctoritatibus autem Iſaiæ, & Apocalipſis clarè habetur, maledicere rebus ſacris eſſe illas Blaſphemare, nam lex Domini, & eius eloquium ſunt res ſacræ; item Tabernaculum, de quo in Apocalipſi, ſignificat quaſcunq; res ſacras; in his enim omnibus refulget diuina bonitas, & excellentia. Et ita docent omnes Theologi *cum D Thoma 2. 2. q. 13. art. 1. Sanchez lib. 2. cap. 32*. Quòd maledictio in res ſacras ſit blaſphemia *Sayrus lib. 6. cap. 13. num. 3. Verſ. Eodem modo, Eligius Baſſaus Capucinus V. eod. num. 1*. Et multi alij.

Dixi 3. *Per modum contumeliæ*. Eſt autem contumelia iniuria verbis facta alicui, & arguit contemptum; nam contumelia dicitur à contemnendo, Inſtit. de iniur. q. 1. Per Blaſphemiam ergo iniuriatur, inhonoratur, contemnitur, & calumniatur Deus cum ſuis ſanctis, & rebus ſacris. Quod verum eſt, ſiue Blaſphemator formalem habeat intentionem iniuriandi, ſiue non, verba enim de ſe talem ſignificant, & inferunt iniuriam ex ſua inſtitutione. Et in hoc omnes conueniunt *cum Caſtropal. tract. 17. diſp. 2. p. 2. num. 3*. 7

Quæritur 2. An in omni Blaſphemiâ reperiatur falſitas? Ratio dubitandi eſt. Triplex eſt enim Modus blaſphemandi, Enuntiatiuè per modum ſcilicet indicatiuum, vt Deus iniuſtus, partialis &c. Imperatiuè, deprecando malum Deo, ſeu ſanctis eius, vt maledictus ſit Deus. Tedeat Chriſtum de conuerſione peccatorum. Euadat meretrix virgo. Cadat è Paradiſo S. Petrus. Optatiuè ſine imperio, vtinam Deus fiat cæcus. Petrus Sanctus vtinam cadat in Infernum. Eſto in Enuntiatiuis appareat falſitas, non tamen in imprecatiuis ex imperio, nec in Optatiuis, quia malum in his deſideratur vbi non eſt, nec affirmatur, quod ſit, ergo nulla falſitas Et ita docent *Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4 num. 9. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. q 1. & 2. ex illis Caſtropal. par. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. num. 2*. Qui concludit, non falſitatem, ſed ſolum contumeliam eſſe de ratione Blaſphemiæ. Quibus tamen non obſtantibus. 8

℞. In omni Blaſphemiâ reperiri falſitatem; ſic docent *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 6. vbi plures citat, Mazuchel. diſp. 2. cap. 17. q. 1. num. 3. cum illis Defendens caſu 2. concl. 4. num. 200 Dal Bene Dub. 218. ſect. 3 num. 4. & 5*. Probo in Blaſphemijs ſemper inueniri aliquid falſitatis, etiam in imprecatiuis, quouis modo exprimantur, ſiue imperatiuè, ſiue optatiuè; nam clarum eſt in iſtis duo ſpectari, malum ſcilicet imprecatum, quod reuera non eſt in ſubiecto, ad quod malum ſolà execratione dirigitur, & in hoc falſitas 9 10

non apparet; & capacitas in subiecto recipiendi malum imprecatum, nam verba ipsa taliter pronuntiata in malum arguunt ipsum contra quem proferuntur, esse capacem talis mali, quamuis reuerà sit incapax, ac proinde in hoc quoq; modo deprecatiuè Blasphemandi inuoluitur falsitas, nam nec Deus, nec Sanctus est capax mali imprecati.

Ex quo patet differentia inter imprecatiuas, & enunciatiuas; nam in his apparet falsitas respectu presentis temporis, quo Blasphemia; dicitur in illis verò duo tempora inspiciuntur præsens correspondens pronuntiationi Blasphemiæ, quæ ponit Capacitatem in subiecto, in quo reuera non est, & tempus futurum incursionis scilicet mali imprecati, quod nunquam accidet subiecto; est ergo falsitas respectu primi, non secundi, respectu cuius non datur falsitas, nec veritas, sed solùm verum est, quod malum imprecatum est, sed de eius existentià, vel nõ existentià nihil dictum; ergo nec verùm, nec falsum; ab eo enim quod est, vel non est, propositio est vera, vel falsa, secundùm Philosophos.

Deinde huiusmodi falsitas probatur esse in omnibus Blasphemijs ex definitione ipsius Blasphemiæ, quæ in sententià omnium dicitur auferre à Deo, quod ei conuenit, vel tribuere, quod ei non competit, aut da-
11 re Creaturæ, quod solius Creatoris proprium est; in imprecatiuis autem Blasphemijs patet manifestè Blasphemantes tribuere Deo, & Sanctis eius illud, quod eis non conuenit, nempe capacitatem ad malum subeundum; tales enim oblocutiones imprecatiuæ non sunt conformes subiecto, cui tribuuntur, ergo ibi falsitas inuenitur.

12 Insuper id confirmatur exemplo Hominis maledicentis alterum hominem, nam solet imprecari malum, non solùm cuius est capax, verùm etiam cuius est incapax, vt si dicat. Euadas Diabolus, vel quid simile impossibile; sicut ergo in homine verbum maledictionis dicit veritatem, in quantùm maledictus est capax mali, & inuoluit falsitatem, in quantùm subiectum talis mali est incapax; ita & Deus dicitur capax per verbum Blasphemiæ precando illi malum, cum tamen reuera Deus sit incapax, ergo imprecatio inuoluit falsitatem.

13 Caietanas 2.2.q.13.art.1. docet in omnibus Blasphemijs reperiri falsitatem, sed non eodem modo, nam in verbis enunciatiuis, ait eam reperiri formaliter; in imprecatiuis verò virtualiter, seu in actu signato; in his enim non enunciatur aliquid falsum, sed appetitur id, quod esse non potest, aut non decet. Qui verò nominat ignominiosè membra Christi, in actu exercito locutionis dicit, ea esse vituperabilia, & digna contumelia, quod falsum est. Bene loquitur Caietanus, nam Christus, & cæteri sancti homines non carent membris, ac proinde sic blasphemantes falsè non obloquuntur, sed verè: nihilominus, quia talis maledictio membrorum sanctorum importat ignominiam illis, cuius non sunt capaces in eo statu, ideo falsè obloquuntur.

Patet ergo in his Blasphemijs membrorum sanctorum inueniri falsitatem, dum loco incapacitatis ponunt capacitatem ex modo maledicendi. Quòd si maledicant mu- 14
lierum sanctarum membra virilia, & sanctorum virorum membra muliebria, in similibus apparet manifestè in eisdem, & ex eisdem falsitas, siue Blasphemia referatur ad ipsa membra, quæ non habent, siue ad ipsam ignominiam, & contemptibilitatem, quæ inest oblocutionibus.

Dal Bene Dub.218.sect.3.num.32. falsum dicit duplex, in actu signato, enuntiatiuè, & propriè, atq; in actu exercito, & affectiuè, seu minus propriè, exemplificando in Blasphemià membrorum sanctorum, nam imprecans malum Deo repugnans, falsò significat, id esse in Deo tamquam quid irrisorium. Confundit blasphemias imprecatiuas, cum blasphemijs membrorum sanctorum, quibus nihil imprecatur.

Defendens Quadrius casu 2. num. 200. ponit conclusionem 4. de falsitate in Blasphemià hæreticali, de quà nullus dubitat, & in discursu videtur fauere nobis, dum dicit, loquendo de Blasphemià imprecatiuà, quòd licet in tali genere Blasphemiæ non semper reperiatur falsitas tamquam res enuntiata, reperitur tamen tamquam res desiderata; vsq; modo benè loquitur, sed postea sub n. 202. ait, dari Blasphemiam non hæreticalem sine falsitate, non fuit ergo constans in suo discursu.

Suarez tom.1. de Relig. lib. 1. cap.4. num. 9. asserit, responsionem Caietani esse nimis generalem, & metaphoricam, nam qui hoc modo odit Deum, significat in actu exercito falsum, nam virtute dicit, Deum esse odio dignum, quomodo vniuersaliter dicitur Prouerb. 14. Errant, *qui operantur malum*. Neque enim in illis Blasphemijs imprecatorijs alius reperitur error, nisi purè practicus, nam qui ex irà, vel odio in Deum profert verba optans malum Deo, non sentit illud esse possibile, vel decens, sed appetit, licet impossibile sit & indecens, vt satisfaciat furori suo. Similiter verenda Christi nominans non dicit, illa in actu exercito esse vituperabilia, sed facto tantùm vituperari posse ad explendum inordinatum affectum; quem *Castropalaus refert par. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 1. num. 2.* Quare infertur, cum etiam in odio Dei reperiatur talis falsitas, & non sit propriè Blasphemia, talem respon-

reſponſionem Caietani eſſe nimis generalem.

15 Contra autem eſt, quia odium Dei prauo affectu voluntatis conſumatur; & ideo nullum verbum locutionis eſt ad hoc neceſſarium, quod exerceat falſitatem in odio contra Deum, quod ſcilicet Deus ſit dignus odio; quod ſi coniungatur cum Blaſphemiâ, tunc oblocutio arguit, Deum eſſe dignum odio hoc ipſo, quod illi imprecatur; igitur intantùm inuoluit falſitatem in quantùm eſt coniunctum cum Blaſphemiâ, cum verba ipſa inferant falſitatem, quæ ſequitur ex ſignificatione verborum, quæ indicant Deum eſſe ſubiectum maledictionis, & imperfectionis prolatæ. Coniungitur ergo odium Dei cum Blaſphemiâ, quod docet etiam Dal Bene cit. num. 34.

Illud Prouerb. non intelligitur de errore, quod eſt falſitas, ſed de ignorantia, quæ in quolibet peccato miſceri poteſt. Ita D. Thoma 1.2. q. 6. art. 8. & q. 77. art. 2. in corpore.

Matthias Berlinchius Thuringus I.V.D. par. 4. concluſ. Practicab. concluſ. 1. à num. 34. Maledictiones in ſanctos non eſſe Blaſphemias, propter quod liber eius fuit prohibitus.

16 Dicendum autem eſt contra ipſum, eius concluſionem, quæ talis eſt, *Non committitur Blaſphemia in ſanctos*, eſſe apertè hæreticam, cum aduerſetur auctoritatibus ſupra deductis; non poteſt ergo Berlinchius, nec alius illæsâ conſcientiâ eam propoſitionem tueri. Hi ſunt effectus Eccleſiarum Reformatarum, incidere in errores, quia apud ſe non habent verum ſenſum ſcripturarum

17 ſanctarum, cum defecerint ab Eccleſiâ Romanâ vniuerſali, & eius Paſtore, apud quos tantùm eſt verus ſenſus Sanctarum Scripturarum.

Probat primò ſuum errorem ex Apocalip. cap. 6. Verſ. 9. & ſeq. Sed quoniam in eo capitulo ne verbum quidem de Blaſphemiâ reperitur, ideo non curauit eius verba referre, cum ibi nihil ſit ad eius propoſitum.

Probat 2. ex eo, quòd interpretes noſtri dicunt iniuriam Sanctis factam eſſe Blaſphemiam, quia cultus, & honor diuinus habetur illis, ac proinde iniuriâ ſanctis factâ offenditur Deus, qualem honorem Sanctis non deberi ſaniori intellectu, ait ipſe, docetur in Eccleſijs reformatis. Pro impugnatione huius argumenti ponderandæ ſunt duæ propoſitiones ab eo poſitæ ex eodem eius argumento. Prima eſt, quòd cultus, & honor diuinus habetur Sanctis. Secunda, quod per iniuriam ſanctis illatam offenditur Deus.

18 Prima propoſitio eſt hæritica, nec ab vllo ex noſtris catolicis aſſeritur. De cultu diuino, qui latria appellatur, ſoli Deo debito Deuter. 6. 13. & Matth. 4. 10. Chriſtus diabolo dixit: *Vade Satana, ſcriptum eſt enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Quare Catolici hunc cultum, qui ſoli Deo conuenit, non tribuunt ſanctis, 19
ſed cultum, qui reſpectu Virginis glorioſæ nuncupatur Hyperduliæ, reſpectu aliorum ſanctorum dicitur Dulia, quæ diſtinctio amplexatur ab omnibus *Theologis in 3. Sent. diſt. 9. cum D. Thoma 2. 2. q. 84. de latriâ, de cultu verò ſanctis debito par. 3 q. 5.* Et expreſsè colligitur adoratio Sanctorum ex Sacrâ Scripturâ, nam Balaam adorauit Angelum talem ſibi cognitum ex diuinâ reuelatione Numer. 22. Abraham, & Loth pariter venerati ſunt Angelum eis apparentem, Geneſ. 18 & 19. Abdias adorauit Heliam homi- 20
nem Dei Sanctum 1. Reg. 28. non adoratione ciuili, & politica, qua honoratur homo ab aliquam eius excellentiam, quia eſt Dux quia eſt Princeps &c. ſed adoratione ſanctâ, & catolicâ nuncupatâ *Duliâ*, quâ ſancti Angeli, homines venerantur propter excellentium ſanctitatis, & amicitiæ inamiſſibilis, quam habent cùm Deo. Itaq. ex dictis patet, alium eſſe cultum diuinum ſoli Deo per *Latriam* conuenientem, alium, qui competit ſanctis eius, qui per *Duliam* venerantur. Quare Berlichius toto ab errat cœlo, & delirat, dum dicit, cultum, qui datur ſanctis, eſſe diuinum in ſententia Catolicorum.

Secunda propoſitio, quòd per iniuriam 21
illatam ſanctis Deus offendatur, eſt plenè Catolica Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſſit me.* Pſal. 150. *Laudate Dominum in ſanctis eius* Vnde S. Hieronymus ad Riparium contra Vigilantium propè med. inquit: *Honoramus ſeruos, vt eorum honor redundet in Dominum iuxta illud: Qui vos ſpernit me ſpernit* S. Ambroſius ſerm. 6. ſic ſcribit: *Quiſquis honorat Martyres, honorat Chriſtum*. Sic è contra qui ſpernit, & afficit ſanctos contumelijs, & blaſphemijs, offendit Deum. Quare non video neceſſariam connexio, negandi, iniuriam ſanctis factam non eſſe blaſphemiam, quia ex diuerſitate cultuum ſufficienter diſtinguuntur ſubiecta quò ad maledictiones, & benedictiones.

Probat. 3. ex Apocal. 19. Verſ. 10. diui- 22
num honorem ſanctis non deberi quoniam per hoc Blaſphemia committeretur, ſi honor Deo debitus, ei adimeretur, & ſanctis tribueretur. Verba Apocal. ſunt hæc: *Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dixit mihi, vide ne feceris conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu Deum adora*. Prohibetur ergo adoratio ſanctorum, & ſic eorum iniuria non poteſt eſſe Blaſphemia.

℞. Angelus noluit adorari à Ioanne, non quia commiſiſſet Idololatriam, ſi adoraſſet

Angelum, vt malè respondit Caluinus, sed sui adorationem non permisit propter reuerentiam, quam Angelus fert primarijs Apostolis, ex quibus erat Ioannes; & ita respondent Sancti Patres cum Bedà, & Ruperto apud Bernardum Puiol Theologum Perpinianensem in suo Opusculo de sacro Adorationis cultu. Ioannes autem volebat adorare Angelum non cultu *Latriæ*, sed *Duliæ*, non enim erat ita insipiens, & imprudens, vt crederet, Latriam deberi creaturis. Angelus ibi reddit rationem *Conseruus tuus*
23 *sum*, adoratio enim, quæcunq; ea sit, est ab inferiori ad superiorem, quæ disquiparantia non erat inter Angelum, & Ioannem, sed æquiparantia, dum dixit, *conseruus tuus sum*, & ideo non oportet me adorari à te.

Probat 4. nec committi blasphemiam per eum, qui lædit Imagines Sanctorum, ex 2. Reg. cap. 18. Vers. 3. Huiusmodi enim simulacra excogitata sunt in peccatum, & scandalum populi à Pontificibus contra Dei preceptum, Exodi 20. Vers. 3. Deuter. 5. Vers. 8. & Psalm. 81. vers. 9.

℟. in 2. Regum cap. 18. quòd totum accuratè legi, & nihil inueni pro Berlichio, vbi solùm narratur Mors Absalonis inhærentis quercui. In Exodo, & Deuteronomio prohibetur Idololatria cum simulacris Idolorum, sicut & in Psal. 113. licet ipse citet Psal. 81. vbi nihil ad eius propositum. Non prohibentur ergo imagines, & simulacra Sanctorum, sed solùm falsorum Deorum.

Limitat Berlichius, quòd quamuis iniuria facta sanctis non sit Blasphemia, tamen si eorum memoria obscuratur, auctoritas labefactatur, & scandalum oriatur, qui lædit puniendus est extra ordinem, & citat Farin. q. 23. num. 27. Vers. Limita hanc nonam ampliationem.

℟. Farinac. loco citato loqui solùm de pœnà, quà puniendi sunt blasphemantes Deum, scilicet morte, Sanctos verò blasphemantes pœnà extraordinarià, quia lex ibi citata Mortem imponit tantùm Blasphemantibus Deum. Male ergo loquitur Berlichius, dum ex diuersitate pœnarum vnum delictum vocat Blasphemiam, alterum non.

Demum dicit, si quis Virginem proclamet meretricem, cum maiestas, & persona Christi admodum horrendè offendatur, & is per indirectum pro spurio proclametur, meritò punitur pœnà ordinarià in Blasphemos sancità.

24 ℟. Hanc exceptionem probare contra ipsum; cum ex ea sequatur talem Blasphemiam directè redundare in ipsam Virginem, dum indirectè refertur in Christum eius filium, indirectum enim supponit directum.

Quæritur 3. An praua voluntas inhonorandi Deum sit de ratione Blasphemiæ? Videtur, quòd sic, quia Blasphemia perficitur per contumeliam, hoc est, per iniuriam, & contemptum in Deum, iniuria enim non committitur sine animo iniuriandi, *l.* 1. §. 1. *ff. de iniur. Gram. dec.* 37. *num.* 6. *Farinac. q.* 16. *num.* 67.

℟. Blasphemia committitur; esto eam intentionem Blasphemans non habeat, quia Blasphemia non consistit in assentiendo, sed in dicendo. Confirmatur, quia verba ipsa ex suà significatione continent iniuriam, aliter non diceretur blasphemare, qui reiecta Intentione prauà proferret verba Blasphemiæ; talis enim reiectio est quædam protestatio, quæ non releuat protestantem, dum enim facit, aut dicit oppositum, perimit ipsam protestationem, sicut qui dicit, nolo te offendere, & statim percutit, percussio enim destruit nolitionem. Est communis apud Sanchez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 3. *Castropal. par.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *p.* 2. *§.* 1. *num.* 3. 25

Ad rationem dubitandi dico, cum nullo Iure admittatur Blasphemia, cum non possit dari causa eius iusta, dicitur committi iniuriosè; iniuria enim est omne id, quod Iure non fit, vt dicit citata Lex, quæ expressum in obiectione non dicit, & Farinac. loquitur de ijs quæ benè, & malè fieri possunt, allata ergo in contrarium non faciunt ad rem.

Dæmum, si ad constituendam Blasphemiam necessaria esset formaliter praua voluntas iniuriandi, nullus blasphemator esset punibilis in foro externo, quisque enim allegaret se non habuisse prauam voluntatem, & sic eluderetur catolica Religio, & hoc delictum grauissimum remaneret impunitum.

Quæritur 4. An Blasphemia non solùm verbo, sed etiam facto committatur? Occasionem dubitandi præbet definitio eius, quà diximus consistere in locutione, ergo non in facto.

℟. Factum turpe contra res sacras, vt laceratio, conculcatio, combustio, deturpatio, percussio, & alij similes actus facti in imagines Dei, Sanctorum, in librum Missalis, in calicem &c. reducuntur ad Blasphemiam, quia includunt contumeliam, res enim sacræ non minus factis, & signis, quàm verbis contumelià, & dedecore affici possunt. An sint verè, & propriè Blasphemiæ, Contendunt Doctores, pro qua re vide *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 8. *Defend. casu* 3. *concl* 6. *num.* 207. Communior opinio est, quod Blasphemia propriè consistat in verbo, non in facto. Ex his patet ad rationem dubitandi. 26

Quæritur 5. Cui Virtuti opponatur vitium Blasphemiæ?

℟. Opponitur Virtuti Religionis, quia hæc præscribit cultum, honorem, & laudem Deo debitam, Sanctis eius, & cæteris rebus sacris, cui opponitur Blasphemia, quæ destruit 27

struit cultum, honorem, & laudem Dei, & eius Sanctorum. Ita *Alexander de Ales. par. 2. q. 131. membr. 1. Sayr. lib. 6. cap. 13. num. 1. Castropal. p. 2. §. 2. initio*. D. *Thomas* 2. 2. q. 13. *art.* 1. ait opponi confessioni Fidei, quia Blasphemus negat de Deo, quod de illo confiteri debet. Explicant nomine confessionis intelligi Dei laudem; confessio enim sumitur pro laude, S. Aug. tom. 10. de verbis Dom. serm. 8. his verbis: *Si confiteor, Christus dixit à quo est longe omne peccatum, non solius est peccatoris, sed etiam laudatoris; Confitemur ergo siue laudantes* Deum, *siue accusantes nosmetipsos*. Confessio ergo refertur ad laudem Dei. Dixit Sanctus opponi Confessioni fidei, quia in Blasphemia offenditur diuina Fides, cum Blasphemia semper habeat adiunctam Hæresim expressè, vel implicitè, vt colligitur ex dictis num. 9. & seq; dum probauimus falsitatem inesse singulis Blasphemijs, consequenter Blasphemia non solùm Religioni, sed etiam Fidei opponitur expressè, vel implicitè, iuxta quod dicam infra sub q. 7.

Quæritur 6. An omnes Blasphemiæ sint vnius speciei? Communior opinio est affirmatiua; eà communi ratione, quòd omnis Blasphemia opponitur vni Religionis Virtuti. Ita *Caiet. V. Blasphemia, Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 38. Dal Bene dub. 218. sect. 7.*

28 ℞. Blasphemias in Deum, & Sanctos specie distingui; probatur, quia virtus Religionis licet sit vna genere plures tamen sub se continet species, quæ sunt Latria, Dulia, & Hyperdulia, quibus opponuntur tres species Blasphemiæ, quæ enim sunt contra Deum opponuntur Latriæ; quæ contra sanctos Duliæ, quæ verò contra Virginem Hyperduliæ aduersantur.

Confirmatur, quia in singulis reperitur propria excellentia, ergo & Blasphemiæ eis oppositæ sunt diuersæ. Ita *Suar. lib. 1. cap. 5. num. 6. & cap. 6. fine, Lessius lib. 2. cap. 45. num. 33 fine, ex illis Castropal. p. 2. §. 2. num. 4. Bernardinus Puiol. de Adorat. disp. 1. sect. 8.* Vbi quòd humanitas Christi, & Virgo eius mater sicut Hyperdulia laudantur, ita speciali vitio vituperantur per Blasphemiam.

Ad rationem dubitandi patet ex probatis, virtutem Religionis esse quidem vnam, sed non vnitate specificâ, vtique genericâ, quæ de necessitate admittit pluralitatem specificam.

Quæritur 7. Quotuplex sit Blasphemia? Communiter diuiditur in hæreticalem, quæ Hæresim expressè continet; & in simplicem, quæ hæresim non continet, illa profertur per modum Indicatiui temporis. Hæc verò per modos imperatiuum, seu optatiuum, & vocatur communi nomine imprecatiua. Ita *Castropal. par. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 3. Direct. Inquis. par. 2. q. 41. Carena par. 2. tit. 7. num. 7. Sousa lib. 1. cap. 19. num. 14. Albergbin. cap. 16. Dal Bene dubit. 218. sect. 14.* Quibus non obstantibus.

Blasphemia hæreticalis, vel simplex, vel imprecatiua.

℞. Blasphemias imprecatiuas saltem virtualiter esse hæreticales, vt probaui cap. 27. num. 34. Quibus addo sequentia argumenta. 29

Primò probatur, quia illa Blasphemia hæreticalis est, per cuius verba aliquid tribuitur Deo, quod non habet, nec capax est habere, sed per Blasphemias imprecatiuas aliquid tribuitur Deo, quod non habet, nec habere potest, vt patet in his *Cadat Deus è Paradiso; sit maledictus. Sancti fiant miseri. Deus pigeat. Vtinam Sancti euadant fures, & latrones. Virgo fiat scortum*, ergo sunt hæreticales; esto in his non sit falsitas per modum indicatiui contra Fidem, est tamen per modum imprecatiui arguentem capacitatem miseriæ, passionis, & mali in illis, quorum sunt incapaces; & hoc est de Fide in Deo, & Sanctis, ergo talium prolatio implicitè, & virtualiter inuoluit suspicionem Hæresis, quam expressè, & manifestè indicant Blasphemiæ per modum indicatiuum prolatæ.

Secundò probatur, quia omnes Theologi maximè antiquiores dicunt Blasphemiam, vt sic tribuere aliquid Deo, quod ei non conuenit, vel auferre, quod ei conuenit; aut tribuere creaturæ, quod proprium est Dei; non distinguendo inter Blasphemiam hæreticalem, & non hæreticalem, cum D. Thoma 2. 2. q. 13. art. 1. in corpore, & ad 3. & 5. Anton. par. 2. tit. 8. cap. 7. Vers. Item sciendum, inquit: *Vt cum dicit: sit maledictus Deus, & huiusmodi, derogat diuinæ bonitati non solùm contra veritatem Intellectus, sed etiam secundùm prauitatem Voluntatis detestantis, & impedientis pro posse diuinum honorem, quod est perfecta Blasphemia*. Ex his constat Blasphemiam imprecatiuam attribuere Deo maledictionem, cuius omninò est incapax, ac proinde inuoluere falsitatem, & errorem in Fide.

Tertiò probatur, nam S. Thomas loco citato dicit Blasphemiam opponi confessioni Fidei, & art. 3. esseq; peccatum graue Infidelitatis, ergo cum non stet sine Infidelitate, & sit contra confessionem Fidei, non potest esse sine Hæresi, ergo Blasphemia vniuersaliter accepta secundum D. Thomam includit rationem Hæresis, ergo omnis est hæreticalis, siquidem D. Thomas locis citatis loquitur de Blasphemia in vniuersum, & sic de omni, vt colligitur ex argumento 3. & ex responsione ad idem, ibidem enim refert tres modos, quibus omnis Blasphemia proferri potest.

Quartò probatur, quia formalis Hæreticus est ille, qui credit, Deum aliquando futurum miserum, maledictum, infelicem, &c. ergo & de Fide suspectus est ille, qui has imperfectiones imprecatur Deo, cum verba ipsa ab

ab eo prolata moueant S. Inquisitionis Iudices ad sic præsumendum contra Blasphemum non minus, ac contra illum, qui blasphemat per modum indicatiuum, vtriusq; enim modi verba repræsentant imperfectionem in Deo, in quo non est, nec esse potest.

Quintò probatur, quia multi dicunt, quòd Blasphemia hæreticalis est illa, quæ continet Hæresim vel expressè, vel implicitè, qui modi non possunt conuenire ambo Blasphemijs indicatiuis, cum primus conueniat tantū indicatiuis, ergo posterior conuenit imprecatiuis, consequenter & hæ sunt hæreticales.

Demùm hæ duæ species Blasphemiæ, hæreticalis, & simplex comparari possunt cum Sortilegijs hæreticalibus, & simplicibus; sed in his vtrisq; est suspicio Hæresis, vt probaui Sect. 31. q. 2. & 3. ergo & in his duabus speciebus blasphemiæ, scilicet indicatiuæ, & imprecatiuæ, valet comparatio, quia tàm Sortilegium, quàm Blasphemia, quæ sunt qualificata, significant manifestè, & expressè Hæresim, & eadem vt simplicia implicitè denotant, ergo bene comparantur. Et certè de hac duplici Blasphemia non fit mentio in Bullis, quam refero sub q. 33. infra, & tamen ibi Pontifices loquuntur de Blasphemià in vniuersum.

Quæritur 8. An, & qualiter Blasphemus sit suspectus de Hæresi?

30 ℞ Blasphemus siue indicatiuus, siue imprecatiuus secundùm nostra principia est suspectus de Hæresi, quia præsumitur malè sentire de prædicatis à Deo ablatis, vel tributis, vel creaturis datis, quæ soli Creatori conueniunt.

Blasphemus indicatiuus, quem vocant hæreticalem, est vehementer suspectus de Hæresi in duobus casibus. Primò, si semel blasphemauit, & aliàs vel conuictus, vel confessus fuit de alijs Blasphemijs hæreticalibus; Secundò, consuetudinarius est vehementer suspectus de Hæresi. Illum autem voco consuetudinarium, qui probatur Blasphemias hæreticales quinquies protulisse, siue in irà, siue in odio, siue in ludo, aut ebrietate, siue alio modo.

Blasphemus hæreticalis quinquies fit [illegible] consuetudinarius, vel aliàs conuictus, vel confessus de hæreticalibus.

Infra n. 44.

Ira. Odium. Ludus. Ebrietas. &.

Simplex verò Blasphemus, quem appellant imprecatiuum siue imperando, siue optando est tantùm leuiter suspectus de Hæresi, sicut & hæreticalis Blasphemus indicatiuus, qui semel Blasphemauit, aut etiam pluries, sed quinarium non excessit.

Primum, quod omnes Blasphemi sint suspecti de Hæresi, patet ex dictis in præcedentibus, nam ex D. Thomà & alijs Blasphemia est contra confessionem Fidei, vt dixi num. 27. ergo cum Fidem lædat Blasphemus præsumendus est Hæreticus, & sic de Hæresi suspectus. vide inf. n. 43. 45.

In hoc Carena par. 2. tit. 7. num. 18. dicit, proferentes Blasphemias non hæreticales non esse suspectos de Hæresi, sed rationem non affert, fortassis ea erit, quia nihil continent contra Fidem, ex quo non sunt hæreticales; nihilominus ipse sub num. 10. dixerat, quod Blasphemia non hæreticalis ea est, quæ & si ex modo dicendi, & in actu exercito significat errorem contra Fidem, attamen secundùm se, & in actu signato non affirmat aliquid contra Fidem, sic scribit in sententia omnium, vt ipse ait. Nihilominus ferè omnes asserunt simplices, vt aiunt, Blasphemias inducere suspicionem hæresis licet leuem.

Nec obstat, quòd eam vocant non hæreticalem, quia ista negatiua limitatur diminuendo, quod scilicet Blasphemia simplex non manifestat expressè Hæresim, sicut illa, quam vocant simpliciter hæreticalem, non ideo tamen illi neganda est suspicio Hæresis, quam implicitè, & subobscurè continet, sicut dixi de duplici Sortilegio hæreticali scilicet, quod manifestè Hæresim ostendit, & simplici, in quo occultatur, & implicitè continetur Hæresis, vt dixi sect. 31. à num. 7. ad 13. & hic sub num. 29. Vers. Demum Et hoc omnino certum est quod nec ipsi negare debent, dum affirmant reuera illis verbis: *Et in actu exercito significant errorem contra Fidem*. Et ita tenendum est.

Secundum, quòd aliàs conuictus, vel confessus de hæreticalibus, probatus iterum Reus Blasphemiæ hæreticalis etiam semel, sit vehementer suspectus de Hæresi; probatur ex cap. Accusatus 8. de hæret. in 6. vbi dicitur, quod abiurans in Iudicio Hæresim propter eius vehementem suspicionem, si iteratò labitur relapsus dicitur; ergo est iudicandus vehementer suspectus de Hæresi, cum non appareat emendatus de suis Blasphemijs.

Tertium, de consuetudinario, docent omnes cum *Direct. par. 2. q. 41. num. 5. Genuens cap. 18. num. 11. cap. 68. num. 8. Sousa lib. 1. cap. 19. num. 18. Carena par. 2. tit. 7. num 19. Diana par. 4. tract. 7. resol 8. Vers. igitur, Alberghin. cap. 16 num. 14 & 15. Castropal. par. 3. tract. 17 disp. 2. p. 2. num. 2. Dal Bene dub. 218. sect. 26. num. 1.*

Quartum, quòd qui blasphemauit quinquies vicibus interpositis sit consuetudinarius, ac proinde vehementer suspectus de Hæresi, docet Lazarius q. 8. de Blasphem. num. 5. apud Carenam num. 25. requirens quinq; actus interpollatos, cum quo sentiunt *Homob. de casib. reseruat. par. 2 casu 1. Petrus Bellochius in sua Praxi de casib. reser. par. 2. q. 1. num. 242. quos citat, & sequitur Ignatius Lupus* Bergom. *par. 2. casu 11. num. 4.* Qui, quod dicunt Doctores, quòd consuetudo perficitur binis, aut tribus interpolatis actibus, interpretatur, hoc procedere, vbi est læsio Iustitiæ, non quando agitur de peccato 31

solùm

ſolùm contra Caritatem, cuiusmodi eſt crimen Blaſphemiæ, ratio huius eſt, quia lubricum linguæ non ita facilè trahendum eſt
32 ad pœnam, *l. Famoſi 7. ff. ad leg. Iul. Maieſt.*
33 Quintum, quòd non excuſet ira, ludus, ebrietas, & ſimilia, probatur, quia cum hæc ſint peccata, vel cauſa peccati, non poſſunt excuſare, aliter crimen Blaſphemiæ fere ſemper remaneret impunitum. Intellige hoc, quando ira prouenit ex causà iniquà, & iniuſtà, nam ex iniquitate quis commodum reportare non poteſt, *cap. Intelleximus 7. de iudic.* Ira ergo ex iuſtà causà proueniens excuſat à vehementi ſuſpicione, non verò à le-
34 ui, ex Carenà num. 19. & 20. Ebrietas, quæ triplex eſt, magna, leuis, & leuiſſima, hæc mentem non impedit; leuis eam turbat, magna verò mentem ita alienat, vt iratus neſciat, quid facit, vndè in hoc comparatur furioſo, *l. Omne delictum 6. §. Per vinum, ff. de re milit.* Vnde ab omnibus excuſat, non verò leuiſſima, nec à pœna, nec à ſuſpicione, vtique leuis à pœnà corporali, non à ſuſpicione, cum ſit peccaminoſa, dum hæc licet turbet, non tamen tollit vſum rationis. Vide citatos *à Carena par. 2. tit. 7. num. 32. ad 33.*

Qui ioco Blaſphemat, non excuſatur, ſed grauiter punitur. Ita *Pegna par. 3. com. 17. Verſ. Et quamuis regulariter, Lazar. q. 6. num. 11. Farinac. q. 179. num. 45. Carena num. 33.* Vide Paulum Rubeum Collectorem Deciſionum Rotæ Romanæ à par. 3. in cuius dec. 28. à num. 48. vſq. ad 230. excluſiuè multa congerit de ebrietate, quæ legenda ſunt, quæ faciunt pro Conſultoribus in hac materia de Blaſphemijs ab ebrio euomitis. Vndecimà parte typis excuſsà, defunctus in Domino anno 1668. vel paulo ante, ni fallor.

35 Sextum, quòd ſimplex Blaſphemus ſit tantùm de leui ſuſpectus, probatur, quia arguit ſubobſcurè, & implicitè ſuſpicionem, ergo leuiter, & non tantùm, ſicut Blaſphemia qualificata, quæ expreſsè continet hæreſim arguendo Blaſphemum ſuſpectum grauiter de Hæreſi, ſed quoniam Blaſphemia procedit à lubrico linguæ, ideo ad ſuſpicionem eleuandam in vehementem adiungitur conſuetudo quinaria, vel aliàs abiuratio iudicialis.

Blaſphemi ergo ſimplices ſunt tantùm leuiter ſuſpecti de Hæreſi. Faciunt dicta ſub §. Primum ſub hac quæſtione, & id puto verum ſecundùm noſtra principia, licet omnes contradicant, aſſerentes Blaſphemias ſimplices nō eſſe hæreticales, ac proinde nullam inducere ſuſpicionē Hæreſis, ſed ſuperiùs probaui paſſim, inducere ſuſpicionē Hæreſis, nā quaſ-
36 cunq; Blaſphemias Iulius III. in ſua incip. *In multis 23.* ſub §. 6. Subiecit Generalibus Inquiſitoribus Vrbis pro Vrbe, eſto certū argumētū, quòd in omnibus præſumi poteſt ſuſpicio Hæreſis contra Blaſphemos in Deū, Chriſtum, Virginem, & Sanctos; non obſtante quòd Salelles Reg. 138. num. 66. dicat, citatam Bullam Iulij III. non eſſe generalem, ſed tantùm pro Vrbe, ac proinde reijcit opinionem Sanctarelli aſſerentis cognitionem Blaſphemiarum non continentium Hæreſim, ſi ſint graues, & impiæ pertinere ad Inquiſitores, nam aliud eſt, quòd illa Bulla ſit tantùm pro Vrbe, aliud eſt, quòd cognitio omnium Blaſphemiarum committatur præfatis iudicibus S. Fidei, ex quo benè infertur omnem Blaſphemiam arguere ſuſpicionem Hæreſis, quia materia, circa quam verſantur Inquiſitores, eſt delictum Hæreſis, vel eiuſdem ſuſpicio proueniens ex delictis.

Septimum quòd Blaſphemus hæreticalis vſq; ad quintam vicem excluſiuè ſit ſolùm leuiter ſuſpectus de Hæreſi, probatur, quia lubricum linguæ non eſt trahendum ad grauem ſuſpicionem, ſicut nec ad pœnam rigoroſam, vt ſupra dixi, ergo ſufficit leuis ſuſpicio, vt leuis quoq; inferri poſſit pœna. Ita docent præcitati *in Verſ. Tertium; hic, Eimer. num. 6. Carena num. 20. cum alijs Salelles Reg. 352. num. 117.*

Quæritur 9. An, & qualiter blaſphemantes de facto ſint ſuſpecti de hæreſi? De hac ſpecie blaſphemiæ fatalis dixi hic ſub q. 4.

℞. Sunt ſuſpecti, & quidem vehementer 37
blaſphemantes facto, quia eorum factum lacerationis &c. vrget fortiter, quòd ſacræ Imagines non ſint adorandæ, ac proinde quòd poſſint ſperni, & pro nihilo haberi, vndè ſequitur, talem ſuſpicionem iudicandam eſſe grauem, & vehementem, immò magis, quàm quæ procedit ex dicto, facta enim ſunt fortiora, & potiora verbis *l. De pupillo 5 §.* 38
Meminiſſe ff. de noui oper. nunt. Ita Zechius *in ſumma tom. 1. cap. 11. num. 5. Diana par. 4. tract. 7. reſol. 9. Carena par. 2. tract. 7. num. 38. Farinac. q. 178. num. 53. Belloch. de caſib. reſer. p. 2. q. 1. num. 73. Albergh. cap. 28. num. 4.*

Obſeruandum eſt Hiſpanos docere, quoſ- 39
cumq; Blaſphemos ſolùm eſſe leuiter ſuſpectos de Hæreſi, quos refert *Diana par. 4. tract. 7. reſol. 8. Verſ. Nota tamen.* Cur hoc diuerſum à Iudicio Italorum? Ea eſt ratio, quia Hiſpani præſumunt, illos potius ex irà, impatientià, aut ioco ex lubrico linguæ prorumpere in Blaſphemias, quàm ex prauà intentione male ſentiendi de diuinis perfectionibus, quia dictum continet in ſe Hæreſim, ideo putant Blaſphemum eſſe leuiter ſuſpectum de Hæreſi.

Itali verò primò recurrunt ad prauam intentionem, quam verba ipſa repræſentant menti Iudicum, & conſultorum, nam verbo vel facto cuiuſq; probatur credulitas, vt *in l. Paulus 5. ff. Rem ratam*, dixit Ricciull. *lib.* 40
1. de iure perſon. extra cap. 7. Dum ergo blaſphemans impingit imperfectionem in Deo, ſeu Sanctis obloquendo, demonſtrat, & ſignificat, Deum eſſe talem, qualem prædicat,

cat, verba enim sunt signa eorum, quæ in
41 mente habemus, vt Christus Matth. 15.18. loquendo etiam de Blasphemia dixit: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt* Quare cum verba mala in bonam partem trahi non possint, nec debeant; interpraetanda sunt secundùm eum sensum, quem de se præseferunt, vnde Consultores cum Iudicibus non possunt præsumere nisi prauam intentionem contra Blasphemum.

Excusatio iræ, ebrietatis, impatientiæ &c. non excusat blasphemos.

Neque excusationes iræ, impatientiæ, ebrietatis &c. habent diuertere mentem viri prudentis à vehementi suspicione ad leuem, tum quia non sunt quærendæ excusationes
42 in peccatis Psal. 140. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*. Vir prudens mentem suam accommodare non debet dictis excusationibus, quia peccata sunt, ideo ex illis non est alleuianda suspicio, sed potius aggrauanda, non enim ex illis oritur Suspicio, sed ex ipsis blasphemijs. Tum quia nulla esset differentia inter blasphemum consuetudinarium, & non consuetudinarium, quò ad regulandam, & qualificandam suspicionem, quod asserere est potiùs imperiti, quàm viri docti.

43 Quòd si quis dicat, semel blasphemantē hæreticaliter nullatenus esse suspectum de Hæresi. Dico id esse omnino falsum, quia non minus vna Hæresis, quam plures inducunt suspicionem, cum in quolibet præsumatur, ex quo Blasphemia vt sic aduersatur confessioni Fidei, & conuersatur cum Hæresi.

Confirmatur, quia verba ipsa, siue semel siue pluries prolata, ex suà significatione propria inferunt Hæresim, ergo aliter præsumendum non est, nec iudicandum. Differentia solùm est in hoc, quòd semel blasphemans est leuiter suspectus, vehementer verò, qui prorupit in quinque Blasphemias successiuè vicibus interpollatis, vt dixi supra n. 31. 35. 44.

Quæritur 10. An, & qualiter Blasphemi abiurent?

44 ℞. Vehementer suspecti abiurant de vehementi, & leuiter de leui, quia abiuratio regulatur à gradu suspicionis, vt dixi sect. 16. num. 28. Ita docent omnes, & sic suspectus vehementer, qualis est Blasphemus consuetudinarius, qui probatus est quin-
supra n. 30. 31 quies blasphemasse, abiurat de vehementi. Ita *Lazarius q. 6. num.* 17. *Genuens. cap* 68. *num.* 8. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 8. *Vers. Igitur Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 67. Non consuetudinarius verò Blasphemus abiurat de leui, *Direct. par. 2. q. 41. num. 6. Carena num.70. Sousa lib. 1. cap. 19 num. 18 cum alijs Diana par. 4 tract. 7. resol. 8. Vers. Igitur, Locatus V. Blasphemia num. 6. Castropal. par. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 5. num. 2.* Qui omnes dicunt, blasphemantem raro, bis, aut tres abiurare de leui.

An autem semel tantùm blasphemans in irà abiuret de leui? Negant Zanardus par. 2. præcepto 1. cap. 11. num. 10. his verbis: *Blasphemi in irà semel, bis, & ter, si ita magna fuit, & ex causà iustà, non solent abiurare*. Qui ergo semel blasphemauit, non abiurat, inquit *Lazar. q. 6. num. 21. ex Pegna super q. 41. Direct. Genuens. cap. 68. fine, & ex eisdem Lazario, & Genuensi Carena num.* 69. Dicens cum illis dimitti obiurgationibus & pœnitentijs salutaribus, atq; personam vilem cogi stare præ foribus Ecclesiæ. Hos sequitur *Dal Bene Dub. 219. sect. 26. num. 2. & 3* Fundant suum dictum in praxi. Et omnes præcitati receperunt à Pegna, qui in citato com. agit quidem de dicto modo puniendi illos, nihil tamen dicit de abiuratione nec pro, nec contra.

Ego autem in ea sum opinione, quòd 45 semel Blasphemi in irà, vel aliter abiurent de leui, quia leuiter sunt suspecti de Hæresi, vt probaui supra sub vers. Quod si quis. n. 43.

Sed quid dicendum in nostrà sententià de 46 Blasphemis imprecatiuis, an & qualiter debeant abiurare? Dico esse cogendos ad abiurandum leuiter, quia taliter sunt suspecti, vt probaui sub q. 9. Vers. Sextum.

Quæritur 11. An Tortura locum habeat in Blasphemis negantibus delictum blasphemiæ, & prauam intentionem, quæ in illis præsumitur? Vide q. 34.

℞. Blasphemus quicunq; verbo, seu ope- 47 re probatum semiplenè delictum negans torquendus est, siue sit vehementer, siue leuiter suspectus de Hæresi. Super intentione prauà negatà conuictus, vel confessus delictum, torquetur, si sit vehementer suspectus de Hæresi, si vero est leuiter tantùm suspectus non torquetur.

Primum, quòd torquetur negans delic- 48 tum, probatur, quia Iudex per semiplenam delicti probationem habet Ius torquendi Reum negantem delictum, Tortura enim est 49 species probationis, vnde datur defectu probationum in subsidium, *Clarus q. 64. Vers. Debet etiam*, Farinac. q 38 *num.* 4. *Miranda de Ordin iudic q. 26. num.* 24. *Guazin. Defens.* 30 *cap* 2. *num.* 3. Semiplena ergo probatio completur, & fit plena per Torturam. Ita *Molfesius in summà tract.* 11. *cap.* 3. *num.* 27. 50 *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 62. *Salelles Regul.* 352. *num.* 119. Procedit non solùm in blasphemià verbo prolata secundùm citatos, sed etiam opere exercita lacerando Imagines sacras &c. Sunt enim vehementer suspecti de Hæresi in sententia omnium, vt dixi q. 9. & videri possunt Doctores apud *Dianam par. 4. tract. 7. resol. 9. Lupum de Edicto lib. 14. dist. 7. diffic. 2.* Licet nihil de Tortura.

Secundum, quòd super delicto negato 51 tor-

torquetur blaſphemus; licet ſit tantùm ſuſpectus de leui, probatur eadem ratione, quà primum probatum fuit; Nec obſtat leuis Suſpicio, quæ refertur ad prauam Intentionem, non ad ipſum delictum Blaſphemię, quod ex genere ſuo eſt mortale grauiſſimum in ſententiâ omnium apud Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 4. derogat enim excellentiæ Dei, & ſanctorum eius, atq; rerum ſacrarum, ita quòd nec dari poteſt paruitas materiæ in bla-
52 ſphemiâ, *per citatos à Diana par. 5. tract. 5. reſol. 3. Sanchez. num.* 40. Ita docent *Carena par. 2. tit. 7. num. 66. Verſ. Hoc ſuppoſito, Salelles Reg.* 352. *num.* 125.

53 Tertium, quòd negans prauam Intentionem torquendus ſit ſuper eam, ſi eſt vehementer ſuſpectus probatur; quia cum ſit iam conuictus, vel confeſſus delictum, Iudex habet pro ſe validam præſumptionem, quòd blaſphemus, ſiue verbo, ſiue opere ſit Hæreticus; & cum aliud medium non habeat ad ſe certificandum, an hoc ſit verum, necne in ordine ad punitionem, neceſſarium eſt, vt illâ vtatur. Ita *Molfeſ. tract.* 11. *cap.* 3. *num.* 27. *Genuenſ. cap.* 68. *num.* 8. *quem cito cap.* 26. *num.* 20. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 62. *Salelles Reg.* 352. *num.* 120.

54 Quartum, quòd leuiter ſuſpectus non ſit torquendus, probatur, Tum quia leuis ſuſpicio non commenſuratur tam graui pœnæ, qualis eſt Tortura. Tum quia ſufficienter tollitur per Abiurationem. Tum quia vehemens ſuſpicio tollitur per torturam, & Abiurationem, ergo leuis per ſolam Abiurationem, aliter æquipararentur. Ita *Carena par. 2. tit. 7. num. 66. Verſ. Si verò loquamur, citans Genuenſ. cap. 68. num 8. & Souſam lib. 1. cap. 34. num. 64. Salelles Reg.* 352. *num.* 128. qui num. 130. ſubiungit, quòd ſi torqueatur, tunc non eſſe cogendum ad Abiurandum, quia per Torturam ablata fuit in totum ſuſpicio, *ex Pegna par. 3. com. 39. Verſ. Quare in hoc.*

Quæritur 12. An iurans per falſos Deos committat Blaſphemiam hęreticalem? Seu per alias creaturas?

55 ℞. Affirmatiuè, ſi iuret ſeriò, ac ſi eſſet verum iuramentum, quo vocaretur Idolum in teſtem infallibilis veritatis, quia honor, & laus infallibilis veritatis ſoli Deo debitus, tribuitur creaturæ illius omnino incapacis, ſiue iuret falsò, ſiue verè, vt per Mercurium, per Iouem, per Deum Bacchum. Eſt communis, *Sanchez. lib. 2. cap. 32. num. 9. Lazar. q. 3. num. 48. Mazuchel. diſp 2. cap. 16. q. 3. num. 51. Salelles Reg. 139. num. 78. Lupus de caſib. reſer. caſu 11. num. 16. §. Quarta.* Dixi ſeriò, quia ſi quis iuret ſine tali intentione, ſed ioco, aut ex vſu loquacitatis, vt ſolet contingere in colloquijs familiaribus imprudentum, non blaſphemat hæreticaliter, quia nullum intendit honorem tribuere Deo falſo. Ita præcitati.

Infidelis iurans coram catolico Iudice, vel priuato per ſuum Idolum, ipſe ſolus peccat, 56
quia cultus vero Deo debitus tribuit ſuo falſo Deo, quem putat eſſe verum Deum. Recipiens verò illud ex causâ non peccat, quia recipit ad confirmationem verbi externi, non conſiderando venerationem Idoli, quam ſolus infidelis intendit. Ita *S. Bonauentura in 3. diſt. 39. q. 3. in Reſol. Sanch. lib. 3. cap. 8. num. 21. Leſſius lib. 2 cap. 42. num. 50.*

Si quis iuraret per creaturas alias blaſphe- 57
maret hæreticaliter, ſi intenderet diuinum honorem illis tribuere. Ita præcitati docent *cum D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 6. Salelles Reg. 139. num. 79. Suarez lib. 1. cap. 6. num. 13. ex cap. 5. num. 7. Alberghin. cap. 16. num. 3. Diana par. 5. tract. 7. reſol. 8. Verſ. Sed quia.*
Sed attentâ praxi, nullus iurans intendit ho- 58
norem diuinum tribuere creaturæ, quam vocat in teſtimonium ſui dicti.

Vocans ſuam amaſiam Deam non eſt 59
Blaſphemus, quia non intendit eam verè eſſe Deam, ſed ſuam amicam cariſſimam, quæ locutio hyperbolica eſt denotans ardentem amorem erga illam. Ita *ex Lorca, & Mendoza Diana par. 5. tract. 13. reſol. 20. dixi cap. 26. num. 13.*

Quæritur 13. De variis Blaſphemijs contra Deum, & Chriſtum, atq; Matrem eius Mariam Virginem?

℞. Referendo, & explicando ſingulas 60
quomodo ſunt hæreticales.

Putana di Dio, di Chriſto, Putana Maria, della Madonna, di noſtra donna, meretrice. Hæ blaſphemiæ ſunt hæreticales, & eas proferentes reddunt vehementer ſuſpectos de Hæreſi, vt colligitur ex Bulla 70. incip. *Antiqua Iudæorum*, Gregorij 13. §. 5. *Si Saluatorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe; Matremue Dei non eſſe virginem, & alias huiuſmodi Blaſphemias, quæ per ſe Hæretica dici ſolent.* Ratio eſt, quia Blaſphemus ponendo imperfectiones in Deo, Matre, & Filio derogat eorum perfectionibus, conſequenter fit ſuſpectus vehementer de Hæreſi, quia præſumitur, ita ſentire, ſicut loquitur, mens enim talis eſt, qualia ſunt verba, *l. Labeo ff.* 61
de ſuppellect. Ricciul. lib 5. cap. 3. num. 4. De eâ Blaſphemiâ agunt *Homobon. de caſib. reſeru. caſu 1. Verſ. Contra verò, Mazuchel. diſp. 2. cap. 16. num. 32. Lazar. q. 7. num 27. Alberghin. cap. 16. num 6. Carena par. 2. tit. 7. num 9. Floronus caſu 3. § 2. num. 6.*

Dicens *Putana dell Hoſtia conſecrata, del* 62
Batteſimo &c. blaſphemat hæreticaliter, quia impingit hanc calumniam impuritatis in Sacramenta, & Hoſtiam, quæ ſunt ſancta, pura, & immaculata de Fide credenda, ergo ſic blaſphemans eſt vehementer ſuſpectus de Hæreſi.

Yy Ob-

63 Obloquens in sanctos his verbis: *Putana di S. Pietro, di S. Agostino* non blasphemat hæreticè, quia Ecclesia nihil definiuit de eorum integritate, & constat S. Augustinum habuisse concubinam, & quosdam alios non esse virgines, ideo talis oblocutio Blasphemia non est, nisi referatur ad illos post mortem.

64 Si quis proferret hanc contumeliam contra Sanctum Ioannem Euangelistam sine dubio blasphemaret hæreticè, quia expressè legitur in Resp. Lect. v. eius festi: *Virgo electus ab ipso*, idest Christo, *virgo in æuum permansit*. Qui enim ab Ecclesiâ vniuersâ appellatur virgo, semper virgo, siue viator, siue in patriâ. Sic ergo blasphemans facit se suspectum de Hæresi vehementer, quia videtur sentire Ecclesiam in his mentiri, aut falli, seu fallere.

65 Dicens *Pota di Dio, Christo, di S. Pietro, della Vergine* Blasphemus est hæreticalis, quia non habent tale membrum, vtiq; Virgo, nihilominus etiam respectu huius, censendus est Hæreticus, eo quòd insinuare videtur, tale membrum esse nephandum, & incitatiuum ad libidinem, hoc enim præsefert talis dictio ex vulgari hominum consensu. Respectu vero Dei, Christi, & Sanctorum arguit mutationem sexus, & sic, quòd Deus sit fœmina, quæ à viro discernitur per illud membrum. Cum ergo vnicuiq; tribuatur, quo caret, confunditur sexus vnius cum alio, quod apertè arguit suspicionem Hæresis vehementem cum sit Blasphemia hæreticalis. Ita *Viuian decis.* 388. *quem sequitur Carena par.* 2. *tit.* 7 *num.* 9. *Vers. Et certè. Naldus* V. *Blasphemia, Defend. disp.* 3. *casu* 3. *num.* 242. *Graff par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 5. *Lupus lib.* 23. *dist.* 2. *diff.* 4.

66 Hæc verba *Coglione, Minchione*, arguunt suspicionem Hæresis vehementem, cum sint Blasphemiæ hæreticales denotant enim imperfectionem in illis *Vid. Merin. ioc.*

67 Sequentia verba *Al Corpo, al Sangue di Dio*, non sunt hæreticales, nisi quando non intenduntur de Deo incarnato, vt si proferantur hoc modo, *Al Corpo, al Sangue di Dio Padre*. Aliter tamen possunt in bonum sensum, vt intelligantur de Deo incarnato, verba enim accipienda sunt in dubio in meliorem sensum, *l. Semper* 57. *ff. de Regul. iur. cap.* 2. *de Reg. iur.* Et accipienda sunt ad mentem proferentis, *l. In ambiguis* 97. *eod.* Et ita docent *Toletus lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32 *num.* 29. *Mazuchel. disp.* 2. *q.* 2. *num.* 40. *Floran. casu* 3. §. 1. *num.* 1. & 2. *Castropal par.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *p.* 2. §. 3 *num.* 7.

68 Item hæc. *Al corpo, al sangue dello Spirito santo. Per la barba del figliol di Dio. Al sanguinazzo. Al Corpazzo di Dio.* Videntur omnes hæreticales, quia tribuunt Deo imperfectiones, & quod non habet; & licet Deus incarnatus habeat præfata non habet tamen cum illis imperfectionibus, ergo sic proferens videtur malè sentire de illis partibus, quod sint imperfectæ, & defectuosæ in esse naturæ contra illud Psal. *Speciosus forma præ filijs hominum*.

Iurans per pudenda Dei, Christi, seu 69
Virginis suspecti sunt de Hæresi vehementer quia præsumuntur malè sentire de illis, quasi illis membris, & partibus abusi fuerint, luxuriosè. *Ex Baldo, & Boerio Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 11.

Proferens hæc. *Dio sagradone, Dio po-* 70
uerino, pouerinazzo, Sagradazzo, al conspetto, al conspettone, al conspetazzo di Dio, di Christo, di Maria, Mariazza. Sunt omnes, præter al conspetto, hæreticales, arguunt enim imperfectionem in illis, in quibus nulla est; quamuis autem Deus quà incarnatus dicatur pauper, Psal. 69. num. 6. *Ego verò egenus, & pauper sum.* Non tamen Deus, nec Christus, nec eius mater sunt pauperes ex miseriâ, & necessitate, vt indicant illa verba, sed ex voluntate. *Al conspetto di Dio* non est Blasphemia, quia habet conspectum & conspicibilis, visibilis scilicet sanctis, & Angelis suis, Apocal. 8. 2. *Vidi Septem Angelos stantes in conspectu Dei*, idest Coram Deo. *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 8. *num* 46. *Lazar. q.* 7. *num.* 12. *Bonac. p.* 2. *num.* 8. *Al conspettone, al conspettazzo di Dio, di Christo*, cum arguat imperfectionem in eius præsentiâ reddit blasphemantem suspectum vehementer de Hæresi.

Disgratiato, o disgratiatone, hæreticalis, 71
quia arguit imperfectionem in illis, scilicet, esse Deum, Christum, & Sanctos esse indignos gratiâ, & gloriâ, quod Hæresis est, eo quòd in illis sine dubio sit gratia, de qua sunt plenæ scripturæ.

Malgrado habbia Dio. Est hæreticalis tri- 72
buens. Deo, quod impossibile est ei euenire, *Azor. & Rodriq. apud Mazuchel. num.* 18. Quamuis sit imprecatiua ob rationem dictam hic, & sub q. 7.

Disgratio Dio di quel che mi fà, arguit, 73
Deum non esse dignum gratiarum actione contra illud Apostoli ad Thessal. 1. cap. 5. 18 *In omnibus gratias agite*. Melius Epist. 2. cap. 1. num. 3. *Gratias agere debemus semper Deo*. De ea *Graff. in Praxi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 29. *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 25. Qui licet dicant eam simplicem, ego puto esse hæreticalem, ob allatam rationem, & auctoritatem.

Non placeat hoc Deo, quod faciam. Si re- 74
feratur ad malum, bona locutio, quia malum Deo displicet; si referatur ad bonum, mala locutio, quia bonum non displicet, sed placet Deo. Ita *Decian lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 8. *Couar. de Pactis* §. 7. *num.* 9. §. *Quinto, Lupus casu* 11. *n.* 39. In posteriori sensu est hæretica.

reticalis, quia in Deo arguit displicentiam de bono, quod repugnat summæ eius bonitati.

75 *Non puol far Dio, ch'el non sia vero*. Non est hæreticalis, quando constat manifestè de veritate rei, de qua est sermo, immo nec simplex Blasphemia, & sic nullo modo talis, cum nihil diminuatur de potentiâ Dei, quod enim verum est, non potest non esse tale etiam respectu Dei. Esset vero hæreticalis, si aduersaretur veritati. Ita *Decian. lib. 6. cap. 2. num. 6. & 10.*

76 *Non lo potrebbe far Dio, che io hauessi cambiato questo pegno*, Si verè non cambiauit, nihil falsi dicit, ac proinde non est blasphemia. Ita *Decian. ibid. num. 6. ex Alex. cons. 15. contra Socinum lib. 1. cons. 102.* asserentem per dicta verba quemdam Hebræum blasphemasse, quem defendit dictus Alexander. Si verò cambiauit hæreticalis est propter rationes supra positas.

77 *Se Dio lo dicesse, direi, che mentisse per la gola*. Est Blasphemia hæreticalis, siue referatur ad factum verum, siue falsum, quia ea verba arguunt mendacij capacitatem in Deo, cum enim Deus sit summa Veritas, non solùm in concreto, sed etiam in abstracto, cum sit prima Veritas, vnde non solùm non est mendax, sed nec capacitatem, immo nec vmbram habet mentiendi. Ita *Cæpola cons. 76. Gramat. & ex illis Decian lib. 6. cap. 2. num. 10.*

78 *Ne tu, ne quell' Asino di Christo lo farà mai*. Est hæreticalis, etiam si res esset infactibilis, quia Christo impingit imperfectionem ruditatis, & impotentæ. Ita *Clarus V. Blasphemia num. 3. §. cæterum, Decian. cit. num. 10.*

Si quis dicat pro Reo *Quell' Asino di Christo*. Id non est intelligendum directè, & immediatè, sed de Asino, super quem Sedit Christus in die Palmarum ingrediendo Ierusalem, erat enim Asinus Christi; articulus enim ille *di* genitiui casus indicat possessionem per Mascardum concl. 841.

Sed reuera cum sensum non habet, sed priorem, quem dedimus, vtrumq; enim verbum sumitur pro Christo qualificato; solemus enim dicere: *Ho veduto quel ladro, quel disgratiato, quell' asino di Pietro* Qualificatur enim persona, quæ dicitur possidere talem qualitatem.

79 *La vostra fede è fede de cazzi*. Est blasphemia hæreticalis, nam ea verba arguunt Fidem veram habere pro obiecto rem turpem, inutilem, monstruosam, & nullius momenti, atq; rem dignam iniuriâ. Ita *Clarus V. Blasphemia initio, ex Socino lib. 4. cons. 119. Decian. lib. 6. cap. 2. num. 10.*

80 *Se io hauessi Dio, e Christo nelle mani trarrei à loro gli occhi*. Est hæreticalis, cum arguat illos capaces pœnarum, quod credere hæreticum est, quia Deus impassibilis, ità & Christus post passionem, vt de Fide docent omnes Theologi. Ita *Bald. apud Clarum V. Blasphemia, ex illis Decian. lib. 6. cap. 2 num. 12.*

Non ha poter Iddio. Est hæreticalis derogans eius omnipotentiæ, quandocunq; res est factibilis Ita *Couar. de Pactis par. 1. §. 7. num. 9. Vers. quarto, Graff. par. 1. Decis. aurear. lib. 2. cap. 19. num. 11.* 81

Per la vita di Dio. Iuramentum est, nullatenus Blasphemia est, nam Deus non solùm habet vitam, sed est Vita, à quo omnis vita originatur. Ioan. 5. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Et cap. 14. 6. dicitur. Ego sum via, & veritas, & vita. Non potest ergo dici Blasphemia, cum vita de se sit perfectio in quocunq; est Ita *Decian. lib. 6 cap. 2. num. 13.* 82

Quamplures tamen Hispani relati à Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 25. tenent, esse Blasphemiam, quia habet hunc sensum: *Amittat Deus vitam, si non est ita*. Sed reuera talis sensus est alienus non solùm ab opinione hominum etiam imperitorum in Italiâ, sed etiam de se improprius, & improportionatus dictis verbis, quæ cum de se præseferant vitam, non possunt significare mortem, & priuationem vitæ.

Confirmatur, quia apud antiquos Patres veteris Testamenti erat vsus iurandi per hæc verba. *Viuit Dominus 1. Reg. 19. 6. Iurauit Rex & ait Viuit Dominus. ibid. 3 Regum Cap. 1. num. 29.* Quod iuramentum à prædicto in nullo differt quò ad sensum, sed tantùm vocibus.

Dio crudele, traditore, partiale, partesano. Blasphemiæ hæreticales arguentes imperfectionem in Deo, quod est contra Fidem, nam Deus crudelis non est, sed benignus & misericors est, Ioel. 2. 13. *Benignus, & misericors est patiens, & multa misericordia, præstabilis super malitiâ*, idest supportans & tolerans malitiam. Excluditur ergo omnino crudelitas, quam in deo ponit Blasphemus. 83

Traditor non est, quia Psal. 144. 20. Custodit Dominus omnes diligentes se. Immo etiam malos, Matth. 5. 45. Qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluuit super iustos, & iniustos, neminem ergo prodit, dum eis benefacit.

Partiale, e Partesano idem sunt, & Blasphemiæ hæreticales sunt, Deus enim iustus Iudex est Psal. 7. 12. proinde non est personarum acceptor Deus, Act. 10. 34. Omnibus enim tribuit secundum opera eorum, Psal. 27. 4. Ita de his Blasphemijs *Sanchez lib. 2. cap. 32 num. 36. Castropal. par. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 3. num. 2. Carena par. 2. tit. 7. num. 9. vers. Quintò. Bonac. p. 1. num. 2. Mazzucch. disp. 2. cap. 16. num. 26. Lupus casu 11. num.*

num. 16. *Zanardus de blasph. cap.* 10. *vers. Tertio dixi*, *Albergh. cap.* 16. *num.* 2. *Salelles Reg.* 139. *num.* 73.

84 *Abenche sia offesa di Dio, lo voglio fare.* Non blasphemat sic loquens, sed tantùm declarat suam prauam voluntatem, quam habet peccandi. Ita Sanchez num. 18.

85 *Voglio peccare, abenche dispiacia à Dio.* Non est Blasphemia, nam certum est liberum esse hominis arbitrium; & Deo displicere peccata; est tamen oblocutio contra reuerentiam Deo debitam.

86 *Credo, che Dio non si ricordi di me.* Blasphemia hæreticalis, arguit enim Deum de obliuione, quod est imperfectio, contra illud Isaiæ 49. 14. Dixit Sion: Dereliquit me Deus, & Dominus est oblitus mei. Deus sic obloquentes reprehendit ibidem his verbis: Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Memoria Dei continua nobis est sine intermissione custodiens non solùm animam, sed etiam corpus humanum, quod illius murus est. *Lazar. q.* 7. *num.* 50. *ex num.* 45. quod sit hæreticalis.

Excusari potest sic obloquens à suspicione Hæresis, quando protulit hæc verba quis occasione alicuius infortunij, mali imminentis, vel passi, quia talia verba tunc interpretari possunt, Deum non occurrisse impediendo à malo pœnæ, cum potuisset homini gratiam facere. Deus ergo dicitur oblitus est mei, quia noluit mihi benefacere præseruando me à malo pœnæ; non enim habet hoc debitum.

87 *Dio non ha fatto questo Matrimonio.* Est hæreticalis, quia derogat diuinæ omnipotentiæ, Deus enim omnium rerum est conditor. Ita *Lazar. q.* 7. *num.* 52. *Belloch. num.* 250. *&* 252. *cum Mazuchel. cap.* 16. *num.* 30.

88 *Possanza di Dio. Può far Dio. O Dio sagrato.* Nullam continent Blasphemiam, quia non derogant diuinæ Potentiæ, sed solùm proferuntur in casu admirationis, quando videmus, vel sentimus aliquid admiratione dignum, seu insolitum, aut prodigiosum. Ita *Lazar. q.* 3. *num.* 12. *Floron. casu* 3. §. 2. *num.* 1. *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 47. *Bonac. part.* 2. *num.* 9. *Lupus casu* 11. *num.* 21. *Vers. Quartò*, qui asserit esse Blasphemiam in hunc sensum, vt si quis vellet quempiam percutere diceret *Può far Dio.* idest Potestne Deus me impedire à percussione? Sed reuera vsus horum verborum refertur tantùm ad admirationem, vt dixi, ac proinde is est solùm imaginarius.

89 *Ne Dio stesso, se descendesse dal Cielo, rimouerebbe il formento da questa ara.* Est hæreticalis contra Omnipotentiam Dei. Ita *Lazar. q.* 7. *num.* 33. *Carena part.* 2. *tit.* 7 *num.* 43. *Alberghin. cap.* 16. *num.* 5. Lazarius dicit Viuium in decis. 275. defendere quendam ab hac Blasphemiâ, quia ille homo altercabatur cum alio homine, & non cum Deo, sed hæc ratio nullius est momenti, quia licet homo ille potuisset impedire extractionem frumenti ab area, vt intendebat, non tamen eiusdem extractionem, quam Deus poterat facere; cum ergo Deus ibi nominetur sub eadem causâ extractionis, insinuant hanc Blasphemiam extractionis redundantem contra Dei omnipotentiam.

Dio inuidioso, buggiardo, e mendace, poltrone, tiranno. Sunt Blasphemiæ hæreticales, 90 arguunt enim imperfectionem in Deo, in quo nulla est; nam inuidia, cum sit dolentia de bono alterius, opponitur charitati *ex D. Thoma* 2. 2. *p.* 36. Deus autem Charitas est, Ioan. Epist. 1. cap. 4. num. 16. ergo non est inuidus. Mendax non est, mendacium enim est dictio falsa cum intentione fallendi, & opponitur veritati, ex eodem D. Thoma 2.2. q. 110. Deus autem in omnibus suis dictis verax est, quia est ipsa Veritas, Ioan. 14. 6. *Ego sum via, & veritas.* Illud verbum significat pigritiam, inertiam, in Deo, quod aduersatur summæ eius diligentiæ, solertiæ, & prouidentiæ de omnibus creaturis, de quo in Psal. 12. 2. Dominus de Cœlo prospexit super filios hominum. Psal. 35. 7. Homines, & iumenta saluabis Domine. Non est ergo negligens.

Nomen Tyranni communiter sumitur in malam partem pro eo, qui vsurpauit iniustè dominium, & iurisdictionem super bona, & populum, qui reuera eius non est. Deus nullo modo est Tyrannus, cum sit verus, & legitimus dominus rerum omnium, & hominum, iustus enim est Dominus, & rectum iudicium eius, ex Psal. 118. num. 137. & in Psal. 49. 12. dicitur: Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Psal. 88. num. 12. Tui sunt Cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem, & mare tu creasti.

Idem verbum sumitur pro crudeli, qualis nunquam fuit Deus, sed benignus, & misericors, Sapient. 7. 23. Benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Ex quibus manifestè infertur, præfatas omnes Blasphemias esse hæreticales, ac proinde illas proferentes esse vehementer suspectos de hæresi. Ita *Castropal. part.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *part.* 2. §. 3. *num.* 2. *Alberghin. cap.* 16. *num.* 2. *citans Suarez tom.* 1. *de Religion. tract.* 3. *de Irreligios. lib.* 1. *cap.* 5. *Busembaus lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1.

Dio ignorante, & goffo. Sunt hæreticales, 91 vt supra dictæ, aduersantur eius omniscientiæ,

tiæ, & prudentiæ, nam in Psal. 146. num. 5. dicitur Sapientiæ eius non est numerus. Salomon in Sapient. cap. 7. num. 15. Ipse sapientiæ dux est, & sapientum emendator. Ecclesiastici initio. Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. De eius prudentiâ dicitur Ierem. 10. 12. Prudentia sua extendit cœlos. Relucet in eo prouidentia, disponit enim omnia suauiter, Hæreticus ergo præsumitur talia obloquens.

92 *Ne anco Iddio può far questo tempo chiaro.* Blasphemia hæc aduersatur Omnipotentiæ eius. Genesis 17. 1. Ego Deus omnipotens. Tobiæ 13.4. Non est alius Deus omnipotens. Consequenter reddit blasphemantem suspectum vehementer de Hæresi.

93 Dio *non ha cura di me*. Est hæreticalis contra illud Psal. 54. num. 23. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Sapient. 6. 8. Æqualiter cura est illi de omnibus. Ita Busembaus *lib. 1. tract. 2. cap. 1. num. 1.*

94 *Dio non vede quello, che si fà in terra.* Est hæreticalis contra articulum Fidei de prouidentia, Psal. 101, num. 20. *Dominus de Cœlo in terram aspexit.* Ita Azor. par. 1. lib. 9 cap. 28. q. 3.

95 Dio *non prouede alli nostri bisogni*. Blasphemia hæreticalis contra diuinam prouidentiam, de qua 1. Reg. 16. 1. Prouidi enim in filijs eius mihi Regem scilicet Dauidem filium Isai. Eccles. 5. 5. Ne dicas coram Angelo: Non est prouidentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ita Carena *par. 2. tit. 7. num. 11. Castropal. p. 2. §. 3. num. 2.*

96 *Dio becco, cornuto*, Est hæreticalis contra honorem Dei. Eccli 50. 21. *Perfectus est honor Domini.* Maxima iniuria contra Deum; redundat quoq; in dedecus, & vituperium Virginis Mariæ, quæ sponsa Dei dicitur, sic blasphemans facit illam adulteram.

97 *Dio ceco, losco, berluso, ò guerzo.* Est hæreticalis, nam perfectissimus in sua visione, Psal. 32 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum.* Psal. 112. 6. *Humilia respicit in cælo, & in terra.* Zacharia 9. Dominum vocat oculum hominis, & omnium tribuum Israel; perfectissimus ergo est in sua visione.

98 *E tanto misericordioso, che non ricerca i nostri peccati, ne meno li castiga.* Est hæreticalis, licet enim sit misericors, & misericordiâ eius sit terra plena in Psal. 32. 5. Non ideo tamen est iniustus, & infidelis, sed quod decreuit, exequitur, puniendo peccatores, Ierem. 30. 11. *Castigabo te in iudicio* Paulus ad Hebr. 10. 30. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Lazar. q. 7. num. 48.

99 *Dio è tanto giusto, che non riceue i peccatori.* Blasphemia hæreticalis, quæ aduersatur eius misericordiæ, Deus enim vult omnes homines saluos fieri, qui scilicet volunt saluari, iuxta illud Zachar. 1. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Item Malach. 37. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos.* Vnde bene dixit S. Aug. *Non saluabit te sine te.* Deus ergo recipit peccatores. Ita *Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. num. 49. Lazar. q. 7. num. 48.*

Dio bonazzo Blasphemia est meo iudicio 100 hæreticalis, quia Dei bonitatem vilipendit, & facit defectuosam, & imperfectam contra infinitam, & perfectissimam eius bonitatem, cui nulla creata comparari potest, Lucæ 18. 19. *Nemo bonus, nisi solus bonus*, idest infinite, & independenter, & imparticipatiuè, cum creaturæ dependeant à Deo in suâ bonitate, tam morali, quàm naturali. Adde, quòd dictum verbum *Bonazzo* sic protractum importat idem, quòd si dicas, è vn *coglione, ò vn minchione*. Vide Zanardum V. Blasphemia Vers. Differentia autem. vid. sup. n. 66.

Iddio non è patrone di me. Blasphemia 101 hæreticalis contra articulum de dominio Dei super omnes creaturas, quæ ab eo non solùm in fieri, sed etiam in conseruari essentialiter dependent. Isaia 3. 1. *Dominus dominantium, & Dominus dominorum.* Apocal. 17. 14. & 19. 16. *Deus deorum, & Dominus dominantium.*

Dio vada à dietro i porci. Hæreticalis est, 102 & caudam habet colligatam cum præcedenti, dum enim non vult Dominum sibi dominari, videtur facere illum sibi seruum, cum tamen omnes sint serui Domini Psal. 133. *Ecce nunc benedicite dominum omnes serui Domini.* Dominus ergo, non seruus imperat.

Dio *non ha che far meco, lo lascio là in vn* 103 *cantone.* Est hæreticalis aduersatur enim articulis de creatione, & prouidentiâ Dei, Genes. 1. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Prouidentiam à Deo tollit, qui eum relinquit in angulo, ac si esset otiosus, despectus, & ignarus eorum, quæ fiunt in locis secretioribus, vt colligitur ex Act. 26. 26. *Latere eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est.* Loquens Paulus ad Festum de sua prædicatione factâ non in abscondito, sed palam coram omnibus.

State voi nel vostro cantone, che io starò 104 *nel mio.* Loquebatur Reus cum Deo iratus; hæreticalis est blasphemia, se enim subtrahebat à dominio, & subiectione Dei iuxta dicta sub num. 101.

Non mi rompete il culo. Hæreticalis Blas- 105 phemia, obloquabatur iste cum Deo, sicut in præcedentibus, arguit hæc Blasphemia, Deum fuisse sibi molestum, & odiosum; homo enim hæc verba iratus contra alium solet dicere molestantem, & perturbantem se: Deus autem neminem molestat, nec perturbat

bat Michæas 6. 3. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi.*

106 *Io son patrone, Dio è in cielo.* Est hæreticalis; arguit enim diuisionem imperij, & dominij, ac proinde, quòd Deus non sit illius Dominus contra illud Psal. 23. 1. *Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.* Non solùm est in cœlo, sed vbiq; cum sit immensus in essentiâ, præsentiâ, & potentiâ 3. Regum 8 41. *Manus tua fortis & brachium tuum extensum vbique.* Sapient. 7. 24. *Attingit autem vbique propter suam munditiam*; & sic nihil deturpat.

Dices, Dauid videtur hunc excludere à Blasphemiâ in suo Psal. 113. 16. dum dicit: *Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.*

107 Respondet D. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 17. his verbis: *Quid est ergo, cœlum cœli Domino, nisi gloria æterna iusto datur; terra autem filijs hominum idest infernus peccatoribus deputatur.* Facit ergo iste blasphemus se patronum Inferni ad pœnas sustinendas.

108 *Sete voi da più di Dio, e del Duca?* Interrogatus respondit: *sic.* Si responsio referatur ad vtrunq; est Blasphemia hæreticalis, includitur enim in ea etiam Deus, & sic aduersatur articulo omnipotentiæ Dei, dum respondendo, dicit per illud *sic* se plus posse, quàm possit Deus. Si verò responsio referatur ad vnum tantùm ex duobus, adhuc hæreticè locutus fuit, quia responsio est vniuersalis, & sine restrictione, & sic vtraq; comprehendit, illa enim responsio cum sit affirmatiuà est repetitiua expressorum in interrogatione; responsio enim adæquatur interrogationi, quando est consensiua, sicut, & quando est negatiua; nihilominus potest Reus se declarare, & excludere suspicionem hæresis.

Supradicta exempla blasphemiarum, seu potuis propositionum partim hæreticalium, partim scandalosarum, & offendentium pias fidelium aures dicta sint pro instructione aliarum similium, quæ occurrere possunt Consultoribus.

Quæritur 14. An & qualiter sit Blasphemia hæc: *Al dispetto di Dio, di Christo, di Maria, & de Santi?*

109 ℞. Respectu Dei, & Christi est hæreticalis quia aduersatur omnipotentiæ diuinæ voluntatis, cui nullus contrariari potest, vt clare dicitur Genes. 50. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Ad Rom. 9. 19. *Voluntati enim eius quis resistit?* Iacobi 4. 6. *Deus superbis resistit.*

Confirmatur ex modo loquendi per idem verbum *Al dispetto* contra alium hominem: *Volo facere hoc ad despectum tuum* idest contra tuam voluntatem, siue velis, siue nolis. ergo eundem sensum important, si proferantur contra Deum. Ita *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 19. num. 11. Floron. casu 3. num. 8. Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 15. Lazar. q. 3. num. 36. & q. 7. num. 36. Carena par. 2. tit. 7. num. 8. Salelles Reg. 139. num. 95. Lupus lib. 23. dist. 2. diffic. 3. defendens disp. 3. concl. 9. num. 226. Diana par. 4. tract. 7. resol. 8. Vers. Sed ponam. Mazuchel. disp. 2. cap. 16. num. 27. vers. verius. Candidus disquis. 19. art. 3. num. 4. Decian. lib. 6. cap. 2. num. 5.*

Contrarium, quòd non sit hæreticalis, sed tantùm erronea, & temeraria, docent *Baldus lib. 3. cons. 456 Felinus, Alexander, Angelus,* 110
quos refellit Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 15. Probant *Primò*, quia multa mala fiunt, quæ Deo displicent, & sic quis malum facit ad despectum Dei, hoc est, quamuis malum Deo displiceat ex Soto Suarez lib. 1. cap. 5. ad finem. *Secundò*, quia homo potest resistere voluntati Dei, cui se Deus accommodat, ne liberum eius arbitrium lædat, vt dicitur Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* In Concil. Senon. contra Luterum cap. 15. dicitur: *Nec tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Probant *Tertiò*, nam duplex est in Deo voluntas, vna efficax, altera inefficax, illud verbum *Al dispetto* intelligendum est de voluntate inefficaci, non autem efficaci, quia de duobus malis, ad quæ locutio referri potest, accipiendum est in dubio, quod minus lædit; minus autem lædit locutio temeraria, quam hæretica, ergo illud verbum intelligendum est de voluntate inefficaci, contra quam locutio illa minus lædit obloquentem.

Persistendum est in responsione, quòd illud verbum *Ad despectum* arguat blasphemiam hæreticalem, nam aduersatur voluntati efficaci Dei, vt ex infra dicendis clarius patebit; non enim importat displicentiam, sed formalem contrarietatem repugnantem diuinæ Voluntati, & hoc certum est, quia omnium peccata Deo displicent, esto in peccando non proferant illud verbum *Ad despectum Dei*, ergo quando exprimitur, aliquid aliud importat; aliud autem non est assignabile, nisi formalis resistentia diuinæ voluntati, ergo eam simplicem displicentiam importare non potest.

Ad primum ergo argumentum Suarez patet illud *Ad despectum Dei* non importare simplicem displicentiam, sed resistentiam arguentem Deum impotentem, & non valentem impedire opus, quod Blasphemus intendit facere contra Deum nolentem.

Ad secundum argumentum dico, aliud est resistere diuinæ voluntati malum prohibenti; aliud facere malum cum expressa voluntate faciendi contra voluntatem Dei nolentis, vt fiat malum, illud enim verbum *Ad despectum Dei* hoc importat: Velit, nolit Deus, volo facere; arguit enim, quòd Deus succumbat prauæ voluntati nostræ, quasi impotens 111
sit

sit ad resistendum, & impediendum, quod homo Blasphemus facit. Auctoritas de resistentia Spiritui sancto intelligitur in priori sensu, non autem in secundo, respectu cuius nemo resistere potest iuxta auctoritates adductas in probatione nostræ conclusionis.

Ad tertium dico, illud verbum *Ad despectum Dei* non posse intelligi respectu voluntatis inefficacis, quia Blasphemans intendit operari, ac proinde contra voluntatem Dei efficacem, etiam Deo contradicendo, ac proinde eum esse impotentem non valentem resistere voluntati humanæ.

Non erit extra propositum aliquid dicere de voluntate Dei, quomodo homo possit, vel non possit resistere diuinæ voluntati.

112 Notandum igitur est, quòd voluntas in Deo est vna ratione sui, & in se spectata perfectio simpliciter simplex, libera, quia suarum operationum dominium habet, ratione cuius à nullâ creaturâ dependet; ratione verò obiectorum, & circunstantiarum multiplex est, & secundum hunc sensum diuiditur primò in voluntatem Signi, & Beneplaciti; secundò in Antecedentem, & Consequentem; tertiò in Absolutam, & Conditionatam; quartò in Efficacem, & Inefficacem. De singulis aliquid dicendum occasione tantùm præsentis quæstionis; supponendo, quòd voluntas Dei hic sumitur in actu secundo, pro ipso scilicet actu volendi, qui à S. Augustino vocatur vo-
113 luntas his verbis: *Nihil magis est in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*, idest quam ipsa volitio, ita Bartolomeus Mastrius Meldulensis Ordinis Minorum Conuentualium vir Doctissimus in Primum Sent. disp. 4. q. 5. num. 91.

114 Beneplaciti voluntas dicit actum internum diuinæ voluntatis in Deo existentem, per quem Deus verè vult aliquid. Voluntas vero Signi est actus externus, quo Deus significat, & se declarat, velle aliquid. Signa
115 autem sunt quinque comprehensa hoc versu. *Præcipit ac Prohibet, Permittit, Consulit, Implet*. Deus ergo internam suam voluntatem per has quinque ordinationes, seu Leges, quæ signa vocantur, nobis signauit, & innotuit, præcipiendo bonum, prohibendo malum, permittendo peccatum, quo significat, se velle, vt libertate vtamur, non verò, vt illâ abutamur; consulendo bonum, sed non obligando, vt in præcepto, & prohibitione: demum implendo suam voluntatem; *Omnia enim quæcunq; voluit, fecit*, vt legitur in Psal. 113. 11. voluntate scilicet efficaci.

116 In his omnibus quinq; signis actus sunt boni ideo eius voluntas vocatur Beneplaciti, quæ semper verificatur respectus alicuius actus à Deo intenti, licet à nobis primò aliter concipiatur. Do exemplum in Abraham, cui Deus præcepit, vt sibi imolaret suum Filium; & licet id nollet, vt postea Deus se declarauit; voluit tamen eius obedientiam, & sic per imolationis promptitudinē tamquam per signum notificauit eius obedientiam, quam volebat voluntate beneplaciti. Pariter vult gratiam baptizatis, quos facit sibi filios adoptiuos cum iure ab hæreditatem, quam tamen illis dare non vult, nisi perseuerauerint in gratiâ, aut nisi cum illâ ab hac vitâ decesserint in Domino. Per hæc ergo signa Deus semper vult aliquid, & sic semper in hoc sensu adimplet suam voluntatem Beneplaciti, licet quandoq; non velit, quod primò significatur nobis, ipsum velle, vt in exemplo Abraham. Et in hoc conueniunt omnes Theologi *cum* D. *Thoma par.* 1. *q.* 11. & 12. *Suarez. in par.* 1. D. *Thomæ cap.* 8. Vbi ait, voluntatem signi non esse verè voluntatem, sed solùm signum voluntatis Beneplaciti. Meldu- 117
lensis disp. 4. in primum sent. q. 5. num. 91.

Applicando hanc doctrinam casui nostro de Blasphemiâ *Ad despectum Dei*, manifestè patet, aduersari directè voluntati diuinæ Beneplaciti, quæ semper adimpletur circa bonum. Voluntas autem signi talis non est, sed solùm signum indicans voluntatem Beneplaciti, cui contrariatur ille Blasphemus, contrà quem præsumitur, ipsum sentire non adimpleri semper beneplacitum Dei ex aliquo defectu impotentiæ ipsius Dei.

Absoluta voluntas est illa, quæ semper 118
adimpletur, & ideo efficax vocatur, de qua intelliguntur auctoritates Sacræ Scripturæ initio huius quæstionis, in quâ probauimus hanc Blasphemiam esse hæreticalem; quibus addo sequentes. Esther 13. 9. Non est, qui tuæ possit resistere voluntati. Isaia 46. 10. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Sequenti cap. 47. 3. dicitur: Non resistet mihi homo. Idest, nemò potest resistere meæ voluntati absolutæ, & efficaci. Et contra hanc est illa Blasphemia, ergo hæreticalis.

Conditionata voluntas est illa, per quam 119
Deus vult aliquid dependenter ab aliquâ conditione, & non semper adimpletur, quando scilicet deficit conditio; & eam vocant inefficacem, non ex parte Dei, cui nihil est impossibile, sed ex defectu conditionis, quæ actum suspendit, *l. Cum ad præsens* 37. *ff. de reb. cred.* Hanc voluntatem sic exemplificant. Volo, vt omnes seruent mea mandata, si velint esse salui. Item. Volo, vt omnes salui fiant, si ipsi velint, & per peccatum suam salutem non impediant.

Ex his deducitur, voluntatem Dei conditionatam duo includere, primò expressè, & formaliter affectum simplicis complacentiæ, quod hoc modo explicatur. Placet mihi sa- 120
lus omnium. Secundò implicitè, virtualiter, seu eminenter includit voluntatem Dei efficacem, quæ actu non est, esset tamen, si conditio

ditio poneretur in esse. Et sic ex hoc capite voluntas diuina vocatur conditionata sic explicata. Ita mihi placet salus hominum, vt nisi obstarent peccata, efficaciter illam vellem. Ita *Becanus cap. 11. q. de Volunt. Dei. Meldul. q. 5. num. 94. disp. 4. in primum sent.* Qui tamen discrepat à Becano, nam sub num. 95. ait voluntatem conditionatam ex eo, quòd vocatur voluntas inefficax, non ideo dicendam esse voluntatem simplicis complacentiæ expressam à Becano, & alijs
121 his verbis: Placet mihi salus omnium. Rationem adducit, quia per simplicem complacentiam nihil ordinat, nec quidquam facit, aut concedit, & ideo inefficax dicitur; at ex vi voluntatis conditionatæ, quà vult omnes saluare, ordinat homines ad salutem, ac proinde concedit eis media ad salutem sufficientia, vt fatentur omnes.

Quare diuina voluntas dicitur inefficax respectu hominis, qui non vult concurrere cum Deo operando cum medijs sibi oblatis; eadem voluntas Dei in se spectata dicenda est efficax ex parte Dei, quia hoc modo vult concurrere, si ipsa voluntas humana vult bene operari, suà enim lege ita statuit nos saluare, quantùm ex se est, sed non sine nobis, ideo ex parte nostrà denominatur inefficax.

Casus noster huius Blasphemiæ locum habet contra voluntatem conditionatam, potest enim habere hunc sensum. Volo hoc facere ad despectum Dei, etiam si Deus nolit, immo importat hunc sensum, siquidem illud verbum aduersatur cuilibet voluntati diuinæ.

122 Antecedens voluntas est illa, quà Deus vult aliquid secundum se, non habità ratione circunstantiarum E. g. Deus vult omnes homines saluos fieri, voluntate scilicet antecedenti, præscindendo scilicet ab vsu liberi eorum arbitrij.

123 Consequens verò est illa, qua vult aliquid non secundum se, sed habità ratione circunstantiarum, cuius contrarium vellet, si non essent tales circunstantiæ. E. g. Deus vult aliquem damnare, habità ratione peccatorum, quem si non peccasset, vellet saluare. Declaratur exemplo Mercatoris, qui voluntate antecedente vult suas merces esse saluas; consequente verò voluntate vult eas in mare proijcere, consideratis periculis imminentibus. Item declaratur exemplo Iudicis, qui voluntate antecedente vult omnes subditos sibi esse saluos, voluntate verò consequente vult, aliquos morte puniri, spectatis eorum criminibus, remanente tamen velleitate de eorum conseruatione, si leges id paterentur. *Ita Becanus loco citato. Dal Bene disp. 6. de Volunt. Dei q. 4. Meldulensis disp. 4. q. 5. num. 96.* vbi dicit, quòd voluntas antecedens est illa, quà Deus vult aliquid quantum est ex parte suà, subministrando ad illud media sufficientia, quibus homo possit consequi suum effectum. Consequens verò est illa, quà Deus vult aliquid absolutè, spectatis omnibus requisitis ad effectum etiam ex parte nostra concurrentibus. Vnde Deus vult antecedenter omnes saluare, quia ex parte suà omnibus præparat media necessaria, & sufficientia ad salutem. Non verò vult consequenti voluntate omnes saluos fieri; vel quia non omnes cooperari volunt, vt contingit in adultis; vel quia ordo causarum, cui humana vita subijcitur, impedimentum dabit, vt patet in infantibus sine Baptismo decedentibus.

Idem Meldulensis sub num. 97. subdit, hinc duplicem voluntatem non esse in Deo respectu omnium volitorum, sed solùm respectu illorum, quæ pendent ex liberà voluntate creaturæ rationalis. Sub num. 98. dicit 124
de communi, voluntatem antecedentem esse voluntatem, & signi, & beneplaciti. Et sub num. 99. ait pariter de communi, voluntatem consequentem esse semper voluntatem beneplaciti; vnde voluntas beneplaciti est genus ad antecedentem, & consequentem. Demum sub num. 100. dicit, hanc diuisionem coincidere cum præcedenti, ita quòd voluntas antecedens, sit idem, quod absoluta, & consequens, quod conditionata.

Suarez lib. 3. de Attributis cap. 8. à num. 125
7. dicit, de mente D. Thomæ, voluntatem antecedentem non esse absolutam, & efficacem, sed magis velleitatem, quàm voluntatem, & vocari antecedentem, quia est de fine, seu obiecto bono secundum se spectato, præscindendo ab adiunctis, seu à particularibus circunstantijs. Consequentem verò sic appellari, quia est de re in particulari, consideratis omnibus circunstantijs eius. Et hæc diuisio est de voluntate beneplaciti. Sed reuera magis mihi placet dictum Meldul. quia Deus per voluntatem absolutam, & efficacem ordinat media ad salutem necessaria, non per velleitatem, quæ non habet aliquem effectum.

Aluarez lib. 4. cap. 4. num. 3. vocat antecedentem, non quia antecedat bonum, vel malum vsum liberi arbitrij, sed quia antecedit voluntatem, qua Deus fertur in obiectum consideratum cum aliquo adiuncto, quæ est consequens, & posterior consideratio eius. Non differt à prædictis.

Quouis ex prædictis modis considerata vtraque voluntate antecedenti, & consequenti, semper est verum dicere, quòd illud verbum ***Ad despectum*** Dei aduersetur diuinæ voluntati, cui protestatur resistere prout in se spectatæ, præscindendo etiam à qualibet voluntate ex prædictis cum Blasphemia dirigatur ad despectum Dei spectati in sua voluntate, quæ vna omnino est, diuisibilis

tamen

tamen in plures extrinſecè reſpectu obiectorum, & circunſtantiarum.

126 Efficax voluntas eſt illa, quæ bene agentes remunerat, & malè agentes punit. Vel eſt illa, quæ habet effectum ſuum in quacunque Vtroque modo ſemper adimpletur, ita quòd à nullo impediri poteſt, iuxtà illud Pſal. *Omnia quæcunq; voluit, fecit.* Coincidit cum voluntate abſolutà, & conſequenti. Quandocunq; ergo operor aliquid boni, dicor operari

127 cum voluntate efficaci Dei. Eſt enim voluntas efficax, quando ipſa coniungitur cum ſuo effectu, ex hoc enim cognoſcitur efficax, quia operatur.

128 Inefficax verò eſt illa, quæ vult omnes bene agere, & neminem peccare; inefficax, quia non omnes bene agunt, non omnes abſtinent ſe à peccatis. Inefficax, quia caret effectu. Coincidit cum conditionatà, & antecedenti, quæ dicunt non vltimam determinationem diuinæ voluntatis. *Meldul. nu.* 102. *Suarez num.* 10. De efficaci intelligitur illud ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* ſcilicet efficacis. Hæc ſatis. Redeamus ad rem noſtram, pro quà.

129 Notandum eſt, quòd ea Blaſphemia tribus modis proferri poteſt. Primò circa rem indifferentem e.g. *Volo ad deſpectum Dei, ambulare, cantare &c.* Secundò circa peccatum. *Volo occidere, furari, &c.* Tertiò circa bonum. *Volo audire miſſam, confiteri &c.* Quouis ex his modis Blaſphemia ſemper eſt hæreticalis, quia arguit impotentiam in Deo. Tertius modus eſt alijs peior, quia præter impotentiam arguit etiam, Deo diſplicere bona opera, ac proinde Deum non eſſe ſimpliciter bonum.

130 Verba hæc: *Velit nolit, volo occidere.* idem ſignificat quod *Ad deſpectum Dei.* Ita *Sanch. lib. 2. cap. 32. num.* 18. *cum Toleto lib.* 4. *cap. 13. num.* 6. Mazuchel. *diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 28. *Candidus Diſquiſ.* 19. *art.* 3. *num.* 5.

131 *Quamuis hoc ſit peccatum, ſeu offenſa Dei volo facere.* Non eſt Blaſphemia, quia nihil tribuit Deo, nec aufert, ſed ea verba indicant prauam voluntatem peccandi; Sanch. cit. Nihil enim falſi continet.

132 *Volo peccare, licet diſpliceat Deo.* Non eſt Blaſphemia, quia nihil falſi continet, Deo enim peccata diſplicent.

Hinc patet quid dicendum ſit de ſequentibus propoſitionibus.

133 *Voi volete, che queſto touagliolo ſtia per terra, & io voglio, che ſtia ſu queſto ginocchio.* Loquebatur cum Deo. Eſt hæreticalis quia contendebat contra voluntatem diuinam, quam ſibi volebat ſubijcere, contra auctoritates Sacræ Scripturæ initio huius quæſtionis allatas.

134 *Voglio far à mio modo, perche io ſon patrone, & non al voſtro.* Loquebatur cum Deo Et hæreticalis, quia eſt contra dominium Dei, à quo ſe ſubtrahit; & contra illud Ioan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*, negat ergo dependentiam à Deo in ſuis operationibus, quod dicere eſt hæreticum contra Iſaiam 26. 12. *Omnia enim opera noſtra operatus eſt in nobis.*

Voi volete che queſto ferro ſtia in terra, & io voglio, che ſtia in piedi. Caſu ceciderat, & 135
homo peruerſus, ſicut in præcitatis contendebat contra Deum. Eſt hæreticalis; ſe enim opponit expreſſæ voluntati Dei, vt colligitur ex modo loquendi, intendit enim Dei voluntatem ſuperare, & vincere, iuxta illud Iob 36. 26. Vincens ſcientiam noſtram. Eccl. 48. 13. Potentià nemo vincit illum. Quæ licet dicantur de Elia, à fortiori intelliguntur de Deo, qui in eo, & cum eo operabatur.

Al diſpetto di Dio voglio s' impicci queſto 136
foco. Dixit ille, de quo ſæpius ſupra. Eſt hæreticalis, quia Deum arguit impotentem, qui tamen impediuit, ne ignis combureret tres pueros in fornace ignis ardentis.

Al diſpetto di Dio cattiuo. Duos poteſt ha- 137
bere ſenſus, vnum hæreticum, ſi referatur ad verum Deum, & ſic contra duos Fidei articulos, vnum de eius omnipotentià, alterum de eiuſdem bonitate. Et ſecundum hunc ſenſum Reus iudicatus fuit blaſphemaſſe, eo quòd plures alias, de quibus ſupra, euomuiſſet contra Deum. ergo, & hanc. In ſecundo ſenſu accipitur pro falſo Deo, & ſic nihil contra Fidem.

Al diſpetto di Dio Bacco. Non eſt Blaſ- 138
phemia, cum referatur ad falſum Deum, qui blaſphemabilis eſt, *Lazar. q* 3. *num.* 33.

Al diſpetto di Zio, di dieci, di di. Iſti mo- 139
di obloquendi valde ſuſpecti ſunt de Blaſphemià hæreticali contra Deum, reſpectu eorum, qui in his verbis ex conſuetudine prorumpunt, præſumuntur enim ſic loqui ad occultandum malitiam ſuam, ne puniantur; & id confirmatur, quia affectus cum principio facti æquiparatur facto, & de eo idem iudicium fit, quod de facto ipſo, *l. Si quis ſeruo ff. de furtis. iuncta ibi Gloſſa. apud Floronum caſu* 3. *§.* 2. *num.* 3. *&* 4. Lazar *q.* 3. *num.* 34. *&* 35. *Mazuch. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 31. *&* 32. Iſti autem ſupponuntur Iudicio Inquiſitorum, quia ſuſpecti ſunt de Fide. in his modis loquendi.

Al diſpetto di Chriſto di legno. Eſt hæretica- 140
lis contra articulum Fidei de omnipotentià Dei inſuperabilis à creaturà, omnes enim Blaſphemiæ quales ſunt contra Deum, tales quoque cenſentur contra Chriſtum, propter
communicationem idiomatum, honorandus 141
eſt enim, & adorandus Chriſtus ligneus, ſicut carneus, adoratione ſcilicet, quà adoratur ipſe Chriſtus, Latrià, quia imago adoratur ſicut prototypus, & imaginatum in ſen-

tentià omnium cum Meldul. in 3. sent. Scoti disput. 2. num. 241. vbi, quod Imago adoratur simul cum exemplari quod repræsentat; quod in Tridentino definitum fuit sub initium sess. 25. his verbis: *Sed quoniam bonos, qui ei exhibetur, refertur ad prototypa, quę illa repręsentant, itaut per imagines, quas osculamur, & coram quibus procumbimus Christum adoremus, & sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.*

Vnica ergo est adoratio Imaginis, & Imaginati scilicet Latriæ in Christo cum hac differentiâ, quòd adoratio imaginati est absoluta propter eius excellentiam, imaginis verò est relatiua ad excellentiam ipsius imaginati; non enim imago materialiter accepta veneratur, quia quandoque potest esse rudis, & ridicula, quia non benè repræsentat imaginatum, sed tantùm formaliter, & relatiuè veneratur, quatenus repræsentat prototypum, siue bene, siue male sit figuratum.

Hactenus actum est de Blasphemiâ *Ad despectum* respectu Dei, & Christi, restat vt videamus quid respondendum sit, si proferantur contra Mariam virginem, & Sanctos?

142 Dico, ex huiusmodi verbis non inferri Blasphemiam, quæ aduersetur alicui articulo Fidei, cum nullus sanctus, nec Virgo sit omnipotens, vt notum est, cum sit attributum Dei. Ita Decian. lib. 6. cap. 2. num. 5.

Quæritur 15. de Blasphemijs similitudinatijs?

143 Voco Blasphemias similitudinarias, quæ assimilantur veris Blasphemijs ex modo loquendi; quod tribus modis contingere potest. Primò alterando uerba hoc modo. *Putana di Zio, di dieta, di dieci, di bio, di Criso, di Crispoli, di chrispo &c.* Secundò, diminuendo de uerbo. *Putana di cris, di di; di Ma, di mar, della vergine giouana.* Tertiò modo addendo. *Al dispetto di D io Baccho, di Christophoro; di Dio di legno &c.* Vides, hos genitiuos magnam habere similitudinem cum dictionibus, Dei, Christi, & Mariæ. Meritò igitur dubitari potest ex datâ affinitate, an sint Blasphemiæ, & quidem hæreticales, quod sequitur ex antecedenti uerbo inferente hæreticalem, quandocunq; determinatur talia verba significare Deum, Christum, & Mariam.

144 ℞. Stando in rigore, & materiali sensu verborum quòd reuera non sunt Blasphemiæ, quia illæ dictiones nobis non repræsentant literaliter Deum, Christum, nec Mariam. Nihilominus, quia litera occidit, & spiritus viuificat, secundum Apostolum 2. Corinth. 3. 6. similia verba alterata arguunt prauam intentionem in proferente illa, præsumitur enim sic obloquendo occultare Blasphemiã, vt effugiat pœnas.

Confirmatur, quia illa verba nullum certum habent sensum, sed mutilatum, & incognitum, ergo artificiosè inuenta sunt ad decipiendum auditores, ne veniant in notitiam, eos blasphemare, quod indicat abusum verborum; nam secundum D. Augustinum relatum in cap. Is autem 4. 22. q. 2. verba inuenta sunt, vt per ea homines se inuicem non fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat; supradicta autem nullum habent certum sensum, ergo deceptiua sunt, & occultatiua Blasphemiæ hæreticalis. 145

Adde, quòd cum incipiant per eandem syllabam primam, sicut Deus, Christus, Maria, aliud significare non possunt, nisi præfatos ex eorum simboleitate, & affinitate, & sic palliatur Blasphemia hæreticalis in foro externo.

Quæro insuper ab istis cur introducti sunt illi modi similitudinarij, & non alij, exempli gratia *Al dispetto di be, ce, mi, di pa, di rò.* Alia ratio non est assignabilis, nisi quòd per hæc posteriora nulla aptari potest similitudo Blasphemiæ, sicut in primis. Non ergo casu, sed consultò inuenti sunt illi modi ad palliandam Blasphemiam. Ita *Lazar. q. 3. à num. 33. Carena par. 2. tit. 7. num. 43. Vers. sexto, & septimo.*

Excusatio locum habere potest in his. *Al dispetto di Criso di Chrispoli, di Christophoro, della vergine Giouanna,* quia in his specificatur nomen proprium. *Carena cit. Vers. Septimo,* qui præcedenter ait, hanc *Putana della Vergine,* referri ad blasphemiam hæreticalem, eo enim nomine per excellentiam venit solùm Maria, quia est Virgo virginum. 146

Quæritur 16. De Blasphemijs Protestatiuis?

℞. Protestatiua Blasphemia est illa, qua quis simul blasphemat, & protestatur, se nolle blasphemare eodem uerborum contextu. E.g. *Putana, che non voglio dir di Christo, di Dio, della Vergine.* Dubitatur ergo hic, an protestatio excuset à blasphemia? 147

Responsio est negatiua. Probatur primò, quia protestatio non prodest, nec releuat protestantem à facto contrario, quando non potest stare simul cum facto, quod per ipsam destruitur; solum uerò prodest, quando illa cum eo stare potest, quod accidit, quando solum auertit animum, & consensum ab ipso facto, ut tradit *Rota par. 5. dec. 218. num. 4. & 5. Pasqualig. quæst. 343 num. 3. & 4. ex eadem Rota.* 148

Pono exemplum in Nouitio protestante, se nolle profiteri, & postea seriò profitetur, clarum est, factum perimere protestationem. In hoc exemplo protestatio præcedit factum, quod ipsam destruit, quia duo contraria simul esse non possunt; si uerò Nouitius sumat habitum professorum protestando se per illius sumptionem nolle profieri, factum non destruit protestationem, sed remanet præseruando

do

do Nouitium à professione, quæ suum effectum non sortitur, stant ergo simul, quia contraria non sunt, & sic protestatio prodest Nouitio, quem releuat à professione, quæ suum effectum sortita non fuit, ut docet Sperellus decis. 79. num. 14.

Addo exemplum prefatæ Rotæ in Emphiteusi, si enim proprietarius recipiat Canonem ab Emphiteuta cum protestatione quòd caducitatem non intendit illi remittere, nihil protestatio prodest proprietario, quia ea non obstante adhuc censetur caducitas remissa, eo quòd exactio canonis, & caducitas simul stare non possunt.

Ex his maiore firmatà sequitur minor propositio nostri argumenti, quæ est: Sed protestatio in his verbis: *Putana che non voglio dir di Dio*, non potest stare simul cum prolatione illorum verborum, quæ ex se ipsis indicant Blasphemiam, sed destruitur per ipsamet verba; cum protestatio seipsà non possit auferre proprium sensum verborum Blasphemiæ, ergo cum perimatur ab ipsis verbis non potest excusare obloquentem à Blasphemià.

Probatur 2. quia protestatio debet præcedere factum, vt valeat, & suum consequatur effectum, *ex Sperello dec. 24. num. 48.* nam est animi declaratio circa faciendum, adeo quòd post factum expressa nullius est momenti, *Legibus, & Doctoribus citatis à Ciarlinio cap. 202. num. 39.* Sed in casu nostro protestatio non blasphemandi sequitur Blasphemiam, ergo illa nihil prodest.

Et confirmatur ex doctrinà Christi apud Matthæum 15. 18. vbi dicitur, quòd Blasphemiæ primò exeunt à corde, deinde ab ore procedunt, ergo Blasphemià prior est protestatione, ergo hæc nullatenus prodest, maximè cum actus exterior sumat suam formalem malitiam à corde, & voluntate, à quibus primò procedit, vt docent Theologi *cum*
149 *S. Thomà 1. 2. q. 20. art. 2. Scoto Quolib. 18.* Quare cum actus internus iam dederit suam malitiam actui exteriori locutionis ante protestationem, hæc non potest suffragari Blasphemo.

150 Probatur 3. quia protestatio in præiudicium tertij non ualet, nisi ipse consentiat, *Bald. in cap. fin. de confess. col. 9. Abbas in cap. Ex parte de feudis num. 5. cum alijs Ciarlin. cap. 106. num. 36.* Certum autem est, Deum non consentire, nec acceptare similes oblocutiones, quæ grauia sunt peccata.

Probatur 4. quia implicat in terminis, quòd quis proferat uerba Blasphemiæ, & non blasphemet, protestatio autem talem infert implicantiam, ergo protestatio pro nihilo habenda est, ac si non fuisset expressa, si enim per hanc protestationem obloquens non intendit blasphemare, sed à Blasphemia se excusare, cuiusnam persona erit concepta uerbo *Putana? Al dispetto, che non voglio dir di Dio*. Quis contemnitur hic? cui resistitur? Nisi Deo.

Probatur 5. Similis est Blasphemia protestatiua huic iniuriæ: *Nolo te offendere*, & statim impingo alapam. Vel te percutio protestando, me nolle te offendere; sed hæc protestatio est nugatoria, & deceptoria, immo magis auget iniuriam, cum sit delusoria, ergo & protestatio in Blasphemià, verba enim ex suà naturà iniuriosa, sicut & facta semper 151
præsumuntur prolata animo iniuriandi, *ex Bartolo in l. Si quis de aquir. hered. Abbas in cap cum T. de re iudic. Iason in l. Vt vim ff. de iust. num. 37. apud Floron. de casu præsenti casu 3. §. 1. num. 6. vers. Preterea*, ex hac protestatione: *Saluo honore tuo mentiris* infertur iniuria, quia protestatio est nugatoria, 152
& deceptoria, sicut eius, qui percutit cum protestatione non lædendi percussum; Et ita sentiunt Floron. cit. Lupus casu 11. & ante illos Plotus.

Contrarium, quòd ea protestatio releuat Blasphemantem, docent *Graff. in Praxi lib. 1. cap. 10. num. 72. Lazar. q. 3. num. 28. Carena part. 2. tit. 7. num. 43. Vers. quinto, Mazuchel. disp. 2. cap. 6. num. 36.* Probant, quia negatio in medio propositionis posita propositionem efficit negatiuam.

Confirmant, quia protestatio licet videatur contraria facto, tamen est declaratiua animi, quæ operatur, vt actus dubij consequentes intelligantur secùndum illam, iuxta *Canon. in cap. Cura M. de consit.* vnde *Menoch. de arbitr. casu 86. num. 9.* ait, declarationi expressæ potius stari, quam facto contrario.

Respondetur, non vnam esse propositionem, sed duas, vnam affirmatiuam, quæ consistit in Blasphemià, & alteram negatiuam, quæ exprimit protestationem, & ideo non est simpliciter negatiua, nisi ex parte protestationis, quæ non potest releuare eum, qui iam blasphemauit.

Ad confirmationem, illa animi declaratio non tollit Blasphemiam prolatam; debebat enim se abstinere ab eius prolatione. Deinde actus locutionis dubius non est, sed satis clarus est, vnde non est opus declaratione.

Quæritur 17. De Blasphemijs conditionalibus?

℞. Blasphemiæ conditionales sunt illę, 153
quæ proferuntur cum conditione *Si* hoc modo. *Deus iustus non est, si hunc peruersum non castigat. Renego Deum, si hoc verum non est. Deus non est Deus, si non facis hoc miraculum*. Includunt actum Blasphemiæ; aliæ verò illum non includunt, sed solùm important voluntatem conditionatam Blasphemandi, vt apparet in his modis. *Possim renegare Christum, si hoc non est verum; si te percussero, &c. Renegarem Deum, si hoc esset verum. Volo potius Christum negare, quam*

hoc credere.

154 Notandum autem est, quòd conditio triplex est, prima de futuro, cuius natura est suspendere actum vsq; ad purificationem eius, quod expectatur, quod non prestant aliæ duæ species conditionis de præsenti, & præterito, quæ scilicet non suspendunt actum, cum iam sit præsens, vel præteritus. *l. Cum ad præsens 37. ff. de reb. cred.*

Conueniunt ferè omnes, quòd Blasphemiæ conditionales siue de futuro, siue de præsenti, siue de præterito, retinent eandem malitiam, quam habuissent, si purè fuissent prolatæ. Ratio est, quia in actu conditionali est voluntas de presenti, *Royas de haret. par. 2. num.* 174.

Confirmatur, tum quia earum prolatio est assertiua, & de præsenti quò ad effectum, quem habet obloquens conditionatè, qui conditione purificatà suum exequitur effectum. Tum quia adest in his promissio implicita exequendi Blasphemiam. Tum quia firmitas Fidei ponitur in discrimen, dum obloquens sic Dei existentiam facit incertam. Tum quia conditio facit Deum in suis perfectionibus fine necne, dependere ab euentu conditionis. Et hæc sine dubio arguunt Blasphemiam hæreticalem; sicut est, ac si prolata esset sine conditione, ex illo prauo affectu, qui reperitur non solùm in Blasphemijs indicatiuis, sed etiam futuris in exemplis allatis; omnes enim præsentem prauum affectum ostendunt.

Et hoc suadetur, quò ad futuras. Possim renegare &c. Renegarem &c. licet enim aliud sit blasphemare, aliud velle blasphema-
155 re, nihilominus quò ad suspicionem Hæresis pro foro externo, puto, idem esse iudicium faciendum de vtrisq; Tum quia actu fieri, & esse in via, paria sunt, *Bartol. & Bald. in l. Quamuis C. de inoffic. testam.* Tum quia potentia, &
156 actus sunt sub eodem genere, ex 8. Metaph. explicat *Scotus in 3. sent. dist. 22. q. vn.* ergo, & vterq; modus blasphemandi inducit idem suspicionis. Tum quia potentia in habitu idem operatur, quòd potentia in actu, *Hippolit. cons.* 18. *num.* 10. *& in l. Si quis percusso-*
157 *rem C. ad legem Cornel. num.* 2. Ergo vtroq; modo obloquens est vehementer suspectus de Hæresi, non tamen ex solo affectu punitur grauiter, sicut purus Blasphemus hæreticalis.

Salazar. de Vsu, & consuet. cap. 5. num. 28. apud Carenam num. 47. ait ea verba sub conditione prolata non esse blasphema ex illo axiomate, quod conditio nihil ponit in esse, deducto *ex l. Si quis* 8. *ff. si quis omissa causa testam. l. Cedere* 213. *ff. de verb. signif.* Ergo ea conditio suspendit, ne illa verba inferant Blasphemiam.

Respondit Carena, quòd conditio nihil ponit in esse, quia in actu conditionali adest voluntas de præsenti, & ex Blasphemià illa conditionali significatur Fidem nostram non esse firmam, cum possit ab euentu pendere, vt dixit Sanctar. de Blasph. cap. 2. dub. 1. num. 13.

Addo ego primò, quòd aliud est suspendere consensum in contractibus, & obligationibus pendentem ab euentu, pendet enim ab arbitrio hominum, in quo sensu procedit axioma. Aliud est suspendere, seu tollere sensum, & significationem verborum; id enim conditio præstare non potest, sed verba relinquit in suo proprio sensu verborum. Secundò, si conditio nihil ponit in esse, ergo verba illa de se Blasphemiam hæreticalem dicentia, semper dicunt, siue proferantur absolutè, siue conditionatè, si conditio nihil operatur. 158

Blasphemia ergo licet conditionatè prolata, retinet suam qualitatem Hæresis. Ita docent C*orduba q. 61. Royas par. 2. de haresi n.* 173. *&* 174. *Lessius lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 27. *Salelles Reg.* 139. *num.* 90. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 24. *Castropal. par.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *p.* 2. §. 3. *num.* 3. *Vers. Cæterum, Dal Bene dub.* 217. *sect.* 4. *num.* 36.

Carena tamen par. 2. tit. 7. à num. 48. Contrarium tenet, quò ad conditionem de præterito certo, & vero, hoc exemplo. *Reniego Deum si dies externa non præterijt.* Scilicet, hanc non esse hæreticalem.

Probat primò, quia eam proportionem proferens ita firmiter credit in Deum, vt ex vi suæ propositionis impossibile sit, eum non credere in Deum, quia impossibile est, diem externam non præterijsse, ergo iste non est blasphemus hæreticalis.

℞. Hoc argumentum probat, Fidem existentiæ diuinæ stare posse cum blasphemià in eo, qui ita obloquitur, nihilominus, quia condicio facit Fidem articuli diuinæ existentiæ dependere à die externà, quæ est quid contingens, sequitur esse Blasphemiam hæreticalem, dum existentiam Dei coniungit cum contingentibus, quasi Deo contingat existere.

Probat secundò, quia in casu huius Blasphemiæ non militant rationes supradictorum Doctorum, nimirum verba sub conditione prolata importare Blasphemiam, ex eo, quod Fidei diuinæ denegatur omnimoda firmitas cum significetur quasi dependens ex conditione contingenti. Quæ ratio non valet, quia in hoc casu conditio non est contingens, sed necessaria.

Sed contra respondeo. Quia Blasphemia hæc est hæreticalis ex eo, quod præsefert per eam conditionem, Dei existentiam dependere à Creaturis, siue contingentibus, siue necessarijs, quod hæreticum est, quia Deus nec à necessarijs dependet, iuxta illud Exodi 3. 14. *Ego sum, qui sum,* hoc est, à me habeo meam existentiam, & à nullo dependeo; hæc autem conditio facit dependere, ergo inducit suspicionem hæresis in sic blasphemante.

Probat

Probat tertiò, confutando rationem Royas dicentis, quòd in actu conditionali adest voluntas de præsenti, quam ait non obstare Carena, quia voluntas, quæ de præsenti adest in proferente dictam propositionem, est Catolica, & impossibile est, dictam propositionem non extitisse.

Resp. per hoc non tolli à conditione, sed poni dependentiam diuinæ existentiæ, ideo catolica dici non potest talis voluntas, dum ex eà vti conditionata infertur dependentia existentiæ diuinæ.

159 Probat 4. quia conditio de præterito non est propriè conditio, vnde ex stipulatione de præterito non oritur obligatio conditionalis, sed pura. Vnde licet Episcopus non possit dispensare in votis conditionatis de præterito, quia pro puris habentur, dispensat tamen in conditionalibus de futuro, Sanchez. lib. 4. cap. 40. num. 88. Quare sicut in prædictis, & in votis sub conditione de præterito voluntatis assensus est purus, ita & hæc verba proferens habet mentem, & assensum catolicum.

Respondeo, argumentum hoc nihil concludere contra nos, immo potius retorqueri contra auctorem, & probare pro nobis; sicut enim illi contractus habentur pro puris, & absolutis ac si conditio de præterito adiecta non fuisset, quia actum non suspendit, *l. Cum ad præsens ff. si cert. pet. cap. 2. de Baptismo*; ita hæc blasphemia habetur pro purà, & absolutà, & non conditionata, ergo spectanda est, ac si prolata esset sine conditione, ac proinde remanet hæreticalis; si enim ea conditionalis alios actus non mutat, nec alterat, cur debet alterare Blasphemiam faciendo eam de hæreticali non hæreticalem? itaque sic proferens non potest habere mentem, & assensum catolicum, sed omninò hæreticalem. Exemplum de dispensatione in votis conditionalibus non facit ad rem, cum sermo sit de re honestà, in casu autem nostro de re turpi, præterquam quòd dispensatio non habet locum in Blasphemijs, sed absolutio, & punitio.

Probat 5. quia conditio de futuro impossibili in Matrimonio reijcitur, & Matrimonium valet, cap. fin. de condit. Conditio verò de præterito falsa non reijcitur, sed Matrimonium ipsum vitiatur, quia remouet consensum ab actu. Igitur etiam in casu nostro omnis assensus hæreticus remouetur ab ea propositione.

℞. Esse disparem rationem, quia in voluntate est contrahentis præstare consensum sub hac, vel illà conditione; in oblocutionibus verò non est in potestate voluntatis remouere significationem, quam verba habent ex se, aliter quilibet posset se excusare per positionem conditionis, quod absurdum est.

Quæritur 18. de Blasphemijs comparatiuis?

℞. Blasphemia comparatiua est illa, per 160 quam homo iurando veritatem suam humanam comparat cum veritate Dei, per hoc suam veritatem fulciendo, & corroborando, quo iurandi modo conatur persuadere alteri, vt credat, sicut creditur Deo semper dicenti vera. Pono exempla. *Hoc ita est verum, sicut, Deus est verus, est veritas, sicut Maria est Virgo, est Mater Dei. Hoc est verum sicut Euangelium. Ita hoc verum, sicut verum est, Chistum esse natum de Maria Virgine.*

Isti modi comparatiuè iurandi sunt Blasphemiæ hæreticales, quando iurans crederet, & intenderet veritatem humanam esse æqualem veritati diuinę, quod credere hæreticum est, quia hoc est tribuere creaturæ, quod soli Deo conuenit, cuius veritati sub esse non potest falsum, sicut humanæ. Aliter nullo modo est Blasphemia, si per comparationem intendat per diuinam veritatem suam vti debilem confirmare, sicut in iuramentis simplicibus. Et ita omnes docent, *cum Sanchez. lib. 2. cap. 32. num. 31. Castro-Pal. p. 2. §. 3. num. 4. Salelles Reg. 139. num. 100. & 101. Carena part. 2. tit. 7. num. 54. Dal Bene Dub. 218. sect. 4. num* 48. Fere nunquam est Blasphemia, quia nemo intendit suam veritatem coæquare diuinæ, sed per hanc vti certam, & firmam propriam confirmare.

Sequentia dubia propono. *Primò*, an si iuramentum sit falsum comparatio inducat suspicionem Hæresis? Secundò, quid in re dubia, an iurans comparatiuè sit Blasphemus hæreticalis?

℞. Ad vtrumque simul, nullatenus esse hìc Blasphemiam hęreticalem, sed tantùm periurium, & falsum iuramentum, quod nullatenus inducit suspicionem Hæresis, nam hoc delictum non pertinet ad sanctum Officium. Comparatio autem siue iuramentum sit verum, siue falsum, alium non facit conceptum, nisi quòd sic iurans intendit inducere proximum ad credendum esse verum, quòd iurat, licet sit falsum, in quo casu intendit decipere proximum.

Idem dic, si comparatio fiat cum aliquo Sancto e. g. Id est tam verum, quam est verum Petrum Principem Apostolorum esse in numero sanctorum, nam si iuramentum est verum arguit veritatem sanctitatis illius, si est falsum, solùm intendit vt sibi credatur confirmatione sanctitatis eiusdem, & non præiudicare sanctitati D. Petri.

Quæritur 19. De Blasphemijs negatiuis?

℞. Blasphemia negatiua est illa, quæ ex- 161 primitur per huiusmodi verba *Abnego, nego, renego, non credo, discredo*. Abnego magnam vim habet, nam significat maximè nego,

nego, secundum Calepinum, quod profiteri debeo.

Prædictis verbis Blasphemans contra Deum, Christum, Virginem, Res Sacras, & Sanctos comittit Balsphemias hæreticales inducentes suspicionem vehementem hæresis. Ratio communis est, quia directè opponuntur existentiæ negatorum, quæ in singulis est de Fide, vt videbimus.

Prima pars de renegantibus Deum, & Christum, probatur, quia talia verba destruunt Deitatem, & ponunt Atheismum. Est communis *Pegna par. 2. com. 66. Vers. Quoniam, Royas par. 2. num. 170. Sanchez. lib. 2. cap. 32. num. 11. Bonac. p. 1. num. 2. Carena p. 2. tit. 7. num. 8. Barbosa Alleg. 51. num. 88. Rodriq. in summa cap. 34. num. 1. Castropal. par. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 3. num. 2. Suar. cap. 5. num. 7. Albergh. cap. 16. num. 3. & 4. Sayrus lib. 5. cap. 13. num. 20. Mazuchel. disp. 2. cap. 16. num. 17.*

Secunda pars de renegantibus Mariam virginem tàm in suà existentià, quàm in suis perfectionibus ab Ecclesià definitis conceditur ab omnibus, quia aduersantur Euangelio. Et licet præcitati Doctores exemplificent in Blasphemijs contra eius puritatem, idem tamen dicendum est de alijs, quæ à nullis catolicis controuertuntur. Principalis autem Blasphemia est contra eius existentiam, nam hac sublatà, omnes aliæ eius perfectiones ruunt in nihilum, cum Maria existens sit omnium subiectum.

Tertia pars de rebus sacris communis est apud præcitatos, vnde Blasphemia hæreticalis est abnegare Sacramenta, Baptismum, Missam, Sacrificium, Calicem, Fidem, Crucem, &c.

Quarta pars de abnegantibus Sanctos Petrum, Paulum, Franciscum, Magdalenam, Luciam, & alios, de quorum Sanctitate constat ex definitione Ecclesiæ, inducit Blasphemias hæreticales, siue blasphemia neget existentiam eorum, siue solùm sanctitatem. Nam abnegans existentiam, simul etiam negat Canonizationem, seu beatificationem, nam canonizatio, & beatificatio supponunt personam existentem, quæ est subiectum harum actionum canonicarum, nulla enim qualitas datur sine subiecto, *Instit. de Vsufr. §. 1.* Negatà ergo existentià personæ, tolluntur omnes eius qualitates, ac proinde actus canonizationis, seu beatificationis, & infertur Ecclesiam vel errasse, vel decepisse fideles, quod dicere hæreticum est; Papa enim in beatificatione, & canonizatione Sanctorum errare non potest; de Fide docent *Pitigianus*
162 *in 3. sent. dist. 25. q. 2. art. 5. Silo. V. Canonizatio, Anfossius de sacris Reliq. §. 24. num. 5. Ioannes de Neapoli Quolib. 10. apud Azor. par. 2. lib. 5. cap. 6. q. 5.* Quare sic blasphemantes hæreticaliter sunt vehementer suspecti de Fide. Quòd sint huiusmodi Blasphemiæ hæreticales, docent *Castropal. de blasph. §. 3. num. 5. Lupus de Edicto lib. 23. dist. 2. diffic. 7. Vers. Dico 2.* Asserens, hos esse denuntiandos sancto Officio, quia sunt suspecti de Hæresi, ita etiam *Moronus Resp. 95. num. 30 fine*, Si Canonizatio ponatur de Fide.

Quamplures negant, eas Blasphemias esse hæreticales, & hi sunt *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 36. Carena par. 2. tit. 7. num. 12. Candidus Disquis. 19. art. 2. num. 3. Salelles Reg. 139. num. 84. Defendens disp. 3. num. 232. Mazuchel. disp. 2. cap. 16. num. 8. Bonac. p. 1. num. 3.* Probant primò, quia non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad Fidem, sed Sancti tantùm contumeliantur. Secundò, quia hæ Blasphemiæ non cognoscuntur ab Inquisitoribus, neq; in eorum Edictis exprimuntur, ergo non sunt hæreticales.

Ad primum patet, eas Blasphemias aduersari catolicæ Fidei, quia per eas infertur, Papam in canonizatione errare, quod asserere est hæreticum in sententià præcitatorum sub num. 162. quibus addo *Valent. 2. 2. disp. 1. p. 7. §. 6. §. 40. Vers. Itaque Castropal. tract. 4. disp. 1. p. 5. §. 4. ex illis Vericell. tract. 8. q. 24. num. 3. Bellar. lib. 1. de sanct. beat. cap. 9. Felix Contelorius de Canonizat. cap. 10. num. 6. & 10.* infinitos referens Doctores, quòd Papa non potest in hoc errare, qui ergo abnegat existentiam alicuius sancti, vel eius sanctitatem, infert Papam errare posse in hoc, ac proinde sic blasphemans aduersatur huic articulo Fidei, quòd Papa non potest errare in beatificatione Sanctorum, seu canonizatione, in hac re non attenditur differentia beatificationis, & canonizationis.

Ad secundum dico, huiusmodi blasphemias cognosci ab Inquisitoribus, & seuerè puniri blasphemantes; vnde in suis edictis sic exprimunt delictum blasphemiæ. *Chi contro Dio, o de suoi Santi, e particolarmente contro della Beatissima Vergine Maria proferiscono Bestemie heréticali.* Peto ab Aduersarijs, si Blasphemiæ supra expressæ contra sanctos non sunt hæreticales, assignent ipsi alias, quæ reuera tales sint, & cum eis stabimus, sed quidem non assignabunt. Qui abnegat Sanctum Petrum, Magdalenam, Latronem siue quò ad existentiam, siue quò ad sanctitatem confundit Diuinam Scripturam, & mendacem facit Christum eius auctorem, Ecclesiam dicit acephalam, dum eradicat de terrà viuentium sanctitatem Petri Ecclesię Pastoris. Idem dic de alijs Sanctis proportionaliter. 163

An abnegans sanctorum Augustini, vel Hieronimi &c. doctrinam incurrat Blasphemiam hæreticalem?

Respondetur negatiuè, quia Ecclesia super eorum doctrinà nihil definiuit de Fide credendum. Valde autem temerarij sunt sic 164

Blas-

Blaſphemantes, & ſanctos contumeliantes.

Quæritur 20. De Blaſphemijs imprecatiuis.

165 ℞. Blaſphemiæ imprecatiuæ ſunt illæ, quæ exprimuntur per modum imperatiuum, ſeu optatiuum inferentes aliquam imperfectionem in Deo, Chriſto, vel Sanctis eius, vt patet in ſequentibus exemplis. *Maledictus ſit Deus*; *Pigeat Deum*; *Tadeat Chriſtum*; *Sanctus Petrus cadat è Paradiſo*; *Diſpliceat virginitas Matri Dei*; *Vtinam ſancti cadant in infernum*; *Deus præcipitet ab alto &c.* Certum eſt apud me has, & ſimiles Blaſphemias ſignificare manifeſtè Hæreſim, ac proinde eſſe hæreticales, quia arguunt in ſubiectis imperfectionem, quæ certè in illis non eſt, quod ſine dubio patet de Deo, & Chriſto; & etiam de Sanctis, qui omnino ſunt in eo ſtatu incapaces maledictionis, & cuiuslibet alterius imperfectionis, vt conſtat ex ſequentibus auctoritatibus. Matth. 19. 29. *Et vitam*
166 *æternam poſſidebit*. Item cap. 25. 46. *Ibunt iuſti in vitam æternam*. Ezechielis 36. 15. *Et gentem tuam non amittes amplius*. Item Ioan. 6. 39. *Omne, quod dedit mihi non perdam ex eo*. Idem cap. 10. 25. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu meâ*. Ex Iſai. 58. 11. *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ*. In Apocal. 21. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt*. Sacra Scriptura eſt plena his perfectionibus, quibus ſancti in Paradiſo reſplendent, & hæc ſine dubio de Fide credenda ſunt, ac proinde ſupradictas Blaſphemias proferentes contra Sanctos, quarum omnino ſunt incapaces ex adductis auctoritatibus, ſuſpecti ſunt de Hæreſi, cum eorum oblocutiones aduerſentur ſupradictis propoſitionibus ex Sacrâ Scripturâ acceptis.

Quare qua ratione excludantur ab hæreticalibus vocatæ ſimplices, quæ ſcilicet nullam continent hæreſim, nec manifeſte, nec implicite, neſcio;& hi ſunt *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 36. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 7. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 7. Lupus lib. 23. diſt. 1. Caſtropal. part. 2. §. 3. Baſſaus V. Blaſphemia num. 4. Direct. Inquiſit. part. 2. q. 41.* Carena *num. 7. Souſa lib. 1. cap. 19. num. 14. Alberghin. cap. 16. initio*. Hos impugnaui latius hic ſub q. 7. per totam.

Quæritur 21. Quid ſit Blaſphemia atrox?

167 ℞. Eſt illa, quæ eſt auditu terribilis, & horrenda, præſeferens crudelitatem quamdam, & dedecus, atque vituperium contra Deum, Chriſtum, Virginem, & Sanctos eius. Quod patet ex ſequentibus exemplis.

Atroces ergo, & enormes ſunt ſequentes. *Maledictus ſit Deus*. *Si Deus hoc diceret, ipſum dicerem mentiri*. Lazar. q. 7. n. 19. de primâ, & num. 27. de poſteriori. Illud enim verbum *Mentiris* arguit magnam iniuriam, *ex citatis à Riccio part. 1. dec. 245. num. 4.* Nominare verenda Chriſti, & Matris eius atrox, & enormis; aures enim humanæ erubeſcunt, & horrent ſimilia audientes. Ex Baldo Lazar. q. 7. num. 31. *Ad deſpectum Dei* atrox, ex eodem num. 36. *Putana*, eſt atrox, quia horrenda, & enormis inducens infamiam. Blaſphemia ergo atrox eſt illa, quæ ſolet grauiter offendere aures auditorum, & huius generis ſunt omnes imprecatiuæ, de quibus in præcedenti queſtione. Meo autem iudicio omnis atrox eſt hæreticalis, non omnis hæreticalis eſt atrox, quia auditu non omnis horrenda. 168

Quæritur 22. Quid ſit Blaſphemia publica?

℞. Blaſphemia dicitur publica notorietate *Iuris*, vel *Facti*. Explicatur, & probatur in ſequentibus. Supponendo, quòd hæc tria Publicum, Manifeſtum, & Notorium, vt plurimum coincidant. 169

Notorium autem *Iuris* id dicitur, quod à Iure tale denominatur, & id contingit tribus modis, primò legitimâ probatione factâ in iudicio per duos teſtes ad minus; ſecundò per confeſſionem ipſius Rei factam coram Iudice; tertiò per ipſius ſententiam prolatam legitimè. Delictum ergo Blaſphemiæ tunc dicitur notorium Iuris, cum de eo conſtat, vel probatione, vel confeſſione, vel ſententiâ, delictum enim quodlibet, quolibet ex dictis euadit publicum, manifeſtum, ſeu notorium in iudicio. *Neuizan. conſil. 30. Aymon part. 2. conſ. 303. Cephal. lib. 2. conſ. 57. num. 33.* Præfati tres modi notorij colliguntur *ex cap. cum olim 24. cap. ſuper 26. de Verb. ſign.* 170

Probatio autem, vt inducat notorium, debet conſtare ex duobus Teſtibus omni exceptione maioribus, integris, & conteſtibus coram legitimo Iudice id conſtat ex allegatis cap. 24. & 26. cum Doctoribus.

Blaſphemia ergo tunc eſt publica notorietate Iuris, cum vno ex tribus modis ſupradictis conſtat. Ita *Lazar. q. 9.* Vide Sayrum *lib. 6. cap. 13. num. 11. Azor. par. 1. lib. 9. cap. 28. q. 12.* Vide pœnas in cap. 2. de Maled.

Notorium vero *facti* eſt illud, quod ita eſt euidens, vt nulla ratione abſcondi poſſit, ex citato cap. 24. de verb. ſignif. Contingit autem & id tripliciter, ſi ſit factum delictum coram multis; ſi in loco publico; ſi coram Iudice ſuum exercente officium, vel coram ſuo ſuperiore. 171

Vt autem delictum dicatur notorium notorietate facti requiritur, quòd ſit factum coram pluribus videntibus, vel audientibus v.g. Blaſphemiam; ſi delictum factum eſt in 172

collegio

collegio, seu Conuentu, aut Monasterio, dicitur notorium factum coram maiori parte, id est, si sex sunt in Collegio, dicitur notorium delictum factum coram quatuor de collegio, & factum coram quinq; respectu octo. Vbi verò est multitudo magna, sufficiunt decem, qui viderint, vel audiuerint delictum Doctores citat *Mascard.concl.* 1105 *num.* 17. *Rodriq tom.* 2 *q.*6.*art.*4 *Salelles Reg.*179.*num.* 72. *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 11. *Peyrinus in Formul.lit.*P. *cap.* 17. *num.* 2. *Farinac. q.*21. *num.*47. qui nihilominus num.48. dicit, numerum faciens notorium relinquendum esse arbitrio Iudicis, quia in Iure numerus hic non reperitur taxatus. Secundò notoriū facti contingit, quando delictum commissum est in loco publico, vt in Plateà, in mercati loco, & ibi debet esse multitudo hominum, qui saltem videant, aut audiant rumorem; vnde de nocte commissum in loco publico, non dicitur notorium, quia de nocte homines non sunt in locis publicis. *Farinac. num.*46. Tertiò contingit delictum esse notorium, quando fit coram Iudice sedente pro tribunali, vt docet *idem sub num.* 158. *cum alijs Salelles Reg.* 179. *num.* 74.

Concludamus ergo Blasphemiam dici publicam, cum ea notoria est notorietate *Iuris*, seu *Facti* iuxta superius dicta.

Quæritur 23. Quid sit Blasphemia in Spiritum sanctum?

173 ℞. Blasphemia in Spiritum Sanctum est impœnitentia finalis, quà homo obstinatus vult mori in peccato mortali nihil curando de suà salute. Ita Sancti Patres apud Magistrum sent. *in* 2. *dist.* 43. *vbi Scotus*, ex quo requiruntur tria ad incurendum hoc peccatum, & quòd sit ex certà malitià, & quòd sit contra primum primæ tabulæ; & quod sit actus oppositus virtuti Spei inclinantis ad cœlestem gloriam, cui opponitur desperatio. Dicitur autem hæc Blasphemia in Spiritum sanctum, quia nolens ex suà obstinatione pœnitere aduersatur Spiritui Sancto, cui appropriatur bonitas, & amor, quem non vult amplecti impœnitens, & obstinatus, qui propterea dicitur Blasphemare, & peccare in Spiritum Sanctum. De hoc peccato non remissibili in hoc mundo, neq; in alio agitur Matth. 12.31. & Marci 3. 28.

An impœnitens sit suspectus de Hæresi, ac proinde denuntiandus S. Officio?

174 ℞. Negatiuè, quia vitium desperationis opponitur Spei, quæ est virtus posterior ad Fidem, vnde D.Thomas 2.2. q. 20. art. 2. dicit, quòd remoto posteriori non semper remouetur quod est prius, ergo stare potest sine læsione Fidei.

175 Simoniæ vitium appellatur peccatum in Spiritum Sanctum, cap. Petrus 19 cap. Eos 21.1. q.1. Ea ratione, quia Simonia dicitur à Simone mago qui vt legitur Act. 8. num. 18. Apostolis obtulit peccuniam, vt sibi darent potestatem conferendi Spiritum Sanctum, & ideo simonia accepit nomen peccati in Spiritum Sanctum; Gulielmus Durandus lib. 5. in suo Rationali diuin.Offic.cap. 5. narrat, Ildebrandum Priorem Cluniacensem, qui postea, fuit Gregorius VII. nunquam potuisse Archiepiscopum Ebredunensem de simonià accusatum conuincere testibus per ipsum corruptis, & à Deo inspiratum præcepisse ei, vt proferret versiculum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto*, qui cum priora verba bene protulisset, nunquam potuit proferre *Spiritui Sancto*, Et hoc modo illum miraculosè conuicit, & actà pœnitentià, pronuntiauit.

Quæritur 24. An Blasphemus sit infamis?

℞. Blasphemus sententiatus est infamis infamià Iuris; Probatur, quia sicut est infamis offendens personam Principis *l. Quisquis. C. Ad leg. Iul. Maiest.* Ita & à fortiori est infamis blasphemus, qui lædit diuinam Maiestatem. Ita *Gratian. cap.* 93. num. 24. Quòd si sit notorius etiam ante sententiam erit infamis infamià Facti, quia tales sunt omnes, quibus imponitur pœna capitalis, aut sunt accusandi, seu denuntiandi, ex ijs, quæ dicunt *Megal. de Irregul. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 107. *Bonac. q.* 3. *de Irregul. p.* 1. *Sayrus de cens. lib.* 7. *cap.* 11. 176

Quæritur 25. An Blasphemus repellatur à testimonio ferendo?

℞. Affirmatiuè, non solùm condemnatus, sed etiam talis probatus tantùm, quod deducitur *ex cap. super* 13. *cap. Testimonium* 54. *de testibus*, vbi quòd perseuerans in crimine repellitur à testimonio etiam in causà ciuili. In terminis *Gratian. loco citato. Farinac. q.*56. *num.*420. Excusantur blasphematores per iracundiam, *sub num.* 424. Intellige, eorum testimonium non valere ad condemnationem, vtique ad torturam, *ex num.* 425. 177

Castropalaus part. 3. tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 5. num. 6. dicit, Blasphemum condemnatum non esse infamem, nec Iure, nec Facto, & non repelli à testimonio, *ex l. Famosi ff. Ad leg. Iul. Maiest.* Vbi dicitur, quòd lubricum linguæ non debet facile trahi ad pœnam. Ex facto autem non potest dici infamis, quia hæc infamia per pœnitentiam tollitur, & criminis retractatione aboletur; subdit tamen blasphemum non esse omni exceptione maiorem, quod intelligit, nisi multum temporis transierit, nimirum, duorum, vel tribuum annorum.

Reijcitur, quia condemnatus criminaliter ipso iure est infamis infamià Iuris, *l. Nullam* 14. *C. Ex quib. caus. infam.* Ad leg. Famosi dico, ibi non esse sermonem de Blasphemia, sed de testificatione inconsideratè factà, quæ pœnam non meretur.

Quæ-

Quæritur 26. An Blasphemus gau[illegible] munitate Reorum confugientium ad [illegible] siam?

178 R. Blasphemus, vt aiunt, simplex gaudet, non autem manifestè hæreticalis, ratione adiunctæ suspicionis Hæresis. Et licet Bulla Gregoriana nominet solam Hæresim, sub qua in rigore non venit eius suspicio, & multò minus Blasphemia ipsa hæreticalis; tamen quia Blasphemia hæreticalis pro foro externo inseparabiliter habet præsumptiuè adiunctam Heresim; ideo immunis non est, nec gaudet hoc priuilegio. Deinde excluditur à priuilegio lædens humanam maiestatem, à fortiori lædens diuinam in honore. Est fere omnium etiam post Bullam scribentium, *Barb. lib. 2. de iure cap. 5. num. 124. Farinac. q. 28. num. 67. de immun. num. 173. Diana part. 4. tract. 1. resol. 51. & part. 6. tract. 1. resol. 26. q. 8. Riccius part. 2. resol. 9. Alberghin. cap. 16. num. 16.* Dal Bene *par. 2. de immun cap. 16 Dub. 22. sect. 3. num. 9. Melius ad Dub. 24 sect. 9.* vbi multos citat in hanc sententiam.

Quæritur 27. An contra Blasphemos ferri possit Excommunicatio?

179 R. Ferri potest, prohibendo, ne quis blasphemet, aliter non, si sit ipso Iure excommunicatus, est enim grauissimum delictum. Non verò comminari potest, quia non habet tractum successiuum, volat enim irreuocabile verbum; siquidem non potest quis excommunicari pro præteritis delictis, nisi quatenus habent tractum successiuum, vel nisi dependeant ab aliquo futuro, à quo si nolit desistere, vel satisfacere, vt inobediens, & contumax excommunicatur, secundum Canonistas *in cap. Ex parte, de verb. signif. cap. Romana 5. de sent. excom. in 6. Vbi Barb. num. 14.* In terminis nostris *ex Suarez disp. 3. de censur. sect. 10. num. 21. Dal Bene part. 1. cap. 2. Dub 8. sect. 21. num. 11. & 17.*

Quæritur 28. An Blasphemus sit irregularis?

180 R. Non, ex vi ipsius Blasphemiæ, vel eiusdem suspicionis; sed tantùm irregularis dicitur ex infamià contractà ratione notorietatis delicti in Iudicio, sed per abiurationem tollitur. Ita *Henriquez lib. 14. de irregul cap. 4. num. 6. fine, Suarez disp. 43. sect. 2 num. 8. & 9. Sanchez lib. 2. cap. 25. num. 10. & 12.*

Quæritur 29. An Blasphemia sit maior Homicidio?

181 R. Sic, quia Blasphemia detrahit de honore Dei; Homicidium verò vitam homini aufert; sed maior est honor vità, *Farin. q. 15. num. 6. Mar Anton lib. 3. resol. 11. num. 2.* Ergo grauior est Blasphemia homicidio. Confirmatur, quia grauiora sunt delicta contra primam Tabulam Decalogi, quàm contra secundã. Ita *Deciàn. lib. 6. cap. 3. nu. 11.*

[illegible] An Blasphemia sit peior per-[illegible]

[illegible] per Blasphemiam immedia- 182
[illegible] honor Dei radix omnium ei[illegible]m, quibus opponitur Blasphe[illegible] August. lib. contra mend. cap. [illegible] *Ideo peius est blasphemare, q[illegible], quoniam peierando falsa rei adh[illegible]s Deus, blasphemando autem de ip[illegible]falsa dicuntur de Deo.* Periurium ergo in vno tantùm lædit Deum, in veritate eius scilicet infallibilem per falsitatem peierantis; Blasphemia verò Deum lædit in omnibus eius perfectionibus, dum per Blasphemiam remoueri omnes possunt à Deo per oblocutionem imperfectionum.

Quæritur 31. An Blasphemus denuntiandus sit, & quibus?

R. Affirmatiuè Episcopo scilicet, vel Inquisitori, huius enim delicti sunt Iudices, vt mox dicam. Denuntiatio autem præcipitur in eorum Edicto his verbis: *Che contro Dio, e de suoi Santi, e particolarmente della Beatissima Vergine Maria proferiscono Bestemie hereticali*. Procedit primò, quòd audiens aliquem se iactantem de Blasphemià teneatur denuntiare, nam reuerà scit ex proprio ore se iactantis, nisi statim reuocet suam iactationem. Procedit secundò licet semel blasphemauerit, nam blasphemauit, & in Edicto non est amplius illud verbum: *Solito bestemiare*, vt notat Lupus lib. 23. dist. 5. art. 1. Nec Edictum distinguit de vnà, vel pluribus vicibus, sed absolutè loquitur. Procedit tertiò, licet sit tantùm suspectus de leui, quia suspicio oritur à delicto præscindendo ab vna vel pluribus eius commissionibus, non enim est maior ratio de pluribus, quàm de vnà, cum suspicio vt sic prouenit a d[illegible]cto, qualitas verò graduum à pluralitate. Vide quæ dixi hic q. 8. & sect. 18. num. 85. 183

Quæritur 32. An omnis Blasphemia cognoscatur à Iudicibus Sancti Officij?

R. Affirmatiuè, quia blasphemantem reddit de Fide suspectum, non solùm Blasphemia indicatiua, quam vocant hæreticalem, sed etiam imprecatiua, vt multis probaui sub q. 7. & q. 20. & cap. 27. num. 34. in sacro Tribunali. Vbi dixi, solùm Iudices sancti Officij cognoscere de prædictis Blasphemijs, *cum Castro lib 1. de iustà punit. haret. cap. 12. circa finem, Corduba lib 1. q. 17. §. 15. Notabili 4. vers. in cuius examinatione. Salelles Reg. 393. num. 358. Sanctar. citatus supra hic sub num. 36.* 184

Contrarium tenent ferè omnes, quia dicunt crimen Blasphemiæ esse mixti fori *cum Simanch. de catol. instit Barbos. Alleg. 51 num. 93. Carena par. 2. tit. 7. à num. 13. ad 17.* Blasphemias scilicet non hæreticales, quas vocant simplices, esse mixti fori, quæ scilicet cognosci possunt à Iudice non solùm ecclesia- 185
stico,

stico, sed etiam seculari, respectu quorum datur locus preuentioni, & id clarè colligitur ex Bulla Leonis X. incip. *Supernæ dispositionis* 7. §. 33. vbi blasphematores simpliciter, & absolutò subijcit vtrisque Iudicibus, & deducitur quoq; ex cap. 2. de Maledicis, in quibus locis nulli fit mentio de Inquisitoribus.

Nihilominus dicendum est nostris temporibus omnes Blasphemias esse subiectas Inquisitoribus, & Ordinarijs locorum priuatiuè ad Iudices seculares, & quia Iulius III. in suâ
186 23. incip. *In multis*, assignat pro Iudicibus Blasphemiarum in Deum, Christum, Mariam, & Sanctos, Inquisitores Generales Vrbis contra Blasphemos quoscunq; non distinguendo inter hæreticales, & simplices, cum omnes sint hæreticales expressè, vel implicitè, vt probatum fuit sæpius in supradictis; ideo Iudices S. Officij modò cognoscunt de omni Blasphemiâ; quia ex qualibet, Hæresis nescio quid suspicionis colligi potest. Et licet Bulla Iulij III. sit tantùm pro Vrbe, & eius districtu, nihilominus ex ratione adducta legitimè Inquisitores modo sunt Iudices omnium Blasphemiarum.

Quæritur 33. Quibus pœnis plectendi sunt Blasphemi?

187 ℞. Variæ assignantur tùm in Decretalibus, tùm in Bullis Pontificijs, referam singulorum pœnas, vt Consultores habeant eas in promptu.

188 Cap. 2. de Maleficis Gregorius IX. ita decernit: Si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè beatam Virginem linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœnis debitis subijciatur, videlicet, vt septem diebus dominicis præ foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur missarum solemnia existat, & vltimo die dominico, pallium, & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum; & sextis quibusq; ferijs intra illud tempus contentis in pane, & aqua ieiunet: arceaturq. ab Ecclesiæ ingressu, & tres, si poterit, alioquin duos pauperes, aut vnum reficiat illis diebus. Quod si ei facultates non suppetant, in aliam pœnam commutetur, quam si luere recusauerit, ei interdicatur ingressus Ecclesiæ, & Ecclesiasticâ careat sepulturâ, si decesserit.

Hanc publicam pœnitentiam faciunt tantùm laici, nam publicis pœnitentijs huius generis non subijciuntur clerici, ex cap. 1. de bigamis cap. præsbiter dist. 82. Ita Canon. super dictum caput, Barb. Allegat. 51. num. 97. stare ad fores ecclesiæ adhuc est in vsu.

189 Leo X. in Concil. Lateran. Bullâ incip. *Supernæ dispositionis* 7. §. 33. sequentia statuit contra Blasphemos. Vt quicunq; Deo palam, seu publicè maledixerit, contumeliosisq; atq. obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam Dei genitricem expressè blasphemauerit; Si munus publicum, iurisdictionemue gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro primâ, & secundâ vice dicti officij. Si clericus, vel Sacerdos extiterit, eo ipso quòd de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumq; habuerit, priuetur, si plura quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd si tertio eius tuleris, conuincatur, dignitatibus, beneficijs omnibus, quæcumq; habuerit, eo ipso priuatus existat, eaque liberè impetrari, & conferri possint.

Laicus vero Blasphemans, si nobilis fuerit pœnâ vigintiquinq; ducatorum mulctetur; & pro secundâ vice quinquaginta; pro tertiâ nobilitatem amittat. Si vero ignobilis, & plebeus fuerit, in carcerem detrudatur. Quòd si vltra duas vices publicè blasphemauerit, mitrâ infami per integrum diem ante Fores Ecclesiæ principalis coronatus stare cogatur. Quòd si sæpius in hoc peccatum lapsus fuerit ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur.

Et qui reliquos sanctos blasphemauerint arbitrio Iudicis rationem personarum habituri aliquantulò mitius puniantur.

Et Iudices seculares, qui in tales Blasphemias conuictos non animaduerterint, nec eos iustis pœnis, & debitis affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eodem scelere contaminati, eisdem quoque pœnis subijciantur. Qui verò in illis puniendis soliciti, & seueri fuerint, qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant.

Pius V. in sua incip. *Cum primùm* 5. contra Blasphemos pœnas innouans sequentia 190
decernit: Ad abolendum nefarium, & execrabile Blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoq; Legibus præceptum est; nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem supra modum inualuit, Leonis X. prædecessoris in nouissimo Lateranensi Concilio statuta innouantes, decernimus, vt quicunq; laicus Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expressè blasphemauerit, pro primâ vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro secundâ pœna duplicabitur, pro tertiâ centum ducatos soluet, ignominiâ notatus exilio mulctabitur.

Qui plebeus fuerit, nec erit soluendo, pro primâ vice, manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum; pro secundâ fustigabitur per vrbem; pro tertiâ ei lingua perforabitur & mittetur ad triremes.

Quicumq; clericus Blasphemiæ crimen admiserit, pro primâ vice fructibus vnius anni etiam quorumlibet Beneficiorum suorum,

rum; pro secundà Beneficijs priuetur, pro tertià omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd si Clericus nullum Beneficium habuerit, pœnà pecuniarià, vel corporali pro primà vice puniatur, pro secundà carceribus mancipetur; pro tertià verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit pro qualitate Blasphemiæ Iudicis arbitrio puniatur.

191 Rescribo Bullam Iulij III. incip. *In multis* 23. licet afficiat tantùm existentes in Vrbe. Refero pœnas in ea expressas sub §. 2. his verbis: Blasphemantes scilicet Deum Patrem omnipotentem, vel eius Filium vnigenitum, Dominum, & Redemptorem nostrum Iesum Christum, seu Spiritum Sanctum, vel particulariter, & explicitè, vel generaliter, & implicitè; attribuendo diuinæ maiestati, quæ illi minimè conueniunt, vel remouendo, quæ eam decent. Primò conuicti, si diuites fuerint, compellantur ad soluendum scuta auri quadraginta; si vero pauperes soluant decem, quæ si nequeant numerare, luant in corpore. Secundà vice conuictis nobilibus, siue diuitibus, siue pauperibus duplicetur pœna pecuniaria proportionabiliter ad primam huiusmodi mulctam. Atq. insuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad Beneficia quæcumq; ad gradus, dignitates, & honores obtinendos. Vilibus conuictis perfodiatur lingua. Tertià vice conuictis nobilibus, tàm diuitibus quàm pauperibus triplicetur pœna pecuniaria respectiuè vt supra. Vlterius sint ipso iure priuati Beneficijs ecclesiasticis, & officijs quibuscunq; dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus; sint intestabiles tàm actiuè, quàm passiuè. Sint inhabiles ad ferendum testimonium. Sint banniti publicè per triennium ab Vrbe. Vilibus imponatur fustigatio, aut deportatio ad triremes per triennium, & exulent perpetuò.

§. 3. Idem obseruetur contra blasphemantes ipsius Domini nostri Iesu Christi Matrem Beatissimam semper Virginem Mariam.

§. 4. Blasphemi in sanctos, vel sanctas Dei corrigantur seuerè arbitrio Dominorum Iudicum habità ratione qualitatis, & grauitatis criminis, cum cæteris circunstantijs iure attendendis.

192 Notandum autem est, quòd nostris temporibus de supradictis pœnis nonnullæ tantùm sunt in vsu, nempe perstare ad fores Ecclesiæ cum candelà in manu; fustigatio personarum vilium; carceratio, condemnatio ad triremes per triennium, & vltra, perforatio linguæ non est amplius in vsu, nec exilium, nisi rarissimè; neq; pecuniaria, quæ ablata est ab inferioribus Iudicibus per supremos. Itaque plerique tenent, pœnas contra Blasphemos esse nunc arbitrarias cum *Mar. Italia lib. 1. de Immun. cap. 5. §. VI. num. 85. Menoch. casu 375. num. 26. Farinac. q. 20. num. 66. cum alijs Salelles Reg. 499. num. 304.*

Supradictis pœnis plectuntur Blasphemi consuetudinarij, & vehementer suspecti de Fide, alij verò solùm leuiter suspecti, pœnis mitioribus puniuntur arbitrio Iudicum. Ita *Lazar. q. 6. num. 22. Carena par. 2. tit. 7. num. 72. Salelles num. 321.* 193

Quæritur 34. An ludus, & rixa sint indicia sufficientia ad torturam contra blasphemantes?

℞. Affirmatiuè, quando lusor est consuetudinarius, quia ludus est causa vt plurimum Blasphemiarum, vt probatur per *tex. in l. fin. §. 1. C. de Episcopi audient, & l. 3. C. de aleator. l. Alearum fin. C. de relig. domibus apud Lazarium de Blasphemià in Præfat. num.* 34. Ergo proximum indicium ad torturam, dicente Mascardo concl. 194. num. 12. Lusorem semper præsumi Blasphemare *cum Turrecr. in cap. Episcopos dist. 37. num. 2. Sayro lib. 11. cap. 12. num. 4. Decian. lib. 6. cap. 2. nu.* 23. Idem dicendum de rixà, & contentione, experientia enim constat, iracundiam lubricare linguam in Blasphemias, & iniurias. 194

SECTIO XXXXVI.

De Impressione Librorum.

SVMMARIVM.

1 *Licentia imprimendi Libros originem traxit à Leone X.*
2 *Eius Decretum extenditur de licentià Episcopi, & Inquisitoris.*
3 *Excommunicationes duæ.*
4 *Cum alijs pœnis.*
5 *Decretum Tridentini.*
6 *De Libris rerum sacrarum non imprimendis nisi de licentià Superiorum.*
7 *Regulares à suis superioribus licentiam obtineant.*
8 *Scripta euulgari nõ debent sine examine sub eisdem pœnis.*
9 *Licentia in scriptis datur gratis.*
10 *Nomine* libri *venit, & Manuscriptus, & iam impressus, si sit reimprimendus.*
11 *Scripturæ nomine venit quæcunq; etiam semifolium.*

Licen-

1 LIcentia imprimendi libros originem traxit à Leone X. vt colligitur ex illius Bulla incip. *Inter ſolicitudines* 12. ſub datum Romæ in Concilio Lateranenſi celebrato anno Domini 1515. quarto Maij. Sequentibus verbis in §. 2.

2 Statuimus, & Ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus Librum aliquem, ſeu aliam quamcunq; ſcripturam, tàm in Vrbe noſtrà, quàm alijs quibuſuis Ciuitatibus, & Diæceſibus imprimere, ſeu imprimi facere præſumat; niſi prius in Vrbe per Vicarium noſtrum, & ſacri Palatij Magiſtrum; in alijs verò ciuitatibus, & diæceſibus, per Epiſcopum, vel alium habentem peritiam ſcientiæ Libri, ſeu ſcripturæ huiuſmodi imprimendæ ab eodem Epiſcopo ad id deputandum; ac Inquiſitorem hæreticæ prauitatis Ciuitatis, ſeu Diæceſis, in quibus librorum impreſſio huiuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manus propriæ ſubſcrip-
3 tionem, ſub Excommunicationis ſententiâ, gratis, & ſine dilatione imponendam approbentur.

Qui autem ſecus præſumpſerit, vltra Librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum Ducatorum fabricæ Baſilicę Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſine ſpe remiſſionis, ſolutionem, & anni continui exercitij impreſſionis ſuſpenſionem; Excommunicationis ſententiâ innoda-
4 tus exiſtat; ac demùm ingraueſcente contumaciâ taliter per Epiſcopum ſuum, vel Vicarium noſtrum reſpectiuè, per omnia iuris remedia caſtigetur, quod alij eius exemplo ſimilia minimè attentare præſumant.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. in Decreto de editione, & vſu ſacrorum Librorum, ita decernit ſequentibus verbis.

5 Sed & Impreſſoribus modum in hac parte, vt par eſt, imponere volens, qui iam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quicquidlibet, ſine licentiâ Superiorum eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ Scripturæ Libros, & ſuper illis annotationes, & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & quod grauius eſt, ſine nomine Auctoris imprimunt; alibi etiam impreſſos Libros huiuſmodi temerè venales habent.

6 Decernit, & ſtatuit, vt poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum verò hæc ipſa vetus, & vulgata editio quàm emendatiſſimè imprimatur. Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis Libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neq; illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati, probatiq; fuerint ab Ordinario ſub pœna Anatematis, & pecuniæ in canone Concilij Lateranenſis nouiſſimi appoſitâ.

7 Et ſi Regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiuſmodi; licentiam quoq. à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos Libris, iuxta formam ſuarum Ordinationum.

Qui autem ſcripto eos communicant, vel 8
euulgant, niſi antea examinati, probatiq. fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus Impreſſores. Et qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur.

Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in 9
ſcriptis detur, atq. ideo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi authenticè appareat, idq. totum, hoc eſt, & probatio, & examen gratis fiat, vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Super dictis Decretis vtriuſq. Concilij emergunt ſequentes dubitationes pro illorum explicatione.

Quæritur ergo primò, quid veniat ſub nomine *Libri* in illis verbis *Nullus Librum aliquem*, ſub num. 2. expreſſis in Decreto Lateranenſi?

℞. Venit Liber tàm Manuſcriptus primò 10
imprimendus, quàm alter aliàs impreſſus reimprimendus; poteſt enim accidere, quòd in impreſſo inueniatur aliquis error notabilis, vel contra Fidem, vel contra bonos mores. Quod autem Liber aliàs impreſſus denuò imprimendus ſit examinandus, & approbandus, ac ſi eſſet primò ſcriptus, colligitur ex Regulâ 10. Indicis, ſub verſ. Circa verò Libros.

Quæritur 2. Quid nomine Scripturæ ſub his verbis: *Aliam quamcunque ſcripturam*, veniat?

℞. Venit quodcunq; Manuſcriptum, vnius 11
vel alterius folij ſcripturæ, ita quòd nec minimum folium, aut ſemifolium excipitur ab examinatione, & approbatione, nam illa dictio *Quamcunq*. omnia includit, & nihil excludit, propter ſuam generalitatem, ex allegatis à Barboſa dict. 317. initio.

Quæritur 3. Quid importent illa verba: *In Vrbe per Vicarium noſtrum, & ſacri Palatij Magiſtrum*. Sub num. 2. in Decreto Lateranenſi?

℞. Romæ ſubſcriptiones fiunt hoc modo: 12
Imprimatur. Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici. M. A. Oddus Epiſcopus Peruſinus. Vices gerens. Nihil aliud facit, nec Manuſcripti examen committit alicui, id enim ſpectat ad dictum Sacri Palatij Magiſtrum, qui eſt vnus ex profeſſis Ordinis Dominicani, ex gratiâ Summi Pontificis, qui Manuſcripti imprimendi examen committit alicui viro perito profeſſionis eiuſdem; & opere approbato, & ſubſcripto à deputato. Magiſter Sacri Palatij dat licentiam impreſſionis his verbis. *Imprimatur Fr. Raymundus Capiſuccus Magiſter S. Palat. Apoſt*. Cur Viceſgerens, & non Vicarius Papæ, qui nominatur in Bullâ Leonis X. dat licentiam? Vtitur Viceſgerens illis verbis *Si videbitur*, non ſolùm honoris cau-

ſâ,

sà, sed etiam quia alijs occupatus negotijs, nec ipse, nec alicui dat commissionem, vt librum examinet, ideo nec ipse Magister sine approbatione habitâ à se deputato concedit impressionem.

Quæritur 4. Quid intelligatur per illa verba: *Vel alium habentem peritiam ab Episcopo deputatum.* Sub eodem Decreto Lateranensi?

13 ℞. Id importat, quòd si Episcopus, idem de Inquisitore, nolit examinare per seipsum Librum, potest deputare Reuisorem, vt aiunt, & Examinatorem, qui videat, an in Libro inueniantur aliqui errores contra Fidem, vel bonos mores. *Habentem peritiam*, indicant esse faciendam electionem eius, qui peritiam habeat rei, de qua in manuscripto agitur. Vnde mihi summoperè placet, quòd Doctores Legum deputentur pro materiâ ciuili; Canonistæ pro materiâ Sacrorum Canonum; Theologi speculatiui pro sacrâ Theologiâ speculatiuâ; & Theologi morales pro materiâ casuum conscientiæ. Quare Resol. 125. num. 40. impressionis Lugdun. tom. 4. quæ erat Controuers. 25. impressionis Romanæ dixi, quendam Inquisitorem non benè elegisse pro reuidendo libro iam impresso tractante de moralibus Doctorem legum ob rationes ibi adductas.

Quæritur 5. Contra quosnam feratur Excommunicatio bis nominata in Decreto Lateranensi sub num. 3. & 4.?

14 ℞. Prior Excommunicatio sub illis verbis: *Sub Excommunicationis sententiâ gratis, sine dilatione imponendam approbentur*; scilicet subscriptionem. Quare supradicti omnes etiam Vicesgerens, Magister, Inquisitor, & Deputati sine examine, vel cum examine; sed non gratis subscribentes afficiuntur Excommunicatione tantùm comminatoriâ. Et quod ita sit, constat, quia alia Excommunicatio imponitur Impressoribus, & facientibus imprimi, vt mox patebit.

Posterior Excommunicatio incurritur ipso iure ab Impressoribus, & facientibus imprimi, licet enim sub 3. solùm dicatur: *Qui autem secus præsumpserit*, non expressis Impressoribus, & imprimi facientibus, nihilominus intelliguntur repetiti per illud relatiuum. Qui referens illos, contra quos fuit dispositum. Nulli autem est reseruata, vt docent omnes, *cum Toleto lib. 1. cap. 41. §. 1. Suarez de Censur. dis. 23. sect. 7. apud Thesaur. de Pœnis V. Libros cap. 3. vers. Nota secundo Sayro lib. 1. de censur. cap. 11. num. 9.* De Excommunicatione Bullæ infra q. 26.

Quæritur 6. Per quas actiones incurratur Excommunicatio hæc?

15 ℞. Per duas tantùm actiones ibi expressas: *Imprimere, seu imprimi facere præsumpserit*. Et in Tridentino sub num. 6. Non dicitur *Præsumpserit*, sed solùm; *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros de rebus sacris &c.* Nihilominus tale verbum *Præsumpserit* subintelligitur, quia in pœnis Tridentinum se refert ad Lateranense. Adduntur autem aliæ duæ actiones, scilicet vendere, aut retinere libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, aut sine examinatione, approbatione, & subscriptione, vt clarè ibidem dicitur sub num. 6.

Duo hìc obseruo, primum, Excommunicatio incurritur, quando malâ Fide, vel scienter Liber imprimitur, vel procuratur imprimi propter illud verbum *Præsumpserit*, quod excusat ab Excommunicatione ignorantes, *Sanchez lib. 9. disput. 32. num. 9. Diana part. 10. tract. 14. resol. 21. fine*. Alterum est vtrunque Concilium in eo differre, quòd Lateranense afficit pœnis imprimentes, vel facientes imprimi quoslibet Libros, aut scripturam sine examine, & subscriptione, de quacunque materiâ tractent, siue sacrâ, siue profana. *Suarez disp. 23. de cens. sect. 7. & Peyrinus de Prælato q. 3. cap. 9. apud Lezanam V. libri num. 5.* Tridentinum verò loquitur de Libris solùm tractantibus de rebus sacris, additis alijs prædictis actionibus retinendi, vel legendi, & sine nomine auctoris impressis. Dal Bene cum Bonac. Dub. 46. Petit. 15. num. 4. contra plures. 16

Nomine *Libros de rebus sacris*, intelligo, illos, qui agunt de materia Sacræ Scripturæ eam interpretantes more concionatorum, seu Theologorum speculatiuorum; non comprehenduntur proinde Libri de materia Iuris Canonici, aut de casibus conscientiæ, cum non sint de rebus sacris, nec pertinentibus ad sacram Scripturam. Vnde dal Bene nimis rem dilatat Dub. 46. petit. 15. 17

In Indice sub Reg. X. Vers Eos vero repetitur id, quod habetur in Tridentino sub num. 8. excommunicatione non reseruatâ Qui libellos Manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatiq; fuerint, & alijs pœnis afficiuntur, quibus Impressores, & qui eos habuerint, & legerint, nisi Auctores prodiderint pro Auctoribus habeantur. De qua *Suarez disp. 23. de cens. sect. 7. num. 3. Filliuc. tract. 16. num. 83. Azor. lib. 8. cap. 17. q. 4. Sorbus V. Imprimere Rodriq. tom. 2. q. 104. art. 1. apud Thesaurum V. libros cap. 4.* Talis autem euulgatio debet esse publica, quæ æquiualeat impressioni. Communicatio lectionum, & concionum non est contra hoc Decretum Indicis. Et libelli manuscripti restringuntur ad illos, qui agunt tantùm de rebus sacris ex eodem Tridentino. *Bonac. in Bulla Disp. 2. q. 2. p. 16. num. 12.* 18

Quæritur 7. An alijs pœnis præter Excommunicationem iam explicatam afficiantur Impressores, & facientes imprimi?

℞. Amittunt Libros impressos, qui comburendi sunt, & pœnâ pecuniariâ centum Ducatorum plectuntur soluendorum Fabricæ 19

S. Pe-

S.Petri, & ſuſpenduntur per annum continuum ab exercitio impreſſionis, vt legitur ſub num. 3. Hæ pœnæ non incurruntur niſi poſt ſententiam datam per Epiſcopum extra Vrbem. Nulla fit mentio de Inquiſitore. Ita *Theſaurus cap.* 3. *Verſ. Nota ſecundò, Lezana tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 33. *& cap.* 10. *num.* 3. *ſe citans tom.* 4. V. *Libri num.* 5.

Quæritur 8. Quinam veniant ſub his verbis *Imprimere, ſeu imprimi facere*, quæ in vtroq; Concilio exprimuntur? Seu quiſnam dicatur Impreſſor, vel committens impreſſionem, & faciens imprimi? Quæſtio ergo eſt de cooperatoribus ad impreſſionem.

20 ℞. Nomine Impreſſoris venit, qui componit caracteres, vt ex illis fiat impreſſio foliorum Libri, vnde & vocatur *compoſitor*; deinde qui libri folia imprimunt dicti Torculares, torquent enim folia, quæ caracterizantur. Dominus officinæ, qui nec componit, nec torquet, Impreſſor dici non poteſt ex hoc capite, & ſic non ſubditur pœnis, licet in Libro exprimatur ſimilibus verbis: *Ex Typografiâ Eraſmi Viotbi*. Afficitur vero, ſi committat Compoſitori editionem libri ſine approbationibus ſub altero capite *imprimi facere*. Et ſic intelligendum eſt, quod tradit *ex Sanctarello Salelles Reg.* 149. *num.* 159. de domino officinæ, qui non laborat, ſed tantùm ordinat, & iubet miniſtris. Contra *Dal Bene dub.* 41. *petit.* 1.

Sub nomine verò facientis imprimi venit in primis Auctor Manuſcripti, ſeu Libri tractans cum Impreſſore, vel alius eius nomine, *Salelles ibidem num.* 158. Sub prædictis nominibus non venit faciens expenſas pro prælo, quia talis cooperatio eſt remota, & per accidens impreſſioni, vt docent *Sanchez, Suarez, & Salelles num.* 164. *contra Sayrum lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Corrigens librum imprimendum non eſt Reus prædictarum pœnarum, quia impreſſioni proximè non cooperatur, cum iam ſit facta ab alio, nihilominus ſi ſit liber Hæretici tractans contra Fidem, ſeu Religionem incurrit Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, quia legit Librum prohibitum, *ex Suarez diſp.* 20. *de Fide ſect.* 2. *num.* 24. *Salelles num.* 161. contra alios *cum dal Bene Dub.* 41. *Petit.* 6.

Quæritur 9. An Impreſſores, præter ſupradictas pœnas, incurrant Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini?

21 ℞. Sic, ibi: *Ac eorundem libros Hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtrâ, & ſedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, vel imprimentes.* Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 4. num. 19. vbi enumerat, qui dicuntur Impreſſores, de quibus dixi mox, quibus ipſe adiungit humectantes cartam, quod tamen mihi non placet, quia humectare non eſt imprimere, ſicut componere, & torquere. Idem dicit dal Bene cit. Petit. 8. plures contra ſe citans.

Quæritur 10. Quid dicant Inquiſitores in ſuis Edictis de impreſſione librorum?

℞. Sic diſponunt: *Che habbino ſtampati, ò fatti ſtampare Libri, o Scritti, che contenghino Hereſie, o Libri d'Heretici, che trattino di Religione; ſtampino, o facino ſtampare quelli, & altri di Negromantia, Magia, Incantationi, Sortilegi*. Hæc autem diſpoſitio eſt tantùm contra non denuntiantes Impreſſores, vel facientes imprimi ſine debitis licentijs, non autem contra Impreſſores, vel facientes imprimi, quia nemo tenetur ſe prodere. 22

Quæritur 11. An Regulares facientes imprimi ſua opera ſine requiſitis Conciliorum Lateranenſis, & Tridentini incurrant pœnas in dictis Concilijs inflictas?

℞. Affirmatiuè, nam ambo loquuntur generaliter per negatiuam *Nullus* cuius natura eſt afficere omnes, nullo excepto. Quare non ſolùm Regulares, ſed etiam quicumq; Scriptores, cuiuſcumq. ſint notæ, & qualitatis. Eaſdem verò non incurrunt, ſi faciunt imprimi ſua opera ſine licentiâ ſuorum Superiorum, quia nullo iure Pontificio aliqui afficiuntur pœnâ; neq; in Tridentino, vbi ſub num. 7. mandatur, vt licentiam obtineant à ſuis Superioribus iuxta formam ſuarum Ordinationum, aliqua imponitur pœna contra transgreſſores regulares, vt docui cap. 15. q. 8. num. 11. 23 24

Sequens Decretum factum in Capitulo Generali Bononiæ celebrato noſtri Ordinis in Conuentu S. Mariæ Charitatis anno 1647. firmatum fuit ab Innocentio X. in formâ ſpecificâ, ſub his verbis: *Sexto, nullus præſumat Libros vel à ſe, vel ab alijs compoſitos ſine Generalis licentiâ typis mandare. Folia verò, ſeu libelli paruuli imprimi poſſint de Prouincialis facultate, ſeruatâ ſemper formâ à Sacro Concilio Tridentino præſcriptâ*. Nulla imponitur pœna violatoribus, ſufficiunt enim pœnæ Conciliorum. Sed numquid Commiſſarius Generalis alicuius tantùm Conuentus habeat hanc facultatem, quaſi veniat ſub nomine Prouincialis? Credo indubitanter habere, quia in ſuo Conuentu totam habet ſuam facultatem dependentem ſolùm à Generali. Quot folijs conſtat libellus paruulus? Puto, illum eſſe, qui conſtat vſq; ad viginti folia, & non vltra. 25 26

Quæritur 12. An imprimi poſſint ſine nomine Auctoris? Aut eius nomine Anagramatizato?

℞. Non poſſunt imprimi, nec imprimi fieri ſine nomine Auctoris, id enim prohibetur à Tridentino ſub num. 6. licet ſint approbati. Reſtringitur tamen ad libros agentes de rebus ſacris, de quibus tantùm agit Tridentinum. Dico tamen ſufficere anagramatizationem, quia continet implicitè nomen Auctoris. 27

foris; in Tridentino enim dicitur simpliciter *Siue nomine Auctoris* supple non imprimatur nomen autem duplex est expressum, & anagramatizatum, neutrum autem exclusit; satisfit ergo altero eorum. Immo sufficit nomen eius, qui succedit in hereditatem, vel legatum Manuscripti, vt probat *Bonac. disp. 2. q. 2 p. 16. num. 9. Vers. Dixi*, ergo & sufficit nomen anagramatizatum, quod confirmatur exemplo Antonij Cotonij ex nostris Publici Metaphisici Patauini, qui se vocauit Ausonium Noctinot in Summà Dianà. *Dal Bene Dub. 46. Petit. 16. num. 1. Pasqual. ad Franchum num. 1573.* contra Tamburinum.

Quæritur 13. An satisfiat Tridentino, si scribatur nomen Academiæ vel Vniuersitatis vel Collegij?

28 ℞. Affirmatiuè, tacito nomine eius, qui laborauit; ratio est, quia veniunt sub nomine personæ, licet fictè, tamen saltem implicitè veniunt illæ personæ, quæ laborarunt, in componendo opere. Ita *Azor. part. 1. lib. 8. cap. 17. q. 3. Alterius lib. 5. Bulla disp. 2. cap. 8. q. 2. quos pro se citat Bonac. disp. 2. q. 2. p. 16. n. 10. Salelles Reg. 143. num. 156. Lezana num. 11.*

Quæritur 14. An sufficiat subscriptio Ordinarij, vel Inquisitoris, & sit alter ipsorum?

29 ℞. Necessaria est subscriptio vtriusq; quia in Concilio Lateranensi sub num. 2. exprimitur copulatiua *Ac*, cuius natura est coniungere, & copulare, *ex iuribus, & Doctoribus citatis à Rotà par. 7. dec. 236. num. 17.*

Procedit, quamuis non adsint approbationes Deputatorum, & Reuisorum, quia præsumitur, superiores examinasse, quod eis non denegatur. In Tridentino de eisdem fit mentio copulatiuè illis verbis. *Superiorum ecclesiasticorum* sub num. 5. qui sunt Episcopus, & Inquisitor, vel eorum Vicarij.

Quæritur 15. An gratis examinari, approbari, & subscribi debeant?

30 ℞. Affirmatiuè, vt expressè dicitur in vtroque Concilio sub num. 3. & 9. Vnde turpe est aliquid petere.

Quæritur 16. An Allegationes Aduocatorum tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus debeant examinari, & subscribi, sicut & conclusiones?

31 ℞. Affirmatiuè ex vi Concilij Lateranensis sub num. 2. ibi: *seu aliam quamcunq. scripturam*, sunt enim propriè Scripturæ non libri, & nulla excluditur propter dictionem illam *Quamcunq.* vniuersalem negantem alicuius exceptionem, vt notaui sub q. 2. num. 11. Ita docent *Azorius part. 1. lib. 8. cap. 17. q. 2. Alterius in Bullà lib. 5. disp. 2. cap. 8. q. 1. Filliuc. tract. 14. cap. 6. q. 6. num. 83. ex illis Bonac. disp. 2. q. 2. p. 16. num. 11.* Qui subdit Mediolani vsu receptum esse, vt scripturæ litigantium in foro externo imprimantur sine examine, & approbatione.

Quæritur 17. Quid obseruare debeant Examinatores, & Reuisores, ac Deputati ad reuisionem Librorum, seu Manuscriptorum?

℞. Obseruare debent, vnum est, an aliquid in eis sit contra Fidem, & catolicam Ecclesiam Romanam per vniuersum orbem diffusam. Secundum, an aliquid in eis contineatur contra bonos mores, & an habeant aliquam speciem libelli famosi; si enim aliquid inuenitur ex prædictis in illis, nullatenus admittendus est Liber, vel scriptura, seu Liber manuscriptus, & id totum colligitur ex tenore subscriptionum, quibus vti solent Reuisores similibus verbis: *Nihil in eo inueni, quod fidei catolicæ, aut bonis moribus aduersetur*. Si occurrant opiniones in materià Iurisdictionis in vtroq; foro tàm ecclesiastico contra laicos, quàm seculari contra ecclesiasticos, relinquantur in suo statu, in quo Auctor eas posuit; quia non est censor opinionum, sed ne aliquid imprimatur contra catolicam Fidem, aut bonos mores, sed cauti sint, & prudentes, ne eorum ministerium vituperetur, vt accidit cuidam, qui noluit approbare quandam Allegationem, in qua dicebatur, quòd mulierum genus est auarissimum, vt dixit *Glos. V. Raro ad l. si à sponso 16. C. de donat. ante nupt.* alijs ibidem iuribus citatis, non obstante, quòd Aduocatus in suà Allegatione iura citasset. 32 33

Quæritur 18. in illis locis, vbi non sunt recepta Concilia quò ad impressionem Librorum, sed statur statuto Principis. Numquid ecclesiastici subsint tali statuto?

℞. Quamuis statuta laicorum non ligent ecclesiasticos neque in hac materià, neque in alijs, vt docent omnes *in cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* Quia Leges, & statuta solùm ligant suos subditos, quales non sunt ecclesiastici respectu statuentium secularium, adeo quod statutis laicalibus etiam à Papa confirmatis, nisi ipse expressè illa extendat ad illos, non subijciuntur, vt multis citatis docet Pasqualig. Centur. 2. q. 199. Esto sint lata ob bonum publicum, quia bonum publicum Iurisdictionem non extendit, nec etiam si sint lata in fauorem Ecclesiasticorum *Marinus lib. 1. cap. 31. Resol. rerum quotidian.* Ita in his terminis *Diana part. 4. tract. 1. resol. 60. citat Bariolam consil. 34. Nauar. & Suarez apud Lezanam V. Libri num. 10.* dicunt standum esse consuetudini. Nihilominus cum Auctor Manuscripti non possit obtinere suum intentum Impressionis, si non ire vult ad Ministros Principis, mittat Impressorem, qui non potest imprimere sine licentia sui Superioris. 34 35

Quæritur 19. An Episcopus ea, quæ spectant ad officium suum possit facere imprimi proprià tantùm auctoritate sine licentià Inquisitoris

quisitoris, itaut impressor non possit dici transgressor Decretorum vtriusque Concilij, neque proinde puniri ab Inquisitore?

36 ℟. Affirmatiuè, nam impar non agit in parem, nec inferior in maiorem, neque superiorem dignitate, quod accideret, si Episcopus non posset facere imprimi nonnulla ad suum officium spectantia. Confirmatur, & quia Inquisitor spectantia ad suum officium facit imprimi sine subscriptione Episcopi. Et quia Decreta præfatorum Conciliorum eas vtriusque licentias requirunt in ordine ad Subditos suos, & non inter ipsos Episcopum, & Inquisitorem. Quæ autem Episcopus solùm propriâ auctoritate sine Inquisitore potest facere imprimi sunt Synodus in primis Diœcesana; Edicta pro reformatione Clericorum; Tabella casuum reseruatorum; Monitoria pro deperditis; Officia propria sanctorum sui Episcopatus, vel aliorum Romà transmissorum; Calendarium annuale; Indulgentiæ, & Iubilea transmissa; Cedulones pro denuntiandis percussoribus Clericorum Licentiæ pro Ordinibus, concursibus, & concionatoribus.

Quæritur 20. An Generalis possit seipsum licentiare ad impressionem Librorum suorum seruatis Decretis vtriusque Concilij, reuisis scilicet libris cum subscriptione Ordinarij, & Inquisitoris.

37 ℟. Affirmatiuè, quia non habet superiorem in Religione supra se, ergo sicut potest suos subditos licentiare ad impressionem, ita & seipsum; nec obstat Tridentinum sub eo num. 7. requirens, vt Regulares habeant licentiam à suis Superioribus in Libris edendis; Generalis enim non habet superiorem, ergo Tridentinum non loquitur de Generali. Confirmatur per eas rationes, quas adduxi Resol. 58. num. 28. pro resolutione præsentis quæstionis.

Quæritur 21. An liber reuisus, & licentiatus ad impressionem statim sit consignandus à Reuisore Impressori, an possit restitui Auctori, vt agat cum Impressore?

38 ℟. In Regulâ X. Indicis sub vers. in alijs, dicitur. *Hac lege, & conditione additâ, vt exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris subscriptum apud Examinatorem remaneat* in titulo verò impressionis librorum §. 4. sic disponitur. *Qui operis alicuius editionem parat, integrum eius exemplar exhibeat Episcopo, vel Inquisitori, id vbi recognouerint, probauerintque pœnes se retineant. Quod Romæ quidem in Archiuio Magistri sacri Palatij; extra Vrbem verò in loco idoneo, quem Episcopus, aut Inquisitor elegerit, reseruetur.* Vsus obtinuit, quod mittitur Auctori, vt agat cum Impressore circa modum imprimendi, & certè negotium hoc exigit, quia si Auctor est in loco Impressoris Manuscriptum corrigit. Ita facio ego hic Parmæ; & si quandoque Auctor reliquit vnum verbum, & alterum, sine peccato additur, & superfluum abijcitur, modo non mutetur vna sententia in aliam, quia id est prohibitum facere sine licentiâ Episcopi, vel Inquisitoris in eodem §. IV. ibi: *Neque ab exemplari manu scripto, vel minimum discessisse. Qui contrafacere ausus fuerit, grauiter, & seuerè puniatur.* Nota nihilominus, quòd hæc verba diriguntur ad Typographum, qui fideliter in suo munere debet se gerere.

Quæritur 22. An necessarium sit, vt opus iam impressum ante distributionem, & expositionem venalem recognoscatur à superioribus, & ab illis publicetur?

℟. Concordato cum originali impresso Libro cōceditur publicatio Librorum impressorum ab eo, ad quem hæc cura pertinet, vt dicitur in tit. de Impress. Libr. §.4. Vers. Postquam. Ad hoc non nominatur hic expressè Episcopus, nec Inquisitor, ergo vterq; potest hanc licentiam dare, vel committere; videtur id esse in vsu apud Inquisitores. 39

Quæritur 23. An præter Libros prohibitos, qui non possunt denuò imprimi, aliquorum aliorum, qui non sunt prohibiti, impressio negetur?

℟. Affirmatiuè. In primis Paulus V. deinde Vrbanus VIII. prohibuerunt impressionem Librorum tractantium de diuinis auxilijs; interdixit quoq. idem Vrbanus sub pœnâ priuationis dignitatum, & officiorum suorum, vocis actiuæ, & passiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipso facto, absq. alia declaratione, cum amissione Librorum, & alijs pœnis arbitrarijs contrauenientibus infligendis. Decreta huiusmodi extendunt *Peyrinus ad Bullam* 11. *Iulij II. num.* 20. *Lezana tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 24. *& tom.* 4. *V. Libri num.* 13. *Et ego cap.* 15. *q.* 22. *num.* 30. Vbi alia notaui, quæ huc reducere non oportet. 40

Deinde non possunt imprimi responsa Sacræ Congregationis (intellige ex professo) nisi de speciali licentiâ eiusdem sacræ Congregationis, neq. eis fides abhibenda, nisi sint authenticata sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti Congregationis, vel eius Secretarij, vt patet ex eiusdem Decreto à me extenso dicto cap. 15. sub q. 24. Ideo nō prohibentur in libris modernis impressis post annum 1631. huius prohibitionis, citari à Doctoribus, cum id non sit de illis tractari ex professo, sed incidenter, ad confirmandas proprias opiniones.

Quæritur 24. An liber compositus in vna ciuitate possit mitti imprimendus in aliam, sine examine illius faciendo in loco, vbi est compositus?

℟. Id prohibetur solùm in statu ecclesiastico per Decretum Vrbani VII. emanatum 18. Septembris 1625. incip. Sanctissimus, & 41

infra. Decreuit, vt in posterum, nemo in statu prædicto degens, cuiusuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, Libros de quauis materiâ tractantes, & vbicunque compositos, audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressâ in scriptis approbatione Illust. & Reu. D. Cardinalis S.D.N. Vicarij, & Magistri S. Palatij, si in Vrbe; si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, siue ab eisdem Deputatorum facultate, & licentiâ Operi præfigendâ. Libros autem, quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio Sanctitatis suæ infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrarijs quibuscunque non obstantibus &c.

Hoc Decretum referunt *Peyrinus in Addit. ad Constit. Pauli V. cap. 10. num. 64. Lezana V. Libri num. 12. Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 7. Diana ad finem partis 4. Dal Bene in fine sui operis de Officio S. Inquisit.* Afficit eos Regulares, qui actu degunt de familiâ in Conuentu sito in statu ecclesiastico, non verò eos, qui ibi sunt casu, vt sunt e. g. Concionatores, Confessarij monialium transmissi &c. Non prohibetur hic compositor, qui facit sibi mutare domicilium extrà statum ecclesiasticum, vt liberius possit extra cudere librum v. g. Religiosus, qui Bononiæ librum composuit, vadit de familia Venetias, vt ibi possit librum prælo edere. Neque enim obstant ea verba: *Audeat aliò deferre*, quia non important translationem domicilij, sed solam portationem libri sine loci mutatione der. lict:.

Difficultas est non leuis an Parmæ, & Placentiæ degentes dicantur existere in statu ecclesiastico? Et quid sit status ecclesiasticus? Nam in Decreto præfato sub medium habentur hæc verba *in statu Sedi Apostolicę mediatè vel immediatè subiecto existentium.*

42 R. Loca Status ecclesiastici, quæ immediatè sunt subiecta Sedi Apostolicæ, sunt illæ ciuitates, ad quas Papa mittit Legatos à latere, & Gubernatores, aliosque ministros suis temporibus, quæ sunt Bononia, Ariminum, Ferraria, &c. in quas mittit Legatos Cardinales, Imola, Fauentia, &c. in quas mittit Gubernatores; & à Bononiâ vsque & vltra Vrbem. Loca verò mediatè subiecta non sunt ciuitates, sed oppida, ad quæ quælibet ciuitas mittit ministros; vel sunt loca baronalia, seu feudalia sita in territorijs earumdem ciuitatum, quorum domini subduntur immediatè Legatis, vel Gubernatoribus. Vide interim Vgolinum *Super excom. Bullæ Cœnæ Domini contra inuadentes loca Ecclesiæ; Duardum lib. 2. can. 20. q. 7. Filliuc. tom. 1. tract. 16. & de cens. in pratic. cap. 3. num. 66.* dicentem, inuadentem ciuitatem Parmæ affici hac censurâ, quia est immediatè subiecta Ecclesiæ ratione dominij directi, & hos refert *Franciscus Cespedes Theatinus de exempt. Regul. Dub. 322. ad propositum supra dicti Decreti. Bonac. disp. 1. Bullæ q. 22. p. 3. num. 3.* inquit: Alia verò non recognoscunt Papam tamquam superiorem temporalem actu, vt Ducatus Parmensis, & olim Ferrariensis, Vrbinatensis, & pro se citat Alterium, Vgolinum, & Filliucium, contra Duardum existimantem, loca in feudum concessa non dici mediatè, sed immediatè subiecta.

Ego autem relictâ supradicti Canonis explicatione, dico in hoc Decreto non comprehendi ciuitates Parmæ, & Placentiæ, quia quamuis feudales sint, & recognoscant Sedem Apostolicam in Dominum directum; non ideo tamen sunt subiectæ in temporalibus Papæ immediatè, nec mediatè; quia Papa non mittit Magistratum, & Ministros ad earum gubernationem; dum enim inuestiuit nobilissimos Farnesios, eis perpetuò concessit merum, & mixtum imperium cum translatione Iurisdictionis, vt nulli esset subiectus harum ciuitatum Dux, alium non recognoscens superiorem nisi Papam pro tempore, ratione Feudi tantùm, non in exercitio suæ Iurisdictionis; & hæc collegi ex Farinac. decis. crimin. in Addit. Liter. E. vbi nominantur Ferraria, Parma, & Vrbinum, item q. 172. num. 81. prædicta pro explicatione canonis Bullæ referuntur ad Barones minores tantùm, pro qua re videndus est Marius Italia de Immun. Eccles. cap. 6. §. 7. à num. 28. ad 34. de potestate translatâ in maiores Barones. 43

Quæritur 25. Quo ordine debeant subscribere omnes concurrentes ad approbationem Librorum imprimendorum? Difficultas non est de Superioribus, quia certum est in Vrbe subscribere Vicesgerentē primò, & Magistrū sacri Palatij, vt dixi supra q. 3. Quando Magister committit alicui reuisionem, & examen Manuscripti, tunc præmissæ approbationis subscriptioni Deputati Magister sacri Palatij subiungit suam licentiam sic. *Imprimatur Fr. Raymundus Capisuccus Magister Sacri Palatij apostolici.* Ita lego in Operibus Illustriss. & Reuerendiss. D. Prosperi Fagnani. Et si opus est alicuius Regularis, Approbationem factam per Deputatos subscribit primò loco superior Generalis tam in Vrbe, quàm extra, deinde Vicesgerens, &c. Et idem seruatur etiam extra Vrbem, quod hoc modo approbant Deputati, seu Examinatores cum suo Superiore seculari, deinde Episcopus, demùm Inquisitor, siue per se, siue per suos Vicarios, præcedentibus semper Deputatis, qui lumen dant Episcopo, vel Inquisitori ad concedendam licentiam imprimendi. Sola difficultas consistit inter Vicarium

carium Epiſcopi, & Inquiſitoris Vicarium, quis eorum debeat ſubſcribere *Imprimatur*. Cum ſuo nomine, cognomine, & Officio.

44 ℞. Ille primò debet ſubſcribere, qui ele-
git Reuiſorem Libri imprimendi, nam in fide
Reuiſoris atteſtantis, quòd Opus eſt dignum
impreſſione, ille ſubſcribit confiſus in eius
approbatione; eſt enim imprudentis ſubſcri-
bere aliquid, quod eius nomine lectum non
fuit, ſiquidem ſubſcribens confirmat, & ap-
45 probat omnia contenta in ſcripturà, *Gloſ. V.
Subſcripſerit cap. Si quis 6. de rebus eccleſ. non
alien. Rota par. 4. tom. 1. dec. 21. num. 8. Ve-*
46 *rallus par. 2. dec. 360 num. 7.* Quomodo er-
go ignorans ſcripturam, quam non legit, nec
fecit legere, poteſt ſua ſubſcriptione approba-
re? certè nullo modo; ignorans enim non
47 conſentit, *l. Si per errorem 15. ff. de iuriſd.
omn. iudic. l. Nihil 117. ff. de reg. iur.* Non
dicitur approbare actum, quem ignorat,
Rota par. 3. dec. 283. num. 3. Non negligit,
48 non renuntiat, non contemnit, non ratificat,
eius nulla eſt voluntas, *ex allegatis à Paulo
Rubeo ad deciſ. 3. num. 10. part. 3.* Non po-
teſt ergo prætendere præcedentiam in ſubſcri-
49 bendo ille, qui non legit, nec fecit legere
Opus.

Hinc eſt, quòd reſpectu Regularium priores ſunt approbationes regulares à deputatis, ſubſcribente eorum Superiore per illorum Fidem; deinde ſequuntur approbationes Deputatorum ab Epiſcopis, ſeu Archiepiſcopis etiam Cardinalibus, qui tamen ferè nunquam ſubſcribunt, cum eorum ſubſcriptio contineatur virtualiter in approbatione Deputatorum, quibus commiſerunt reuiſionem Operis, nam certum eſt, quòd quis poteſt non ſolùm per ſe, ſed etiam per alium ſubſcribere, *Gloſ V. ſua vice, cap. Cum inter 13. de ſent. & re iud.* Quare ad rem noſtram, ſi Vicarius Generalis deputauit ſuum Reuiſorem per ſe, vel per Epiſcopum ſuum, poterit de Iure ſubſcribere cum dictione *Imprimatur*, tunc enim legitimè præferendus eſt Vicario Inquiſitoris, quia eius ſubſcriptio debet coniungi cum Deputato Reuiſore. Si autem non adhibuit Reuiſorem proprium, neſcio quomodo prætendat ſubſcribere ante Vicarium Inquiſitoris, cum ab eo Fidem non habeat, ergo non poteſt hoc modo præſubſcribere, quia ordo ſubſcribendi regulatur à Deputatis, ſeu Examinatoribus, vel Reuiſoribus, pro eodem enim officio accipiuntur hæc vocabula.

50 Dices, Carena par. 1. tit. 7. num. 10. ſtat pro Vicario Generali Epiſcopi, qui in Congregationibus, & Sententijs ferendis ſemper præcedit Vicarium Generalem ab Inquiſitore creatum, quia non gaudet priuilegio Inquiſitoris creantis illum; cum alijs Farinac. q. 186. num. 91.

Reſponſio colligitur ex verbis eiuſdem Carenæ, quòd Vicarius Epiſcopi præcedit Vicarium Inquiſitoris in Congregationibus & Sententijs ferendis; de præſenti caſu ſubſcriptionis, nihil dicit, ergo ſtandum eſt rationibus ſupradictis; quòd ordo præſubſcribendi attendendus eſt ab approbatione Reuiſorum; vnuſquiſq; enim ex Vicarijs debet immediatè ſubſcribere approbationem commiſſam ſuo Reuiſori, nullus enim alter intermediare debet.

Quæritur 26. An imprimens, vel faciens imprimi Librum ſine debitis approbationibus, & ſubſcriptionibus ſit ſuſpectus de Hæreſi, quamuis opus ſit alienum ab erroribus contra Fidem, & bonos mores?

℞. Negatiuè, nam in dictis Concilijs, ne- 51
que in tit. de impreſſione Libr. aliqua fit mentio de huiuſmodi ſuſpicione, ſed tantùm de Excommunicatione, & alijs pœnis temporalibus, vt viſum fuit, nullà ergo notantur ſuſpicione Hæreſis, puniuntur ergo pro tali omiſſione ſine vllà Abiuratione, ſiue ab Epiſcopo, ſiue ab Inquiſitore.

Quæritur 27. An imprimentes libros incurrant Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini?

℞. Affirmatiuè, vt patet ex illis verbis: 52
Ac eorumdem libros Hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtrà, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes &c. Quinam dicantur impreſſores docui hic num. 20. & 21. de hac eadem Excommunicatione. Sub nomine *imprimentes* non veniunt facientes imprimere, quia non dicuntur imprimere, ſicut diſtinguuntur in Bullis ſub num. 2. & 6. imprimere, & facere imprimi, ita & in Bulla Cœnæ, vbi fit mentio ſolùm de imprimentibus; Liber autem impreſſus debet eſſe alicuius Hæretici denuntiati talis, vel de Sectà nati tractans de Hæreſi, aut Religione ad tenorem Bullæ Cœnæ. Quinam legentes, vel retinentes ſint Rei huius Excommunicationis, dicam latius ſect. 49. per totam, & illuc remitto Lectorem.

SECTIO XXXXVII.

De Impressione Librorum Mortuorum cum Famà Sanctitatis.

SVMMARIVM.

1 *Canonizatio est vna ex maioribus causis in Ecclesià Dei.*
2 *Imagines, & Tabellæ Seruorum Dei non apponantur in locis, etiam priuatis, & appositæ remoueantur.*
3 *Libri non imprimantur etiam cum recognitione Ordinarij, nisi expectato responso à Sacrà Congregatione.*
4 *Imagines, Tabellæ, nec lampades non apponantur, nisi vt supra.*
5 *Excipiuntur qui antiquitùs sancti habentur.*
6 *Ordinarius, & Inquisitor faciant obseruare.*
7 *Pœnæ contra ecclesiasticos transgressores.*
8 *Et contra Impressores.*
9 *Tabellæ, & alia recipiantur reponenda in loco secreto.*
10 *Quod nunquam Papa prohibuit in dictis Decretis.*
11 *Aliqualem probationem faciunt.*
12 *Longissimum tempus est excessus centum annorum.*
13 *Non conceditur tamen Missa, nec Officium per illam immemorabilem.*
14 *Liber debet recognosci per Ordinarium, & expectari responsum à Sacrà Congregatione pro impressione.*
15 *In reimprimendis Libris aliàs impressis non seruantur Decreta hæc.*
16 De cætero *refertur præcisè ad futurum.*
17 *Dicta non habent locum in ijs, qui excedunt Centenariam.*
18 *Quæ debet esse completa, vt indicat verbum* Excedens.
19 Exegerit *petit tempus completum.*
20 *Libris istis adhibetur fides humana priuata.*
21 *In antiquis probant.*
22 *Historia habet pro obiecto veritatem.*
23 *Liber impressus ad tenorem Decretorum aliquam facit probationem.*
24 *Miracula transmittuntur sigillata ad Episcopum.*
25 *Elogia quæ cadunt super mores, & opinionem, non quæ super personam admittuntur.*
26 *Auctoritatem nullam Libri habent ab Ecclesià.*
27 *Protestatio vnica sufficit.*
28 *Sola protestatio cum licentià sine responso S. Congreg. non excusat à transgressione Decretorum Vrbani VIII.*
29 *Pœnæ referuntur.*
30 *Sufficit, quòd inferantur vel ab Ordinario, vel ab Inquisitore.*
31 *Reus horum Decretorum non fit suspectus de Hæresi.*

Canonizatio Sanctorum est vna ex maioribus causis, quæ tractari possunt in Ecclesià Dei, vnde in eà cum magnà circunspectione procedendum est, quæ proinde soli Romano Pontifici reseruatur, vt docent omnes Canonistæ *in cap. 1. de Reliq. & Vener. Sanct.* de qua re fuse egi *Controu. 13. nunc Resol. 113. tom. 4. Impressionis Lugdunensis.* Quoniam verò errores accidere possunt apud Historicos agentes de vità, & moribus hominum, qui moriuntur cum famà sanctitatis, ideo Vrbanus VIII. in suà incip. *Sanctissimus* 37. anno. 1625. die 13. Martij, publicatà 4. Aprilis, sequentia statuit sub sequentibus Paragraphis. 1

I. Statuit, & decreuit, ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrij famà, quantacunq; illa sit, defunctorum Imagines, aliaq; prædicta, & quodcunq; aliud venerationem, & cultum præseferens & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis; vel Ecclesijs tam secularibus, quàm regularibus, cuiuscunq; Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolicà Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & si quæ appositæ sunt 2

ſunt, amoueantur, prout ſtatim eas amoueri mandauit.

3 II. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit Libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis ſiue Martyrij famà, vel opinione, vt præfertur, celebres è vità migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunq; beneficia tamquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atq; approbatione ordinarij, qui in ijs recognoſcendis, Theologos, alioſq; pios, ac doctos viros in conſilium adhibeat; & ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re, tam graui committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam transmittat, eiuſq. reſponſum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaq. beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atq. approbatione huiuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatq. ſua Sanctitas.

4 III. Ad horum hominum ſepulcra vetuit etiam, & prohibuit Tabellas, atq. Imagines ex cerà, aut argento, ſeu ex alià quacunq; materià, tàm pictas, quàm fictas, atq. exculptas appendi, aut affigi, & lampades, ſiue alia quæcumq. lumina accendi, ſine recognitione ab Ordinario omninò, prout ſupra, faciendà ſediq. Apoſtolicæ referendà, ac probandà.

5 IV. Declarans, quòd per ſupraſcripta preiudicare in aliquo non vult, neque intendit, eis qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumq; ſanctorum ſcripta, vel longisſimi temporis ſcientià, ac tolerantià Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij conſultus.

6 V. Vt autem præmiſſa obſeruentur, vniuerſis, & ſingulis, tam Ordinarijs, quam hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipit, vt in ſuà quiſq; Diœceſi, vel Prouincià ſedulò peruigilent, ne ſine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra ſuperius diſpoſita fiant.

7 VI. Tranſgreſſores verò, ſi Regulares fuerint, priuationis ſuorum officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon & ſuſpenſionis à diuinis; ſi verò clerici ſeculares, priuationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à diuinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneq. ſuorum ordinum reſpectiuè, alijſq. arbitrio prædictorum ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pænis plectendo.

8 VII. Qui autem libros impreſſerint, aut Imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo effinxerint, aut formauerint, cæteriq. artifices circa præmiſſa qualitercunq. delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs, alijſq. etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorundem Ordinariorum ſeu Inquiſitorum arbitrio Afficiantur.

Ibidem in Bullario ſubijcitur declaratio præinſertæ prohibitionis præcedentis Bullæ, quæ ſequitur his verbis.

Poſtmodùm verò idem Sanctiſſimus D. 9
N. à quibuſdam in dubium reuocari accepit, an Tabellas, & Imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conſeruare liceret? Sanctitas ſua, quæ tantùm modo voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare; re prius cum Illuſtr. & Reuerd. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus communicatà preſenti decreto declarauit, quòd ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemq. Tabellarum, & Imaginum huiuſmodi, ita vt nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur.

Statuit in præſentiarum, & decernit, vt 10.
quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumue alium publicum, ſecularem, ſeu regularem Tabellas, & Imagines, aliudue ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſione hominum inter ſanctos, vel beatos non adſcriptorum, quamuis cum Martyrij, vel Sanctitatis famà demortuorum optata ſe impetrauiſſe dixerit. Liceat eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumque prædictorum curæ præpoſitis Tabellas, & Imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materià fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia, ſimul cum deferentis, 11.
& aliorum, qui conſcij fuerint atteſtationibus accipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſià loco cuſtodire, ibidemq. iam amota collocare, & aſſeruare, vt ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiuſmodi ſanctitatis qualeſcunque probationes Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, contrarijs quibuſcunque non obſtantibus.

Idem Pontifex Vrbanus in alia incip. *Cæ-* 12.
leſtis Hieruſalem 22. in Appendice confirmat quæcunque ſuperius dicta, & declarat proceſſus pro eorum Beatificatione, & Canonizatione conficiendos, & quid ſit longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſum, de quo dicitur ſub §. 5. ſequentibus verbis.

Inſuper longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſum, de quo in prædicto Decreto intelligi declarauimus, eſſe tempus

pus centum annorum metam excedens.

Ex Felice Contelorio Aduocato Romano de Canonizatione Sanctorum rescribo Decretum super immemorabili his verbis.

13 Sacra rituum Congregatio, annuente Sanctissimo domino nostro, decreuit immemorabilem probatam super cultu, & veneratione alicuius sancti non canonizati, nec beatificati non suffragari ad effectum, quòd de illo possit concedi Missa, vel Officium; sed in specie, & in illo loco esse probandam immemorabilem, quò ad cultum cum Missà, & Officio; & ita imposterum seruari mandauit die 20. Nouembris 1628.

Ab eodem referuntur alia Decreta pro formandis processibus de vita, & miraculis seruorum Dei; de quibus præcedentibus *Diana part.* 4. *in fine*, *Bariola in Florib. Inquisit. Tambur. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *Peyrin. ad Const.* 3. *Leonis X. Ego cap.* 15. *a num.* 15. *Lezana V. sanctorum cultus*, *Dal Bene Dub.* 234. *sect.* 2. *Petit.* 14. rescribit nonnulla Decreta super cultu Beatis adhuc non canonizatis præstando à S. Rituum Congregatione habita coram Sanctissimo D. N. Alexandro Papa VII. 27. Septembris 1659. Nonnullæ Quæstiones proponendæ, & resoluendæ sunt quò ad nostrum institutum.

Quæritur igitur primò, quid seruandum sit pro impressione Librorum super vita, & gestis eorum, qui moriuntur cum famà sanctitatis?

14 ℟. Gesta, miracula, reuelationes, & beneficia ab illis facta hominibus in primis recognoscenda sunt ab ordinario, adhibitis Theologis, & viris doctis, & pijs, & hæc omnia ab illo approbata transmittenda sunt ad Sedem Apostolicam per eundem Ordinarium, qui debet expectare responsum, & non aliter dare licentiam imprimendi, nisi iuxta tenorem ipsius responsi. Id totum colligitur ex num. 3.

Quæritur 2. An hoc idem seruandum sit in Libris eorum iam impressis, reimprimendis?

15 ℟. Negatiuè, si impressi sunt ante publicationem huius Bullæ, quia ipsa prescribit ordinem seruandi in posterum, vt colligitur ex illis verbis *imprimi de cætero*; loquitur enim de primà impressione, non verò de re-

16 impressione, illud quoq; verbum *De cætero* importat impressionem scilicet futuram, non reimpressionem, quæ refertur ad aliam antecedentem, nam *De cætero* respicit futurum tempus sine ordine ad antecedens, & præteritum, *Glos. V. eod. in cap. Vn. Ne Sede vac. extrauag. Ioan.* 22.

Quod si quis dicat obstare sequentia verba eiusdem Bullæ sub eodem num. 3. *Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult.* Respondeo non obstare, quia non prohibeat reimpressionem, sed solùm dicitur, quòd non debent censeri approbata, nisi accedat approbatio huiusmodi.

Quæritur 3. An dicta in præcedentibus duabus quæstionibus locum habeant in Libris Beatorum, seu Sanctorum, qui præcesserunt centenariam, itaut illis Fides non sit adhibenda, nec vllo modo censeatur approbata?

℟. Non habent locum, quia Bulla loquitur de illis hominibus, qui nondum sibi præscripserunt titulum Beatitudinis, nec Sanctitatis, cuiusmodi sunt illi, qui cum famà, seu opinione Sanctitatis defuncti sunt ante centenariam numerandam à publicatione huius Bullæ 1625. die 4. Aprilis, de qua sub num. 12. Dixi cap. 15. num. 24.

Quæritur 4. An dicta centenaria matematicè, & rigorosè seruanda sit? An sufficiat eà vti ciuiliter, & moraliter? Videtur primum importare, ibi: *Esse tempus centum annorum metam excedens*, Excedit autem, si nihil temporis desit, ergo rigorosè accipienda est.

Respondetur ita dicendum propter illud verbum *Excedens* quod arguit complementum temporis. Quidquid mihi nonnulli amici persuaderent, quia in fauorabilibus annus cæptus habetur pro completo; sed id procedit, quando tempus concipitur cum talibus verbis, quæ possunt applicari cuilibet parti temporis inchoati; quod non accidit in casu nostro, in quo adest verbum *Excedens*, quod importat tempus completum; idem enim significat, immo aliquid plus, quàm verbum *Exegerit*, cui nec momentum deesse debet, Glos. V. eod. cap. Cum in cunctis 7. de elect. 18 19

Quæritur 5. Qualis fides adhibenda sit his libris, in quibus agitur de vità, & moribus Seruorum Dei, & Ancillarum eius?

℟. Si sunt impressi tantùm ad formam vtriusq; Concilij, iuxta dicta in præcedenti sectione, illis tanta Fides adhibenda est, quanta alijs libris hystoricis, quibus standum est, *multis allegatis Rota par.* 5. *dec.* 353. *num.* 23. Vnde libri Historiarum plenè probant, maximè in antiquis, *Bald. in l. Ea quidem C. de Accusat. col.* 4. *fine cum alijs Gratian. cap.* 893. *num.* 7. Historia enim habet pro obiecto veritatem, *Bursat. dec.* 358. *num.* 3. Fide quidem humanà, & priuatà, quæ parum prodest in nouis in ordine ad Seruos Dei, quia carent Libri approbatione requisità in Decretis supradictis Vrbani VIII. Quod si liber sit impressus secundùm requisita sub quæst. 1. tunc multùm prodest Seruis Dei in ordine ad Beatificationem, vt patet sub num. 11. his verbis: *Vt si quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, & Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi* 20 21 22 23

modi Sanctitatis qualescunq; probationes Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ.

In alio Decreto de anno 1642. apud Lezanam V. Sanctorum cultus num. 8. videtur oppositum determinari his verbis: *Declarando etiam expressè, quòd tales libri, seu hystoria, licet ab Ordinarijs reuisa, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant maiorem gradum in ordine ad Canonizationem, seu Beatificationem, quàm quem aliàs absq. tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu.* Et in alio Decreto edito anno 1631. 12. Martij allato à Peyrino Decreto 6. incip. cum in tota &c. Ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neq; vllo modo exquirere, atq. obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscrip-
24 tiones sub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis. Quòd si superiori, Sacristæ, seu alteri officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ fuerint reuelata aliqua miracula, siue prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur. Teneantur tamen quamprimùm commodè poterunt eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, cum expressâ declaratione, quòd reuelationes sic vt supra receptæ non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu. Approbatum fuit à Papa.

Non aduersantur in aliquo, cum hæc Decreta in hoc conueniant, quòd nullum gradum probationis faciunt siue sint Libri approbati, siue relationes factę coram Episcopo, siue cum responso, siue non; eo quòd acta horum Dei Seruorum adhuc sunt examinanda iudicio Sedis Apostolicæ, vt dicitur sub num. 11. Non negantur ergo aliquales probationes ex his Libris, seu scripturis receptis ab Episcopis, sed tantùm ab alijs scriptis sine consensu Episcopi.

Ad hoc propositum Lezana V. Sanctorum cultus num. 9. referens Protestationem, quàm solent librorum Auctores inserere suis operibus dicit Sanctissimum die 5. Iunij 1631. se ita explicasse; vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ ca-
25 dunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla
26 adsit auctoritas ab Ecclesiâ Romanâ, sed fides tantùm sit apud Auctorem. Prædicta ex eodem Lezana repetit Dal Bene Dub. 46. Petit. 26. num. 18. 19. & 20. Qui faciunt mentionem de duabus protestationibus, vnâ in principio libri, alterâ in fine, sufficit vnica,
27 quia textus sic loquitur *cum protestatione in principio*, consistente in eo, quòd ab Ecclesiâ nulla Auctoritas datur Auctori, cuius Fides apud ipsum tantùm remanet; potest tamen Ecclesia nescio quid probationis attendere in opere Auctoris, si vult, in quo sensu accipienda sunt supradicta verba *Qualescunq probationes*, quæ aliqualiter prodesse possunt, si Ecclesia vult, aliter dicta verba pugnare videntur cum alijs *Nullum probationis gradum* non semel repetitis supra.

Quæritur 6. An solâ protestatione cum approbatione Episcopi, & Inquisitoris faciens imprimere, vel imprimens Librum de hac materiâ sit transgressor præfatarum Bullarum?

℞. Adhuc necessarium est expectare responsum Sacræ Congregationis, ad quam Episcopus transmisit exemplar libri, iuxta quod dicitur sub num. 3. Et ita docet Lezana V. Sanctorum cultus num. 11. Reuoco dictum cap. 15. q. 26. 28

Quæritur 7. Transgressor horum Decretorum in quas pœnas incurrat?

℞. Regulares sub num. 7. tres incurrunt pœnas, scilicet priuationem officiorum, vocum, & suspensionem à diuinis; Clerici seculares priuationem officiorum, suspensionem à diuinis, administrationis Sacramentorum, & executionis suorum Ordinum. Alijsque pœnis arbitrio ordinarij, seu Inquisitoris. Impressores verò, pictores, sculptores, & formantes Imagines, vota, tabellas, perdunt omnia, & affliguntur alijs pœnis etiam pecuniarijs ab eisdem, vt dicitur sub num. 8 Si ergo puniuntur ab vno, ab alio affligi non possunt, quia disiunctiua *Seu* docet, sufficere, si Reus puniatur ab vno illorum, arguit enim præuentionem inter ipsos. Præfatæ pœnæ suspensionis à diuinis, ab administratione Sacramentorum, & ab executione Ordinum ipso iure incurruntur, quia sunt sub censurâ Suspensionis. Priuatio autem officiorum, & vocum non incurruntur nisi per sententiam Iudicis exequendam. Idem dic de pœnis contra Impressores. 29 30

Quæritur 8. An transgressores sint suspecti de Hæresi?

℞. Negatiuè, quia defectus huiusmodi formæ cum non sit contra Fidem, non potest arguere suspicionem Hæresis, sed solùm inobedientiam legalem. Dixi cap. 15. q. 25. Honorare enim seruum Dei solâ Fide humanâ cum veritate iniquum non est. 31

SEC.

SECTIO XXXXVIII.

De Prohibitione librorum.

SVMMARIVM.

1 *Potestas hec est in Ecclesiâ Dei.*
2 *Coaua Apostolis.*
3 *Estq; de Fide.*
4 *Est in Papâ, & Congregatione S. Officij.*
5 *In Magistro Sacri Palatij Apostolici.*
6 *In Episcopis, & Inquisitoribus.*
7 *In Generalibus quò ad sibi, & Ordini praeiudicialia.*
8 Principes *eodem modo prohibent sibi nociuos.*
9 *Materia capax prohibitionis reducitur ad quatuor capita.*
10 *Est potissimum Haeresis, & falsa dogmata contra Fidem.*
11 *Doctrina etiam bona Haereticorum non accipitur ab Haereticis.*
12 *Libri de rebus obscenis sunt prohibiti in Indice.*
13 *Opiniones laxae prohibentur.*
14 *Causa finalis prohibendi libros quadruplex Caramueli.*
15 *Duplex per me, ne legentes subuertantur, & odium Auctoris.*
16 *Propter duos fines omnes Libri prohibentur.*
17 *Prohibitio duplex, absoluta, & ad tempus, donec liber corrigatur.*
18 *Liber cum clausula* Donec corrigatur *consignandus est.*
19 *Caesar Cremoninus tenuit Caelum esse animatum.*
20 *Cuius Disputatio fuit reprobata.*
21 *De Fide enim est Caelum non esse animatum in sententiâ multorum.*
22 *De Fide aliquid est dupliciter, definitiuè, & opinatiuè.*
23 *Pius IV. excommunicat legentes, vel habentes libros damnatos propter Haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem; sunt suspecti de Haeresi.*
24 *Libros ex aliâ causâ legens, aut habens peccat mortaliter, & punitur ab Episcopo.*
25 *Ex causa Haeresis, vel Suspicionis, vel contra bonos mores, prohibentur.*
26 Pius *IV. subdit Episcopis legentes Libros ex 3. causâ mox dictâ.*
27 *Dogma suspectum de Haeresi, quod opponitur propositioni de Fide opinatiuè.*
28 *Damnato auctore intelliguntur damnata etiam eius opera, licet bona.*
29 *Indignum enim est, quòd Catolicus erudiatur ab Haeretico.*
30 *Iulius III. reuocat omnes licentias legendi libros prohibitos, & prohibendos.*
31 *Consignandos Inquisitoribus etiam deinceps prohibendos.*
32 *Loquitur de Libris continentibus Haeresim, vel falsam doctrinam.*
33 *Sixtus V. mandat libros Astrologicos, & Magicos consignari.*
34 *Excommunicatio vnica est in toto Indice.*
35 *Gregorius, & Vrbanus, quòd omnes Libri ex quauis causâ prohibiti consignantur.*
36 *Finis regulat, & restringit totam dispositionem.*
37 *Tempus apponitur ad solicitandum, non ad terminandam obligationem.*
38 *Bulla Gregorij, & Vrbani reuocat licentias legendi Libros prohibitos.*
39 *Mandans consignationem prohibitorum ex quacunq; causâ.*
40 Quomodolibet *comprahendit omnem modum, & casum.*
41 *Prohibitio spoliat habentem dominio, possessione, & vsu libri.*
42 *Confiscationis Libri sunt capaces, & per prohibitiones confiscantur.*
43 *Vnde amplius alienari non possunt.*
44 *Combustio Librorum erat in vsu tempore Apostolorum.*
45 *Ioannes XXII. excommunicat imolantes*

lantes Dæmonibus, & petentes ab eis responsa, vel auxilia, & huius materiæ Libros tenentes.

46 *Combustio Librorum licuit propriâ auctoritate vsq; ad Iulium III. qui iussit consignari Inquisitoribus.*

47 *Comburendi sunt ab Episcopis, vel Inquisitoribus.*

48 *Et non ab habentibus illos.*

49 Quamprimùm *quale tempus importat.*

50 *Causâ expeditâ Libri comburuntur.*

51 *Libri suspensi donec corrigantur non comburuntur.*

52 *Comburens non incurrit censuras, nec suspicionem Hæresis. 56.*

53 *Retinentes incurrunt pænas Hæreticorum ex Bulla Iulij III.*

54 *Non consignantes ex hac omissione præcisè nullam incurrunt pænam.*

55 *Comburens quando sit suspectus?*

56 *Habentes Libros ex quauis causâ prohibitos sunt denuntiandi.*

57 *Bulla de reuocatione licentiarum legendi Libros comprahendit omnes.*

58 *Etiam Inquisitorem.*

59 *Consultori vni datur Liber qualificandus, qui extrahat errores.*

60 *Inquisitor non est Iudex prohibitorũ, nisi comburendi.*

61 *Qualificantur Libri prohibendi, non iam prohibiti.*

1 ESse in Ecclesiâ Dei potestatem prohibendi Libros Hæreticorum nullus sanæ mentis dubitat, malum enim quodcunq; extirpandum est, ex quo est nociuum, quod omnes Catolici docent cum *Bellarmino lib. 3. de Laicis cap. 20. Ricciul. de iure person.*
2 *extra Eccles. grem lib. 5. cap. 21.* Et huius potestatis vlus est coæuus ipsis Apostolis, qui vt legitur Act. 19. 19. prohibuerunt quamplures Libros, qui tractabant de arte magicâ, subsequenter ab eorum auctoribus combustos coram omnibus, sic enim legitur ibidem. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt Libros, & combusserunt corã omnibus, & computatis pretijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Constantinus in Concilio Nicœno Libros Arij damnatos mandauit comburi; Gelasius Papa 1. in Concilio Romæ habito cum septuaginta Episcopis damnauit multos Libros, cuius decretum extenditur à Gratiano sub cap. 3. dist. 15. & tom. 2. Conciliorum fol. 460. Impressionis Venetæ Nicolini. Quòd autem in Ecclesiâ Dei detur hæc potestas prohibendi, & damnandi Libros Hæreticorum, dicitur id esse de Fide *à Salelles* 3
Reg. 140. num. 8. acceptum *à Suarez de Fide tract. 1. disp. 20. sect. 2.* Suadetur per Epist. 2. Ioannis Apostoli num. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, qui enim dicit illi Aue communicat operibus eius malignis.* Reprobandus ergo est non solùm Hæreticus, sed omnia quoque eius opera, quia maligna sunt. Sed accedamus ad quæstiones. Vide Angelum Mariam Vericellum de Missionibus q. 195. sect. 1.

Quæritur 1. Quis potest prohibere Libros tractantes de Hæresi, & alios, qui possunt esse nociuos fidelibus?

℞. Id in primis spectat ad Romanum Pontificem per vniuersum orbem; quod munus 4
regulariter exercet per Congregationem S. Officij, cuius auctoritas se extendit per vniuersum orbem illi specialiter tributa. Ita omnes catolici nullo discrepante.

Quæritur 2. An Magister sacri Palatij Apostolici habeat potestatem prohibendi Libros perniciosos?

℞. Affirmatiuè; id enim probatur ex eius 5
vsu, actus enim, & exercitium in personâ arguit potentiam, & potestatem in agente. Et id confirmatur ex multis prohibitionibus ab eo factis, quæ registrantur in nouissimo indice impresso iussu Alexandri VII. Sed puto hanc eius potestatem non excedere Vrbem, & eius districtum, quia nunquam vidi, eius prohibitiones publicari extra per Inquisitores, nisi missas, vel à Papâ, vel à Congregatione; signum euidens, quòd eius potestas terminatur locis Vrbis, & suburbanis, vbi in hoc fungitur officio, vt Inquisitores in suis diœcesibus.

Quæritur 3. An Episcopi, & Inquisitores possint Libros prohibere?

℞. Affirmatiuè ex Reg. X. illis verbis: *Li-* 6
berum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam Libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Prouincijs, vel Diœcesibus expedire iudicauerint. Sed hoc non video practicari; de Libris enim prohibitione dignis solent admonere supremum Tribunal, quod facit prohibitionem generalem, & rationabiliter, quia non videtur satis prouisum extirpationi Hæresis, quæ serpit, & dilatatur vbique; ideo melius prouidetur per Romanam Inquisitionem, cuius potestas diffunditur per vniuersum orbem, quàm per Episcopum, & Inquisitorem, quorum potestas non ope-

operatur extra eorum territorium; cum sit non voluntaria, sed contentiosa, ideo restricta loco, & personis in loco, de cuius limitatione non est illud supremum Tribunal Vrbis, quod omnibus alijs imperat. In Regnis Hispaniarum Inquisitores Generales exercent hoc munus prohibendi Libros, singuli in suis Prouincijs, quorum subditi solùm afficiuntur, cum eorum potestas coarctetur loco, & personis, ne seipsos confundant ad inuicem in exercitio potestatis, confunditur enim ordo, si vnicuique propria iurisdictio non seruatur, cap. Peruenit 39. 11. q. 1.

Quæritur 4. An Generalis possit prohibere Libros suorum subditorum?

7 ℞. In duobus casibus. *Primò*, si sunt impressi sine eius licentiâ; in confusionem eius temeritatis, pœnis plectendi, de quibus dixi sub sect. 46. *Secundò*, si sunt perniciosi suæ Religioni, vel infamatorij. Si verò contineant Hæreses, causa spectat ad sacrum Tribunal priuatiuè ad Generalem, ex Bullis Pauli V. *Romanus Pontifex* 26. & Vrbani VIII. *Cum sicut accepimus*. 8. in Append.

Quæritur 5. An Principes seculares Libros prohibere possint?

8 ℞. Negatiuè quò ad primam prohibitionem, si in Libro agatur de Hæresi, quia causa de Fide, & Hæresi spectat ad Iudices ecclesiasticos priuatiuè ad laicos. Primæ ergo prohibitioni ab Ecclesiâ factæ Princeps laicus potest adiungere pœnas contra Auctores damnatos, & contra Librarios ad consignandum Libros Episcopis, vel Inquisitoribus. Quòd si Liber de alijs materijs extra Fidem, & Religionem perperam agat in præiudicium honoris, & iurisdictionis; potest Princeps se tueri prohibitione, & combustione Libri, & alijs pœnis; non tamen punire Clericum, si est Auctor Libri, sed instare, vt puniatur à suo Superiore. Vide *Sanctar. de Hæresi cap. 14. Ricciul. lib. 5. cap. 22. Carena part. 1. tit. 10. num. 1.*

Quæritur 6. causa materialis prohibitionis Librorum?

9 ℞. Causa materialis est illa, ex qua Liber componitur illi inexistente. Reducitur autem ad hæc capita, nam sub primo tractatio Hæresum continetur. Sub secundo continetur tractatus de Religione. Sub tertio tractatur de Rebus lasciuis. Sub quarto de casibus conscientiæ. Sub quinto contra proximum.

10 Libri Hæreticorum potissimùm prohibentur, quia ex diametro impugnant suis falsis dogmatibus catolicam Fidem, & quia eorum opera maligna sunt ob eorum malignitatem, & infestationem, ideo damnato Auctore vt Hæretico, intelliguntur etiam damnata eius opera cap. 4. de Hæret. non solùm continentes Hæreses, vel earum suspicionem, sed etiam tractantes de Religione, licet non perperam, quia Ecclesia non eget doctrinâ licet bonâ suorum inimicorum; reputat enim indignum, quòd sui fideles instruantur in Reli- 11
gione catolicâ per illius hostes perfidos, & hanc materiam licet bonam reposui sub secundo capite; si enim nobis prohibetur communicare cum illorum personis, etiam interdicitur participatio cum eorumdem operibus aliàs bonis. Libri tractantes de rebus lasciuiæ, quæ reposui sub tertio capite, ipso iure sunt prohibiti ex Reg. 7. Indicis, his verbis: *Libri,* 12
qui res lasciuas, siue obscænas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum Fidei, sed & morum, qui huiusmodi Librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habendi sit, omnino prohibentur, & qui eos habuerint seuerè puniantur ab Episcopis. Materia de casibus conscientiæ quandoque prohibentur propter opiniones laxas, vel quæ nullam habent probabilitatem, nisi ex imaginatione Auctoris, do exemplum in Manua- 13
li Regularium tom. 1. & 2. Francisci Pellizarij Iesuitæ prohibito 18. Iulij 1651. item in Selectis disput. in Admin. sacram. Ioannis Sanchez Abulensis prohibitis 18. Decembris 1646. Demum contra proximum sunt Libri tractantes de Iurisdictione tributâ vni, & ablatâ ab altero, de calumnijs &c.

Quæritur 7. Quænam sit causa finalis prohibendi Libros?

℞. Caramuel in suâ Theologiâ fundamentali esse quadruplicem, sub num. 666. 14
Prima est, quòd Ecclesia prohibet Libros, ne noceant habentibus, & possidentibus illos. Secunda, ne noceant alijs; iste finis non potest cessare in aliquo casu particulari, quia potest nocere famulo possidentis id ignorantis, vel alteri. Tertia, vt auctores puniantur, si digni sunt; si desit hæc causa finalis, adest. Quarta, quæ est pœnalitas eius, qui inuincibiliter errauit in compositione sui Libri; proinde prohibiti propter bonum commune, vnde patietur hanc mortificationem, quam Caramuel appellat pœnalitatem, non pœnam, quia illa dignus non est, cum inuincibiliter errauerit; quò Hæreticus taliter damnatus, sed malitiosè, ideo pœna dignus, ac proinde in eius odium liber cum eo est damnatus, Concludit sub vers. Sed quomodo; quòd hi omnes quatuor fines simul nunquam cessare possunt.

Meo iudicio Caramuel paucis se expedire 15
poterat, dicendo, Libros prohiberi ex duplici causâ; primâ, ne noceant fidelibus, ad quorum manus peruenire possunt, si non prohibentur, Legislator enim in hac prohibitionis lege condendâ loquitur omnibus in communi præscindendo ab hoc, vel illo homine, ab habente, vel non habente, cum possit habere Librum, ergo non erat opus distinguere vnum finem ab alio ex primis duobus, cum lex omnibus indifferenter loquatur. Pari modo

do coniungere poterat quartum cum tertio; esto enim differant inter se Hæreticus, & Catolicus, quòd ille errauit ex malitiâ, iste ex ignorantiâ, tamen in ratione compositionis ambo auctores sunt, ac proinde secundus finis prohibitionis dirigitur in odium Auctoris, quod augetur in Hæretico, qui pœnâ dignus est, cuius Liber prohibetur, & ipse damnatur; minuitur in Catolico, qui solùm mortificatur, quod est aliquale odium, quia vt vir doctus debebat aduertere; prohibetur ergo solùm eius Liber, non damnatur persona.

Supradictos quatuor fines, quos ego ad duos reduxi, Caramuel produxit loco citato, vt ageret contra Dianam, qui par. 6. tract. 6. resol. 49. dixerat, eum, qui certò scit, sibi libros non nocituros, non posse illos legere, nec retinere, quia licet sit securus de non infectione, & sic cessat primus finis, nunquam tamen cessat tertius de odio, sed de hac re dicam infra sub propria sectione de licentiâ necessariâ ad legendum Libros prohibitos.

Quæritur 8. An præfati fines locum habeant in omnibus Libris non solùm tractantibus de Hæresibus, & falsis dogmatibus contra Fidem, sed etiam contra bonos mores iuxta alias materias distinctas in 6. quæstione?

16 ℞. Affirmatiuè, quia quilibet Liber prohibitus potest nocere illum habenti, & legenti, siue nocumentum sit de infectione Hæresis, siue de infectione morum. De secundo fine pariter constat, quia mortificatur quoque qui agit in suis Libris contra bonos mores, cum egerit aliquid alijs præiudiciale, ex quo meretur, vt eius opera prohibeantur, & igni tradantur.

Quæritur 9. Quænam differentia sit inter prohibitionem absolutam, & tempore limitatam per hanc clausulam: Donec corrigatur?

17 ℞. Libri tunc simpliciter prohibentur, quando continent ex professo errores contra Fidem, & Religionem catolicam, ita quòd nullam afferre possunt vtilitatem legentibus, sed solùm homines inducere in Hæreses, & alios errores perniciosos Reipublicæ Christianæ. Alij verò Libri suspenduntur, qui sunt catolicorum, qui casu vnam, vel alteram Hæresim continent, sed quia in reliquo boni sunt, & vtiles permittuntur legi, & retineri post correctionem, & non ante; est autem hoc certum, quòd non possunt retineri,

18 nec legi intra tempus, prohibitionis, & emendationis, seu correctionis, vt colligitur ex Decreto Alex. VII. qui inter alias propositionem sequentem, quæ est 45. & vltima: *Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri vsq. dum adhibitâ diligentiâ expurgentur* Damnauit. Eam tenuit Petrus Marchantius *in suo Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 2. tit. 2. disp. 4. dub. 5. apud Dianam par. 11. tract. 8. resol. 62. Vers. Nota etiam.* Positâ ergo correctione, per eos, ad quos spectat, legi possunt, quia non amplius sunt prohibiti, excussis erroribus, amplius non sunt nociui; vnde nec est necessaria licentia ad illos legendos post correctionem, sed solùm ante. Caramuel sub num. *666.* vers. contra hanc, vbi agit contra Dianam.

Qandoq. honoris gratiâ datur commissio ipsi Auctori, vt se corrigat intra prefixum tempus, aliter sit ipso iure deinceps simpliciter prohibitus, exemplum sit in Cæsare Cremonino Centési contra quem, & pro quo stat sequens Decretum 1622. 18. Ianuarij his verbis: *Cæsaris Cremonini Centensis in Schola Patauinâ Philosophi primæ Sedis; Disputatio de Cælo Venetijs 1613. apud Thomam Ballionum, suspenditur, quousq. ab Auctore corrigatur, & si infra annum id non fecerit, nunc pro tunc prohibetur, atq. ipso facto absq. aliâ noua declaratione prohibita declaratur.* 19
Habetur in Indice nouo in Decreto 25. Sed talem honorem non acceptauit, vnde anno 1623. die 3. Iulij, iam anno transacto à die 18. Ianuarij 1622. prohibita fuit simpliciter his verbis: *Cæsaris Cremonini Disputatio de Cælo omnino, & absq. vlla limitatione, ac restrictione iterum prohibita declaratur.* De qua sub Decreto 27. Est sententia omnium fere Patrum, & Theologorum, Cœlum nullo modo esse animatum, & sic non moueri ab intrinseco, sed tantùm ab extrinseco motore, nam omnis anima est in eo, quod mouet heterogeneum, cuius conditionis non sunt cælestes orbes. Vide Mastrium disp. 2. de cœlo q. 4. art. 3 à num. 138. vbi non nominat, nec redarguit Cremoninum, licet defunctum anno pestilentiali 1631. Episcopus Tomasinus in Gymnasio Patauino lib. 4. fol. 451. 20

Dubitari potest, an opinio Cremonini sit Hæresis, ac proinde sit de Fide, quòd Cœlum non sit animatum; hoc probant plerique apud Raphaelem Auersam à S. Seuerino Clericorum Regular. Minorum virum Doctissimũ in sua Philosoph. Metaphisicâ tõ. 2. q. 33. sect. 7. Vers. Ex his patet; vbi citat D. Bonauenturam, Capreolum, Heruæum, & Conymbr. qui censent iuxta Fidem Cœlos non esse animatos, & ipse Auersa id probat multis, pro quâ re solùm duas adducam ex eo auctoritates. Prima ex Nicephoro lib. 17. Historiæ Eccles. cap. 28. referente oppositam sententiam sub anatemate fuisse damnatam in quintâ Synodo. Id tamen non legitur in ea Synodo. Altera deducitur ex cap. Firmiter, de Summa Trin. vbi duæ tantùm dicuntur esse naturæ intellectuales, Angelica, & humana. Est ergo propositio de Fide quòd Cœlum non est animatum, de Fide quidem opinatiuè, non definitiuè, quia id non inuenitur in actis illius Synodi; facit, quod dixi sect. 21 22

1.q.5. Subdit Auersa D. Thomam 2. contra Gent. cap.70.indicasse non pertinere ad doctrinam Fidei; Scotum verò in 2.dist.14. q. 1. fine, dixisse, solùm credi, Cœlum esse inanimatum, non verò ratione probari, quia alioqui nulla apparet conditio in cælis repugnans animæ.

23 Colligitur ex istis intelligentia illorum verborum in Bulla Pij IV. incip. Dominici gregis 77. quæ sunt hæc: *Qui Hæreticorum Libros, vel cuiusuis Auctoris scripta propter Hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atq. probibita legerit, habueritq. ipso Iure in Excommunicationis pœnam incidat, eamq. ob causam in eum, tamquam de Hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolicà Sede, sacrisq. Canonibus constitutas. Qui autem Li-*

24 *bros aliâ de causâ prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.*

Ex triplici causâ prohibentur libri, primò ex causâ Hæresis, secundò ex causâ suspicio-

25 nis Hęresis; tertiò ex causâ pietatis, morumq. honestatis, aut correctionis, vt paulo ante dixerat idem Pontifex his verbis: *Improbantur, siue vt hæretica, seu vt de hæreticà prauitate suspecta, siue vt pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia.* In his nulla fit mentio de Inquisitoribus, non tamen excluduntur, nisi res-

26 pectu prohibitorum ex tertiâ, quorum iudicium ex hac Bullâ spectat ad solùm Episcopum, quia non sunt prohibiti neq; ex causâ Hæresis. nec ex causâ suspicionis eiusdem.

27 Itaque illud dogma dicitur suspectum de Hæresi, & falsum, cuius oppositum à Theologis creditur esse de Fide, esto expresè non inuenia tur d finitum in aliquo Concilio, vel Decreto Pontificio; habetur tamen pro tali apud viros doctos, & sic opinio multorum denominat propositionem de Fide, quando id validis argumentis persuadent.

Quæritur 9. An damnato opere hæretico intelligatur quoque damnatum nomen Auctoris eiusdem operis prohibiti?

28 ℞. Negatiuè, nisi Auctor sit conuictus, vel confessus de Hæresi, quia cum sit tantùm suspectus, licet vehementer de Hæresi, non est propriè formaliter talis, nisi sit de natis de sectâ hæreticâ. E contra, damnato nomine eius, intelliguntur damnata, & prohibita etiam omnia eius opera etiam bona, præsertim quæ tractant de Religione, quia indi-

29 gnum est catolicum erudiri ab Hæretico, vt dixi supra. Damnato ergo Auctore, censentur damnata eius opera, quia hæc vt accessorium sequuntur naturam sui principalis, & eius conditionem, non è contra. Ita *Farin. q.180.num.25. Pegna par.2. com. 3.Vers. Primum, Salelles Reg. 140. num. 38.*

Quæritur 10. Quibus modis contingant fieri prohibitiones Librorum per Superiores valentes Libros prohibere?

℞. Multis modis. Primò, per Bullas Pontificias, vt constat de prohibitione Librorum, qui tractant de Astrologiâ iudiciariâ, quos prohibuit Sixtus V. in sua 17. incip. *Cœli, & terra*, §. 4. Nonnullæ aliæ Bullæ aliorum Pontificum referuntur in nouo Indice. Secundò per Bullam Cœnæ Domini sub prima excommunicatione. Tertiò per Decreta Sacræ Congregationis coram Summo Pontifice firmata. Quarto per Publicationem Magistri Sacri Palatij Apostolici in Vrbe; publicat enim ibi ex officio suo Libros prohibitos, sicut Inquisitores in suis Diœcesibus. 30

Quæritur 11. An libri prohibiti quouis ex illis modis sint consignandi Episcopis, seu Inquisitoribus?

℞. Iulius III. in sua incip. *Cum meditatio*, extensa apud Directorium fol. 115. in calce illius, reuocat omnes facultates legendi Libros prohibitos, solis Inquisitoribus, & Commissarijs exceptis, quicunq. verò tales Libros habentes debent consignare Inquisitoribus, non solùm iam prohibitos, sed etiam in futurum prohibendos. Ibi *Seu alios quomodolibet libros prædictos* (loquebatur de Luteranis) *aut quoscunq. alios hactenus reprobatos, aut in futurum reprobandos; tenere, aut legere præsumant.* Et infra de eorum consignatione sic disponit: *Omnes, & singulos Libros Luteranos, aut alios Hæreticos seu Luteranã, aut aliã falsam doctrinam in se continentes, vel à Nobis, & dictâ sede quomodolibet reprobatos, pœnes se eos ex quauis causà, etiam mercaturæ, & ex nostrà, ac eiusdem sedis permissione, ac licentiâ etiam speciali, vt prafertur penes eos existentes, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ciuitatibus, in quibus huiusmodi existunt, consignasse debeant realiter, & cum effectu.* 31 32

Nota, quòd hic dicitur de consignandis Inquisitoribus, nulla factâ mentione de Episcopis, tamen satisfaceret consignans iisdem. Deinde non loquitur nisi de Libris Hæreticorum, aut aliam falsam doctrinam continentibus consignandis. 33

Sixtus V. in suâ Bullâ 17. *Cœli, & terra* §. 4. Libros opera, & tractatus Astrologiæ iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia, execrabiles Incantationes, aut Superstitiones continentur, ac vt supra in memorato Indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscumq; Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. 34

Notan-

35 Notandum eſt, in Indice Librorum prohibitorum aliam non inueniri Excommunicationem niſi ſub Reg.X. Verſ. *Quod ſi quis*, vbi excommunicantur ſine reſeruatione, qui legunt, aut habent Libros damnatos ob Hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem; vnde verba præfata accipiunt hanc interpretationem, eos affici Excommunicatione præfatâ, ſi eorum Libri contineant Hæreſim, vel falſa dogmata contra Fidem. Vide dicta ſect. 38. num. 70. & ſeq. Deinde hic non mandatur omnes Libros prohibitos eſſe conſignandos ſed tantùm illos, qui agunt de præfatâ materiâ. Bulla verò Iulij eſt latior de omnibus Libris conſignandis, qui agunt de Hæreſibus aut falſis doctrinis.

36 Gregorius XV. in ſua 40. & Vrbanus VIII. in ſua 114. ambabus incip. *Apoſtolatus*, fere eiſdem verbis de Libris prohibitis conſignandis ſic diſponit ſub §. 3. *Quoq. dictis duobus & reſpectiuè quatuor menſibus durantibus, ij, qui libros prohibitos huiuſmodi habuerint, eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre*.

Nota, quod tunc exiſtentes citra Montes habeant duos menſes, & vltra Montes quatuor ad conſignandum Libros prohibitos, quos ex licentiâ habebant illis reuocatâ in dictis duabus Bullis.

Suboritur hinc duplex dubium ſuper hac conſignatione, primò an huiuſmodi conſignatio debeat fieri etiam noſtris temporibus, cum reſtringatur ad præfatos menſes, qui incæperunt ab anno 1631. die ſecundâ Aprilis, & ſic videtur iam ceſſaſſe obligatio, conſignandi. Secundò dicta obligatio conſignandi Libros prohibitos videtur reſtricta ad eos, qui habebant licentias legendi, & retinendi illos, cum ad eum finem emanauerit Bulla, vt colligitur ex illis verbis: *cum librorum prohibitorum lectio magno ſinceræ Fidei cultoribus detrimento eſſe noſcatur, & ſicut accepimus nimis exceſſiua ſit huiuſmodi Libros legendi licentiarum copia, Nos, ut huic malo occurratur &c.* Finis ergo condendi hanc Bullam fuit exceſſiua licentiarum copia, ergo obligatio conſignandi Libros reſtringitur ad eos tantùm, quibus licentiæ fuerunt reuocatæ, cauſa enim finalis regulat, & reſtringit totam
37 diſpoſitionem, *l. fin. ff. de hared. inſtit. l. 1 ff. ad Macedon. Baldus lib. 2. conſ. 159. num 4. Verſ. Niſi dicamus Rota par 1. dec. 403. num. 5. Paſqual. de ſacrif. q. 1146. num. 6.*

38 ℞. Ad primum; tempus illud appoſitum fuit ad ſolicitandum conſignationem, non ad terminandam obligationem, quæ ſemper remanet quouſq; facta ſit conſignatio. Ad quod facit l. Si mandato 59. §. Ille illi ff. Mand. Tempus enim adiectum causâ limitandæ obligationis, non liberat debitorem exiſtentem in morâ, habens autem librum prohibitum dicitur debitor, quia illius non eſt amplius, vt infra probabo, ergo tenetur illum conſignare nullo obſtante tempore.

Ad ſecundum, eſto Bulla principaliter lo- 39
quatur de licentijs reuocatis; non tamen obligationem conſignadi libros reſtringit, dum in hac nullam mentionem facit de ipſis licentiatis. Deinde abſurdum eſt dicere licentiatos teneri conſignare illos, & non alios, qui illos tenebant, & modo tenent cum peccato vtroque tempore, quod non facit ille, qui aliàs licentiam habebat, & non nunc, vtroſq; ergo obligatio conſtringit.

Maior occurrit difficultas, an hæc obligatio conſignandi Libros prohibitos compræhendat quoſcunq; Libros prohibitos de quauis materiâ? E.g. compræhendat non ſolùm prohibitos ob Hæreſim, ob ſuſpicionem falſi dogmatis, ſed ob res obſcenas, vel ob laxas opiniones, &c.

℞. Obligatio ex his duabus Bullis Grego- 40
rij, & Vrbani conſignandi Libros prohibitos compræhendit omnes ob quamlibet materiam prohibitos, quod clarè colligitur ex illis verbis: *Omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcunq. ob Hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos.* Hæc poſterior clauſula: *Vel aliàs quomodolibet prohibitos*. Eſt efficaciſſima intimans quamlibet aliam prohibitionem diuerſam à præcedentibus ſuper Hæreſibus, falſis dog-
matibus, & Aſtrologiâ iudiciariâ. Eius na- 41
tura eſt compræhendere omnem modum, & nullum reſpuere caſum, ex allatis à Barb. Dict. hac 330. num. 7. & 10.

Probatur, quia eſto iſti Pontifices non ità vniuerſaliter locuti fuiſſent, ſed ſolùm diſpoſuiſſent his verbis, vt conſignarentur Libri prohibiti ob Hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, vel falſam doctrinam, quæ videntur referri ad eos errores, qui aduerſantur catolicæ Fidei, ſecundùm quod loquuntur præ-
cedentes Pontifices, nihilominus ipſa prohi- 42
bitio videtur, hoc neceſſitate legali includere, quòd omnes Libri ex quo ſunt prohibiti, incipiunt non amplius eſſe ſub dominio habentis illos, ſed ſtatim fieri Iuris, & dominij Tribunalis S. Officij; prohibitio enim Librorum eſt quædam ſpecies confiſcationis, per quam dominium Librorum aufertur ab ha-
bentibus illos, & transfertur in fiſcum S. Of- 43
ficij, Libri enim ſicut omnes aliæ res ſunt capaces confiſcationis, ergo prohibitio huius generis reſpectu cuiuſcunque Libri de quacunque materiâ prauâ agentis importat illius conſignationem eſſe faciendam Inquiſitoribus, ſeu Epiſcopis, qui ſunt Camerarij huius ſancti Fiſci.

Colligitur hinc, Librum iam prohibitum 44
non poſſe alienari, donari, vendi, nec in contractum venire, quia eorum dominium non

non amplius habet ille, qui eius Auctor, seu habens, aut possessor, erat, cum incipiant esse Fisci S. Officij, vt eos comburat. Dixi cap. 14. q. 8.

Quæritur 12. An Libri prohibiti sint comburendi, & à quibus?

45 ℟. Mos est antiquissimus comburendi Libros prohibitos vsque ad tempora Apostolorum, vt patet ex dictis initio huius sectionis; & postmodum lego in Bullà Ioann. XXII. incip. *Super illius* 13. in B. N. & apud Direct. par. 2. q. 43. num. 9. ibidem extensa, in
46 qua §. 3. Cunctis præcipimus, quòd quicumque de scripturis præfatis, vel libellis quicquam habuerint infra octo dierum spatium ab huiusmodi Edicti nostri notitià computandum, totum, & in toto, & in qualibet sui parte abolere, & comburere teneantur; alioquin volumus, quod incurrant sententiam Excommunicationis ipso facto. Vide infra sect. 49. quæst. 4. Bulla autem est contra immolantes Dæmonibus, aut responsa, & auxilia petentes ab eis, & tenentes Libros de eiusmodi erroribus tractantes,

47 Ex quibus constat, aliàs licuisse proprià auctoritate comburere libros; vsq; ad Iulium III. de quo q. 11. num. 32. nunc autem, quia adest decretum consignandi illos, vt visum fuit in præcedenti quæstione; idcircò id omnibus est interdictum per decretum consignandi illos Episcopis, seu Inquisitoribus, ad quos spectat combustio, vt expresè ordinatur in Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. ibi:
48 *Qui illos quantocius comburere debeant*. Illis ergo consignandi sunt, ergo comburi non possunt, aliter obseruari non potest præceptum consignationis.

Confirmatur, quia libri prohibiti non amplius sunt sub dominio, nec possessione ha-
49 bentium, ergo ab illis comburi non possunt, cum non amplius habeant Ius super ipsos. Est communis, *cum Sanchez lib. 2. cap. 10. nu. 56. Ricciul. lib. 5. cap. 24. Portell. V. libri num. 13. Diana par. 1. tract. 11. resol. 37. Lezana num. 16.*

50 Nota hic duo, vnum, Libros consignatos esse quantocius comburendos, cum inutiliter, & damnosè conseruentur; illud verbum temporis eundem sensum habet, quem dictio *Quamprimùm*, importans spatium trium mensium in magnis, duorum in paruis Barb. Dict. 302. Salelles Reg. 141. num. 95. ait, intelligendum, nisi dilatio combustionis expediat ad formandum processum, vel ad con-
51 uincendum Reum de abusu illius; expeditâ ergo causâ, comburuntur Libri. Alterum est eximi à combustione prohibitos donec corri-
52 gantur, quia datâ expurgatione non amplius sunt prohibiti, intellige, si correctio publicetur ad effectum restituendi Libros expurgatos, sed non video nostris temporibus talem restitutionem, sed practicatur noua impressio iuxta expurgationem.

Quæritur 13. An comburens Libros prohibitos propria auctoritate incurrat aliquam censuram? Et an suspectus sit de Heresi?

℟. Neutrum incurrit, non primum, quia 53
licet peccet, ponendo obicem consignationi, non tamen reperitur censura inflicta de iure comburenti. Non secundum, quia comburendo non amat Hæresim, sed odit, ergo non est de eà suspectus; Vide infra sub q. 15.

Dices in Bulla Iulij III. incip. *Cum medi-* 54
tatio apud Director. fol. 115. præcipitur sub pœnis consignatio Librorum prohibitorum, & prohibendorum illis verbis: *Monemus, ac eis, & cuiuslibet eorum in virtute S. Obedientiæ, & sub incursu Heresis, ac omnibus contra Hereticos de Iure inflictis, & promulgatis tam ecclesiasticis, quam temporalibus sententijs, censuris, & pœnis*.

℟. Huiusmodi pœnas dirigi non ad comburentes, sed ad retinentes Libros, quos nolunt consignare, vt colligitur ex illis verbis prope finem Bullæ expressis quæ sunt hæc: *Volumus autem, quòd ijs, qui Libros Luteranos, seu alios prædictos infra spacium, & terminum huiusmodi dictis Inquisitoribus consignauerint, nisi ipsi alias, quàm ex retentione Librorum huiusmodi Heretici, seu de fide suspecti fuerint eo ipso etiam absque aliqua desuper faciendà abiuratione, à censuris, & pœnis propterea forsan incursis in vtroque foro absoluti sint, & esse censeantur prout Nos &c.* Patet ergo, non consignantes Libros esse subiectos illis pœnis non autem comburentes, de quibus ne verbum quidem.

Quæritur 14. Non consignantes Libros, an sint Rei Excommunicationis, & sint suspecti de Heresi?

℟. Affirmatiuè incurrere pœnas, & cen- 55
suras non consignantes Libros prohibitos, & prohibendos ex causa Hæresis, vel eius Suspicionis, seu falsam doctrinam continentes, ac esse suspectos de Hæresi vehementer, vt probatur per Bullam Iulij III. incip. *Cum meditatio* in calce Directorij fol. 115. illis verbis: *Ac eis, & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, & sub incursu Heresis, ac omnibus contra Hereticos de iure inflictis, & promulgatis tam ecclesiasticis, quàm temporalibus sententijs, censuris, & pœnis, districtè præcipiendo mandamus &c. consignasse debeant realiter, & cum effectu* scilicet Inquisitoribus. Ita docent *Castropal. tract. 4. disp. 2. part. 10. §. 2. num. 12. Barbosa Alleg. 90. num. 5. De Lugo de fide disput. 21. num. 106.* quos contra se citat Vericell. *q. 95. de Missionibus sect. 9.* qui pro se vocat *Dianam part. 1. tract. 11. resol. 37. Bonac. de cens. in pratic. disp. 1. q. 2. part. 4. num. 18.* pro quo est etiam Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 56.* si legantur eius extrema verba.

Respondet ipse Vericellus, supradicta verba

verba Bullæ continere duo; præceptum S. Obedientiæ, quod importat mortale peccatum, alterum vt non deferens Libros tamquam suspectus de Hæresi vehementer, puniatur; quare illa particula *Censuris* non significat aliquam censuram contra non deferentẽ libros, sed quòd puniatur, seu declaretur innodatus censuris latis contra Hæreticos, non autem quòd aliquà nouà censurà puniatur. Quare cum nec in Bullà Cœnæ, nec in Bullà Pij IV. neq; alibi censura extet contra non deferentes Libros Inquisitoribus, proinde nulla censura incurritur.

Sed contra, quia licet in alijs non fiat mentio de consignandis Libris sub pœna Excommunicationis, sufficit tamen, quòd in hac talis mentio fiat, extendendo Excommunicationem cum alijs pœnis iam latis contra Hæreticos, & id clarum est in textu, vnde duo ibi tantùm dicuntur, præceptum scilicet, & vehemens suspicio Hæresis, seu potius incursum Hæresis, propter quod mandatur puniri pænis hæreticorum.

Ego autem dico nullam censuram incurri præcisè ex non consignatione Librorum prohibitorum, quia Alexander VII. pœnas Iuris reduxit ad formam Bullæ Pij IV. iuxta quod dicam in sequenti sect. Vers. 4. Quare pro punitione transgressorum sufficiunt pœnæ arbitrio Inquisitorum, magis enim sentiuntur corporales, quàm Spirituales; nimis nostris temporibus multiplicatæ.

Quæritur 15. An sint denuntiandi habentes Libros prohibitos?

56 ℞. Affirmatiuè, ex quacunq; causà etiam extra Hæresim, vt planè colligitur ex Bullis Gregorij, & Vrbani ex dictis hic num. 36. & 40. ibi: *Quiq; aliquos similes Libros prohibitos habere sciuerint eos denuntiare teneantur*. Nam antecedenter sermo erat de prohibitis quomodolibet, siue hæreticis, siue non. Ita disposuerunt, quia in Edictis Inquisitorum fit solùm mentio de Libris, aut scriptis *che contenghino haresia, ò libri d'Heretici, che trattino di Religione. Ouer libri di negromantia, magia, ò continenti incantationi, sortilegi & simili superstitioni, massime con abuso di cose sacre*.

Quæritur 16. An Auctores Librorum prohibitorum citari possint ad fauorem?

57 ℞. Non sunt citandi Hæretici, nec eorum Libri, esto dicant aliquid in fauorem Religionis, & quia sunt damnati cum suis operibus, vt eorum memoria pereat, & quia Catolici non egent eorum auxilio, ne videantur emendicare doctrinam ab hostibus Ecclesiæ, & quia eorum opera prohibētur in eorum ignominiam, & infamiam, vnde citandi non sunt in honorem, sed in eorum confusionem exterminando eorum errores. Catolici verò cum suis operibus licet prohibitis citari possunt, quò ad bonam doctrinam in eorum Libris contentam, relictis eorum erroribus, & confutatis, si tempus, aut occasio id exigit.

Quæritur 17. An prohibitio Librorum maximè in materià Hæresis comprehendat etiam Imperatorem, Cardinales, & Reges?

℞. Affirmatiuè, etiam quòad pœnas Excommunicationis, suspicionis Hæresis, & similibus, quia sicut Fides prodest omnibus de necessitate salutis, ita Hæresis ei opposita prohibetur in Libris quibuscunq; maximè Principibus, in quibus timetur maius periculum, ita quòd si casus in illis accideret, sequeretur irreparabile damnum in Republicà Catolica. Habemus exemplum in Luteranis, & Caluinistis, & hoc sufficit. 58

Confirmatur nostra responsio, quia licentiæ legendi Libros prohibitos reuocatæ sunt per Iulium III. in Bullà incip. *Cum meditatio* in calce Direct. fol. 115. ibi: *Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate ecclesiasticà, aut seculari præminentià præfulgerent* Gregorius XV & Vrbanus VIII. in suà incip. *Apostolatus* illis verbis: *Quacunq; dignitate fulgentibus etiam speciali notà, & mentione dignis*. Quæ clausulæ prædictos comprehendunt. Ita Dal Bene dub. 39. Petit. 8. de ecclesiasticis, nihil de Principibus. De Imperatore, & Regibus citati à Salelle Reg. 141. num. 61.

Contrarium tenet Salelles Reg. 141. num. 69. fauore Inquisitorum, quod possint legere Libros prohibitos, non obstante Bullà Vrbani VIII. quia eius mens potest benignè interpretari ob hanc rationem, quia iudicatur valdè consonum, & conforme Iuri etiam naturali, ac pernecessarium ad bonum Ecclesiæ Catolicæ, Fideiq; eius defensionem, vt illi priuilegio fruantur habendi, & legendi libros prohibitos, cum absq; eo vix possint exequi munus suum. Adiungit, Cardinalem Barberinum per Epistolam respondisse, non omnibus Consultoribus, sed vni tantùm licere legere librum, in quo continentur propositiones hæreticales, erroneæ, &c. vt eas per eum extractas, alij Consultores vnà cum ipso qualificare possint. 59 60

Sed contra, quia Inquisitor non est Iudex Librorum iam prohibitorum, sed executor voluntatis illius supremi tribunalis, scilicet, quantocius comburendi Libros iam prohibitos. Nullum ergo munus aliud habet, nisi comburendi illos, quare suum officium puniendi transgressores non minuitur ex negato priuilegio hoc, neq; enim prudenter Papa reuocasset hoc priuilegium, si fuisset necessarium ad munus Inquisitoris. Ad illam Epistolam, dico colligi ex eà, sermonem esse de Libris nondum prohibitis, in quibus inueniuntur errores, vel hæreses, & aliæ propositiones indigentes qualificatione; qualificantur enim Libri nondum prohibiti, non verò iam prohibiti, quia qualificati fuerunt ante prohibitionem. 61 62

SEC-

SECTIO XXXXIX.

De Pœnis contra legentes, & retinentes libros prohibitos.

SVMMARIVM.

1 *Libri prohibentur tribus ex causis.*
2 *Auctorum Librorum prohibitorum alij sunt Haretici, alij Catolici.*
3 *Excommunicatio ad sui incursionem exigit peccatum mortale.*
4 *Executionem paratam habet non expectata sententia.*
5 *Allexander VII. reduxit pœnas ad Bullam Pij IV.*
6 *Excommunicatio in Bullà Pij IV. refertur eiusdem verbis.*
7 *Dubia 16. referuntur, & in sequentibus resoluuntur.*
8 Libri *nomine quid veniat?*
9 *In Bullà Cœnæ fit solùm mentio de Libris, non de scriptis.*
10 *Excommunicatio Piana non afficit nisi legentes Libros ob Hæresim prohibitos.*
11 Legere *quid sit?*
12 *Sine inteligentià propriè non legitur.*
13 *Sed tantùm materialiter pronuntiatur vox articulata.*
14 Habere, & retinere *Librum: quid?*
15 *Bibliotecarius non retinet, sed Monasterium.*
16 *Cui conceditur Liber, etiam vt possit eum facere ligare.*
17 *Finis facit præsumere bonam præordinationem in medijs.*
18 *Media sequuntur naturam sui finis & ab eo regulantur.*
19 *Bonitatem à fine recipiunt media.*
20 *Tradens statim* Librum *amico excusatur ab Excommunicatione.*
21 *Retentionem de facto exigit vtraq. Bulla.*
22 Legerit habueritue *sumitur disiunctiue.*
23 *Pariter dictio* Aut.
24 *Et particula* Ve.
25 *Paruitas materiæ, & temporis in legendo, & retinendo.*
26 *Non retinet habens per duos dies.*
27 *Vendentes cibaria in folijs Librorum prohibitorum non excusantur.*
28 *Periculum maius in lectione, quàm in retentione.*
29 *Ignorans nullum habet actum eorum, quæ ignorat.*
30 *Ignotum non potest esse obiectum intellectus.*
31 *Datur Liber sine peccato habenti licentiam legendi.*
32 *Audiens non dicitur legere.*
33 Si voluiset expressisset *Legislator.*
34 Qui per alium facit *sumitur fictione iuris.*
35 *Mandans non est Reus Censuræ, sicut faciens, si ille non exprimitur.*
36 *Legere est actus vitalis physicus immanens.*
37 *Legens magis imbibit doctrinam, quam audiens.*
38 Si quis est auditor verbi, & non factor &c.
39 *Intelligere est pati, non agere.*
40 *Audiens tenetur denuntiare legentem.*
41 *Seruus legens de mandato domini rigoroso excusatur.*
42 *Leges non obligant cum tanto rigore.*
43 *Pœna non incurritur nisi ex actu externo perfecto.*
44 *Legens partem notabilem, in qua non est Hæresis, non excusatur.*
45 *Mixto praualet pars prohibens.*
46 *Curiositas, & elegantia sermonis non excusant.*
47 *Curiositas est velle scire ea, quæ ad nos non pertinent.*
48 *Memoriter recitans Hæreses non est*

est Reus Censuræ.

49 *Legens propriè ille dicitur, qui Librum habet ante oculos.*

50 *Ignorantia modo non sit crassa excusat ab his Excommunicationibus.*

51 *Fiscus probat scientiam Libri prohibiti contra legentem, Dal Bene.*

52 *Creditur in Foro Conscientiæ asserenti tam pro se, quàm contra, non verò in foro externo.*

53 *Retinens Librum ad confutandum non excusatur.*

54 *Conditiones requisitæ ad incurrendam vtranq; Excommunicationem.*

55 *De Religione tractantes Libri quinam sint?*

56 *Index Librorum prohibitorum vnicam habet Excommunicationem similem excommunicationi Pij IV.*

57 *Dogma falsum quid sit?*

58 *Dogma Fidei duplex, aut tale est clare definitum, aut tantùm opinatiuè.*

59 *Dogma falsum opponitur Fidei tantùm opinatiuè.*

60 *Libri Astrologiæ, & diuinationis non inducunt censuras Pij, Indicis, & Bullæ.*

61 *Neq. ob alias materias extra Hæresim, & falsum dogma.*

62 *Cum talis pœna nullo in Iure sit expressa.*

63 *Nec contra legentes libros de casibus conscientiæ prohibitos.*

64 *Suspectus est de Hæresi legens, vel retinens Librum prohibitum ob Hæresim, vel falsum dogma.*

65 *Non autem legens, vel retinens Libros ex aliâ causâ prohibitos.* 78.

66 *Excusatus ab Excommunicatione, excusatur etiam à suspicione.*

67 *Suspectus vehementer non consignans Libros ex reuocatione licentiæ.*

68 *Compositor Libri cum Hæresibus est suspectus vehementer.*

69 *Protestatio non releuat eum, qui ex professo tractat in fauorem Hæresum.*

70 *Pluries legens scienter est suspectus vehementer.*

71 *Qui obtinuit Librum ab Hæreticis.*

72 *Legens sed non intelligens non est suspectus de Hæresi.*

73 *Nec ille, in cuius domo inuenti sunt ex hereditate, si sit bonæ famæ.*

74 *Nec ille, qui probat confutationibus factis ante denuntiationem.*

75 *Contrarijs respondetur.*

76 *Suspectus leuiter inuentus cum Libro sortilego.*

77 *Et cum negromantico, si vsus non fuit.*

78 *Suspectus non est ex alijs Libris.* 65.

79 *Torquetur negans lectionem, seu retentionem.*

80 *Fur non censetur vir bonæ famæ, si probet furtum esse alienum.*

81 *Torquetur super intentione, si probatus est vehementer suspectus.*

82 *Suspecti non sunt legentes Libros ex aliâ causâ, quam Hæresis prohibitos dixi* 65. & 78.

83 *Iudex in his causis Librorum prohibitorum sunt Episcopus, & Inquisitor.*

84 *Pœnis arbitrarijs puniuntur.*

85 *Defensores Librorum prohibitorum sunt excommunicati in Bulla Cœnæ.*

86 *Voluntas defendendi non inducit Excommunicationem.*

87 *Laudans opus de Religione carens errore, non est excommunicatus.*

DE pœnis, & censuris in hac sectione agendum est contra legentes, & retinentes libros prohibitos pro cuius rei intelligentiâ nonnulla sunt præmittenda. 1

Primò, tribus de causis libros prohiberi. Primò quia continent Hæreses; Secundò, quia continent suspicionem Hæresis, & falsi dogmatis. Tertiò; quia continent tractatus

contra bonos mores; de quibus dixi præcedenti sectione sub num. 24. & 25. ex Bullà Pij IV. cuius verba ibi retuli.

2 Secundò, Auctores librorum prohibitorum sunt in duplici differentià; nam alij sunt formaliter Hæretici damnati personaliter, vel generaliter in suà sectà, in qua nati sunt, quorum nomina, & opera sunt repobata & damnata, iuxta dicta præcedent. sect. num. 10. 11. & 28. Alij verò sunt Catolici, qui in suis libris incidenter, & ignoranter aliquam exprimunt Hæresim talem vel definitiuè, aut opinatiuè. Vel in eisdem tractant opiniones laxas, aut Scandalosas, seu tractant de rebus lasciuis, & obscenis, aut de materia iurisdictionis pro vno contra alium sine vlla probabilitate, vel inuehuntur contra aliquem iniurijs, & calumnijs &c.

3 Tertiò, Pœna Excommunicationis maioris ad sui incursionem requirit, vt delictum propter quod fertur contra transgressorem sit peccatum mortale, est enim excommunicatio grauissima pœna, & maior qualibet aliâ, dixit S. August. tom. 7. cap. 15. de correct. & gratià, vt ergo pœna commensuretur delicto hoc debet esse peccatum mortale, *cap. Nemo* 41 11 *q.* 3 *Scotus in 4. dist. 25. q. 1. num.* 11. *vers. Hoc tamen*, *Faber de excom. disp. 4 num.* 53. Ad eam incurrendam non expectatur sententia iudicis, sed illa animam allicit statim, ac delictum est commissum cum peccato 4 mortali; habet enim executionem paratam, quam secum trahit, non expectando eam à iudice, *cap. Pastoralis 53. de appellat. ibi glos. V. cum executionem.*

5 Quartò, omnes pœnas contra transgressores librorum prohibitorum hactenus latas Alexander VII. reduxit ad pœnas constitutionis Pij IV. incip. *Dominici gregis* extensæ in indice librorum prohibitorum, cuius verba sunt hæc. *Obseruari mandamus* scilicet indicem librorũ prohibitorum, *& præcipimus sub pœnis in constitutione recol. mem. Pij Papæ IV. etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum Decretorum in proponendis transgredientium pœnis tollendæ gratià omnes, & singulas pœnas per constitutiones Apostolicas, & Decreta anteriora huiusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus. Firmis tamen manentibus his, quæ de Auctoribus, & libris damnatis in literis Apostolicis die Cœnæ Domini, publicari solitis, sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.* His præmissis.

Quæritur 1. Quid contineat Bulla Pij IV. ad intellectionem eorum, quæ præmisimus ex Bullà Alexandri VII. extensà initio noui Indicis de eius mandato? Habetur in B.N. sub num. 77. in calce Directorij fol. 131.

R. Sequentia ad rem nostram continere 6 his verbis: *Si quis autem aduersus eas Regulas* scilicet Indicis, *prohibitionemq. fecerit, is quidem, qui Hæreticorum Libros, vel cuiusuis Auctoris scripta propter Hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata; atq. prohibita legerit, habueritue ipso Iure in Excommunicationis pœnam incidat. Eamq. ob causam in eum tamquam de Hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat. Præter alias pœnas super hoc ab Apostolicà Sede, sacrisq. Canonibus constitutas. Qui autem libros alià de causà prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.*

Illa autem clausula: *Præter alias pœnas &c.* intelligitur sublata per allegatam Bullam Alexandri VII. qui decreuit, transgressores subiacere pœnis expressis in Bullà huius Pontificis. Excommunicatio hic expressa nulli reseruatur, pro cuius, & Bullæ Cœnæ Domini Intelligentià.

Dubia sequentia sunt explicanda. *Primum*, An nomine libri, & scripti veniant 7 tam impressa, quàm manuscripta? *Secundum* an prohibita propter alias causas, quam Hæresis, & suspicionis falsi dogmatis inducant excommunicationem contra legentes, habentesue? *Tertium*, quid importet legere, & habere libros prohibitos? *Quartum*, an ad incurrendam Excommunicationem sufficiat legere, aut solùm habere sine lectione? *Quintum*, an paruitas lectionis, & breue retentionis tempus excusent à Censurà? *Sextum*, An aromatarij, & alij mercatores inuoluentes cibaria in folijs Librorum prohibitorum sint Rei Excommunicationis? *Septimum*, An idem periculum sit in retentione, quod est in lectione? *Octauum*, An excusetur à retentione dans librum prohibitum habenti facultatem legendi, & habendi libros? *Nonum*, An audiens legere casu, vel iussione, aut suasione sit Reus censuræ? *Decimum*, an legens de mandato alterius excusetur. *Vndecimum*, An qui intendebat multum legere, excusetur, si modicum legat? *Duodecimum*, An legens partem Libri notabilem, vbi nulla est Hæresis, excusetur? *Tertiumdecimum*, An legens ex curiositate, seu ob elegantiam sermonis excusetur? *Quartumdecimum*, An memoriter recitans excusetur? *Quintumdecimum* quid de scientià Bullarum? *Sextumdecimum* de retinente ad confutandum.

Primò respondetur, quòd nomine Libri 8 venit tàm scriptus, quàm impressus; ambo enim sunt Libri eiusdem materiæ, & solo caractere differunt, ac proinde differentia est accidentalis. Nomine *Scripti* venit vnum, vel alterum folium, vt aiunt, siue impressum, siue manuscriptum. In Bullà Cœnæ exprimitur solùm Liber, non scriptum his verbis: *Ac eorumdem* scil. Hæreticorum, *Libros Hæresim*

retim continentes, vel de Religione tractantes. Nihilominus cum, vt dixi, tam scriptus, quàm impressus dicatur propriè Liber; idcirco habens Librum siue impressum, siue scriptum est Reus huius Censuræ Bullæ, & in hoc
9 nulla difficultas. *Ita Farinac. q.* 180. *num.* 30. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 29. Circa folium vnum, vel alterum est difficultas; multis dicentibus, non esse Reum Bullæ, quia hæc facit solùm mentionem de Libris, quale non est folium vnum, vel alterum; nec actu, nec potentiâ, & satis per hoc prouisum fuit in Bullâ Pij IV. qui mentionem fecit de scripturâ, & de Libris, vnde sufficit, quòd is incurrat Excommunicationem latam à Pio IV. vtranque opinionem refert Dal Bene Dub. 37. & tenet quod nos diximus.

10 Secundò, Excommunicatio Pij IV. non afficit legentes, nec tenentes Libros prohibitos agentes contra bonos mores, sed tantùm damnatos ob Hæresim, vel illius suspicionem, iuxta primum præmissum, & Procedit, siue Liber sit Hæretici, siue Catolici, vt clarè colligitur ex illis verbis; *Qui Hæreticorum Libros, vel cuiusuis Auctoris scripta.* Bullæ autem excommunicatio afficit solùm legentem Libros Hæreticorum, ex illo verbo *Eorumdem*; refert enim antecedentes, de quibus solùm sermo fuit; de Catolicis verò auctoribus ne verbum quidem; & in hoc differunt Bullæ, quia Piana afficit legentes Libros vtriusque Auctoris prohibitos, Bulla verò Cœnæ solùm legentes libros Hæreticorum damnatos.

11 Tertiò, legere contingit propriè ad incursionem Censuræ dupliciter. Primò voce proferre in libro ante se habito; secundò oculis in eo, quod impressum, vel scriptum est, percurrere, vt colligitur ex l. Inciuile 23. ff. de legib. ibi: *Nisi tota lege inspecta*, & ex l. 1. ff. de his, quæ in testam. de len. ibidem: *Oculis perspici*. Ille ergo dicitur propriè legere, qui non solùm voce verba profert in libro aperto ante se, sed etiam qui oculis percurrit tacitus super illum. Est communis, *Graffius lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 45. *Bonae. in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 12. *Dal Bene Dub.* 39. *num.* 18. *Ego cap.* 14. *num.* 76.

12 In vtraque autem lectione requiritur intelligentia illius, quod legitur; aliter ignorans linguam latinam, vel idioma est immunis à censurâ. Ita *Sanchez lib* 2. *cap.* 10. *num.* 51. *Layman lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. *Vers. Sed controversia, Dal Bene Dub.* 39. *num.* 1.

Contrarium, quòd legens non intelligens sit Reus censurę, docent *Megalius part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *num* 45. *Naldus V. Bulla num.* 20. *Bonac. cit. num.* 13. Probant primò, quia tam dicitur legere, qui non intelligit, quàm qui intelligit. Secundò, quia retinens est Reus Censurę, licet nesciat, quid dicat, cum non legerit. Tertiò, quia ex l. 1. §. Legi ff. de his, quę in test. del. ibi: Legi autem sic accipiendum est, non intelligi, sed oculis perspici, quę scripta sunt. Ergo quęcunque lectio sufficit ad incurrendam Excommunicationem vtramque.

Sed standum est in decisis. Tum quia finis ad prohibendum libros in eo consistit, vt euitetur periculum subuersionis, & infectionis Hæresis, quod contingere non potest in ignorante sensum lectionis, sed solùm in eo, qui cognitionem illius habet. Tum quia Auctor libri ex lectione intelligentis consequitur honorem, & gloriam, non autem ab ignorante. Tum quia legere, & non intelligere non est legere, iuxta illud Catonis. Vnde *Gloss. V. Ac intelligere Extrauag.* 2. *Ioann. XXII. de verb. sign.* dicit, quod legere sine intelligere parum est.

Respondetur ad argumenta Aduersariorum. *Ad primum* dico, illud legere, sine intellectu non est propriè legere, sed materialiter sonum articulatum edere sine lectione, sicut facit auis edocta voce sonum emittens. Ad secundum, non bene infertur ab vnâ ad aliam actionem; à retentione ad lectionem; sunt enim inter se satis diuersæ. Ad tertium, illud verbum *Non intelligi*, non accipitur purè negatiuè, sed positiuè, vt ibi dicit Glosa hoc modo Non intelligi, tantùm, sed oculis perspici, vt verè sciatur, quid contineant verba delecta. 13

Habere, siue retinere Librum idem important, illo enim vtitur Pius IV. hoc verò Bulla, sed posterius declarat prius, dici etiam potest, quòd retinere maiorem moram explicat, quàm habere. Ille ergo habet, & retinet Librum, qui illum habet apud se, siue proprium, siue alienum, quouis modo illum habeat, siue commodatum, siue ad custodiam, siue ad ligandum &c. Ita *Graff. part.* 1. *Decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 48. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 52. *Bonae. in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 15. *cum alijs* Dal Bene Dubit. 40. *Petit.* 5. *num.* 1. 14

Limitatur, vt non sit retentio prohibita *Primò* respectu Bibliotecarij regularis habentis curam Librorum; aliud enim est cura, aliud retentio, quæ est incorporata Monasterio, vt ex mea Decis. Miscellanearum 188. docet Dal Bene num. 3. Superior ergo carens licentiâ consignare tenetur; aliter censuras non effugit. *Secundò* limitatur pro eo, qui ligat Librum habenti facultatem retinendi illum; sicut & seruus retinens pro Domino, Dal Bene num. 3. seu etiam pro emente ad instantiam eius, quia cui conceditur aliquid, tribuitur etiam facultas consequendi illud; siquidem bonus finis facit præsumere præordinationem bonam in medijs, per quæ finis obtinetur, *ex citatis à Marc. Antonino lib.* 3. *resol.* 19. *num.* 11. Media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, *l.* 15
16
17
18

Oratio 16. *ff. de sponsal.* quia quæ sunt ad fi-
19 nem oportet sumere bonitatem, & modum ab eo, *ex D. Thom.* 1. 2. *q.* 95. *art.* 3. *& q.*
20 102. *art.* 1. *Dal Bene Petit.* 8. *num.* 3. Limitatur *Tertiò*, cum non dici retinere ad hunc effectum, qui statim ac agnouit Librum esse prohibitum tradidit amico, quia illum non non habet apud se amplius, vt enim ait Naldus V. Liber num. 5. non retinet naturaliter,
21 & de facto, vt videtur exigere Bulla vtraque sed tantùm ciuiliter, eo quòd non abdicauit illum à se, sic vt fecisset, si donasset, & cum Naldo tenet Duardus *lib.* 2. *Bullæ q.* 51. *nu.* 26. *ex eo Dal Bene Petit.* 5. *num.* 6. *&* 7. Esto non sit Reus Excommunicationis, peccat tamen grauiter, quia debebat eum consignare Inquisitori, & non tradere alteri carenti facultate legendi; fuit enim causa, vt alter incideret in Excommunicationem, præterquàm quòd non poterat donare, nec à se alienare, cum Liber prohibitus ex quo est prohibitus sit de iure, & sub dominio Fisci S. Officij, vt probaui sect. præced. sub num. 42. & 43. vbi quòd ipso iure habens est spoliatus dominio, & possessione.

22 Quartò, illa verba *Legerit, habueritue* Pij IV. *Legentes aut retinentes* in Bulla, disiunctiuè accipiuntur, non copulatiuè, ac proinde quælibet ex dictis actionibus, vna sine alia inducit Censuram contra transgressorem, siue legat tantùm, siue tantùm retineat sine lectione; res est certa, quia particula *Aut* in
23 Bullà disiungit vnum ab alio, *l. Si ex toto ff. de legat.* 1. *l. ille, aut ille ff. de legat.* 3. Ac proinde dispositio verificatur in quolibet
24 illorum, *ex allatis à Barb. dict.* 46. *num.* 3. illa dictio *Ve* nuncupata enclitica, quia inclinat ad se accentum, semper coniuncta fini alterius dictionis, sumitur disiunctiuè, vnde & dicitur coniunctio disiunctiua; & quamuis quandoque sumatur pro copulatiuà *Et*, tamen propriè importat disiunctionem maximè in onerosis, & odiosis, vnde *Glos.* V. *eodem in l. Stichum §. Stichus, de statu libero* exponit pro Vel, *& Bertazol. de clauf. Instrum. clauf.* 11. *Glos.* 4. *num* 4. *apud Barb. hac Dict.* 414. *num.* 2. putat ita accipi in tit. De his, quæ vi, metusue causâ fiunt. Confirmatur, quia vna Lex aliam declarat, & noua veterem, *l. Non est nouum* 2. *ff. de legib.* ac proinde Bulla declarat Pianam.

25 Quintò dico paruitatem lectionis, & breue tempus retentionis excusare ab Excommunicationibus e. g. lectio vnius paginæ excusat; neque enim tam breuis lectio etiam si in ea exprimatur Hæresis infert peccatum, neque periculum tam citò subuersionis, & infectionis Hæresis. Est communior *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 31. *Portellus num.* 7. pro qua sententiâ Dal Bene pro se dub. 39. Petit. 2. num. 15. refert præter citatos duodecim Doctores, ergo his standum est.

Ille verò non dicitur retinere Librum, qui 26
per duos dies habet illum apud se, immo nec vltra retinens expectando opportunitatem consignandi illum superiori. Ita *Sayrus lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 55. *Farin. q.* 140. *num.* 42. *Graff. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 47. *Salelles Reg.* 141. *num.* 54. *&* 55. *Dal Bene Dub.* 40. *num.* 5. *&* 13. *& Petit.* 10. *num.* 2. Item quò ad materiam Libri, retentio vnius folij excusat, ita *Sanchez cit. num.* 54. *Suarez de fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 22. *cum alijs* Dal *Bene cit. Petit. num.* 1. Retentio enim cum inferat graues pœnas Excommunicationis, & suspicionis Hæresis, debet commensurari cum grauitate pœnarum, ergo res retenta, & tempus debent esse quid notabile.

Bonac. in Bullâ p. 4. num. 16. & Salelles Reg. 341. num. 83. cum alijs negant paruitatem materiæ, & temporis determinatam excusare. Probant, quia sicut lectio vnius folij est grauis materia, ita & retentio. Sed nego consequentiam, quia lectio magis disponit ad subuersionem, quàm retentio, quæ potius opponitur prohibitioni, quàm fini ipsius prohibitionis. De differentiâ vtriusq; infra tractabo in §. septimo.

Sextò, venditores, qui res venditas inuol- 27
uunt in folijs Librorum prohibitorum, dicuntur retentores, & Rei huius censuræ, quia finis prohibitionis est, vt consignati Libri destruantur ab Inquisitoribus illorum combustione; non autem vt eorum vsus transeat ad venditores, sunt ergo verè, & propriè retentores contra Bullas. Ita *Sanchez num.* 53. *Nald. V. Liber num.* 5. *cum alijs*, quos contra se citat Dal Bene Dub. 40. Petit 6. Qui tenet, retinentes hoc modo esse immunes ab Excommunicatione. Probat, quia finis prohibitionis ne retineantur, est vt destruantur; sed mercatores eos retinent ad destructionem inuoluendo in eis cibaria, & sic cooperantur destructioni fini intento. Confirmat, quia per huiusmodi vsum desinunt esse Libri, & reputantur massa cartacea destinata ad alium finem, respectu cuius vilius, & ad pondus venduntur.

Argumentum tamen cum sua confirmatione nihil probat, & quia destructio librorum prohibitorum facienda est per combustionem de mandato Superiorum. Neque dissolutio Librorum in sua folia diuisa est eorum destructio, sed separatio foliorum ab inuicem, in quibus legi potest id, quod in eis continetur, vnde tantùm abest, vt destruantur, quin potius quampluribus communicantur secundum partes, quàm si remansisset apud venditores, adeo quòd horum opinio non est, sed opinatio, & error inducens alios in periculum infectionis, dum possunt legere huiusmodi folia.

Septimò, maius periculum est in lectione, 28
quàm

quàm in retentione, quia ex lectione facilius, & proximè, ac citius subuerti, & infici potest lector, non autem retinens, & non legens, cum retinens aliud cogitare non possit, nisi prohibitionem, & nullo modo Hæresim, cum eius argumenta, & rationes non legerit, vt facere potest Lector.

Confirmatur, & quia legens peccat non solùm ex lectione, sed etiam ex retentione, quia lectio non datur in legente sine retentione. Et quia sicut ignorans non consentit, non legit, non negligit, non ratificat, cum

29 eius voluntatis sic spectatæ nulli sint actus boni, nec mali, vt notat Paulus Rubeus ad decis. 3. part. 3. num. 10. ignotum enim non potest esse obiectum nostri Intellectus, neque consensus, aut affectus eiusdem voluntatis,

30 *l. Cum ab eo* §. *Mevium ff. de contrah. empt. Sanchez. lib. 7. disp. 17. num.* 2. Ita è contra sciens potest facere eos omnes actus, quos negauimus ignoranti; ergo retinens librum sine lectione, qui comparatur ignoranti, nihil ex prædictis actibus facit, sicut facit legens, ergo non solùm maius periculum, sed totum est in legente, & nihil aliud in retinente, nisi retinentia, quæ est violatio decreti de Libris consignandis.

31 Octauò, dans Librum prohibitum habenti facultatem legendi non est excommunicatus, nec aliam pœnam incurrit, si non est Reus retentionis, nec lectionis; siquidem per solam traditionem habenti facultatem legendi nullum ius læditur, nec consignationis libri faciendæ Superiori, quia facultas excusat tàm habentem, quàm tradentem ex dictis supra *sub Vers. Limitatur, in 3. limit.* Ita nonnulli, quos contra se citat Bonac. num. 18. & putat probabile *Dal Bene dub. 40. petit. 9. num.* 2. Qui ergo licitè recipit, pariter tribuens licitè dat, relatiua enim ad imparia non iudicantur. Nec obstat, quod ex prohibitione patronus amiserit ius suum, vt dixi in præced. sect. num. 42. quia tradens non dat vt suum, nec condit, nec donat, sed consignat habenti facultatem legendi.

32 Nonò, quouis modo ex prædictis audiens alium legentem Librum prohibitum nullius censuræ, aut alterius pœnæ Reus est; quia audire in sententia omnium non est retinere, nec legere, vt notum est apud sapientes. Est communis *Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 48. Reginald. lib. 9. num. 251. Bonac. num. 11. Portellus num. 11. Farinac. q. 180. ad finem, cum alijs Dal Bene dub. 39. num. 3. Vers. Respondetur, Salelles Reg. 142. num.* 105.

Sayrus *de Censur. lib. 3. cap. 5. num. 14. Graff. lib. 4. cap. 18. num. 45. Megal. par. 3. lib. 3. cap. 1. num.* 38. cum alijs, quos Dal Bene citat contra se, vt supra; dicunt audientem non casu, sed consilio, iussu, vel mandato, vt alter legat inductus, esse Reum, ac si ipse legeret. Probant *primò*, quia per alium faciens per seipsum facere videtur. *Secundò*, non se habet merè passiuè, sed influit in lectionem, ergo legit. *Tertiò*, quia idem periculum infectionis est in audiente, quod est in legente. *Quartò*, quia ratio prohibendi lectionem medio visu est, ne percipiatur praua doctrina; sed per auditum efficacius percipitur, ergo auditio est æquè prohibita, ac lectio. *Quintò*, quia lectio duplicem actionem includit, prolationem & intelligentiam verborum; sed hæc secunda est præcipua pars lectionis, ergo ratione huius audiens dicitur legere. Dal Bene hæc sibi obijcit, & suo modo resoluit, & ego meo, vt patet infra.

Certum autem est, eas Excommunicationes incurri solùm propter eas actiones duas, lectionis scilicet, & retentionis Librorum prohibitorum, & non propter quamlibet aliam, nec propter auditionem; nam si id voluisset Legislator expressisset, *l. vn.* §. *Sin* 33 *autem C. de caduc. toll. l. Si seruus*, §. *Prætor ait*, V. Non dixit *ff. de aquir. hered. cap. Ad audientiam, de decimis. Menoch. cons.* 140. *num.* 4. Non expressit auditionem, ergo noluit audientem subijcere Censuris, & quia rarò id accidit; non enim habentes Libros prohibitos solent illos legere coram alijs; timent enim denuntiationem, illos occultantes, ideo legislatores de audientibus nihil disponunt, quia rarò audiunt, *arg. l. Nam ad ea ff. de legib.* Et quia in arbitrio est voluntatis legislatoris hanc actionem, & non illam subijcere pœnis. Respondetur argumentis.

Ad primum, illam regulam: Qui per alium facit per seipsum facere videtur, fictio 34 interpretatur per fictionem Iuris, delicta autem in ordine ad pœnas, maximè Excommunicationis non finguntur, siquidem Excommunicatio lata contra facientem non afficit mandantem, consulentem, aut inducentem, vt est communis opinio *apud Megal. lib. 3. de Censur. cap. 6. num. 14. lib. 4. cap. 2. num.* 13. 35 *Bonac. q. 1. de cens. p. 6. Thesaurus Iesuita par. 1. cap. 10. Barb. ad cap. 6. de homic. num.* 15. congerentem Doctores. Inducens alium ad legendum reuera ipse non legit, nam legere 36 est actus physicus & vitalis, qualis non est inductio ad legendum, cum per hunc actum moralem non legat nec physicè, nec vitaliter.

Ad secundum dico, se habere merè passiuè quò ad lectionem, quam solùm audit, actiuè verò quò ad influxum moralem, quod non est legere, cum is actus recipiatur tamquam opus immanens in eo, qui vitaliter legit, non qui committit lectionem.

Ad tertium de infectione dico, cum Leges ad ea, quæ per se, & sæpissimè contingunt, & non rarò, se referant, *l. Nam ad ea ff. de legib.* idcirco Pontifices pœnam Excommunicationis imposuerunt contra legentes, non audien-

audientes, quia auditio rarò contingit, lectio sæpissimè. Consequenter quò ad pœnam imponendam non respexerunt maius, vel minus periculum, sed ad illud, quod dixi. Deinde idem periculum non est respectu legentis, & audientis, sed maius in legente non solùm quia Librum habet, sed etiam quia legens magis apprehendit, quam au-
37 diens, nam lectio magis radicatur in animà per actionem vitalem, quam illius auditio in audiente, quia non ita bene capitur ab audiente, sicut à legente, Glos. V. Libertatem cap. Porro 7. de priuileg.

Ad quartum, quòd falsa doctrina non imbibitur efficacius in audiente, nam experientia patet inter Magistrum, & Discipulum, quibus comparantur legens, & audiens, nam is audit, vt discat; in magistro enim cognitio radicatur, non in discipulo. Ad cuius rei confirmationem adduco auctoritatem S. Ia-
38 cobi cap. 1. num. 23. *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Rectè ergo ex his deducitur, efficaciorem esse actum legentis, quam audientis.

39 Ad quintum, in lectione apparere illa duo, prolationem, & intelligentiam, in auditione verò solum intelligentiam, ac proinde debiliorem, & insufficientem ad periculum, quod remotè se habet ad audientem, vnde Legislator respexit solùm, quod magis vrget. Dic vlterius, quòd non sunt duæ actiones, nam secundum Philosophos intelligere est pati, non agere.

40 Sciendum tamen est, audientem legere Librum prohibitum teneri denuntiare retentorem illius, ex dictis præcedenti sect. q. 16.

41 Decimò, seruus legens de mandato domini sui rigoroso, à quo timet graue damnum, si recusat legere, excusatur, siue sciat linguam latinam, siue illam ignoret, quia Leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto
42 rigore. De communi *Sanchez lib. primo cap.* 18. *num.* 4. *Suarez disp.* 6. *de cens. sect.* 3. *nu.* 2. Non excusatur, si cogatur legere in contemptum Fidei, quia talis lectio ex circunstantià ita peccaminosa est, vt nullà ratione possit cohonestari. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 49. *cum alijs Dal Bene Dub.* 39. *num.* 10. & 11.

43 Vndecimò, qui proposuit multum legere, sed paginam non excessit, excusatur, quia ad incurrendas pœnas non sufficit propositum cœptum exequi, sed requiritur executio expedita in eà quantitate, quæ excedat paruitatem materiæ; pœna enim inducitur ex actu externo perfecto. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 31. *Dal Bene dub.* 39. *num.* 13.

44 Duodecimò legens partem notabilem vltra modicam esto in nullam inciderit Hæresim, non excusatur, quia legit opus prohibitum in ratione sui totius. Confirmatur, quia pars bona mixta cum malà ex parte Libri non excusat, quamuis bona in lecturà non misceatur cum prauà, quia in mixturà præ- 45
ualet pars prohibita, nam mixta denominantur ab eo, quod principaliter agitur, *l. Mixtum* §. *qui furtum ff. de furtis*, Farinac. *q.* 100. *num.* 56. Et ita docent Farinac. *q.* 180. *num.* 26. *Suarez de cens. disp.* 21. *sect.* 2. *nu.* 10. *Sanch. num.* 35. *cum alijs* Dal Bene *Dub.* 39. *num.* 21.

Tertiodecimò, curiositas, & elegantia ser- 46
monis non excusant, aliàs frustratoria esset prohibitio, & nullius momenti, cum in omni fere opere illa duo inueniantur, si non elegantia in omnibus, saltem curiositas, quæ habet pro obiecto ignotum, cuius notitia de- 47
sideratur, ad quod dixit Cicero apud Nizolium: *Curiosum est ea scire velle, quæ ad nos non pertinent.* Curiositas ergo vitium est, ac proinde excusare non potest. Confirmatur, quia tantùm abest, vt arceant à periculo infectionis, quòd potius ad illud promoueant. Ita *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 40. *Dal Bene Dub.* 39. *Petit.* 4.

Quartodecimò, memoriter tantùm refe- 48
rens formalia verba Hæresis, quam didicit ab alio, vel per se aliàs ex lecturà Libri, ex actu per se memoriæ excusatur, quia talis actus non est legere; ille enim dicitur legere, qui verbis, vel oculis librum ante se positum percurrit, vt dixi sub num. 11. ita *Sanchez* 49
lib. 2. *cap.* 10. *num.* 47. *Graff. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. *Dal Bene Dub.* 39. *num.* 20. Dico præcisè ex actu memoriæ, quia si didicit memoriter ex Libro à se lecto, iam ex hoc est excommunicatus, non postea, si memorià quod didicit ex libro à se lecto, recitet quia recitare non est legere.

Quintodecimò, ignorantia excusat ab in- 50
cursione Excommunicationis, dicit enim Bulla: *Scienter legentes, aut retinentes.* Et licet in Bullà Pij IV. non exprimatur dictio *Scienter*, subintelligitur tamen, quia vna Bulla aliam declarat. Procedit de quacunque ignorantia, modo non sit crassa, & affectata. Ita docent Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 38. *Bonac. in Bullà disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 8. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 2. *p.* 10. §. 2. *initio. Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 8. *Salelles Reg.* 142. *num.* 111. Ignorantia autem debet adæquatè opponi scientiæ ad effugiendam censuram, hoc est legens, vel retinens Librum excusatur, si ignoret esse prohibitum, nesciat esse hæretici, non sciat, quòd de Hæresi, vel de Religione tractet; si enim scit vnum prædictorum ab Excommunicatione non excusatur, quia malum oritur ex singulis defectibus, & bonum est ex integrà causà. Ita *Sanchez cit. num.* 39. *Bonac. num.* 8. *Farinac. q.* 180. *num.* 44. & 45. *cum alijs*

Dal

Dal Bene *Dub.36. in fine in Append. num.22.*
51 Qui dal Bene Dub.40. Petit.4. subdit ad Fiscum spectare scientiam probare contra denuntiatum super retentione Librorum prohibitorum negantem, se scire illos esse tales, referens plures Doctores, per quos tamen non probat intentum, quia solùm ostendunt Fiscum fundantem se in expensione monetæ falsæ, debere probare, quòd pecuniam falsam expenderit, supposito corpore delicti. Res autem non se habet sic in casu nostro, in quo denunciatus tenetur probare ignorantiam circa circunstantias Libri reperti in eius domo, aliter vt plurimùm frustraretur Iudicium, Et certè aliâ de causâ Libri non tenentur, nisi vt legantur, vel vt vendantur, si sunt Librarij, Librorum enim talis est vsus, meritò igitur Fiscus præsumit contra retinentes, quòd illorum notitiam habeant; & sicut Confessarius Iudex in foro Conscientiæ interrogat pœnitentem, sciebasne esse prohibitum? Si respondet ignorare. Ei creditur sine probatione in hoc Foro
52 tàm pro se, quàm contra se, *cap. significasti 18. de homic. Glos. V. credendum sit*; ita & Inquisitor interrogare debet, an sciat conditionem Libri, si respondeat, se ignorare esse prohibitum, illi in hoc Foro non creditur, aliter omnes se excusarent, vt fugerent pœnas, nemini ergo in Foro Fori creditur pro se, sed probare debet allegatam ignorantiam, nulli ergo in hoc foro creditur, sine probatione, *Glos. V. Qualiter sibi constiterit, cap. Tua nos. 26. de sponsal.*
53 Sextumdecimo, retinens ad confutandum non excusatur ab Excommunicatione, quia prohibitio est absolutè facta sine limitatione, & quia nullus puniri posset hac excusatione, & sic frustraretur prohibitionis decretum. Ita *alijs citatis* Farinac. *q. 140. num. 39. contra alios ab eo praced. num. citatos, & d. Dal Bene* Dub. 39. *Petit* 4. *num. 19. Pellizarius in Manuali Regul. tract. 6. cap. 5. num. 30.*

Quæritur 2. Quid requiratur ad incurrendam vtranque Excommunicationem tàm Pij IV. quam Bullæ Cœnæ?

54 ℞. Ad incurrendam Censuram Pij IV. requiritur, quòd Liber prohibitus sit ob Hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, cuiuscunque sit Liber prohibitus, siue Hæretici, siue Catolici, vt patet ex eius verbis relatis hìc sub num 6. Si verò sit prohibitus ob aliam causam, cum legens, aut habens non est Reus huius Excommunicationis sub num. 10. Ad incurrendam Excommunicationem Bullæ, cuius verba sunt hæc: *Ac eorumdem* scilicet Hæreticorum, *Libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostrâ, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes.* Requiruntur sequentia quòd liber sit Hæretici damnati personaliter, vel nati ex sectâ Hæreticorum, & quòd tractet, vel de Hæresi, vel de Religione, ac proinde duo copulatiuè, quòd sit Liber Hæretici cum vno ex duobus, tractans scilicet de Hæresi, vel de Religione. Vide *Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 30. cum alijs Dal Bene* Dub. *36. in Append. num 2. & seq.*

Quinam Libri dicuntur tractare de Religione? Qui ex professo tractant de Fide, de Theologiâ tam Scholasticâ, quàm morali, de sacrâ scripturâ, de Concionibus, de Sacramentis, de Iurisdictione ecclesiastica, de immunitate, de priuilegijs Clericorum, & huius generis. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 21. Toletus lib. 1. cap. 21. Suarez de cons. disp. 21. sect. 2. num. 10. cum alijs. Dal Bene Dub. 36. Corollar. 4. num. 5.* Debent hi Libri esse Hæreticorum, vt supra; aliter non sunt prohibiti, si benè agatur de Religione, nisi respectu Hæreticorum, quorum libri de Religione etiam bene, & sine errore tractantes non possunt legi; prohibiti in odium ipsorum Hæreticorum, indignum enim visum est Ecclesiæ, vt fideles erudiantur ab Hæreticis suis inimicis, vt dixi sect. 48. num. 10. & 11. 55

Quæritur 3. An aliqua Excommunicatio sit lata in Indice Librorum prohibitorum, & contra quos sit lata?

℞. Vnicam inuenio in eo extensam sub Reg. X. his verbis: *Quòd si quis Libros Hæreticorum, vel cuiusuis Auctoris scripta ob Hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, siue habuerit statim in Excommunicationis sententiam incurrat.* Eadem fere verba sunt, quæ retuli sub num. 6. pro Excommunicatione latâ à Pio IV. contra similes Libros habentes, vel legentes. Igitur ambæ eiusdem rationis sunt, & pro eadem habendæ nulli reseruatæ. 56

Nomine autem *Suspicionis falsi dogmatis* venit error, qui creditur esse contra Fidem; dogma enim pium est doctrina in fide, *Glos. V.* seu potius *cap. Satis 7. dist. 96. Glos. fin. in dist. 3. per caput Qui Episcopus 2. dist. 29.* Itaque falsum dogma est error contrarius doctrinæ de Fide. Doctrina autem Fidei spectatur dupliciter, primò vt talis est de Fide definita, vt sunt articuli, & propositiones de Fide definitæ, vt patet in Canonibus Concilij Tridentini. Secundò in doctrinâ Fidei aliquæ sunt propositiones, quæ ab aliquibus putantur de Fide, ab alijs negantur esse de Fide, pono exemplum in hac propositione. *Papa in canonizatione sanctorum non potest errare.* Aliqui dicunt esse de Fide, quod ego teneo; alij negant, vt dixi sect. 45. num. 162. Hæresis ergo directè, & ex diametro opponitur Fidei; falsum vero dogma, de quo est suspicio, opponitur Fidei non ex diametro, sed secundùm suspicionem, & opinatiuè tantùm, non definitiuè, vt Hæresis. 57 58 59

Quæritur 4. An habens Libros Astrologiæ iudi-

iudiciariæ, seu eos legens, vel eis vtens sit excommunicatus in Bullâ Cœnæ, vel in Bullâ Pij IV. aut in Indice?

60 ℞. Negatiuè, quod probaui sub sect. 38. q. 26. ideo illuc remitto lectorem. Dixi etiam sect. 48. num. 34. & 35. Eam verò Excommunicationem, de quâ sectione eâdem 48. sub num. 46. esse sublatam probaui ex Bullâ Alexandri VII. quam citaui hîc sub vers. Quartò num. 5.

Quæritur 5. An legentes, vel retinentes Libros prohibitos ob res lasciuas, seu obscenas sint excommunicati?

61 ℞. Negatiuè, si non habent pro auctore aliquem Hęreticum, nec continent Hæresim, nec Hęresis suspicionem; quia nullo Iure, nullo statuto tales afficiuntur Excommunicatione. Ita *Duardus q. 45. concl. 4. num. 19. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 7. dub. 4. cum Bonac. in Bullâ disp. 1. q. 2. part. 4. num. 5.*

Quæritur 6. An legens, vel retinens quemcunque alium Librum prohibitum ob quamcunque aliam causam, quam ob Hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis, nisi sit Hæretici, incurrat Excommunicationem?

62 ℞. Negatiuè, quia Excommunicationis pœna non est asserenda contra aliquem, nisi de eâ constet in Iure, vel esse latam ab ho-
63 mine, vt docent omnes *cum Cardin. Florent. cons. 12. initio, Megal. par. 3. lib. 4. cap. 1. num. 25.* Sed nullibi reperitur pœna Excommunicationis contra istos, ergo ab eâ immunes sunt. Et hoc colligitur ex Bulla Pij IV. qui post quam excommunicauit legentes, aut habentes Libros prohibitos ex causâ Hęresis, vel falsi dogmatis; excludendo alios ab hac Excommunicatione subiungit hæc verba: *Qui autem libros aliâ de causâ prohibitos legerit habueritue præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.* Et hoc idem dicit Index in fine Reg. X. eisdem verbis. Dixi cap. 14. in fine. Huius generis sunt libri Ioannis Sanchez Abulensis Selectæ, & practicæ Disput. Francisci Pellizarij Manuale Regularium. Scio nonnullos oppositum sentire, cum quibus est Lupus in Edicto lib. 25. dist. 4. art. 4. Sed nihil probat, nec auctores ab eo citati id docent.

Dices, his obstant duæ Bullæ Gregorij XV. & Vrbani VIII. ambæ incip. *Apostolatus* Gregorij sub num. 40. Vrbani 114. in Bullario, verba sunt hæc: *Qui immo Libros per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes pœnas in sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis, & Indicibus* Librorum *prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.* Nomine autem Librorum prohibitorum veniunt omnes ex quacunq; causâ prohibiti, vt colligitur ex antecedentibus verbis hisce: *Vel aliâs quomodolibet prohibitos*, idest ex quauis causâ sint prohibiti.

℞. Esto hîc agatur de omnibus Libris ex quauis causâ prohibitis, non tamen licet inferre esse excommunicatos legentes, aut habentes quoslibet ex quauis causâ prohibitos, sed tantùm eos, qui legunt, seu habent Libros Hæreticorum, vel aliorum prohibitos ex causâ Hæresis, vel suspicionis falsi dogmatis, quia in sacris Canonibus, nec Apostolicis constitutionibus, nec in Indice statuta est Excommunicatio contra illos, nec in his duabus Bullis Gregorij, & Vrbani.

Quæritur 7. An legentes, vel retinentes Libros quomodolibet prohibitos sint suspecti de Hæresi, & in quo gradu.

℞. Legens, vel retinens Libros cuiusuis 64
Auctoris siue Hæretici, siue Catolici prohibitos ob Hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, est suspectus de Hæresi, ex quo Libri agunt contra Fidem, cui ex diametro opponitur Hæresis. Ita decreuit Pius IV. in suâ incip. *Dominici gregis* 77. & in Direct. fol. 131. His verbis: *Eamque ob causam in eum tamquam de Hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat.* Est communis *Farinac. q. 140. num. 8. Genuens. cap. 18. num. 12. Carena par. 2. tit. 10. num. 23. Albergbin. cap. 32. num. 16. & 20.*

Non determinatur gradus suspicionis in Bullâ, id enim fieri non potest, quia leges disponunt, & omnibus loquuntur indifferenter, non consideratis subditorum qualitatibus, & delictorum conditionibus, idcirco gradus suspicionis ex prædictis determinandi sunt.

Suppono autem duo, antequam accedam 66
ad qualificationem suspicionis. Vnum est, quòd suspicio Hæresis habet locum solùm contra legentes, vel retinentes Libros prohibitos ex causâ Hæresis, vel ex causâ suspicionis falsi dogmatis, vt patet ex citatâ Bullâ; ac proinde legens, vel retinens alios Libros aliter prohibitos non est suspectus de Hæresi.

Alterum est, quandocunq; ex lectione, vel retentione quis excusatur ab Excommunicatione, iuxta superiùs dicta in dubijs sub q. 1. explicatis, excusatur etiam à suspicione Hæresis, quia si maior pœna excusat, etiam minor, qualis est suspicio, respectu eiusdem causæ. Gradus autem suspicionis determinantur in sequentibus ex consideratione diuersarum circunstantiarum.

Primò non consignantes Libros prohibi- 67
tos ex licentia reuocata sunt vehementer suspecti de Fide, quod deducitur ex Bulla Iulij III. incip. *Cum meditatio* in Calce Direct. fol. 115. quia hos vocat sub incursu. Hæresis esse puniendos pœnis Hæreticorum, clarius prope finem ibi: *Hæretici, seu suspecti de* Fide Ita Vericell. q. 195. num. 72. Vide præced. sect. q. 16.

Secundò, miscens in suo opere aliquam 68
Hęresim censetur vehementer suspectus de Hæresi, quia compositores cum magnâ diligentiâ

gentiâ suâ opera exponunt. Ita *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. §. 4. *num.* 2. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 24. *Farinac. q.* 180. *num.* 17. qui licet loquantur de compositore ex professo tractante de Hæresibus formaliter, quem benè dicunt esse formaliter
69 Hæreticum, nec ipsum posse adiuuare Protestationem, per quam se, & opera subijcit correctioni Ecclesiæ, quia factum ipsum perimit Protestationem, tamen id non aduersatur nostro responso, dum releuant à suspicione Hæresis eum solum, qui non ex Professo, sed per transenam scripsit Hæresim, si res obscura erat, & difficilis; ego autem dico rem esse claram, & sic coincido cum illis.

70 Tertiò est vehementer suspectus de Hæresi, qui pluries legit scienter Librum hæreticum, aut illum diu retinuit non curando de consignatione, quia videtur valdè affectus ad Hæreses. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 3. *vers. At si, & vers.* V*t ergo*. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 26. *vers.* Si *vero*, *Albergbin. cap.* 32. *numero* 23. Circa paruitatem materiæ lectionis, & tempus breue in retentione libri dixi supra in vers. Quintòdico. Quæ duo sicut excusant à Censurà, ita & à suspicione Hæresis. Lectio autem vnius paginæ excusat ab vtroque; Lectio vnius folij non excusat à leui suspicione, quia nec à Censurà. Lectio quinque foliorum non videtur excusare à vehementi suspicione, quia arguit magnum affectum ad Hæresim. Qui retinet Librum per duos dies ab vtroque excusatur, sicut qui expectat oportunitatem consignandi Inquisitori, post id tempus non consignans censetur vehementer suspectus ob rationem dictam, quia in Libri lectione valdè affectus præsumitur.

71 Quartò, ille est vehementer suspectus de Hæresi, qui Librum prohibitum obtinuit ab Hæretico, vel procurauit illum habere à locis Hæresi infectis, quia censetur esse valdè propensus ad Hæreses, & quia illorum est amicus. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 26. *vers. Si verò*, *Albergh. cap.* 32. *num.* 23.

72 Quintò, nesciens legere, vel qui scit legere, sed non intelligens non est suspectus de Hæresi nec leuiter, quia non peccat legendo, nec retinendo, si nesciat esse librum Hæretici, vel de Hæresi tractare, quia non peccauit, ergo nec suspectus est de Hæresi, quæ supponit peccatum mortale, vt dixi sect. 25. num. 130. Vnde nec est excommunicatus, vt probaui hic sub vers. Quintodecimò consequenter nec suspectus de Hæresi. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 3. *vers. An autem*, *Zanardus part.* 2. *cap.* 94 *Carena num.* 44. *Salelles Reg.* 397. *num.* 498.

73 Sextò, suspectus nec est ille, in cuius domo inuenti sunt Libri prohibiti ex hæreditate, si hæres sit vir bonæ famæ; nec aliàs inquisitus super his, & alijs, cum enim excusat ignorantia. Ità *precitati mox* Pegna, *Carena num.* 27. *Salelles num.* 505. *alijs citatis*.

Septimò, inuentus cum Libris prohibitis se defendit à suspicione Hæresis, si asserit, & probat se illos legisse, & retinuisse ad impugnandas Hæreses illius, modo exhibeat impugnationes notabiles iam factas ante inuentionem Librorum, quia non potest præsumi suspectus de Hæresi, qui ex professo Hæresim impugnauit. Ita docent *Carena num.* 28. *& Salelles num.* 499. *cum alijs*, quos contra se citat *Castropal. tract.* 4 *disp.* 2. *part.* 10. §. 2. *num.* 8. 74

Qui num. 9. cum Pegnà, Vgolino, Toleto, Farinaccio, & Suarez tenet oppositum & probat *Primò*, quia lex prohibet retentionem absolutè, non curando qua intentione fiat *Secundò*, ex retentione, & confutatione ex propriâ voluntate potest adesse periculum peruersionis, qui enim firmus esse præsumitur, sæpe cadit. *Tertiò*, & si in eo nullum esset periculum, sufficit generaliter adesse, & venenum conseruari, quod ecclesia sua prohibitione intendit perire. 75

Respondeo hæc argumenta probare talem esse dignum punitione, & esse Reum Excommunicationis etiam Bullæ Cœnæ, quid enim impugnare potest in Libro Hæretici, si solùm agat, & bene de Religione? Non autem suspicionis, ac proinde nec abiurationis, hæc enim supponit illam. Quare ad *primum argumentum* dico puniendum esse ob retentionem, & lectionem ac si nihil contineret liber Hæresis, *Ad secundum*, periculum peruersionis non esse, vt dicitur in tertio argumento, non enim ex confutatione argui potest contrarius effectus, quia quælibet causa habet effectum sibi proportionatum, sicut calor non potest producere frigus sibi contrarium, ita neque confutatio Hæresis potest producere effectum sibi contrarium nempe hæresim, seu eius suspicionem, quod non negatur in eorum tertio argumento *Ad tertium* ergo dico, si nullum periculum, ergo immunis est à suspicione, non obstante prohibitione, qua Legislator intendit perire venenum Hæresis, cum ex confutatione cooperetur extirpationi huiusmodi veneni. Et hic est singularis casus, ex quo ab Excommunicatione non infertur ad suspicionem hęresis, quia constat de eius destructione.

Octauò, est leuiter suspectus de hæresi inuentus cum Libro sortilego ad amorem, sicut & qui fecit sortilegium simplex ad amorem, non autem qualificatum, quia tunc est vehementer suspectus ex probatis sect. 42. num. 9. & 10. Ita *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 42. *vers. in casu tamen*. 76

Nono, habens Librum Negromantiæ, & huius generis ex solà retentione sine vsu est suspectus leuiter tantùm; esto tortus super vsu negauerit vsum. Ita *Genuens. cap.* 69. *num.* 77

non amplius habet ille, qui eius Auctor, seu habens, aut possessor, erat, cum incipiant esse Fisci S. Officij, vt eos comburat. Dixi cap. 14. q. 8.

Quæritur 12. An Libri prohibiti sint comburendi, & à quibus?

45 ℞. Mos est antiquissimus comburendi Libros prohibitos vsque ad tempora Apostolorum, vt patet ex dictis initio huius sectionis; & postmodum lego in Bullâ Ioann. XXII. incip. *Super illius* 13. in B. N. & apud Direct. par. 2. q. 43. num. 9. ibidem extensa, in

46 qua §. 3. Cunctis præcipimus, quòd quicumque de scripturis præfatis, vel libellis quicquam habuerint infra octo dierum spatium ab huiusmodi Edicti nostri notitiâ computandum, totum, & in toto, & in qualibet sui parte abolere, & comburere teneantur; alioquin volumus, quod incurrant sententiam Excommunicationis ipso facto. Vide infra sect. 49. quæst. 4. Bulla autem est contra immolantes Dæmonibus, aut responsa, & auxilia petentes ab eis, & tenentes Libros de eiusmodi erroribus tractantes,

47 Ex quibus constat, aliàs licuisse propriâ auctoritate comburere libros; vsq; ad Iulium III. de quo q. 11. num. 32. nunc autem, quia adest decretum consignandi illos, vt visum fuit in præcedenti quæstione; idcircò id omnibus est interdictum per decretum consignandi illos Episcopis, seu Inquisitoribus, ad quos spectat combustio, vt expressè ordinatur in Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. ibi:

48 *Qui illos quantocius comburere debeant*. Illis ergo consignandi sunt, ergo comburi non possunt, aliter obseruari non potest præceptum consignationis.

Confirmatur, quia libri prohibiti non amplius sunt sub dominio, nec possessione habentium, ergo ab illis comburi non possunt,

49 cum non amplius habeant Ius super ipsos. Est communis, *cum Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 56. *Riccul. lib.* 5. *cap.* 24. *Portell. V. libri num.* 13. *Diana par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 37. *Lezana num.* 16.

50 Nota hîc duo, vnum, Libros consignatos esse quantocius comburendos, cum inutiliter, & damnosè conseruentur; illud verbum temporis eundem sensum habet, quem dictio *Quamprimùm*, importans spatium trium mensium in magnis, duorum in paruis Barb. Dict. 302. Salelles Reg. 141. num. 95. ait, intelligendum, nisi dilatio combustionis expediat ad formandum processum, vel ad conuincendum Reum de abusu illius; expeditâ

51 ergo causâ, comburuntur Libri. Alterum est eximi à combustione prohibitos donec corri-

52 gantur, quia datâ expurgatione non amplius sunt prohibiti, intellige, si correctio publicetur ad effectum restituendi Libros expurgatos, sed non video nostris temporibus talem restitutionem, sed practicatur noua impressio iuxta expurgationem.

Quæritur 13. An comburens Libros prohibitos propria auctoritate incurrat aliquam censuram? Et an suspectus sit de Heresi?

℞. Neutrum incurrit, non primum, quia 53
licet peccet, ponendo obicem consignationi, non tamen reperitur censura inflicta de iure comburenti. Non secundum, quia comburendo non amat Hæresim, sed odit, ergo non est de eâ suspectus; Vide infra sub q. 15.

Dices in Bulla Iulij III. incip. *Cum medi-* 54
tatio apud Director. fol. 115. præcipitur sub pœnis consignatio Librorum prohibitorum, & prohibendorum illis verbis: *Monemus, ac eis, & cuiuslibet eorum in virtute S. Obedientiæ, & sub incursu Hæresis, ac omnibus contra Hæreticos de Iure inflictis, & promulgatis tam ecclesiasticis, quam temporalibus sententijs, censuris, & pœnis*.

℞. Huiusmodi pœnas dirigi non ad comburentes, sed ad retinentes Libros, quos nolunt consignare, vt colligitur ex illis verbis prope finem Bullæ expressis quæ sunt hæc: *Volumus autem, quòd ijs, qui Libros Lateranos, seu alios prædictos infra spacium, & terminum huiusmodi dictis Inquisitoribus consignauerint, nisi ipsi alias, quàm ex retentione Librorum huiusmodi Hæretici, seu de fide suspecti fuerint eo ipso etiam absque aliqua desuper faciendâ abiuratione, à censuris, & pœnis propterea forsan incursis in vtroque foro absoluti sint, & esse censeantur prout Nos &c.* Patet ergo, non consignantes Libros esse subiectos illis pœnis non autem comburentes, de quibus ne verbum quidem.

Quæritur 14. Non consignantes Libros, an sint Rei Excommunicationis, & sint suspecti de Hęresi?

℞. Affirmatiuè incurrere pœnas, & cen- 55
suras non consignantes Libros prohibitos, & prohibendos ex causa Hæresis, vel eius Suspicionis, seu falsam doctrinam continentes, ac esse suspectos de Hæresi vehementer, vt probatur per Bullam Iulij III. incip. *Cum meditatio* in calce Directorij fol. 115. illis verbis: *Ac eis, & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, & sub incursu Hæresis, ac omnibus contra Hæreticos de iure inflictis, & promulgatis tam ecclesiasticis, quàm temporalibus sententijs, censuris, & pœnis, districtè præcipiendo mandamus &c. consignasse debeant realiter, & cum effectu* scilicet Inquisitoribus. Ita docent *Castropal. tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. *§.* 2. *num.* 12. *Barbosa Alleg.* 90. *num.* 5. *De Lugo de fide disput.* 21. *num.* 106. quos contra se citat Vericell. *q.* 95. *de Missionibus sect.* 9. qui pro se vocat *Dianam part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 37. *Bonac. de cens. in pratic. disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 18. pro quo est etiam Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 56. si legantur eius extrema verba.

Respondet ipse Vericellus, supradicta verba

verba Bullæ continere duo; præceptum S. Obedientiæ, quod importat mortale peccatum, alterum vt non deferens Libros tamquam suspectus de Hæresi vehementer, puniatur; quare illa particula *Censuris* non significat aliquam censuram contra non deferentẽ libros, sed quòd puniatur, seu declaretur innodatus censuris latis contra Hæreticos, non autem quòd aliquà nouà censurà puniatur. Quare cum nec in Bullà Cœnæ, nec in Bullà Pij IV. neq; alibi censura extet contra non deferentes Libros Inquisitoribus, proinde nulla censura incurritur.

Sed contra, quia licet in alijs non fiat mentio de consignandis Libris sub pœna Excommunicationis, sufficit tamen, quòd in hac talis mentio fiat, extendendo Excommunicationem cum alijs pœnis iam latis contra Hæreticos, & id clarum est in textu, vnde duo ibi tantùm dicuntur, præceptum scilicet, & vehemens suspicio Hæresis, seu potius incursum Hæresis, propter quod mandatur puniri pænis hæreticorum.

Ego autem dico nullam censuram incurri præcisè ex non consignatione Librorum prohibitorum, quia Alexander VII. pœnas Iuris reduxit ad formam Bullæ Pij IV. iuxta quod dicam in sequenti sect. Vers. 4. Quare pro punitione transgressorum sufficiunt pœnæ arbitrio Inquisitorum, magis enim sentiuntur corporales, quàm Spirituales; nimis nostris temporibus multiplicatæ.

Quæritur 15. An sint denunciandi habentes Libros prohibitos?

56 ℞. Affirmatiuè, ex quacunq; causà etiam extra Hæresim, vt planè colligitur ex Bullis Gregorij, & Vrbani ex dictis hic num. 36. & 40. ibi: *Quiq; aliquos similes* Libros *prohibitos habere sciuerint eos denuntiare teneantur*. Nam antecedenter sermo erat de prohibitis quomodolibet, siue hæreticis, siue non. Ita disposuerunt, quia in Edictis Inquisitorum fit solùm mentio de Libris, aut scriptis *che contenghino baresio, ò libri d'Heretici, che trattino di Religione. Ouer libri di negromantia, magia, ò continenti incantationi, sortilegi & simili superstitioni, massime con abuso di cose sacre*.

Quæritur 16. An Auctores Librorum prohibitorum citari possint ad fauorem?

57 ℞. Non sunt citandi Hæretici, nec eorum Libri, esto dicant aliquid in fauorem Religionis, & quia sunt damnati cum suis operibus, vt eorum memoria pereat, & quia Catolici non egent eorum auxilio, ne videantur emendicare doctrinam ab hostibus Ecclesiæ, & quia eorum opera prohibetur in eorum ignominiam, & infamiam, vnde citandi non sunt in honorem, sed in eorum confusionem exterminando eorum errores. Catolici verò cum suis operibus licet prohibitis citari possunt, quò ad bonam doctrinam in eorum Libris contentam, relictis eorum erroribus, & confutatis, si tempus, aut occasio id exigit.

Quæritur 17. An prohibitio Librorum maximè in materià Hæresis compræhendat etiam Imperatorem, Cardinales, & Reges?

℞. Affirmatiuè, etiam quòad pœnas Excommunicationis, suspicionis Hæresis, & similibus, quia sicut Fides prodest omnibus de necessitate salutis, ita Hæresis ei opposita prohibetur in Libris quibuscunq; maximè Principibus, in quibus timetur maius periculum, ita quòd si casus in illis acciderct, sequeretur irreparabile damnum in Republicà Catolica. Habemus exemplum in Luteranis, & Caluinistis, & hoc sufficit. 58

Confirmatur nostra responsio, quia licentiæ legendi Libros prohibitos reuocatæ sunt per Iulium III. in Bullà incip. *Cum meditatio* in calce Direct. fol. 115. ibi: *Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate ecclesiasticà, aut seculari præminentià præfulgerent* Gregorius XV & Vrbanus VIII. in suà incip. *Apostolatus* illis verbis: *Quacunq; dignitate fulgentibus etiam speciali notà, & mentione dignis*. Quæ clausulæ prædictos compræhendunt. Ita Dal Bene dub. 39. Petit. 8. de ecclesiasticis, nihil de Principibus. De Imperatore, & Regibus citati à Salelle Reg. 141. num. 61.

Contrarium tenet Salelles Reg. 141. num. 69. fauore Inquisitorum, quod possint legere Libros prohibitos, non obstante Bullà Vrbani VIII. quia eius mens potest benignè interpretari ob hanc rationem, quia iudicatur valdè consonum, & conforme Iuri etiam naturali, ac pernecessarium ad bonum Ecclesiæ Catolicæ, Fideiq; eius defensionem, vt illi priuilegio fruantur habendi, & legendi libros prohibitos, cum absq; eo vix possint exequi munus suum. Adiungit, Cardinalem Barberinum per Epistolam respondisse, non omnibus Consultoribus, sed vni tantùm licere legere librum, in quo continentur propositiones hæreticales, erroneæ, &c. vt eas per eum extractas, alij Consultores vnà cum ipso qualificare possint. 59 60

Sed contra, quia Inquisitor non est Iudex Librorum iam prohibitorum, sed executor voluntatis illius supremi tribunalis, scilicet, quantocius comburendi Libros iam prohibitos. Nullum ergo munus aliud habet, nisi comburendi illos, quare suum officium puniendi transgressores non minuitur ex negato priuilegio hoc, neq; enim prudenter Papa reuocasset hoc priuilegium, si fuisset necessarium ad munus Inquisitoris. Ad illam Epistolam, dico colligi ex eà, sermonem esse de Libris nondum prohibitis, in quibus inueniuntur errores, vel hæreses, & aliæ propositiones indigentes qualificatione; qualificantur enim Libri nondum prohibiti, non verò iam prohibiti, quia qualificati fuerunt ante prohibitionem. 61 62

SEC-

SECTIO XXXXIX.

De Pœnis contra legentes, & retinentes libros prohibitos.

SVMMARIVM.

1 *Libri prohibentur tribus ex causis.*
2 *Auctorum Librorum prohibitorum alij sunt Haeretici, alij Catolici.*
3 *Excommunicatio ad sui incursionem exigit peccatum mortale.*
4 *Executionem paratam habet non expectata sententia.*
5 *Allexander VII. reduxit pœnas ad Bullam* Pij *IV.*
6 *Excommunicatio in Bullà Pij IV. refertur eiusdem verbis.*
7 *Dubia 16. referuntur, & in sequentibus resoluuntur.*
8 Libri *nomine quid veniat?*
9 *In Bullà Cœnæ sit solùm mentio de Libris, non de scriptis.*
10 *Excommunicatio Piana non afficit nisi legentes Libros ob Hæresim prohibitos.*
11 Legere *quid sit?*
12 *Sine inteligentià propriè non legitur.*
13 *Sed tantùm materialiter pronuntiatur vox articulata.*
14 Habere, *&* retinere *Librum: quid?*
15 *Bibliotecarius non retinet, sed Monasterium.*
16 *Cui conceditur Liber, etiam vt possit eum facere ligare.*
17 *Finis facit præsumere bonam præordinationem in medijs.*
18 *Media sequuntur naturam sui finis & ab eo regulantur.*
19 *Bonitatem à fine recipiunt media.*
20 *Tradens statim* Librum *amicò excusatur ab Excommunicatione.*
21 *Retentionem de facto exigit vtraq. Bulla.*
22 Legerit habueritue *sumitur disiunctiue.*
23 *Pariter dictio* Aut.
24 *Et particula* Ve.
25 Paruitas *materiæ, & temporis in legendo, & retinendo.*
26 *Non retinet habens per duos dies.*
27 *Vendentes cibaria in folijs Librorum prohibitorum non excusantur.*
28 Periculum *maius in lectione, quàm in retentione.*
29 *Ignorans nullum habet actum eorum, quæ ignorat.*
30 *Ignotum non potest esse obiectum intellectus.*
31 *Datur Liber sine peccato habenti licentiam legendi.*
32 *Audiens non dicitur legere.*
33 Si voluisset expressisset *Legislator.*
34 Qui per alium facit *sumitur fictione iuris.*
35 *Mandans non est Reus Censuræ, sicut faciens, si ille non exprimitur.*
36 *Legere est actus vitalis physicus immanens.*
37 *Legens magis imbibit doctrinam, quam audiens.*
38 Si quis est auditor verbi, & non factor &c.
39 *Intelligere est pati, non agere.*
40 *Audiens tenetur denuntiare legentem.*
41 *Seruus legens de mandato domini rigoroso excusatur.*
42 *Leges non obligant cum tanto rigore.*
43 *Pœna non incurritur nisi ex actu externo perfecto.*
44 *Legens partem notabilem, in qua non est Hæresis, non excusatur.*
45 *Mixto præualet pars prohibens.*
46 *Curiositas, & elegantia sermonis non excusant.*
47 *Curiositas est velle scire ea, quæ ad nos non pertinent.*
48 *Memoriter recitans Hæreses non est*

DE pœnis, & censuris in hac sectione agendum est contra legentes, & retinentes libros prohibitos pro cuius rei intelligentiâ nonnulla sunt præmittenda. 1

Primò, tribus de causis libros prohiberi. Primò quia continent Hæreses; Secundò, quia continent suspicionem Hæresis, & falsi dogmatis. Tertiò; quia continent tractatus

contra bonos mores; de quibus dixi praecedenti sectione sub num. 24. & 25. ex Bullà Pij IV. cuius verba ibi retuli.

2 Secundò, Auctores librorum prohibitorum sunt in duplici differentiâ; nam alij sunt formaliter Haeretici damnati personaliter, vel generaliter in suâ sectâ, in qua nati sunt, quorum nomina, & opera sunt reprobata & damnata, iuxta dicta praecedent. sect. num. 10. 11. & 28. Alij verò sunt Catolici, qui in suis libris incidenter, & ignoranter aliquam exprimunt Haeresim talem vel definitiuè, aut opinatiuè. Vel in eisdem tractant opiniones laxas, aut Scandalosas, seu tractant de rebus lasciuis, & obscenis, aut de materia iurisdictionis pro vno contra alium sine vlla probabilitate, vel inuehuntur contra aliquem iniurijs, & calumnijs &c.

3 Tertiò, Poena Excommunicationis maioris ad sui incursionem requirit, vt delictum propter quod fertur contra transgressorem sit peccatum mortale, est enim excommunicatio grauissima poena, & maior qualibet aliâ, dixit S. August. tom. 7. cap. 15. de correct. & gratiâ, vt ergo poena commensuretur delicto hoc debet esse peccatum mortale, *cap. Nemo* 41 11 *q* 3 *Scotus in 4. dist. 25. q. 1. num. 11. vers. Hoc tamen*, *Faber de excom. disp. 4 num.* 53. Ad eam incurrendam non expectatur sententia iudicis, sed illa animam allicit statim, ac delictum est commissum cum peccato

4 mortali; habet enim executionem paratam, quam secum trahit, non expectando eam à iudice, *cap. Pastoralis 53. de appellat. ibi glos. V. cum executionem*.

5 Quartò, omnes poenas contra transgressores librorum prohibitorum hactenus latas Alexander VII. reduxit ad poenas constitutionis Pij IV. incip. *Dominici gregis* extensæ in indice librorum prohibitorum, cuius verba sunt haec. *Obseruari mandamus* scilicet indicem librorũ prohibitorum, *& praecipimus sub poenis in constitutione recol. mem. Pij Papae IV. etiam praedecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis ad quas varietatis veterum Decretorum in proponendis transgredientium poenis tollendae gratiâ omnes, & singulas poenas per constitutiones Apostolicas, & Decreta anteriora huiusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus. Firmis tamen manentibus his, quae de Auctoribus, & libris damnatis in literis Apostolicis die Coenae Domini, publicari solitis, sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.* His praemissis.

Quaeritur 1. Quid contineat Bulla Pij IV. ad intellectionem eorum, quae praemisimus ex Bullâ Alexandri VII. extensâ initio noui Indicis de eius mandato? Habetur in B. N. sub num. 77. in calce Directorij fol. 1, 1

℞. Sequentia ad rem nostram continere 6
his verbis: *Si quis autem aduersus eas Regulas* scilicet Indicis, *prohibitionemq. fecerit, is quidem, qui Haereticorum Libros, vel cuiusuis Auctoris scripta propter Haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata; atq. probibita legerit, babueritue ipso Iure in Excommunicationis poenam incidat. Eamq. ob causam in eum tamquam de Haeresi suspectum inquiri, & procedi liceat. Praeter alias poena. super hoc ab Apostolicâ Sede, sacrisq. Canonibus constitutas. Qui autem libros aliâ de causâ prohibitos legerit, babueritue, praeter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum*.

Illa autem clausula: *Praeter alias poenas &c.* intelligitur sublata per allegatam Bullam Alexandri VII. qui decreuit, transgressores subiacere poenis expressis in Bullâ huius Pontificis. Excommunicatio hic expressa nulli reseruatur, pro cuius, & Bullae Coenae Domini Intelligentiâ.

Dubia sequentia sunt explicanda. *Primum*, An nomine libri, & scripti veniant 7
tam impressa, quàm manuscripta? *Secundum* an prohibita propter alias causas, quam Haeresis, & suspicionis falsi dogmatis inducant excommunicationem contra legentes, habentesue? *Tertium*, quid importet legere, & habere libros prohibitos? *Quartum*, an ad incurrendam Excommunicationem sufficiat legere, aut solùm habere sine lectione? *Quintum*, an paruitas lectionis, & breue retentionis tempus excusent à Censurâ? *Sextum*, An aromatarij, & alij mercatores inuoluentes cibaria in folijs Librorum prohibitorum sint Rei Excommunicationis? *Septimum*, An idem periculum sit in retentione, quod est in lectione? *Octauum*, An excusetur à retentione dans librum prohibitum habenti facultatem legendi, & habendi libros? *Nonum*, An audiens legere casu, vel iussione, aut suasione sit Reus censurae? *Decimum*, an legens de mandato alterius excusetur. *Vndecimum*, An qui intendebat multum legere, excusetur, si modicum legat? *Duodecimum*, An legens partem Libri notabilem, vbi nulla est Haeresis, excusetur? *Tertiumdecimum*, An legens ex curiositate, seu ob elegantiam sermonis excusetur? *Quartumdecimum*, An memoriter recitans excusetur? *Quintumdecimum* quid de scientiâ Bullarum? *Sextumdecimum* de retinente ad confutandum.

Primò respondetur, quòd nomine *Libri* 8
venit tàm scriptus, quàm impressus; ambo enim sunt Libri eiusdem materiae, & solo caractere differunt, ac proinde differentia est accidentalis. Nomine *Scripti* venit vnum, vel alterum folium, vt aiunt, siue impressum, siue manuscriptum. In Bullâ Coenae exprimitur solùm Liber, non scriptum his verbis: *Ac eorumdem* scil. Haereticorum, *Libros Haeresim*

retim continentes, vel de Religione tractantes. Nihilominus cum, vt dixi, tam scriptus, quàm impressus dicatur propriè Liber; idcirco habens Librum siue impressum, siue scriptum est Reus huius Censuræ Bullæ, & in hoc
9 nulla difficultas. *Ita Farinac. q.* 180. *num.* 30. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 29. Circa folium vnum, vel alterum est difficultas; multis dicentibus, non esse Reum Bullæ, quia hæc facit solùm mentionem de Libris, quale non est folium vnum, vel alterum; nec actu, nec potentiâ, & satis per hoc prouisum fuit in Bullâ Pij IV. qui mentionem fecit de scripturâ, & de Libris, vnde sufficit, quòd is incurrat Excommunicationem latam à Pio IV. vtranque opinionem refert Dal Bene Dub. 37. & tenet quod nos diximus.
10 Secundò, Excommunicatio Pij IV. non afficit legentes, nec tenentes Libros prohibitos agentes contra bonos mores, sed tantùm damnatos ob Hæresim, vel illius suspicionem, iuxta primum præmissum, & Procedit, siue Liber sit Hæretici, siue Catolici, vt clarè colligitur ex illis verbis; *Qui Hæreticorum Libros, vel cuiusuis Auctoris scripta*. Bullæ autem excommunicatio afficit solùm legentem Libros Hæreticorum, ex illo verbo *Eorumdem*; refert enim antecedentes, de quibus solùm sermo fuit; de Catolicis verò auctoribus ne verbum quidem; & in hoc differunt Bullæ, quia Piana afficit legentes Libros vtriusque Auctoris prohibitos, Bulla verò Cœnæ solùm legentes libros Hæreticorum damnatos.
11 Tertiò, legere contingit propriè ad incursionem Censuræ dupliciter. Primò voce proferre in libro ante se habito; secundò oculis in eo, quod impressum, vel scriptum est, percurrere, vt colligitur ex l. Inciuile 23. ff. de legib. ibi: *Nisi tota lege inspecta*, & ex l. 1. ff. de his, quæ in testam. de len. ibidem: *Oculis perspici*. Ille ergo dicitur propriè legere, qui non solùm voce verba profert in libro aperto ante se, sed etiam qui oculis percurrit tacitus super illum. Est communis, *Graffius lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 45. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 12. *Dal Bene Dub.* 39. *num.* 18. *Ego cap.* 14. *num.* 76.
12 In vtraque autem lectione requiritur intelligentia illius, quod legitur; aliter ignorans linguam latinam, vel idioma est immunis à censurâ. Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 51. *Layman lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. *Vers. Sed controuersia*, *Dal Bene Dub.* 39. *num.* 1.

Contrarium, quòd legens non intelligens sit Reus censurę, docent *Megalius part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 45. *Naldus V. Bulla num.* 10. *Bonac. cit. num.* 13. Probant primò, quia tam dicitur legere, qui non intelligit, quàm qui intelligit. Secundò, quia retinens est Reus Censurę, licet nesciat, quid dicat, cum non legerit. Tertiò, quia ex l. 1. §. Legi ff. de his, quę in test. del. ibi: Legi autem sic accipiendum est, non intelligi, sed oculis perspici, quę scripta sunt. Ergo quęcunque lectio sufficit ad incurrendam Excommunicationem vtramque.

Sed standum est in decisis. Tum quia finis ad prohibendum libros in eo consistit, vt euitetur periculum subuersionis, & infectionis Hæresis, quod contingere non potest in ignorante sensum lectionis, sed solùm in eo, qui cognitionem illius habet. Tum quia Auctor libri ex lectione intelligentis consequitur honorem, & gloriam, non autem ab ignorante. Tum quia legere, & non intelligere non est legere, iuxta illud Catonis. Vnde *Gloss. V. Ac intelligere Extrauag.* 2. *Ioann. XXII. de verb. sign.* dicit, quod legere sine intelligere parum est.

Respondetur ad argumenta Aduersariorum. *Ad primum* dico, illud legere, sine intellectu non est propriè legere, sed materialiter sonum articulatum edere sine lectione, sicut facit auis edocta voce sonum emittens. Ad secundum, non bene infertur ab vnâ ad aliam actionem; à retentione ad lectionem; sunt enim inter se satis diuersæ. Ad tertium, illud verbum *Non intelligi*, non accipitur purè negatiuè, sed positiuè, vt ibi dicit Glosa hoc modo Non intelligi, tantùm, sed oculis perspici, vt verè sciatur, quid contineant verba delecta. 13

Habere, siue retinere Librum idem important, illo enim vtitur Pius IV. hoc verò Bulla, sed posterius declarat prius, dici etiam potest, quòd retinere maiorem moram explicat, quàm habere. Ille ergo habet, & retinet Librum, qui illum habet apud se, siue proprium, siue alienum, quouis modo illum habeat, siue commodatum, siue ad custodiam, siue ad ligandum &c. Ita *Graff. part.* 1. *Decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 48. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 52. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *part.* 4. *num.* 15. *cum alijs* Dal Bene Dubit. 40. *Petit.* 5. *num.* 1. 14

Limitatur, vt non sit retentio prohibita *Primò* respectu Bibliotecarij regularis habentis curam Librorum; aliud enim est cura, aliud retentio, quæ est incorporata Monasterio, vt ex mea Decis. Miscellanearum 188. docet Dal Bene num. 3. Superior ergo carens licentiâ consignare tenetur; aliter censuras non effugit. *Secundò* limitatur pro eo, qui ligat Librum habenti facultatem retinendi illum; sicut & seruus retinens pro Domino, Dal Bene num. 3. seu etiam pro emente 15
ad instantiam eius, quia cui conceditur aliquid, tribuitur etiam facultas consequendi 16
illud; siquidem bonus finis facit præsumere præordinationem bonam in medijs, per quæ finis obtinetur, *ex citatis à Marc. Antonino* 17
lib. 3. *resol.* 19. *num.* 11. Media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, *l.* 18

Oratio 16. ff. de sponsal. quia quæ sunt ad fi-
19 nem oportet sumere bonitatem, & modum
ab eo, *ex D. Thom.* 1. 2. q. 95. *art.* 3. *& q.*
20 102. *art.* 1. *Dal Bene Petit.* 8. *num.* 3. Limita-
tur *Tertiò*, cum non dici retinere ad hunc
effectum, qui statim ac agnouit Librum es-
se prohibitum tradidit amico, quia illum non
non habet apud se amplius, vt enim ait Nal-
dus V. Liber num. 5. non retinet naturaliter,
21 & de facto, vt videtur exigere Bulla vtraque
sed tantùm ciuiliter, eo quòd non abdicauit
illum à se, sic vt fecisset, si donasset, & cum
Naldo tenet Duardus *lib.* 2. *Bullæ q.* 51. *nu-
26. ex eo Dal Bene Petit.* 5. *num.* 6. *&* 7. Es-
to non sit Reus Excommunicationis, peccat
tamen grauiter, quia debebat eum consigna-
re Inquisitori, & non tradere alteri carenti
facultate legendi; fuit enim causa, vt alter
incideret in Excommunicationem, præter-
quàm quòd non poterat donare, nec à se alie-
nare, cum Liber prohibitus ex quo est prohi-
bitus sit de iure, & sub dominio Fisci S. Of-
ficij, vt probaui sect. præced. sub num. 42.
& 43. vbi quòd ipso iure habens est spoliatus
dominio, & possessione.

22 Quartò, illa verba *Legerit, habuerit* Pij
IV. *Legentes aut retinentes* in Bulla, disiun-
ctiuè accipiuntur, non copulatiuè, ac proin-
de quælibet ex dictis actionibus, vna sine alia
inducit Censuram contra transgressorem, siue
legat tantùm, siue tantùm retineat sine lec-
tione; res est certa, quia particula *Aut* in
23 Bullà disiungit vnum ab alio, *l. Si ex toto
ff. de legat.* 1. *l. ille, aut ille ff de legat.* 3.
Ac proinde dispositio verificatur in quolibet
24 illorum, *ex allatis à Barb. dict.* 46. *num.* 3.
illa dictio *Ve* nuncupata enclitica, quia incli-
nat ad se accentum, semper coniuncta fini al-
terius dictionis, sumitur disiunctiuè, vnde &
dicitur coniunctio disiunctiua; & quamuis
quandoque sumatur pro copulatiuà *Et*, ta-
men propriè importat disiunctionem maximè
in onerosis, & odiosis, vnde *Glos. V. eodem
in l. Stichum §. Stichus, de statu libero* expo-
nit pro Vel, *& Bertazol. de clausʃ. Instrum.
clausʃ.* 11. *Glos.* 4. *num* 4. *apud* Barb. *hac Dict.*
414. *num.* 2. putat ita accipi in tit. De his,
quæ vi, metusue causà fiunt. Confirmatur,
quia vna Lex aliam declarat, & noua vete-
rem, *l. Non est nouum* 2. *6. de legib.* ac pro-
inde Bulla declarat Pianam.

25 Quintò dico paruitatem lectionis, & bre-
ue tempus retentionis excusare ab Excom-
municationibus e. g. lectio vnius paginæ ex-
cusat; neque enim tam breuis lectio etiam si
in ea exprimatur Hæresis infert peccatum,
neque periculum tam citò subuersionis, &
infectionis Hæresis. Est communior *Sanchez
lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 31. *Portellus num.* 7. pro
qua sententia Dal Bene pro se dub. 39. Petit.
2. num. 15. refert præter citatos duodecim
Doctores, ergo his standum est.

Ille verò non dicitur retinere Librum, qui 26
per duos dies habet illum apud se, immo nec
vltra retinens expectando opportunitatem
consignandi illum superiori. Ita *Sayrus lib.* 3.
cap. 5. *num.* 16. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.*
55. *Farin. q.* 140. *num.* 42. *Graff. lib.* 4. *cap.*
18. *num.* 47. *Salelles Reg.* 141. *num.* 54. *&*
55. *Dal Bene Dub.* 40. *num.* 5. *&* 13. *& Petit.*
10. *num.* 2. Item quò ad materiam Libri, re-
tentio vnius folij excusat, ita *Sanchez cit.
num.* 54. *Suarez de fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.*
22. *cum alijs* Dal Bene *cit.* Petit. *num.* 1. Re-
tentio enim cum inferat graues pœnas Ex-
communicationis, & suspicionis Hæresis, de-
bet commensurari cum grauitate pœnarum,
ergo res retenta, & tempus debent esse quid
notabile.

Bonac. in Bullà p. 4. num. 16. & Salelles
Reg. 341. num. 83. cum alijs negant paruita-
tem materiæ, & temporis determinatam ex-
cusare. Probant, quia sicut lectio vnius folij
est grauis materia, ita & retentio. Sed nego
consequentiam, quia lectio magis disponit
ad subuersionem, quàm retentio, quæ po-
tius opponitur prohibitioni, quàm fini ipsius
prohibitionis. De differentià vtriusq; infra
tractabo in §. septimo.

Sextò, venditores, qui res venditas inuol- 27
uunt in folijs Librorum prohibitorum, dicun-
tur retentores, & Rei huius censuræ, quia finis
prohibitionis est, vt consignati Libri destru-
antur ab Inquisitoribus illorum combustione;
non autem vt eorum vsus transeat ad vendi-
tores, sunt ergo verè, & propriè retentores
contra Bullas. Ita *Sanchez num.* 53. *Nald.
V. Liber num.* 5. *cum alijs*, quos contra se
citat Dal Bene Dub. 40. Petit 6. Qui tenet,
retinentes hoc modo esse immunes ab Ex-
communicatione. Probat, quia finis prohi-
bitionis ne retineantur, est vt destruantur;
sed mercatores eos retinent ad destructionem
inuoluendo in eis cibaria, & sic cooperantur
destructioni fini intento. Confirmat, quia
per huiusmodi vsum desinunt esse Libri, &
reputantur massa cartacea destinata ad alium
finem, respectu cuius vilius, & ad pondus
venduntur.

Argumentum tamen cum sua confirma-
tione nihil probat, & quia destructio librorum
prohibitorum facienda est per combustionem
de mandato Superiorum. Neque dissolutio
Librorum in sua folia diuisa est eorum de-
structio, sed separatio foliorum ab inuicem,
in quibus legi potest id, quod in eis contine-
tur, vnde tantùm abest, vt destruantur, quin
potius quampluribus communicantur secun-
dum partes, quàm si remansisset apud vendi-
tores, adeo quòd horum opinio non est, sed
opinatio, & error inducens alios in periculum
infectionis, dum possunt legere huiusmodi
folia.

Septimò, maius periculum est in lectione, 28
quàm

quàm in retentione, quia ex lectione facilius, & proximè, ac citius subuerti, & infici potest lector, non autem retinens, & non legens, cum retinens aliud cogitare non possit, nisi prohibitionem, & nullo modo Hæresim, cum eius argumenta, & rationes non legerit, vt facere potest Lector.

Confirmatur, & quia legens peccat non solùm ex lectione, sed etiam ex retentione, quia lectio non datur in legente sine retentione. Et quia sicut ignorans non consentit, non legit, non negligit, non ratificat, cum

29 eius voluntatis sic spectatæ nulli sint actus boni, nec mali, vt notat Paulus Rubeus ad decis. 3. part. 3. num. 10. ignotum enim non potest esse obiectum nostri Intellectus, neque consensus, aut affectus eiusdem voluntatis,

30 *l. Cum ab eo* §. *Meuiam ff. de contrah. empt. Sanchez. lib.* 7. *disp.* 17. *num.* 2. Ita è contra sciens potest facere eos omnes actus, quos negauimus ignoranti; ergo retinens librum sine lectione, qui comparatur ignoranti, nihil ex prædictis actibus facit, sicut facit legens, ergo non solùm maius periculum, sed totum est in legente, & nihil aliud in retinente, nisi retinentia, quæ est violatio decreti de Libris consignandis.

31 Octauò, dans Librum prohibitum habenti facultatem legendi non est excommunicatus, nec aliam pœnam incurrit, si non est Reus retentionis, nec lectionis; siquidem per solam traditionem habenti facultatem legendi nullum ius læditur, nec consignationis libri faciendæ Superiori, quia facultas excusat tàm habentem, quàm tradentem ex dictis supra *sub Vers. Limitatur, in* 3. *limit.* Ita nonnulli, quos contra se citat Bonac. num. 18. & putat probabile *Dal Bene dub.* 40. *petit.* 9. *num.* 2. Qui ergo licitè recipit, pariter tribuens licitè dat, relatiua enim ad imparia non iudicantur. Nec obstat, quod ex prohibitione patronus amiserit ius suum, vt dixi in præced. sect. num. 42. quia tradens non dat vt suum, nec condit, nec donat, sed consignat habenti facultatem legendi.

32 Nonò, quouis modo ex prædictis audiens alium legentem Librum prohibitum nullius censuræ, aut alterius pœnæ Reus est; quia audire in sententia omnium non est retinere, nec legere, vt notum est apud sapientes. Est communis *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 48. *Reginald. lib.* 9. *num.* 251. *Bonac. num.* 11. *Portellus num.* 11. *Farinac. q.* 180. *ad finem*, *cum alijs Dal Bene dub.* 39. *num.* 3. *Vers. Respondetur, Salilles Reg.* 142. *num.* 105.

Sayrus *de Censur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. *Graff. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. *Megal. par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 38. cum alijs, quos Dal Bene citat contra se, vt supra; dicunt audientem non casu, sed consilio, iussu, vel mandato, vt alter legat inductus, esse Reum, ac si ipse legeret. Probant *primò*, quia per alium facicns per seipsum facere videtur. *Secundò*, non se habet merè passiuè, sed influit in lectionem, ergo legit. *Tertiò*, quia idem periculum infectionis est in audiente, quod est in legente. *Quartò*, quia ratio prohibendi lectionem medio visu est, ne percipiatur praua doctrina; sed per auditum efficacius percipitur, ergo auditio est æquè prohibita, ac lectio. *Quintò*, quia lectio duplicem actionem includit, prolationem & intelligentiam verborum; sed hæc secunda est præcipua pars lectionis, ergo ratione huius audiens dicitur legere. Dal Bene hæc sibi obijcit, & suo modo resoluit, & ego meo, vt patet infra.

Certum autem est, eas Excommunicationes incurri solùm propter eas actiones duas, lectionis scilicet, & retentionis Librorum prohibitorum, & non propter quamlibet aliam, nec propter auditionem; nam si id voluisset Legislator expressisset, *l. vn.* §. *Sin* 33
autem C. de caduc. toll. l. Si seruus, §. *Prætor ait*, V. Non dixit *ff. de aquir. hered. cap. Ad audientiam, de decimis. Menoch. cons.* 140. *num.* 4. Non expressit auditionem, ergo noluit audientem subijcere Censuris, & quia rarò id accidit; non enim habentes Libros prohibitos solent illos legere coram alijs; timent enim denuntiationem, illos occultantes, ideo legislatores de audientibus nihil disponunt, quia rarò audiunt, *arg. l. Nam ad ea ff. de legib.* Et quia in arbitrio est voluntatis legislatoris hanc actionem, & non illam subijcere pœnis. Respondetur argumentis.

Ad primum, illam regulam: Qui per alium facit per seipsum facere videtur, factio 34
interpretatur per fictionem Iuris, delicta autem in ordine ad pœnas, maximè Excommunicationis non finguntur, siquidem Excommunicatio lata contra facientem non afficit mandantem, consulentem, aut inducentem, vt est communis opinio *apud Megal. lib.* 3. *de Censur. cap.* 6. *num.* 14. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 13. 35
Bonac. q. 1. *de cens. p.* 6. *Thesaurus Iesuita par.* 1. *cap.* 10. *Barb. ad cap.* 6. *de homic. num.* 15. congerentem Doctores. Inducens alium ad legendum reuera ipse non legit, nam legere 36
est actus physicus & vitalis, qualis non est inductio ad legendum, cum per hunc actum moralem non legat nec physicè, nec vitaliter.

Ad secundum dico, se habere merè passiuè quò ad lectionem, quam solùm audit, actiuè verò quò ad influxum moralem, quod non est legere, cum is actus recipiatur tamquam opus immanens in eo, qui vitaliter legit, non qui committit lectionem.

Ad tertium de infectione dico, eum Leges ad ea, quæ per se, & sæpissimè contingunt, & non rarò, se referant, *l. Nam ad ea ff. de legib.* idcirco Pontifices pœnam Excommunicationis imposuerunt contra legentes, non audien-

audientes, quia auditio rarò contingit, lectio sæpissimè. Consequenter quò ad pœnam imponendam non respexerunt maius, vel minus periculum, sed ad illud, quod dixi. Deinde idem periculum non est respectu legentis, & audientis, sed maius in legente non solùm quia Librum habet, sed etiam quia legens magis apprehendit, quam au-
37 diens, nam lectio magis radicatur in animâ per actionem vitalem, quam illius auditio in audiente, quia non ita bene capitur ab audiente, sicut à legente, Glos. V. Libertatem cap. Porro 7. de priuileg.

Ad quartum, quòd falsa doctrina non imbibitur efficacius in audiente, nam experientia patet inter Magistrum, & Discipulum, quibus comparantur legens, & audiens, nam is audit, vt discat; in magistro enim cognitio radicatur, non in discipulo. Ad cuius rei confirmationem adduco auctoritatem S. Ia-
38 cobi cap. 1. num. 23. *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Rectè ergo ex his deducitur, efficaciorem esse actum legentis, quam audientis.

39 Ad quintum, in lectione apparere illa duo, prolationem, & intelligentiam, in auditione verò solum intelligentiam, ac proinde debiliorem, & insufficientem ad periculum, quod remotè se habet ad audientem, vnde Legislator respexit solùm, quod magis vrget. Dic vlterius, quòd non sunt duæ actiones, nam secundum Philosophos intelligere est pati, non agere.

40 Sciendum tamen est, audientem legere Librum prohibitum teneri denuntiare retentorem illius, ex dictis præcedenti sect. q. 16.

41 Decimò, seruus legens de mandato domini sui rigoroso, à quo timet graue damnum, si recusat legere, excusatur, siue sciat linguam latinam, siue illam ignoret, quia Leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto
42 rigore. De communi *Sanchez lib. primo cap. 18. num. 4. Suarez disp. 6. de cens. sect. 3. nu.* 2. Non excusatur, si cogatur legere in contemptum Fidei, quia talis lectio ex circunstantiâ ita peccaminosa est, vt nullà ratione possit cohonestari. Ita *Sanchez lib. 2. cap.* 10. *num.* 49. *cum alijs Dal Bene Dub.* 39. *num.* 10. & 11.

43 Vndecimò, qui proposuit multum legere, sed paginam non excessit, excusatur, quia ad incurrendas pœnas non sufficit propositum cœptum exequi, sed requiritur executio expedita in eà quantitate, quæ excedat paruitatem materiæ; pœna enim inducitur ex actu externo perfecto. Ita *Sanchez lib. 2. cap.* 10. *num.* 31. *Dal Bene dub.* 39. *num.* 13.

44 Duodecimò legens partem notabilem vltra modicam esto in nullam inciderit Hæresim, non excusatur, quia legit opus prohibitum in ratione sui totius. Confirmatur, quia pars bona mixta cum malà ex parte Libri non excusat, quamuis bona in lecturà non
misceatur cum prauà, quia in mixturà præ- 45
ualet pars prohibita, nam mixta denominantur ab eo, quod principaliter agitur, *l. Mixtum* §. *qui furtum ff. de furtis*, *Farinac. q.* 100. *num.* 56. Et ita docent *Farinac. q.* 180. *num.* 26. *Suarez de cens. disp.* 21. *sect.* 2. *nu.* 10. *Sanch. num.* 35. *cum alijs Dal Bene Dub.* 39. *num.* 21.

Tertiodecimò, curiositas, & elegantia ser- 46
monis non excusant, aliàs frustratoria esset prohibitio, & nullius momenti, cum in omni fere opere illa duo inueniantur, si non elegantia in omnibus, saltem curiositas, quæ
habet pro obiecto ignotum, cuius notitia de- 47
sideratur, ad quod dixit Cicero apud Nizolium: *Curiosum est ea scire velle, quæ ad nos non pertinent.* Curiositas ergo vitium est, ac proinde excusare non potest. Confirmatur, quia tantùm abest, vt arceant à periculo infectionis, quòd potius ad illud promoueant. Ita *Sanch. lib. 2. cap.* 10. *num.* 40. *Dal Bene Dub.* 39. *Petit.* 4.

Quartodecimò, memoriter tantùm refe- 48
rens formalia verba Hæresis, quam didicit ab alio, vel per se aliàs ex lecturà Libri, ex actu per se memoriæ excusatur, quia talis actus non est legere; ille enim dicitur legere, qui verbis, vel oculis librum ante se positum
percurrit, vt dixi sub num. 11. ita *Sanchez* 49
lib. 2. cap. 10. *num.* 47. *Graff. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. *Dal Bene Dub.* 39. *num.* 20. Dico præcisè ex actu memoriæ, quia si didicit memoriter ex Libro à se lecto, iam ex hoc est excommunicatus, non postea, si memorià quod didicit ex libro à se lecto, recitet quia recitare non est legere.

Quintodecimò, ignorantia excusat ab in- 50
cursione Excommunicationis, dicit enim Bulla: *Scienter legentes, aut retinentes.* Et licet in Bullà Pij IV. non exprimatur dictio *Scienter*, subintelligitur tamen, quia vna Bulla aliam declarat. Procedit de quacunque ignorantia, modo non sit crassa, & affectata. Ita docent *Sanchez lib. 2. cap. 10. num.* 38. *Bonac. in Bullà disp. 1. q. 2. part. 4. num.* 8. *Castropal. tract. 4. disp. 2. p. 10. §. 2. initio. Carena part. 2. tit. 10. num. 8. Salelles Reg.* 142. *num.* 111. Ignorantia autem debet adæquatè opponi scientiæ ad effugiendam censuram, hoc est legens, vel retinens Librum excusatur, si ignoret esse prohibitum, nesciat esse hæretici, non sciat, quòd de Hæresi, vel de Religione tractet; si enim sciat vnum prædictorum ab Excommunicatione non excusatur, quia malum oritur ex singulis defectibus, & bonum est ex integrà causà. Ita *Sanchez cit. num.* 39. *Bonac. num.* 8. *Farinac. q.* 180. *num.* 44. & 45. *cum alijs*

Dal

Dal Bene Dub. 36. in fine in Append. num. 22.

51 Qui dal Bene Dub. 40. Petit. 4. subdit ad Fiscum spectare scientiam probare contra denuntiatum super retentione Librorum prohibitorum negantem, se scire illos esse tales, referens plures Doctores, per quos tamen non probat intentum, quia solùm ostendunt Fiscum fundantem se in expensione monetæ falsæ, debere probare, quòd pecuniam falsam expenderit, supposito corpore delicti. Res autem non se habet sic in casu nostro, in quo denunciatus tenetur probare ignorantiam circa circunstantias Libri reperti in eius domo, aliter vt plurimùm frustraretur Iudicium, Et certè aliâ de causâ Libri non tenentur, nisi vt legantur, vel vt vendantur, si sunt Librarij, Librorum enim talis est vsus, meritò igitur Fiscus præsumit contra retinentes, quòd illorum noticiam habeant; & sicut Confessarius Iudex in foro Conscientiæ interrogat pœnitentem, sciebasne esse prohibitum? Si respondet ignorare. Ei creditur sine probatione in hoc Foro

52 tàm pro se, quàm contra se, *cap. significasti* 18. *de homic. Glos. V. credendum sit*; ita & Inquisitor interrogare debet, an sciat conditionem Libri, si respondeat, se ignorare esse prohibitum, illi in hoc Foro non creditur, aliter omnes se excusarent, vt fugerent pœnas, nemini ergo in Foro Fori creditur pro se, sed probare debet allegatam ignorantiam, nulli ergo in hoc foro creditur, sine probatione, *Glos. V. Qualiter sibi constiterit, cap. Tua nos. 26. de sponsal.*

53 Sextumdecimo, retinens ad confutandum non excusatur ab Excommunicatione, quia prohibitio est absolutè facta sine limitatione, & quia nullus puniri posset hac excusatione, & sic frustraretur prohibitionis decretum. Ita *alijs citatis Farinac. q. 140. num. 39. contra alios ab eo præced. num. citatos, & d. Dal Bene Dub. 39. Petit 4. num. 19. Pellizarius in Manuali Regul. tract. 6. cap. 5. num. 30.*

Quæritur 2. Quid requiratur ad incurrendam vtranque Excommunicationem tàm Pij IV. quam Bullæ Cœnæ?

54 ℞. Ad incurrendam Censuram Pij IV. requiritur, quòd Liber prohibitus sit ob Hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, cuiuscunque sit Liber prohibitus, siue Hæretici, siue Catolici, vt patet ex eius verbis relatis hìc sub num 6. Si verò sit prohibitus ob aliam causam, cum legens, aut habens non est Reus huius Excommunicationis sub num. 10. Ad incurrendam Excommunicationem Bullæ, cuius verba sunt hæc: *Ac eorumdem* sc. licet Hæreticorum, *Libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostrâ, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes*. Requiruntur sequentia quòd liber sit Hæretici damnati personaliter, vel nati ex sectâ Hæreticorum, & quòd tractet, vel de Hæresi, vel de Religione, ac proinde duo copulatiuè, quòd sit Liber Hæretici cum vno ex duobus, tractans scilicet de Hæresi, vel de Religione. Vide *Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 30. cum alijs Dal Bene Dub. 36. in Append. num 2. & seq.*

Quinam Libri dicuntur tractare de Religione? Qui ex professo tractant de Fide, de Theologiâ tam Scholasticâ, quàm morali, de sacrâ scripturâ, de Concionibus, de Sacramentis, de Iurisdictione ecclesiastica, de immunitate, de priuilegijs Clericorum, & huius generis. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 21. Toletus lib. 1. cap. 21. Suarez de cons. disp. 21. sect. 2. num. 10. cum alijs. Dal Bene Dub. 36. Corollar. 4. num. 5.* Debent hi Libri esse Hæreticorum, vt supra; aliter non sunt prohibiti, si benè agatur de Religione, nisi respectu Hæreticorum, quorum libri de Religione etiam bene, & sine errore tractantes non possunt legi; prohibiti in odium ipsorum Hæreticorum, indignum enim visum est Ecclesiæ, vt fideles erudiantur ab Hæreticis suis inimicis, vt dixi sect. 48. num. 10. & 11. 55

Quæritur 3. An aliqua Excommunicatio sit lata in Indice Librorum prohibitorum, & contra quos sit lata?

℞. Vnicam inuenio in eo extensam sub Reg. X. his verbis: *Quòd si quis Libros Hæreticorum, vel cuiusuis Auctoris scripta ob Hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, siue habuerit statim in Excommunicationis sententiam incurrat.* Eadem fere verba sunt, quæ retuli sub num. 6. pro Excommunicatione latâ à Pio IV. contra similes Libros habentes, vel legentes. Igitur ambæ eiusdem rationis sunt, & pro eadem habendæ nulli reseruatæ. 56

Nomine autem *Suspicionis falsi dogmatis* venit error, qui creditur esse contra Fidem; dogma enim pium est doctrina in fide, *Glos. V.* seu potius *cap. Satis 7. dist. 96. Glos. fin. in dist. 3. per caput. Qui Episcopus 2. dist. 29.* Itaque falsum dogma est error contrarius doctrinæ de Fide. Doctrina autem Fidei spectatur dupliciter, primò vt talis est de Fide definita, vt sunt articuli, & propositiones de Fide definitæ, vt patet in Canonibus Concilij Tridentini. Secundò in doctrinâ Fidei aliquæ sunt propositiones, quæ ab aliquibus putantur de Fide, ab alijs negantur esse de Fide, pono exemplum in hac propositione. *Papa in canonizatione sanctorum non potest errare.* Aliqui dicunt esse de Fide, quod ego teneo; alij negant, vt dixi sect. 45. num. 162. Hæresis ergo directè, & ex diametro opponitur Fidei; falsum vero dogma, de quo est suspicio, opponitur Fidei non ex diametro, sed secundùm suspicionem, & opinatiuè tantùm, non definitiuè, vt Hæresis. 57 58 59

Quæritur 4. An habens Libros Astrologiæ iudi-

gentiā suâ opera exponunt. Ita *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. §. 4. *num.* 2. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 24. *Farinac. q.* 180. *num.* 17. qui licet loquantur de compositore ex professo tractante de Hæresibus formaliter, quem benè dicunt esse formaliter
69 Hæreticum, nec ipsum posse adiuuare Protestationem, per quam se, & opera subijcit correctioni Ecclesiæ, quia factum ipsum perimit Protestationem, tamen id non aduersatur nostro responso, dum releuant à suspicione Hæresis eum solum, qui non ex Professo, sed per transenam scripsit Hæresim, si res obscura erat, & difficilis; ego autem dico rem esse claram, & sic coincido cum illis.

70 Tertiò est vehementer suspectus de Hæresi, qui pluries legit scienter Librum hæreticum, aut illum diu retinuit non curando de consignatione, quia videtur valdè affectus ad Hæreses. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 3. *vers. Atsi, & vers.* Vt ergo. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 26. *vers.* Si *vero*, *Albergbin. cap.* 32. *numero* 23. Circa paruitatem materiæ lectionis, & tempus breue in retentione libri dixi supra in vers. Quintòdico. Quæ duo sicut excusant à Censurâ, ita & à suspicione Hæresis. Lectio autem vnius paginæ excusat ab vtroque; Lectio vnius folij non excusat à leui suspicione, quia nec à Censurâ. Lectio quinque foliorum non videtur excusare à vehementi suspicione, quia arguit magnum affectum ad Hæresim. Qui retinet Librum per duos dies ab vtroque excusatur, sicut qui expectat oportunitatem consignandi Inquisitori, post id tempus non consignans censetur vehementer suspectus ob rationem dictam, quia in Libri lectione valdè affectus præsumitur.

71 Quartò, ille est vehementer suspectus de Hæresi, qui Librum prohibitum obtinuit ab Hæretico, vel procurauit illum habere à locis Hæresi infectis, quia censetur esse valdè propensus ad Hæreses, & quia illorum est amicus. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num* 26. *vers. Si verò*, *Albergh. cap.* 32. *num.* 23.

72 Quintò, nesciens legere, vel qui scit legere, sed non intelligens non est suspectus de Hæresi nec leuiter, quia non peccat legendo, nec retinendo, si nesciat esse librum Hæretici, vel de Hæresi tractare, quia non peccauit, ergo nec suspectus est de Hæresi, quæ supponit peccatum mortale, vt dixi sect. 25. num. 130. Vnde nec est excommunicatus, vt probaui hic sub vers. Quintodecimò consequenter nec suspectus de Hæresi. Ita *Pegna part.* 2. *com.* 3. *vers. An autem*, *Zanardus part.* 2. *cap.* 94 *Carena num.* 44. *Salelles Reg.* 397. *num.* 498.

73 Sexto, suspectus nec est ille, in cuius domo inuenti sunt Libri prohibiti ex hæreditate, si hæres sit vir bonæ famæ; nec aliàs inquisitus super his, & alijs, cum enim excusat ignorantia. Ita *precitati mox Pegna*, *Carena num.* 27. *Salelles num.* 505. *alijs citatis*.

Septimò, inuentus cum Libris prohibitis se defendit à suspicione Hæresis, si asserit, & probat se illos legisse, & retinuisse ad impugnandas Hæreses illius, modo exhibeat impugnationes notabiles iam factas ante inuentionem Librorum, quia non potest præsumi suspectus de Hæresi, qui ex professo Hæresim impugnauit. Ita docent *Carena num.* 28. *& Salelles num.* 499. *cum alijs*, quos contra se citat *Castropal. tract.* 4 *disp.* 2. *part.* 10. §. 2. *num.* 8. 74

Qui num. 9. cum Pegnà, Vgolino, Toleto, Farinaccio, & Suarez tenet oppositum & probat *Primò*, quia lex prohibet retentionem absolutè, non curando qua intentione fiat *Secundò*, ex retentione, & confutatione ex propriâ voluntate potest adesse periculum peruersionis, qui enim firmus esse præsumitur, sæpe cadit. *Tertiò*, & si in eo nullum esset periculum, sufficit generaliter adesse, & venenum conseruari, quod ecclesia sua prohibitione intendit perire. 75

Respondeo hæc argumenta probare talem esse dignum punitione, & esse Reum Excommunicationis etiam Bullæ Cœnæ, quid enim impugnare potest in Libro Hæretici, si solùm agat, & bene de Religione? Non autem suspicionis, ac proinde nec abiurationis, hæc enim supponit illam. Quare ad *primum argumentum* dico puniendum esse ob retentionem, & lectionem ac si nihil contineret liber Hæresis, *Ad secundum*, periculum peruersionis non esse, vt dicitur in tertio argumento, non enim ex confutatione argui potest contrarius effectus, quia quælibet causa habet effectum sibi proportionatum, sicut calor non potest producere frigus sibi contrarium, ita neque confutatio Hæresis potest producere effectum sibi contrarium nempe hæresim, seu eius suspicionem, quod non negatur in eorum tertio argumento *Ad tertium* ergo dico, si nullum periculum, ergo immunis est à suspicione, non obstante prohibitione, qua Legislator intendit perire venenum Hæresis, cum ex confutatione cooperetur extirpationi huiusmodi veneni. Et hic est singularis casus, ex quo ab Excommunicatione non infertur ad suspicionem hæresis, quia constat de eius destructione.

Octauò, est leuiter suspectus de hæresi inuentus cum Libro sortilego ad amorem, sicut & qui fecit sortilegium simplex ad amorem, non autem qualificatum, quia tunc est vehementer suspectus ex probatis sect. 42. num. 9. & 10. Ita *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 42. *vers. in casu tamen*. 76

Nono, habens Librum Negromantiæ, & huius generis ex solâ retentione sine vsu est suspectus leuiter tantùm; si sto tortus super vsu negauerit vsum. Ita *Genuens. cap.* 69. *num.* 77

12. *vers. item seruatur*, *apud Carenam num.* 43. *restringentem* si persona sit malæ famæ, vel concurrat alia coniectura augens præsumptionem. Restrictio hæc non placet, quia vir bonæ famæ dici non potest apud Iudicem, qui probatur habuisse apud se tales Libros.

78 Decimò, retinens, vel legens Libros, qui de aliâ materiâ tractant non pertinente ad Hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis; si Liber non est Hæretici damnati, non est suspectus de Hæresi, quia nihil legit contra Fidem, nec retinet Librum contra Fidem. Ita *Bursatus vol.* 4. *cons.* 344. *num.* 18. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 47. *Salelles Reg.* 397. *num* 503. Inferentes quòd legens, vel retinens Libros agentes de rebus lasciuis, vel contra bonos mores, vel de casibus conscientiæ, non sit suspectus de Hæresi, quia nihil agunt contra Fidem.

Quæritur 8. An conuictus, vel confessus de retentione Libri, sed negans se illum legisse, torquendus sit, & quò ad lectionem, & super intentione?

℞. Torquendus est super lectione, & super intentione, si probatus fuit vehementer suspectus de Hæresi in retentione?

79 Prima Pars de torturâ super lectione probatur, quia ex retentione fit vehementer suspectus de eius lectione, alio enim fine Libri non retinentur, nisi vt legantur, non enim illos emunt, vt vendant, si non sunt mercatores, sed vt illis vtantur, ac proinde legant, cum eorum vsus sit lectio. Confirmatur, quia sicut Liber, seu cartula secreti ad sortilegium arguit eius vsum, vt docent *Genuens. cap.* 18. *num.* 13. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num* 177. *vers. Quinimo, quos citaui sect.* 34. *num.* 63. vbi rem confirmo exemplo Monetarij torquendi supercussione monetæ, siue sit bonæ, siue malæ famæ, quia monetarius probatus talis ex instrumentis apud eum repertis non est vir bonæ famæ.

Contrarium; quòd non sit torquendus super lectione, quando est vir bonæ famæ, docent B*ursatus vol.* 4. *cons.* 344. *Farinac. q.* 180. *num.* 48. *cum alijs Carena num.* 40. *Castropal. tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10 *§.* 4. *num.* 6. Nisi aliàs condemnatus, vel suspectus de Hæresi fuerit, quos ego aliàs cap. 15. q. 21. num. 50. sequutus sum.

80 Sed ego dictam partem primam stabilitam teneo. Et respondeo eorum argumento de furto reperto in domo viri bonæ famæ, qui non præsumitur talis furti auctor. Si quidem illi non sufficit asserere, non furatus sum, nec asserere, quod res furtiua immissa fuerit in eius domum ab alio, vel mixta cum bonis hæreditatis; quia id totum probare tenetur, vt se eximat ab imputatione ob corpus delicti in domo suâ repertum. In casu nostro liber repertus est in domo suâ, si fatetur esse suum, vel alienum, id probare debet; nec releuatur probans esse alienum, nisi à furto, non autem à lectione, quia finis retentionis est lectio, vt dixi. Præterea hoc exemplum de furto non infert intentum, quia furtum est solum præiudiciale domino, retentio verò Libri vergit in præiudicium reipublicæ Christianæ, ac proinde remedijs efficacioribus procedendum est contra retinentem.

Secunda pars de torturâ super Intentione dandâ, si probatus est vehementer suspectus de Hæresi, non autem si leuiter, probatur ex ea communi regulâ, quòd suspicio vehemens Hæresis est Indicium sufficiens ad Torturam, non autem leuis suspicio, iuxta dicta *sect.* 16. *num.* 23. *&* 39. *Carena part.* 2. *tit.* 10. *num.* 42. *&* 43. 81

Quæritur 9. An legentes, vel retinentes Libros prohibitos Catolicorum ob lasciuos discursus, vel ex aliâ causâ, quàm Hæresis, aut suspicionem falsi dogmatis sit suspectus de Hæresi.

℞. Negatiuè, quia nullo modo sunt contrarij Fidei, cum de Hæresi non agant, ergo nec suspecti de Hæresi. Doctores citaui sub q. 7. Vers. Decimo num. 65. & 78. Nihilominus denuntiandi sunt, vt probaui præced. sect. q. 15. num. 56. consequenter puniendi ab Inquisitoribus sine abiuratione, vt dicam in sequenti quæstione. 82

Quæritur 10. Quis sit Iudex contra legentes Libros prohibitos ex quacunque causâ, & eos retinentes?

℞. Esse Episcopum, & Inquisitorem. Probatur, quia illi sunt Iudices huius criminis, quibus sunt denuntiandi, ideo enim denuntiantur, vt puniantur ab ijs, coram quibus fuerunt denuntiati; sed in Bullis Gregorij & Vrbani VIII. ambabus incip. *Apostolatus*, legentes, & retinentes Libros prohibitos ex quacunq; causâ mandantur denuntiari vni ex illis, ergo sunt Iudices. 83

Aliàs dubitatum fuit, an Inquisitores habeant facultatem puniendi legentes, vel retinentes Libros prohibitos ex alia causà, quàm Hæresis, aut suspicionis falsi dogmatis, quia Pius IV. in sua incip. *Dominici gregis*. hos dixit esse puniendos ab Episcopis, & alios etiam ab Inquisitoribus, licet isti ibi expressè non nominentur, intelliguntur tamen non excludi.

Vnde Sixtus V. in sua incip. *Cœli, & terra*, 17. contra Astrologos, & diuinatores, eorumq; Libros legentes, vel tenentes, subiecit eos Inquisitoribus; sicut fecit Vrbanus VIII. in suâ incip. *Inscrutabili* 113. Pariter Sacra Congregatio huius Tribunalis interrogata ab Inquisitore Cremonensi respondit 6. Februarij 1627. his verbis: *Essendo solito, che nelli Editti del Santo Officio s' impongano pene à chi tiene Libri, non solo heretici, ò sospetti, ma anco di cose lasciue & contra bonos mores possono, & deuono gli Inquisitori procedere all'* ese-

essecutione delle pene comminate contra li transgressori. Refertur à Carena part. 2. tit. 10. num. 19. itaque res est omninò indubitata. Ego tamen obseruaui in multis Edictis fieri solùm mentionem de Libris Hæreticis, non autem de prohibitis ob res lasciuas, & contra bonos mores.

Sciendum tamen est, quòd contra istos proceditur solùm per simplicem punitionem, nihil agendo quò ad prauam Intentionem, nec quò ad suspicionem Hæresis, vel eiusdem Abiurationem, quia non peccauerunt contra fidem. Ita *ex Bursato vol.4. cons.344. num.18. Carena par.2.tit.10.num.47.Salelles Reg.145.num.218.*

Quæritur 11. Quibus pœnis temporalibus sunt puniendi legentes, vel tenentes libros prohibitos ex quacunq. causà?

84 ℟. Relinquitur id prudenti arbitrio dominorum Iudicum, nam nulla reperitur in Iure expressa, vnde tali pœnà sunt puniendi qualem exigit eorum culpa, vt docet *Pegna par. 2.com.3.Vers.Iam quà pœnà*. Regulares voce actiuà, vel passiuà, officijs &c. Si sunt suspecti vehementer; aliàs possunt expediri omnes siue Clerici, siue Laici pœnitentijs salutaribus, leuiter suspecti; adhuc mitius, qui nullatenus sunt suspecti. Libri autem omnino ab eis auferuntur, qui illorum dominium amplius non habent.

Quæritur 12. An defendentes Libros Hæreticorum, vel cum eis ipsos Hæreticos incurrant aliquam censuram?

85 ℟. Sunt Rei defensores siue Auctorum, siue solùm eorum Librorum Excommunicationis Bullæ Cœnæ, in quà postquam excommunicauit defensores Hæreticorum, sequitur textus, nominando, & excommunicando defensores etiam Librorum eorum his verbis: *Seu quomodolibet defendentes ex quauis causà*. Ita docent *Bonac. in Bulla disp. 1. q. 2. p.4. num.7. Salelles Reg. 144. ex Sanchez lib.2.cap. 10. num. 58. Castropal. de Infidel. disp.2.p.10.§.2.num. 14.* Modi autem defendendi librum Hæretici sunt si verbis, vel factis, aut scripturis exaltetur liber probando, quæ in eo scripta sunt, esse vera, legitima, & optima. Qui librum abscondit, qui impedit ne deferatur ad S. Officium, aut ne comburatur, qui laudat opus, qui persuadet non esse dignum combustione, vel iniustè fuisse prohibitum, ex odio, persecutione, & malignitate.

Duæ difficultates sunt, vna an sit Reus Excommunicationis dicens Volo defendere hunc librum esse bonum, & nullam continere Hæresim? Altera an dicatur defendere librum prohibitum Hæretici tractantis solùm de religione nullã continenem hæresim? Vtrosq; refert Salelles.

86 ℟. Ad primum, non esse Reum Excommunicationis, quia reverà librum non defendit, sed solùm explicat voluntatem, quam habet defendendi; in Bulla enim non excommunicatur habens voluntatem defendendi, sed ipsum defendens actu, ergo excusatur à censurà, quia velle facere non est factum, sed declaratio animi eius, quo vult facere, nondũ factũ *Nauar. cons fin. de testam Graff.par. 1.lib.2.cap.93.n.11.* Ita docent *Sanch.cit.Farinac.q.180.n.12.* Contra Castropalaum, qui vocat defensorem, quia illa voluntas sic significata retrahit impugnatores, & quasi illos facit difficiliores librum subuertere, cum videant habere patronum, vnde ea significatio est quædam defensio, & hoc placet ipsi Salelles sub 195. Nihilominus contrarium est omninò tenendum, quia hæc ratio est falsa, quòd per hanc voluntatem retrahantur impugnatores Hæresis, immo magis audaces, & animosiores fiunt ad confundendum librum, & exterminandum.

Ad secundum dico, talem laudationem esse referendam ad doctrinam de Religione, quæ in se bona est, ac proinde digna laude, non ergo est defensor Hæretici, nec alicuius Hæresis, sed tantùm boni operis in se. Non placet quod ex Suarez Salelles num. 197. dicit, hunc sic loquentem esse defensorem Libri prohibiti, & probat, quia ista locutio, hic Liber seclusà Hæresi est optimus, non est dignus prohibitione, aut combustione, tametsi nullo præsente proferatur, magna est eius laudatio, ergo aliqualis defensio. Dico, si ea verba referantur ad Auctorem iniqua est laudatio, & digna pœnà; nullà verò, si referantur ad opus in se spectatum, cum sit bonum; & in foro externo acceptandus est sensus, quem sic loquens declarat se intellexisse. 87

Nota, quòd in Indice, nec in Bullà Pij IV. fit mentio de defendentibus, ideo non subijciuntur illis, sed tantùm Bullæ Cœnæ Domini.

SECTIO L.

De Licentià legendi Libros prohibitos.

SVMMARIVM:

1 *Licentia à verbo* licet *importat facultatem agendi*.

2 *Est facultas agendi, quod aliàs sibi prohibitum erat.*

3 *Non supponit inhabilitatem in eo, qui licentiatur*.

 4 Dif-

DE Licentià legendi Libros prohibitos acturos nõ erit ex propositum nonnulla præmittere de licentià. Est autem licentià à verbo *licet* importans facultatem agendi aliquid consentaneam rationi, *Bartol. in l. Alio ff. de alim. & cibar. num.* 8. *Menoch. de Arbitr. lib.* 1 *q.* 8. *num.* 45. Nihil autem aliud est, quàm collatio libertatis concessæ ei, qui eam non habet ex se ipso, siue iure proprio, Bald. *lib.* 3 *consil.* 290. *prope finem Rota par.* 1. *dec.* 144. *num.* 7. *Part.* 9. *dec.* 191. *num.* 17. *Ottob. dec.* 117. *num.* 10. Vel clarius Licentia est facultas faciendi aliquid, quod antea facere non licebat, quia erat prohibitum. Non tamen importat inhabilitatem in eo, qui eam recipit, vt patet in Religioso, qui sine licentià sui Superioris non potest recipere ordines, ad quos tamen idoneus, & habilis est. 1 2 3

Ex quo patet, eam differre a dispensatione, per quam inhabilis fit habilis ad ordines & ad officia. Differt quoq. à potestate, vt colligitur ex Bullà incip. *Decet Romanum* Clem. VIII. quæ est 85. in B. N. §. 7. vbi in forma concedendi Indulgentias per Fratres de Mercede Captiuorum ex illis verbis: *Beato Petro Apostolo dedit licentiam ligandi animas.* deleuit illud *Licentiam* tamquam 4 5

non

non satis accommodatum ponendo in eius
locum *Potestatem.*
6 Licentia autem præsupponit prohibitio-
nem, *Rota par.6.dec.136.num.11.ex l. fin C.*
7 *de iure empbit.* Et est quid facti, *Farinac.q.61.*
num.87.Sanch.lib.6.cap. 7. num. 95. & ideo
8 probanda, & exhibenda ab eo, qui asserit se
illam habere, vt dicunt præcitati, quia facta
9 non præsumuntur, *l. in bello* 12. §. *Facta ff.*
de post cap.& postlim.l. 1. *C. de probat.* Expo-
nit Contelorius *de Canonizat. Sanct. cap.*13.
10 *num.* 6. *& fol.* 466.
Licentia pro vno non valet pro alio, *Aversa*
de Matrim q.6.sect.4.Vers. Debet item. Con-
11 cessa sine causâ est inualida, *Rota par.4. tom.*
2 *dec.* 1. *num.* 14. Censetur data secundum
12 naturam actus, *Ciarlin. cap.* 105. *num.* 118.
Licentia limitata non extenditur vltra suos li-
mites, *Pasqualig. in quæst. moralib.*87.*num.*
13 2 *per l. Statu liberum*, §. *Stichum ff. de legat.*
2.*& l.* 1.§. *Si mulier ff. de liber. agnosc.* Licen-
tiæ legitimæ effectus sunt præseruare licentia-
tum à peccato, & pœnâ, quia per eam exi-
14 mitur ab vtroq; *Glos. V.Furtum cap. Dixit* 12.
14 *q.* 5. *Farinac. q.* 52. *num.*83. Priuilegium
15 personale sequitur personam, & cum eâ ex-
tinguitur cap.7. de reg.iur. in 6. Et hæc satis.
Accedo ad quæstiones.

Quæritur Primò, an, & à quo petenda sit
licentia legendi Libros quomodolibet prohi-
bitos?
16 ℞. Sine licentiâ nulli possunt legere Libros
prohibitos, ex quacunq. causâ, quam dat so-
lus Papa, & Congregatio S.Officij habita co-
ram sanctissimo.

Primum de Licentiâ patet, quia omnia
prohibita, quæ aliàs fieri poterant sine licen-
tiâ, vt fieri possint non obstante prohibitione
exigunt Licentiam, quæ presupponit ex dic-
tis prohibitionem; sed Libri prohibentur non
solùm vt non legantur, sed vt neq. retinean-
tur, nec in commercium proponantur, ergo
ad hæc licentia est necessaria.
17 Dices, Libri prohibentur, ne fideles ex
earum lectione inficiantur hæresibus, & falsis
dogmatibus, sed ab hoc periculo licentia
non potest eos eximere, siquidem licentia-
tus non priuatur vsu suarum potentiarum, sed
adhuc manet cum suâ libertate consentiendi
erroribus, vel illis constanter resistendi, si
vult, ergo frustratoria est talis licentia.

℞. Licentiam eximere à peccato, & pœnis
legentes, aut retinentes Libros prohibitos; &
licet licentia efficaciter non remoueat pericu-
lum, nihilominus, quia licentia non datur
nisi viris doctis, & bonæ famæ cum obliga-
tione confutandi errores Hæreticorum, idcir-
co præsumuntur illis bene vsuri confutantes
errores, & eos non amplectentes.
18 Secundum, eam licentiam dari à Sacra
Congregatione coram Sanctissimo ex Bullis
Gregorij XV. incip. *Apostolatus* 40. & Vrba-
ni VIII. pariter incip. *Apostolatus* 114. illis
verbis: *Neque de cætero similes Licentiæ, nisi*
à Congregatione S.Officij, dum singulis heb-
domadis coram nobis habetur, vel ab alijs per
nos etiam in eadem Congregatione specialiter
deputandis concedantur. Refero exemplum
huiusmodi licentiarum.

Feria V. die 22. Martij 1668.

In Generali Congregatione S.Romanæ & 19
Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in Palatio
Apostolico Montis Quirinalis coram S.D.N.
Clemente Diuinâ prouidentiâ Papa IX. ac
Emin. & Reuer. Dominis Cardinalibus in
Vniuersâ Republicâ Christianâ contrà hæ-
reticam prauitatem Generalibus Inquisito-
ribus à S. Sede Apostolicâ specialiter depu-
tatis.

Fr. Francisci Bordoni Tertij Ordinis S.
Francisci lecto memoriali, Sanctissimus D.N.
Clemens Papa IX. prædictus concessit ei li-
centiam tenendi, & legendi omnes, & quos-
cunq. damnatorum Auctorum, seu quomo-
dolibet prohibitos Libros, etiam in Indice
Romano Librorum prohibitorum damnatos
ad effectũ confutandi; exceptis tamen Ca-
roli Molinei, Nicolai Machiauelli operibus,
ac Libris de Astrologiâ iudiciariâ tractanti-
bus. Dummodo illos secretò, & sub Claue
teneat, nec ad aliorum manus deueniant.
Ad triennium proximè futurum.

Franciscus Riuardus S. Romanæ, & vni-
uersalis Inquisitionis Notarius.

Nota Lector illa verba, *Ad effectum confu-* 20
tandi, Licentiam habentem teneri ex Consci-
entiâ confutare errores Hæreticorum, aut
alios contra bonos mores, aliter nihil horum
faciens tutâ conscientiâ Libros retinere non
potest, sed debet eos consignare S. Officio
arg. *cap.* 5. *de donat inter virum, & uxorem,*
l. 1. *ff. de condit. ob causam*, in quibus locis 21
dicitur, restituendum esse datum ob causam,
causâ non secutâ. Non est autem necesse
Scripturam impugnationis typis mandare.

Quæritur 2. An Cardinales, Episcopi, &
Inquisitores possint dare licentiam legendi
Libros prohibitos suis subditis? Dixi sect.48.
q.17. illos non posse retinere, nec legere hos
Libros.

℞. Negatiuè ex præcitatis Bullis Gregorij,
& Vrbani, ibi: *Neque de cætero similes licen-* 22
tia nisi à Congregatione S. Officij coram nobis
concedantur. Nam illa dictio *Nisi* est exclu-
siua omnium aliorum, qui non sunt de cor-
pore, & in ipso corpore vnitim congregati
coram Sanctissimo, ita quòd Cardinales de
hac Congregatione singulariter spectati nul- 23
lam possunt concedere licentiam; multò mi-
nus Episcopi, & Inquisitores. Et hoc certum
est, quia vt dixi, ea dictio *Nisi* est exclusiua
omnium casuum præter nominatos, ac pro- 24
inde etiam personarum, *Barb. hac dict.* 217.
num. 4. *&* 12.

Con-

Confirmatur, quia non possunt ipsi legere ex dictis Bullis, cum omnium fuerint reuocatæ Licentiæ; ergo nec dare alijs licentiam legendi, aliter sequitur absurdum, quòd subditus sit potioris conditionis suo superiore in
25 hac re. Ita *Dal Bene dub. 46. Petit. 23. num. 6. Vers. Respondetur*, desumpsit hoc à Pasqualigo *ad Franchum de lect. libr. prohibit. num.* 1577. *Barb. Allegat.* 90. *num.* 7. & 8. Qui loquuntur de Episcopis, & Inquisitoribus tantùm, quibus negant lectionem pro se, & licentiam pro alijs, cum quibus sto, & vlterius addo excludi etiam Cardinales à lecturà, & licentià.

Tamburinus Iesuita cum alijs lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 7. num. 19. apud præfatos Pasqual. & Dal Bene extra Hispaniam, dicit in Bullis Gregorij, & Vrbani solùm reuocantur facultates legendi Libros prohibitos, non autem concedendi licentiam alijs legendi, sunt enim hæc diuersa, & sic ab vno non infertur ad aliud, maximè in reuocationibus, quæ ex natura suà sunt odiosæ, ac proinde strictè interpretantur, *cap. 1. de const. in 6. Gonzal. Glos.* 36. *num.* 7. *Paris. lib. 9. de Resign. q.* 25. *num.* 15. *Tambur. Vallumbr. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 17. *num* 3. Potest id confirmari, quia possunt, imo debent recipere Libros eisdem consignatos, ac proinde legere, & alijs concedere, vt legant.

Sed ex dictis patet, omnibus indistinctè prohibitum fuisse concedere huiusmodi licentias, ac proinde etiam Episcopis, & Inquisitoribus. Vnde ad argumentum, & confirmationem dico, quòd supra probaui, prohibitionem dandi licentias non colligi ex reuocationibus licentiarum, sed ex alià dispositione explicatà in probatione per illam dictionem *Nisi* excludentem quoslibet, ac proinde Episcopos, & Inquisitores. Ibi
26 ergo sunt duæ reuocationes, vna legendi, altera concedendi alijs lectionem expressæ in diuersis dispositionibus Bullarum. Quamuis autem recipiant Libros sibi consignatos, tamen non possunt retinere nec legere, dum quantocius debent illos comburere, vt dixi sect. 48. num. 50. ex eisdem Bullis.

Quæritur 3. An Magister sacri Palatij possit dare Licentiam legendi Libros prohibitos?

27 ℟. Pasqualig. cit. num. 1577. & ex eo Dal Bene num. 8. ipsum, & Congregationem Indicis de facto concedere. Si de facto, ergo non de iure. Vnde ipse Pasqual. Reg. 2. Indicis per quam Inquisitores, & Episcopi possunt examinare, & approbare Libros Hæreticorum, qui de Religione non tractant, explicat de Libris nondum prohibitis, super quibus dare licentiam legendi non enim possunt examinari sine lectione. Bulla autem Vrbani loquitur de iam prohibitis.

Quæritur 4. An supradicti possint dare licentiam legendi Libros prohibitos, seu, vt aiunt, suspensos, donec corrigantur?

℟. Negatiuè, quia sicut reuocatio quarumlibet licentiarum respicit omnes Libros quomodolibet prohibitos, ita concessio licentiæ respicit eosdem quomodolibet prohibitos, siue simpliciter, siue donec corrigantur. Hanc connexionem indicant illa verba: *Neque de cætero similes licentiæ concedantur nisi à Congregatione*. Similitudo enim attenditur in Libris quomodolibet prohibitis. Ita *Lezana par. 1. cap. 18. num. 96. ex eo Pasqual. citato num.* 1577. contra Peyrinum ad Bullam 9. Pauli V. num. 10. fine, qui dictionem *Quomodolibet* non bene restringit ad causam prohibendi; quia etiam comprehendit modum prohibendi, id enim importat ex suà naturà, quod modum importet, vt dixi sect. 48. num. 41. 28

Quæritur 5. An habens licentiam legendi Libros prohibitos possit illos vbiq; terrarum legere?

℟. Affirmatiuè, à quocunq; licentiam habeat, quia est priuilegium personale sequens personam quocunq; vadit, & cum eà extinguitur. Reg. 7. in 6. Ita *Carena par. 2. tit. 10. num 51. Compend. Rodriq. resol. 92. nu. 2. Dal Bene Dub. 46. Petit. 23. num. 11. Naldus num. 6. Pasqual. num.* 1578. Portellus V. Libri num. 4. ex Suarez, dicit, habentem licentiam ab Inquisitore Lusitaniæ non posse legere Libros prohibitos in Castellà, si ibi sunt etiam prohibiti ab hoc Inquisitore, quia priuilegium vnius non potest præiudicare priuilegio alterius, cum par non agat in parem, ac proinde vtriusq; licentia vtrobique est necessaria. Nihilominus verius est, quòd possit vbiq; legere; & quia est priuilegium personale; & quia liber bene custoditur nulli nocet ex parte licentiati, sicut arma nocere possunt vbique; Liber enim conceditus, vt legatur; arma, vt quis se defendat cum offensione alterius; legens autem Librum non eget defensione sui, sed sanctæ Fidei, & sic agit pro causà publicà, vbiq; enim licet defendere sanctam Fidem; arma ferens non agit causam publicam, sed propriam, & priuatam contra inimicum, quam regulariter habet in eodem loco, ideo extra si vult fere arma licentiam petere debet, quia quam habet, licet personalis cohæret loco. 29

Quæritur 6. An habens limitatam per triennium possit sibi retinere libros finito triennio, si post illud non potest tam citò habere aliam licentiam?

℟. Affirmatiuè, quia prior Licentia præsumitur prorogata ex benignitate Congregationis, quæ subsequenter renouat transacto triennio priorem licentiam eisdem verbis conceptam. Dal Bene Dub. 40. Petit. 7. 30

Quæritur 7. An Libri prohibiti post obtentam

tentiam possint retineri sine noua petitione alterius licentiæ pro illis nouiter prohibitis?

31 ℞. Si licentia est generalis ad formam supra positam sub q. 1. num. 19. prior sufficit; si specialis pro certis libris, non sufficit. Proba-
32 tur, quia illa particula *libros probibitos* quò ad participium refertur ad actum præteritum prohibitionis, non verò ad concessionem licentiæ, respectu cuius participium transit in naturam nominis substantiui, quod secundum Aristotelem de Interpr. cap. 2. est vox significatiua sine tempore, ergo concessio licentiæ refertur ad Libros quouis tem-
33 pore prohibitos, & sic sine temporis differentiâ.

Confirmatur id, quia Priuilegium Principis latè interpretandum est. *cap. olim id, de*
34 *verb. sign. vbi Glos. V. Largissime*. Deinde participium, vt dixi, sonat in vim potius nominis, quàm participij, ad quod facit *Glos.* V. *Humilitas cap.* P*erfecta* 40 *dist.* 1. *de Pœnit.* ib: *Vel hoc dictū* Purgatus *ponitur in vim nominis, non participij, omnia enim hac simul sunt tempore.* Demum Resol. 39. tom. 2. impressionis Lugdun. de absolutione à reseruatis q. 21. sub num. 55. ad 58. dixi, peccata reseruata post concessionem licentiæ absoluendi a reseruatis, contineri sub concessione, ergo idem dicendum est in casu nostro.

Quæritur 8. An habens Licentiam possit committere lectionem alteri eam non habenti, vt coram se audiente legat?

35 ℞. Posse, si lecturus ignorat pœnitus linguam latinam, quia nec legit proprie sect. 39. num. 11. & 12. nec retinet Librum consignatum habenti licentiam à quo recepit. Id docet Dal Bene *Dub.* 39. *num.* 2. *vers. Ex his*.

Quæritur 9. An moraliter certus, se non casurum in Hæresim possit legere libros prohibitos sine licentiâ, euadendo peccatum, & censuram?

36 ℞. Negatiuè. Probatur, & in primis nego suppositum, tum quia de futuris contingentibus nos certam cognitionem ne dum physicam, sed nec moralem habere possumus, quamuis & ipsa sint determinatæ veri-
37 tatis quoad se, non autem nobis, *l. Venire ff. de aquir. hared* D.Thomas *part.* 1. *q.* 14 *art.* 13. *Barb. Axiom.* 104. Conscientia ergo sic præsumentis certa non est, neque probabilis, sed tantùm dubia; ergo nec legere, nec retinere potest.

Confirmatur, dicente D. August. in Psal. 58. *Qui de suâ virtute præsumere voluerunt*
38 *tamquam iusti, offenderunt in lapidem offensionis*, & corroboratur per Apostolum. I. Corinth. cap. 10. 12. *Qui se existimat stare, vi-*
39 *deat ne cadat*. Tum quia esto cessaret primarius finis, quod ego nego ex mox dictis; non tamen cessare potest secundarius consistens in eo, quod sit prohibitio in odium, & ignominiam Auctoris hæretici. Tum quia legens Librum hæretici tractantem de Religione sine errore, nullum omnino incurrit periculum, nec incurrere potest subuersionis, quia nihil tractat de hæresi, per quam possit induci in errorem, & nihilominus est Reus Excommunicationis; ergo ad hanc euitandam necessaria est licentia, per quam legens excusetur à peccato, & censurâ. Est communis opinio *Suarez disp.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 21. *Toletus lib.* 1. *cap.* 19. *nu.* 9. *Sanch. lib.* 2 *cap.* 10. *num* 53. *de Lugo disp.* 21. *de fide num.* 63. *Castropal tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. §. 2 *num.* 8. *Diana part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 49. *cum alijs Vericell. de Mission. q.* 193. *sect.* 4. *num.* 36. Eosdem citat Caramuel in suâ Theologiâ Fundamentali editionis Romanæ num. 644.

Contrarium, quòd possunt legi ab eo, qui certus est, se ab illorum lectione nullum nocumentum esse recepturum, docent *Pelin. in cap. Si quis, de haret. vers. Pro quo infertur, Albertin. q.* 28 *num.* 4. & 5. *Decian lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 27. *cap.* 46. *num.* 26 & 27. *Mascard. concl* 862. *num.* 14. Quos contra se citat Vericellus, quorum opinionem dicit esse falsam. Probatur, quia causa finali adæ- 40
quatè cessante, Legis obligatio cessat, *cap. Et si Christus* 26. §. *Quemadmodum, de iure iur. cap. Magna* 7. *ad finem, de voto, cap. Cum cessante* 60. *de Appellat.* Confirmatur, quia sub pœnâ Excommunicationis prohibetur laico disputare de Fide cum hæretico, *cap. Inhibemus, de haret. in* 6. & tamen laicus doctus, præciso casu necessitatis, aut magnæ vtilitatis non peccat, quia in laico docto cessat adæquatè finis Legis, qui est, quia laici communiter sunt indocti, vnde subest periculum, vel peruersionis, vel irrisionis Fidei, vt dicunt *Caietanus Bannes, Ledesma, Hurtadus, Diana part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 22. *apud dictum Vericellum*, qui prædictis respondet.

℞. Ad primum, in casu nostro non posse constare de cessatione periculi, vt dictum fuit in reprobatione suppositi. Deinde esto cessaret periculum, quod non concedo, non tamen cessare potest alia causa nempe odium, & ignominia Auctoris, in cuius quoq; confusionem liber cum ipso damnatus est, ergo
nec cessat obligatio Legis huius prohibentis 41
lectionem librorum reprobatorum, remanente ergo vnâ ex causis, quæ mouit Legislatorem non cessat dispositio legis, vt dicunt *Roman. cons* 497. *fine Tiraquel. in cessante causâ limit.* 22. *cum alijs Barb. Axiom* 40. *num* 23. *Glos. V. cessante cap.* 11. *de Renunt.*
& *V. Causa cap.* 9. *dist.* 61 alias referunt ex- 42
plicationes huius axiomatis, quod meo iudicio locum habere non potest, vbi causa perpetuò influit in prohibitionem. Vide Dianam part. 1. tract. 10. resol. 28. referentem

30.

30. Doctores negantes cessare obligationem Legis.

43 Ad cap. Quicunque 2. de hæret. in 6. sub §. Inhibemus, quod Vericellus, & Diana posuerunt pro initio capitis, dico illum textum loqui de laicis indoctis, non autem de doctis, qui non irridentur.

Quæritur 10. An Mercatores, Religiosi, & alij Librorum professores incurrant aliquam Censuram asportantes Libros non prohibitos de loco ad locum sine licentiâ Inquisitorum?

44 ℞. Negatiuè, quia talis pœna nullibi reperitur inflicta cōtra sic libros asportantes, sed Inquisitores nonnulli in suo officio diligentiores faciunt similia Edicta, ne libri transferantur sine licentiâ.

SECTIO LI.

De Conuersatione prohibita Catholicis cum Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Vitandus est Hæreticus, de Iure diuino.*

2 *Hæredem faciens Hæreticum est excommunicatus.*

3 *Fautores cum Hæreticis carent ecclesiasticâ sepulturâ.*

4 *Excommunicati sunt eos sepelientes.*

5 *Bullâ Clementis VIII. prohibentis catolicis morari vbi non est cultus diuinus liber, & publicus.*

6 *Nullus habitare potest extra Italiam, nisi adsit Sacerdos publicè &c.*

7 *Non contrahunt Matrimonium cum Hæreticis, nec communicant cum eis in alijs Sacramentis.*

8 *Non vtuntur medico Hæretico, nisi in casu necessitatis.*

9 *Licentiam verbalem petunt ab Ordinario, vel Inquisitore.*

10 *Seruant dies festos, & ieiunia.*

11 *Fugiunt eorum errores.*

12 *Fidem confessionis, & sacræ communionis annuæ transmitunt ad eum, à quo petierunt Licentiam.*

13 *Transgressores vti de Hæresi suspecti ab vtroq; puniuntur.*

14 *Bullà Gregorij XV. ne Hæretici habeant domos in Italiâ.*

15 *Et Insulis adiacentibus.*

16 *Contrauenientes puniuntur.*

17 *Et eorum fautores.*

18 *Licentia, seu significatio fit vni eorum, punitio ab vtroq; simul.*

19 *Licentia formalis eundi non est necessaria, sed sola significatio.*

20 *Transiens non habitaturus Bullæ non subditur.*

21 *Habitatio acquiritur per consistentem in loco maiori parte anni.*

22 *Reuersurus in breui non dicitur recessisse.*

23 *Medico hæretico vtitur ad consilium catolicus.*

24 *Officialis præsumitur doctus, & idoneus in suo officio.*

25 *Præsumptio in præiudicialibus non admittit contra se præsumptionem.*

26 *Est suspectus de Hæresi in casibus hic expressis.*

27 *Tortura in his casibus potest habere locum.*

28 *Ordinarius, & Inquisitor simul procedunt in his casibus.*

29 *Referuntur actus prohibiti in Bullà Gregorianâ.*

30 *Iudices in his sunt omnes ecclesiastici tantum.*

31 *Causæ Fidei à solis ecclesiasticis tractantur.*

32 *Domicilium prohibetur concedi in Italia Hæreticis, extra permittitur.*

33 *Cohabitatio, Fidelium cum Hæreticis omni iure prohibita.*

34 *Hospicium Hæreticis transeuntibus non negatur in Gregorianâ.*

35 *Militibus permittitur.*

36 *Hæreticus inuentus habitare retinetur ei oblatâ Abiuratione.*

37 Bul-

37 *Bullà Gregoriana non punit Hæreticos inuentos habere domicilium.*

38 *Hæretici alij nati, alij facti per suos errores.*

39 *Bene agere nemo cogitur.*

40 *Hæreticus morans in locis catholicorum, in tribus casibus castigatur.*

41 *Fides data Hæreticis seruanda est.*

42 *Bullà Clementis non afficit transeuntes in Franciam.*

EXpeditis ijs, quæ spectant ad Libros Hæreticorum, congruum est agere de Communione, seu conuersatione cum Hæreticis omni Iure tam diuino, quàm humano prohibitâ, de qua Paulus ad Tit. cap. 3.
1 num. 10. inquit: *Hæreticum hominem post vnam, & secundum correptionem de vita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Hæreticus dicitur *Subuersus*, quia scilicet suum iter vertit subtus, hoc est ad Inferos; dicitur quoque proprio iudicio condemnatus, quia non aliâ ratione ducitur ad Sententiam, nisi per iudicium Hæresis, cuius ipse auctor; ac proinde hoc suo proprio iudicio se condemnat. Iure ecclesiastico conuersatio cum Hæreticis, & eis benefacere tam spiritualiter, quàm temporaliter est pro-
2 hibitum *cap. Si quis 5. cap. in eos 6. de Haret.* vbi, quòd instituens hæredem etiam consanguineum Hæreticus nuntiatur Excom-
3 municatus etiam post mortem. *cap. Sicut 8. eodem*, Heretici & eorum receptatores, & fautores sunt excommunicati, & decedentes
4 in hoc peccato non debent sepeliri in loco sacro, nec pro eis orandum est, *cap. 2. eodem in 6.* Hæreticos, eorumque receptatores, & defensores, vel fautores sepelientes sunt excommunicati, nec absoluuntur, nisi prius exhumauerint eorum cadauera, & locus sacer caret sepulturà. *cap. 3. eodem in 6.* Petentes consolationem spiritualem ab Hæreticis in infirmitate sunt excommunicati, & eorum hæredes non admittuntur ad probandum, quòd non sanà mente, vel perditâ loquelà susceperint; si constat, quod erant sanæ mentis, vel si prius suspecti, vel diffamati erant de Hæresi; aliàs admittantur per testes fide dignos, non suspectos. De fautoribus Hæreticorum latius dixi sect. 15. illuc remitto Lectorem, & hic nonnulla dicam de duabus Bullis Clementis VIII. & Gregorij XV.

5 Clemens VIII. in suà incip. *Cum sicut 42.* decernit, quòd Itali extra Italiam non habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus, seu vsus Catolicæ Religionis non existat, ne diutius in perniciem animarum suarum careant perceptione Sacramentorum, Missæ Sacrificio, & diuinis Officijs. Subijcio partem Bullæ ad rem nostram.

Nullus Italus, siue Mercator, siue cuiuscuis alterius conditionis, vel status existat, 6
quouis quæsito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Ciuitate, Opido, seu loco, vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catolico non existat, in qua liberè, & sine omni periculo palam, & publicè celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia diuina officia, & conciones, ac Sacramenta ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri iuxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ.

Vtque Itali abstineant à Matrimonijs cum 7
Hæreticis mulieribus; & ab Hæreticorum sepulturis; Filios suos de sacro fonte leuari per Hæreticos non permittant; nec ipsi vicissim Hæreticorum filios, nisi per catolicum Sacerdotem catolico more baptizentur, leuare præsumant. Medicorum quoque hære- 8
ticorum operà, necessitate cessante, & vbi adsit copia catolici Medici idonei, non vtantur.

Cum verò Itali prædicti ex Italià recedunt 9
ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum, à quibus seriò admoneantur, vt in eis perpetuò catolicam, & ortodoxam Fidem constanter retinentes, 10
& profitentes, piam & catolicam vitam ducant; dominicos, & festos dies, abstinentias, & sacra ieiunia ab Ecclesià præcepta religiosè colant. Atque omnem Hæresim, & 11
errorem, Hæreticos, Schismaticos, & ab ortodoxà Fide aberrantes fugiant, & eui- 12
tent. Ac vt saltem singulis annis de eorum sacramentali Confessione peccatorum, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos factà, fidem, seu testimonium ipsis Ordinarijs, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant; ad quod & Nos dictos Italos tenore presentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus.

Quòd si quis propriæ salutis immemor 13
contra præmissa facere præsumpserit, possit aduersus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ prauitatis vti de Hæresi suspectum procedi. Non obstantibus, &c. Die 26. Iulij 1596.

Gregorius verò XV. in suà incip. *Romani* 14
28. innouando, & confirmando prædictam Clementis VIII. sequentia decernit contra Hæreticos in locis Italiæ, & Insularum adiacentium commorantes, ac statuit.

Insuper ne vllus Hæreticus in locis Italiæ, 15
& Insularum adiacentium, neque etiam sub nomine commercij, mercimonij, aut alio quouis prætextu domicilium contrahere, seu

domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitare, aut morari possit earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectiuè statuimus, & ordinamus.

16 Contra prohibitioni autem, & statuto, ac ordinationi nostræ huiusmodi non parentes, seu contrauenientes cuiusuis status, gradus, Ordinis, dignitatis tam ecclesiasticæ, quàm secularis existentes iuxta formam Iuris procedatur, & puniantur.

17 Et simili modo eos, qui Hæreticos prædictos receptauerint, eisque quoquomodo contra præsentium literarum tenorem, fauorem, opem, seu auxilium præbuerint, vti fautores, & receptatores Hæreticorum puniri. Sicque per quoscunque iudices Ordinarios delegatos &c. Die 2. Iulij 1622.

Super dictis Bullis propono sequentes quæstiones.

Quæritur 1. Sicut Italus volens ire ad morandum in terris Hæreticorum tenetur id significare Ordinario, vel Inquisitori, ita & transgressor puniendus sit ab vno illorum, an ab vtroque? Ratio discriminatiua est, quia in priori loco adest *Vel* disiunctiua sub num. 9. in posteriori verò sub num. 13. exprimitur *Et* copulatiua.

18 ℟. Respectu significationis sufficit accedere, vel ad Ordinarium, vel ad Inquisitorem, textus enim dat optionem. Respectu verò punitionis, vterque Iudex in hac causâ procedere debet simul, vt dicitur in Clem. 1. de hæreticis, ibi: *Duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur; vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo &c.* Et idcirco, textus secundo loco vsus fuit coniunctiuâ.

Quæritur 2. An Italis volentibus ire ad loca Hæreticorum habitandi causâ debeant petere, & obtinere licentiam ab Ordinario, aut Inquisitore?

19 ℟. Negatiuè, quia Clemens hanc non requirit licentiam, sed solùm quòd Superior sciat talem recessum, vt ab ipso admoneatur quid agere debeat pro salute animæ suæ, vt ibidem dicitur sub num. 9. ibi: *Id significent suis Ordinarijs, vel Inquisitoribus, à quibus seriò admoneantur.* Significatio autem non est licentia; persona autem volens recedere ad partes Hæreticorũ debet comparere corã vno ex dictis Superioribus, vt admoneatur, & instruatur, quomodo se debeat gerere in illis locis; non satisfacit huic Bullæ, si tertium mittat.

Quæritur 3. Qui vult illuc transire non ad habitandum, & ibi morandum, sed ad expedienda sua negotia per paucos dies, & deinde redire domum suam. Numquid subditur huic Bullæ, & sic significare tenetur hoc Ordinario, vel Inquisitori?

℟. Non teneri, quia non vadit ad habitandum, nec ad domicilium tenendum, vt exigit Clement. sub num. 6. ibi: *Audeat habitare, vel domicilium tenere.* Nam habitatio aquiritur per consistentiam in loco maiori parte anni, vt docet *Tiraq. de Retract. Ligna.* §. 9. *Glos.* 2. *num.* 26. *apud Sanchez lib* 3. *disp.* 23. *num.* 12. *vers. Quarto.* Immo qui per breue tempus fuit in loco, non dicitur recessisse à proprio domicilio, neque enim recessisse censetur breui reuersurus, *l. Quidquid* 49. *de reg. iur. cap. Diuortium* 21. *dist.* 1. *de Pœnit.* Dixi cap. 24. num. 12. 20 21 22

Quæritur 4. An infirmus possit vti medico Hæretico simul cum Catolico, vt ambo ineant consilium de infirmitate? Et quid si ab infirmo Catolicus medicus non habeatur pro idoneo?

℟. Ad primum posse vti, si in loco vnicus sit catolicus; aliàs collegium fiat per catolicos; ratio est, quia collegium facere pro infirmo non prohibetur in Bullâ, sed solùm vsus medici Heretici, quando adest Catolicus, qui cum non habeat secum alium concatolicum potest recipere Hæreticum in societatem. Ad secundum non potest vti hæretico, esto catolicum non habeat pro idoneo, quia præsumptio idoneitatis stat pro Medico ex quo est gradu insignitus; quisque enim in officio suo præsumitur bonus, doctus, & idoneus & sic non errare, *cap. In præsentia* 6. *de renunt. cap. Cum inter* 13. *cap. Sicut nobis* 16. *de sent. & re iud.* Præsumptio autem non admittit contra se præsumptionem in præiudicialibus, *Rota part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 134. *num.* 7. præsumptio autem infirmi est valde præiudicialis Medico, pro quo valentior est præsumptio propria. 23 24 25

Quæritur 5. An, & quomodo Italus accedens ad loca hæreticorum ibi habitaturus sit suspectus de hæresi?

℟. Transgressor Bullæ Clementis est suspectus de hæresi ex quauis actione ibi expressâ; Primò, si in loco non sit Parochus, seu alius Sacerdos 2. si ibi non sit liber, & publicus cultus diuinus 3. Sepultura debet esse catolica 4. Negatur Matrimonium cum hæreticis. 5. Leuatio Filiorum de baptismate per hæreticos. 6. Et è contra tentio Filiorum hæreticorum per catolicos. 7. Vsus Medici hæretici extra necessitatem. 8. Significatio volentis recedere, vt instruatur. 9. Fidem confessionis, & sacræ Communionis annuæ mittant Ordinario, vel Inquisitori. Si quis ergo in quouis istorum probatur transgressor est suspectus de Hæresi. 26

Sunt autem vehementer suspecti, qui recedunt sine significatione, vt contrahant habitationem, quia videntur recedere, vt liberius viuant. Sunt quoque vehementer suspecti, si communicant in tribus prædictis, scilicet

ſcilicet, Matrimonio, Baptiſmo, & Sepulturà, quia præſumuntur approbare ritus hæreticorum, & ſequi eorum errores, Omiſſio verò cedulæ Confeſſionis, & ſacræ Communionis arguit quidem hæreſis ſuſpicionem ſed leuem, quam tamen illius exhibitio omnino purgat. Vſus Medici hæretici, quando nullus adeſt catolicus, nullam arguit ſuſpicionem, cum in hac Bullà permittatur, ex eo quòd neceſſitas legem non habet, *Ricciuspart. 4. dec. 268. apud. Carenam part. 2. tit. 17. num. 17. num. 19. Verſ. Tertio.* Idem dic, ſi Catolicus vocet ad collegium Medicum hæreticum, quia ſtante grauiſſimà infirmitate neceſſaria eſt conſultatio, ex q. 4. Tempore peſtis vocantur Medici hæretici, ſi deſint catolici, Nald. V. Medicus, quem citaui cap. 24. num. 10.

Quæritur 6. An in his tranſgreſſoribus locum habeat tortura contra negantem delictum, & ſuper intentione, quando probatus delinquens iudicatur ſuſpectus de hæreſi?

27 ℞. Affirmatiuè, id enim regulare eſt reſpectu fere omnium delictorum, quæ inducunt ſuſpicionem vehementem Hæreſis, leuis autem ſolà Abiuratione tollitur.

Quæritur 7. Quinam Iudex in hac causà tranſgreſſionis præſentis Bullæ Clementis VIII. punit?

28 ℞. Ordinarius, & Inquiſitor ſimul procedunt contra tranſgreſſores huius Bullæ ex num. 13. & quidem ſimul; vt probaui ſub q. 1. nam textus loquitur coniunctiuè. *Carena part. 2. tit. 17. num. 19. verſ. Tandem.*

Supradictarum quęſtionum reſolutiones faciunt pro intelligentià Bullæ Clementis VIII. modo ſuper Bullà Gregorij aliquid dicendum eſt. Quare

Quæritur 8. Quid in ea prohibeatur?

29 ℞. Prohibetur hæreticis, ne quis eorum in locis Italiæ, & Inſularum adiacentium, domicilium contrahat, ſeu domum apertam habeat propriam, vel conductam, aut gratis conceſſam, aut habitet, ſeu moretur. Et quòd nullus eos receptet, fauorem, opem, ſeu auxilium præbeat, aliter punietur vt fautor, & receptator Hæreticorum.

30 Sed quis erit Iudex contra hæreticos, & eorum fautores? Reſpondetur per verba ipſius Bullæ: *Sicque per quoſcunque Iudices ordinarios, delegatos, etiam S. R. E. Cardinales & de latere Legatos, vbique iudicari, & definiri debere.* Sub his verbis veniunt Iudices eccleſiaſtici præfati, nam ſub ordinarijs comprehenduntur Epiſcopi, & ſub delegatis Inquiſitores, in hac enim Bullà agitur contra inimicos catolicæ Fidei, & eorum fautores, vnde meritò tranſgreſſores à prædictis puniuntur.

31 Confirmatur id, quia cauſæ ad Fidem ſpectantes à ſolis Eccleſiaſticis tractantur, & non à laicis Iudicibus, *Clarus V. Hæreſis num. 4. & q. 96. num. 7. Alciatus cap. 1. num. 73. cap. Vt inquiſitionis, de hæret. apud Carenam ad quæſt. 10. Fulcodij num. 21. ad Bullam hanc*, & eſt doctrina Reuer. P. Vincentij de Pretis olim Cremonenſis Inquiſitoris, qui deinde fuit Commiſſarius S. Officij Romæ; modo defunctus in Domino; vir pietate, & doctrinà inſignis meus Patronus.

Quæritur 9. An Principes ſeculares poſſint Hæreticis in Italià concedere domicilium, non obſtante Bullà Gregorianà?

℞. Negatiuè, quod enim Sacra Scriptura prohibet, omnibus interdicit, etiam Principibus, Regibus, & Imperatori, quia Deus eſt, qui imperat; ſed prohibet multis in locis Fidelibus, ne conuerſationem, & amicitiam habeant cum Infidelibus. Paralip. lib. 2. cap. 19. 2. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum coniungeris; idcirco iram Domini mereris.* Ioan. Epiſt. 2. num. 10. 32

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, cap. 8. de hæret. ibi: *Sub Anatemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terrà ſuà tenere, vel fouere, aut negotiationem cum eis exercere præſumat.* Iure ciuili idem prohibetur, leg. 5. C. de heret. l. Cunctì, eod. l. Manicheos eod. Sed prędictis legibus, diuinæ, eccleſiaſticæ, & ciuili omnes ſubijciuntur, ergo nullus Princeps poteſt concedere Hæreticis domicilium, & habitationem in ſuis terris. Quare modo ſeruatur Bulla Gregoriana ad obſeruationem inducens pręd ictarum Legum. Extra Italiam tamen permittuntur, ne Reipublicæ perturbentur perpetuis ſeditionibus, & bellis. 33

Quęritur 10. An ex vi huius Bullæ Prohibeatur hoſpitium hęreticis tranſeuntibus, & eorum receptoribus ad hoſpitandum?

℞. Negatiuè, nam ea verba: *Domicilium contrahere, vel domum apertam habere vel conductam, aut gratis conceſſam, ſeu habitare, aut morari poſſit.* important conſiſtentiam, & permanentiam in loco, in quo non dicitur permanere viator, qui de loco ad locum mouetur, & ſic non permanet. Et ſicut ipſe Hæreticus in hoc caſu non comprehenditur in Bullà, ita nec eius receptor ad hoſpitium, correlatiua enim non iudicantur ad imparia, ex vulgatis iuribus. 34

Quæritur 11. An Oſpitatio militum Hæreticorum hic prohibeatur?

℞. Negatiuè, quia neceſſitas belligerandi legem non habet, & ſic nec hanc Gregorij XV. ſicut ſupra dictum eſt de vſu medici in neceſſitate. 35

Quæritur 12. Quid dicendum in hoc caſu. Inuentus fuit Hæreticus natus Caluiniſta habens domicilium causà negotiationis in ciuitate N. & ei ſtatim præceptum fuit, vt recederet, aut Hæreſim abiuraret, & ſe Eccleſiæ reconciliaret. Reſpondit. Date mi-

hi tempus sex mensium ad deliberandum, si infra id tempus non abiurabo meam sectam, recedam hinc ad patriam meæ natiuitatis. An Superior ecclesiasticus, scilicet Legatus à latere, & Inquisitor potuerint id facere, an verò debuisset eum eijcere ad suam patriam? Videtur enim obstare Gregoriana, cum manifestè prohibeat habitationem in Italiâ Hæreticis.

36 ℟. Licuit tale præceptum, quia ordinatur ad salutem animæ proximi, maximè cum annuerit, & petierit tempus ad se deliberandum super instructione Fidei nostræ; imprudentis enim est citò credere, vnde in Ecclesiastico cap. 19. 4. dicitur: *Qui credit cito, leuis corde est, & minorabitur*. Non enim facile credendum est, *cap. si quid 23. dist. 86.* Et facilitas credendi imputatur, *Glos. V. Credulus, cap. 1. 16. q. 2.* Audio tamen, hanc personam respondisse, velle manere in sua Fide, in qua natus erat, & recedere.

Dices, cur dimiserunt illum impunem contra Gregorianam, & contra Fidem veram promissam in Baptismate; nam in sess. 7. de Baptismo definitur in Can. 14. eos esse excommunicatos, qui dicunt, paruulos baptizatos cum adoleuerint esse interrogandos, an velint habere ratum, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & vbi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Christianam vitam cogendos, nisi vt ab Eucharistiæ aliorumq; Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, ergo talis hæreticus interrogatus, & nolens obseruare Fidem seuerè puniendus est, & tamen iste impunè fuit expulsus è ciuitate.

37 Respondeo, Bulla Gregoriana quamuis prohibeat Hæreticos habitare in Italiâ, & Insulis adiacentibus, nullâ tamen pœnâ eos afficit, sed contra catolicos non parentes huic prohibitioni mandat procedi iuxta formam Iuris, & contra eorum fautores. Ad illum Canonem dico, nihil ex eo inferri, nisi eum, qui tenet ibi expressa, esse hæreticum, & excommunicatum.

38 Notandum tamen est, quòd duplex genus Hæreticorum datur, alij enim sunt nati, vt Luterani, Caluinistæ &c. alij facti tales per eorum prauam credulitatem, per quam credunt contra articulos, seu propositiones, quas sciunt esse de Fide in Romanâ Ecclesiâ Isti ergo dicuntur facti per proprios errores; nati verò tales sunt per errores suorum parentum, quos imbibunt quando habere incipiunt vsum rationis. Hæretici facti non pœnitentes, sed obstinati permanentes vltimo mortis supplicio plectuntur. Nati verò non puniuntur, sed inuitantur ad amplectendam veram Fidem, quod si nolunt eam recipere relinquuntur in suâ sectâ, in qua nati

39 sunt, nemo enim cogitur ad bene agendum & qui cogitur, inutiliter cogitur, cap. 4. §. Ex his 33. q. 6.

Sed numquid hæreticus natus in aliquo casu puniri potest, dum permittitur inter catolicos in Italia morari?

℟. In tribus casibus puniri. Primò, si dat scandalum in materia Fidei, & Religionis, obloquendo contra eam, vel inuitando catolicos ad eorum sectam amplectendam. Secundò, si permissio facta à Principie non fuit à Papa approbata. Tertiò, si ante permissionem præuenti fuerunt à S. Officio. Ita *Sousa lib. 1. cap. 31. ex illo Carena par. 2. tit. 17. num. 20. ad 25.* Qui aiunt puniri non propter Hæresim, sed propter scandalum datum. 40

Quæritur 13. An Hæreticis data fides seruanda sit?

℟. Affirmatiuè, dixi supra sect. 12. num. 103. & in sacro Tribunali cap. 24. q. 12. 41

Quæritur 14. An Bullà Clementis afficeret volentes ire ad habitandum in Franciâ, vbi permittebantur Hæretici?

℟. Negatiuè, quia Rex fidelissimus vigilabat super his, ne catolici subuerterentur ab Hæreticis, habent enim fideles in illis locis non solùm Parochos, sed etiam Episcopum in singulis ciuitatibus, qui suas oues verbo, & exemplo pascit, & non permittit raptum earum a lupis. Bullà autem comprehendit ea loca Hæreticorum quæ non habent Episcopum, ex quo vult, quod non discedant absq; significatione suorum Episcoporum, vel Inquisitorum, quibus singulis annis transmittere debent Fidem confessionis, & sacræ communionis annuæ, quæ in Franciâ non erant necessaria, dum aderant Ordinarij locorum. 42

SECTIO LII.

De Iudæis, & Paganis subiectis S. Officio.

SVMMARIVM.

1 *In causis profanis subduntur Iudici seculari.*

2 *Subditus quis sit, domicilio, contractu, vel delicto.*

3 *Subditi puniuntur à suis Iudicibus.*

4 *Episcopus in causis ecclesiasticis extra Fidem solus eorum Iudex.*

5 Quid mihi de his qui foris sunt. *Idest non possunt excommunicari.*

6 Ex-

IVdæi, & Hebræi quinam sint, res nota est, & quamuis ante aduentum Christi in carnem esset populus Dei electus; reprobatus deinde, quia noluit credere in Christum Dei filium, qui pro eorum salute venerat in mundum; ideo non amplius dici potest esse in Ecclesiâ Dei, in qua tantum sunt qui Baptismate, & Fide in eam ingrediuntur, quibus carent Iudæi; ex hoc tamen non possunt propriè dici Hæretici, quia carent Baptismo & Fide catolicâ. Sed calamum conuerto ad quæstiones.

Quæritur igitur 1. An Iudæi subsint iurisdictioni Principis in cuius territorio domicilium habent?

℞. Principi laico subsunt quò ad causas tam ciuiles, quàm criminales, quæ sunt profanæ, & etiam in mixtis, vt probatur *ex cap. Post miserabilem 12. de Vsuris, l. Iudæos C. de Iudæis, Marta de iurisd. par. 2. cap 13. num. 14. Ricciul. lib. 2. cap. 52. cum alijs Carena par. 2. tit. 14. num. 5. & 7. Vers. probat.* Ratio est, quia quisq; est subditus domicilio, contractu, vel delicto, *cap. fin. de foro compet.* Sed subditi iudicantur, & puniuntur à suis Iudicibus, & non ab alijs, Roman. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum.* Scotus *in 4. dist. 19. num. 4. Vers. Secundo.* Iudex enim iudicat suos subditos, *cap. Iudicare de subditis 61. 11. q. 3.* 1 2 3

Quæritur 2. Quis sit iudex istorum in causis ecclesiasticis extra causas spectantes ad Offi-

Officium S. Inquisitionis?

4 ℞. Episcopus, & Ordinarius loci tàm in ciuilibus, quàm criminalibus, & in mixtis, vt probatur ex textibus mox allegatis, *cap. Postulasti, de Iudæis* Est communis, *Bald. cons.* 315. *&* 316. *Decian. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 2. *Bursat Vol.* 1. *cons.* 90. *Pegna par.* 2. *com.* 71. *Carena num.* 7.

Nonnulli oppositum sentiunt, nimirum in delictis merè ecclesiasticis, vel mixtis solùm Iudicem secularem procedere, quod probant duobus, primo ex illo Pauli I. Corinth. 5. 13. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Secundo*, in cap. Nonnulli, de Iudæis, mandat Iudicibus secularibus, vt puniant Iudæos prorumpentes in contumeliam creatoris, ergo excluduntur ab his Iudices Ecclesiastici.

5 Ad primum, S. Paulus ibi loquitur de excommunicatione, quam iudex ecclesiasticus non potest ferre contra Iudæum, *Royas de*
6 *haret. par.* 1. *num.* 563 *Cornelius à Lapide, cum eis Carena num.* 7. *Vers. Ad primum* Ratio est quia excommunicare est ponere delinquentem extra Ecclesiam, sed Iudæus nunquam fuit in Ecclesiâ, ergo hac pœna puniri non potest, & ideo dixit: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt.*

Ad Secundum, verum quidem est, quòd Papa in eo cap. 15. committit Iudicibus laicis punitionem Iudæorum, & Saracenorum, qui in Hebdoma sancta exeunt è domo; non ideo negauit id Ordinarijs locorum, nec Inquisitoribus, ergo argumenta hæc nullius sunt roboris.

Quæritur 3. An Inquisitores possint punire Iudæos?

7 ℞. Affirmatiuè, vt tradit Gregorius XIII. in sua Bullâ incip. *Antiqua Iudaorum* 70. in qua Iudæos subijcit Inquisitoribus in decem casibus.

8 Primus. *Si quis Iudaus, aut infidelis ex ijs, qua circa Fidem cum illis nobis sunt communia, velut Deum vnum, & aternum, omnipotentem, creatorem, omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse, asseruerit, pradicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.*

Vide Farinac. q. 178. num. 146. Sousam in Aphor. lib. 1. cap. 37. num. 17. Carenam par. 2. tit. 14. num. 16. *Salellem Reg.* 104. *à num.* 114. *Dal Bene Dub.* 207. Petit. 1. Vnde Iudæus transiens ad sectam Saracenorum punitur ab Inquisitore, quia per hunc transitum videtur negare nonnulla ex dictis de Deo communia nobis, & illis, quæ negant Saraceni. Ita *Carena num.* 18. *ex Campegio ad Zanchin. cap.* 36 *& Deciano lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 34. iterum infra q. 15.

9 Secundus casus. *Si Damones inuocauerit consuluerit, aut eorum responsa acceperit, ad illos ue Sacrificia, aut preces ad diuinationem aliamue causam direxerit; aut quid eis imolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quauis impietatis obsequia præstiterit.*

Ratio huius subiectionis est, quia nos cum Iudæis conuenimus, quòd vni Deo soli conuenit cultus, ergo sicut punitur catolicus, ita & Iudæus prędicta facientes. Vide *Direct. par.* 2. *q.* 46. *Farinac. q.* 178. *num.* 146. *Carena num.* 19. *&* 20.

Tertius casus. *Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut quouis alio modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, vel perducere tentauerit.* Illa verba *Nepharia huiusmodi* referuntur ad actiones dæmoniacas, de quibus in secundo casu. 10

Quartus casus. *Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremue Dei non esse virginem, & alias huiusmodi Blasphemias qua per se haretica dici solent, in Christiana Fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerint.* Vide quæ dixi de Blasphemia sect. 45. vbi dixi, omnes blasphemias etiam simplices subdi Inquisitoribus contra communem, quæ admittit Blasphemias simplices esse mixti fori, & dari locum præuentionis, nam in hæreticalibus cognoscit Inquisitor cum Episcopo, licet hic num. 23. Carena dicat sub Vers. Et licet, in hæreticali solùm Inquisitorem cognoscere, si excludat Iudicem laicum bene dicit, non autem si excludat Ordinarium. 11

Quintus casus. *Si cuiusuis eorum opera, aut consilio, aut fauore aliquis Christianus à Fide defecerit, quamque semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudaorum, seu aliorum Infidelium ritus, cerimonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in Haresim aliquam inciderit, aut qui vt Christi fidem abneget, seu in Haresim incidat, opem consilium, fauoremue quomodocunque prastiterit.* Vide Direct. part. 2. q. 44. Decian. lib. 5. cap. 14. Royas de hæret. part. 1. num. 558. Farin. q. 178. num. 143. 12

Sextus casus. *Si quis Catecumenum, vel quemcumque ex Iudais, aut Infidelibus, Deo inspirante ad fidem Christi venire volentem, post declaratam, nutu, verbo, facto, aut quocunque alio modo intentionem à Fide, vel Fidei instructione, aut sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, aut dehortari, aut ne ad fidem veniat, neue regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.* Notant citandi, quòd etiam antea procedebatur contra illos in prędictis delinquentes, Bald. vol. 1. cons. 315. Decian. lib. 5. cap. 14. num. 2. Farin. q. 178. num 143. cum alijs Carena num. 26. 13

Sep-

14 Septimus casus. *Si quis Apostatas, aut Hæreticos scienter domi acceptauerit aluerit, commeatu iuuerit, siue quouis modo cibaria eis vbicunque præbuerit; aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, siue associauerit, vel deducendos, aut associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit; duces, comitesue illis adiunxerit; vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit. Quique dictos Apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit* De hoc casu agunt Direct. part. 2. com. 76. & com. 77. Farin. q. 178. num. 143. & q. 282. num. 66. Carena num. 27.

15 Octauus casus. *Si Libros hæreticos, vel Talmudicos, aut alios iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quacunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit*. Vide Carenam citantem Doctores, & alias Bullas de Libro Talmadicorum.

16 Nonus casus. *Si Christianos deriserint, redemptionisque nostræ Hostiam salutarem in Ara Crucis imolatam Christum Dominum ludibrio habentes quandocunque, maximè verò in sacro Parasceues die, Agnum, seu Ouem, vel quid aliud Cruci affixerit, aut appenderit, in eamq. conspuerit, seu quomodocunque contra ipsam fecerit.* Carena ibidem num. 30. reijcit Oldradum cons. 36. Repertorium V. Iudæus, vers. An Inquisitor, Decian. lib. 5. cap. 12. num. 18. asserentes, hos transgressores esse puniendos per Episcopum, vel Iudicem secularem, nam causa est merè ecclesiastica, ergo excluduntur Iudices laici, qui in his causis nullo modo possunt se intromittere, *cap. 1. & seq. dist. 96. cap. Ecclesia 10. de constit. cap. Decernimus 2. de iudic.*

17 Decimus casus. *Si Nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumq. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, quà Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit*. Hoc idem Nutricibus prohibitum fuit per cap. Ad hæc 8. de Iudæis, vbi licet prohibitio hæc videatur restricta per ea dicti textus verba *in eorum domibus nutrices*, quòd Nutrix non lactet Filios Iudæorum in eorum domibus, & sic non extendatur prohibitio ad lactandum filios in domo ipsius Nutricis, vt volunt Zabarella, Mar. Socinus, Abbas, & Glos. hic, quos refert Barbosa ad hoc caput num. 4. Subdens quod Nutrix nec in propriâ domo potest lactare filium
18 Iudæi, quia illa verba *in eorum domibus* non restringunt prohibitionem cum non sint taxatiua, sed demonstratiua, & gratiâ frequentis vsus, regulariter enim Filij nutriuntur in domo paternâ, *Sanch. lib. 2. cap. 31. num. 19. Riccin. lib. 2. cap. 28. num. 17. Barb. cit.* cum multis alijs. Et in casu dubio resoluen- 19
dum est verba stare demonstratiuè, non taxatiuè, *Rota vol. 1. dec. 684. num. 4. Paris. lib. 4. consil. 4. num. 36.* Ratio est, quia periculum subuersionis, propter quod facta fuit hæc prohibitio, non magis accidere potest in vna domo, quam in aliâ.

Quid si Nutrix Christiana bis, vel ter la- 20
ctet filium Iudæi incidenter, aut quia mater propria caret lacte, aut ægrotat, numquid est transgreditrix huius Bullæ, & præfati cap. 8.?

℞. Non, nam in cap. 8. adest verbum *assiduè*, quod importat frequentiam, immo & 21
aliquando continuationem Barb. hac dict. 41. & V. *Retinere* in Bullà importat permanentiam in seruitio, quod non verificatur in casu nostro. De Nutricibus eijcientibus lac in latrinam post sacram Communionem ad instantiam Iudæorum agitur in cap. Et si 13. de Iudæis.

Quæritur 4. An accipi possit pecunia sub vsuris ab Hebræo sub pignore Crucis, Calicis, Missalis, Breuiarij, Thuribuli &c.?

℞. Negatiuè, quia pignus est illis proxima 22
causa abutendi illis in opprobrium Religionis maximè quò ad misteria Sacramenti Eucharistiæ, & Sacrificij Missæ, hæc enim ab ipsis indubitanter deridentur. Vnde in locis, vbi habitant; seuerè id est interdictum tam Catolicis dantibus, quam Hebræis recipientibus. Et puto dantes esse vehementer suspe- 23
ctos de Fide, quia præsumuntur parùm curare de iniuriâ, quæ sine dubio fiet ab illis, quasi non credant ipsi catolici magno honore, & reuerentia esse digna huiusmodi pignora. Dixi cap. 25. num. 16. Quare in his locis Inquisitores mandant Bancherijs, vt habeant capsam duabus Clauibus munitam, quarum vna sit apud Hebræum, altera apud Christianum virum prudentem, & irreprehensibilem, ad quem solum spectet, huiusmodi res spirituales mittere in capsam, & tempore debito extrahere pignora præsente Hebræo.

Quæritur 5. An Iudæi conspurcantes sacras Imagines, Cruces, Calices in eis quoq. bibentes sint puniendi ab Inquisitoribus?

℞. Affirmatiuè, quia vilipendunt miste- 24
ria nostræ Fidei. Deducitur ex 4. casu ibi: *Et alias huiusmodi Blasphemias, quæ per se hæretica dici solent in Christianæ Fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerint*. Si enim blasphemus verbo est subiectus, à fortiori qui facto, & opere blasphemat, cum delictum sit execrabilius. Ita *ex Azeuedo lib. 1. Regiar. const. tit. 1. leg. 3. num. 9. Carena par. 2. tit. 14 num. 35.*

Quæritur 6. An Iudæus cognoscens carnaliter Christianam, & vice versa Christianus iudæam, puniantur ab Inquisitore?

℞. Ne-

25 ℞. Negatiuè. Ita respondit S. Congr. huius sacri Tribunalis Inquisitori Regij teste occulari *Ciarlin.cap.42.num 61.ex eo Carena num.* 13. quia commercium carnale ex natura rei nihil commune habet cum hæresi, vel eius suspicione, ratione cuius fiat de foro S. Officij. Procedit de quacunq; specie fornicationis. Quare huius delicti punitio spectabit ad ordinarium loci, si sit adulterium, vel incestus, aut sacrilegium; si verò simplex fornicatio sit, procedit, Iudex laicus, vt docet Surdus consil. 497. num. 8. intellige, nisi Episcopus sibi reseruauerit copulam inter personas Christianam, & Hebræam; tunc enim persona acusata est punienda ab Episcopo, quia illi facta est subdita transgrediendo suum decretum. Quòd si non adsit reseruatio, non video cur Ordinarius possit punire fornicariam vtranq; personam, & non Inquisitor, cum alia ratio assignari non possit nisi contemptus nostræ Religionis.

Carena citatus commendat Marium Mutā Siculū contra dictū Surdum probantem adesse potestatem in Ecclesiâ, super Iudæos, & alios infideles, ex Psalmo 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi*. Vbi Glos. ait, quòd omnia dixit, quia nec terrestria, nec cælestia dimisit; per oues intelliguntur Christiani, per bestias, & vniuersa pecora campi alij infideles, qui quamuis quò ad pastum non sint sub Pastore, quia carent Baptismo, sunt tamen subiecti quo ad dominium ratione domicilij, contractus, & delicti. Non inuenio hanc explicationem in Glosa super dictum Psalmum nec de bestijs ibi sermo est in genere. Quòd autem Papa sit dominus non solùm quò ad pastum, sed etiam quò ad iurisdictionem temporalem, quia vtrunq; gladium habet super omnes homines vbique terrarum multis probaui in meo Sacro Tribun. cap. 2. & 5.

Quæritur 7. An corrumpentes libros Sacræ Scripturæ, vel Sanctorum Patrum puniri possint ab Inquisitoribus?

26 ℞. Affirmatiuè, quia huiusmodi actiones sunt in vilipendium Religionis Christianæ, nam Sacra Biblia est fundamentum eorum, quæ de Fide agnoscimus. Ita *Lazar. de Blasphem cap. 2. num. 33. Carena par. 2. tit. 14. num. 36.*

Quæritur 8. An inuenti cum libris quomodolibet prohibitis puniri possint ab Inquisitore?

27 ℞. Affirmatiuè, id enim prohibuit Clem. VIII. in sua incip. *Cura Habreorum* 20. contra Iudæos tenentes, & legentes. Libros Talmudi, & alios hactenus damnatos continentes Blasphemias, & contumelias in Deum & sanctos, reuocando licentias legendi concessas quibuscunque, & hæc Bulla afficit omnes, contra quos procedit Ordinarius, & Inquisitor sub pœnis amissionis Librorum, & publicationis omnium bonorum fisco eius Principis, in cuius ditione libri reperti fuerint applicandorum, ac alijs etiam grauioribus pœnis corporis quoq; ast lictiuis, arbitrio Diæcesani, ac etiam Inquisitoris, si inibi fuerit; nec non quò ad Christianos Excommunicationis maioris latæ sententiæ per vnumquemq. contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne huiusmodi Libros, & alia scripta superius prohibita, vt præfertur, retinere habere, legere, edere typis mandare, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare possint. Sunt verba eiusdem Bullæ, quę nō disponit super omnibus libris prohibitis, sed tantùm de Libris, quæ pertinent ad Thalmutum, vt patet ex tenore Bullæ. Hihilominus si inueniuntur cum alijs Libris quomodolibet prohibitis puniri possunt, quia per eos fideles inficere possunt. 28

Quæritur 9. An Christianus Medicus possit seruire infirmo Iudæo, & e contra Iudæus Catolico?

℞. Paulus IV. in suâ incip. *Cum nimis* 3. sub §. 10. sic disponitur: *Et qui ex eis Medici fuerint, etiam vocati, & rogati ad curam Christianorum accedere, aut illi interesse nequeant*. Sunt leges in statu ecclesiastico seruandæ à Iudæis ibi degentibus. Ratio huius prohibitionis est, quia à Medico monendi sunt de confessione facienda infirmi, ne pereant sine Sacramentis, sic mandauit Pius V. Bulla 3. à Iudæis autem non admonentur, ergo illi vocandi non sunt. Quare Gregorius XIII. in sua incip. *Alias 68.* dicit: *Interdicimus ne post hac, Iudæos, vel alios infideles ad ipsorum Christianorum ægrotantium, & infirmorum curam vocent, seu admittant, aut vocari admittiue faciant, concedant, vel permittant* Excipe casus necessitatis iuxta dicta de Medico Hæretico præced. sect. num. 23. Vide Nildum V. Medicus. 29

Quæritur 10. An intrantes in Sinagogas, & Meschitas iudeorum, & Infidelium sint Rei alicuius censuræ, vel alterius pœnæ?

℞. Negatiuè; tamen puniri ab Inquisitoribus, & prohibentur ingredi etiam ex curiositate, eo magis tempore, quo orant congregati audientes eorum Psalmodiam cum periculo subuersionis circa mysteria Messiæ, quem ipsi venturum expectant; occasionem enim ex hoc accipiunt dubitandi circa Incarnationem, ac proinde meritò Inquisitores id prohibent. 30

Quæritur 11. An Princeps, vel alij Ministri dantes officia Iudæis, seu alijs Infidelibus peccent, & subdantur Inquisitoribus?

℞. Peccant grauiter conferentes eis officia publica, quia sunt incapaces officiorum, & Iurisdictionis tum ordinariæ, tum delegatæ ex adductis per Doctores *in cap. cum sit 16. cap. Ex speciali* 18. *de* Iudæis, vbi Barbosa citat 31

citat Doctores. Casus tamen iste non pertinet ad Sanctum officium, quia agitur de re merè temporali, ex cuius vsu nec suspicio contra Religionem Christianam deduci potest.

Quæritur 12. An Christianus particeps in prædictis delictis cum Iudæis sit suspectus de Hæresi?

32 ℟. Affirmatiuè, quia esto Iudæus, seu Paganus, seu aliter Infidelis non sit capax huius delicti, quia non sunt Paptizati, tamen quia delinquit contra Religionem Catolicam, & misteria Fidei, punitur ab Inquisitore, cuius officium est seruare inuiolatam sanctam Religionem à calummijs peruersorum hominum, ideo punit illos; à fortiori Catolicos, qui cum illis sunt participes huiusmodi delictorum, de quibus in Bulla Gregorij XIII. puniendi sunt vt suspecti de Hæresi & quidem vehementi ob delictum cum illis perpetratum; excipe tamen casus meræ seruitutis Famuli, Medici, & Nutricis.

Quæritur 13. An Iudeus, & Paganus cogendi sint ad abiurandum?

33 ℟. Si negant ea, quæ clara sunt in Sacrà Bibliâ veteris Testamenti, quæ profitentur secundum suos ritus cogendi sunt ad abiurandum, quia sicut abiurat baptizatus, quæ negat de vtroq; Testamento satis clara, & manifesta, & quidem formaliter; ita & Iudeus abiurare debet, quæ dixit contra fidem Veteris Testamenti. Vt si neget aliquid eorum, quæ expressa sunt in casu 1. 2. 3. & 8. communia nobis, & illis. Cogendi ergo sunt ad abiurandum; expedit enim hoc nostræ Fidei, quæ cognoscit veritatem infallibilem in vtroq; testamento, vt non euacuetur, sed immaculata continuò maneat. Ita *Direct. par. 2 q. 46. num. 16. ibidem Pegna, Locatus V. inuocare §. Vltimo, Carena par. 2. tit. 14 num. 40. Dal Bene Dub.* 207. *Petit.* 3.

Abiurat autem similibus verbis: *Ego N. Sacrosancta Dei lege positâ coram me, & manibus meis tactâ, iuro me credere corde, & profiteor ore, illam veritatem, ac fidem, quam Lex Dei sacrosancta docet; ac in primis Deum esse inuocandum, solumq; adorandum, & per consequens detestor eum errorem, qui dicit, Dæmonem esse inuocandum, eiq. diuinum honorem tribuendum.* Hanc formam abiurationis, Dal Bene transcripsit ex Pegna prope finem dicti comment. 71. Abiurat autem duobus modis, primò formaliter e.g. si negat omnipotentiam in Deo, si affirmat Dæmonem esse colendum &c. Secundò de vehementi, si Bibliam Veteris testamenti lacerauit, &c. Fidem autem Euangelij non est professus, ideo negans ea, quæ in Testamento nouo leguntur, non cogitur ad abiurandum, quia ea professus non fuit, ideo de his obloquens punitur seuerè sine abiuratione; in Pagano verò nulla abiuratio locum habet, quia nihil promisit, nihil de sacris profitetur.

Quæritur 14. An Inquisitor sine Episcopo procedat in causis prædictorum?

℟. Negatiuè, quia vt colligitur ex cap. 34
Per hoc 17. de hæret. in 6. quando Papa committit aliquid Inquisitoribus, non excludit Ordinarios, quia sunt Iudices in causis fidei ex officio suo, antequam essent ipsi Inquisitores, qui non Ordinarij, sed vt delegati procedunt in causis Fidei. Ita *Pegna par.* 2. *com.* 69. *Farinac. q.* 178. *num.* 147. Carena par. 2. tit. 14. num. 44.

Quæritur 15. An Iudæi transeuntes ad aliam Sectam relictâ propriâ, in quâ circuncisi sunt, ex hoc puniri possint, & cogi ad Abiurationem?

℟. Ad vtrunq; affirmatiuè. Tum quia 35
punitur, si agat contra primum casum Bullæ Gregorianæ relatum sub num. 8. Sed transeundo agit, quia negat plura veteris Testamenti. Tum quia per talem transitum profitetur sectam ad quam transit, esse meliorem Iudaismo, quod est omninò falsum, & execrabile, cum Lex Dei sit immaculata conuertens animas, meritò igitur puniendus est. Ita *Campeg. ad Zanchinum de haret. cap. 36. litera B. fine, dal Bene Dub.* 207. *Petit.* 4. *Salel lib. 1. cap. 11. n. 133. Diana par. 4. tract. 7. resol. 2.* Contra Decianum *lib. 5. cap. 11. num. 34. Sousam lib. 1. cap. 37. num. 27. Farinac. q.* 178. *num.* 132. Nullam rationem adducunt, ideo dimittuntur sine labore.

Quæritur 16. Quibus pœnis afficiantur Iudæi, & Pagani transgressores Bullæ Gregorianæ, & obloquentes contra Sanctam Fidem Euangelij?

℟. In Gregorianâ mandantur puniri flagris, verberibus, triremibus etiam perpetuò, & confiscatione bonorum, si eorum delicta ita sint grauia vt mereantur tales pœnas. 36
Puniuntur etiam carceratione, priuatione conuersationis ciuilis cum Christianis, mittuntur in exilium. Ita *Zanchin. cap. 36. Zanardus de diuinis praecept tom. 1. cap. 4. Diana par. 4. tract. 7. resol. 2. Vers. Sed deueniendo. Carena par. 2. tit. 14. num. 43. Dal Bene Dub.* 207 *Petit.* 2.

Quæritur 17. An Princeps possit inuitis parentibus Iudæis, & Paganis præcipere, vt eorum Filij baptizentur.

℟. Possunt cogi, vt sinant suos infantes 37
baptizari, quia Princeps debet Zelare & exequi Ius diuinum, quod Deus habet in infantes vt baptizentur, & vt ei seruiant constituti eius speciales milites ex caractere Baptismi; ad id autem non est necessaria ipsorum infantium voluntas ex eorum incapacitate ratione ætatis infantilis, nec propriorum parentum generationis, quia in regeneratione Ecclesia instituit illis parentes patrinos, qui nomine Ecclesiæ pro eis Fidem spondent

infundendam illis in actu Baptismi.

38 Confirmatur, quia parentes quò ad hoc nullum Ius patriæ potestatis, nec dominium habent in suos Filios, nam ius patrium tendit ad bonum Filiorum, non in eorum perniciem. Ita docet Scotus cum suis *in 4. sent. dist. 4. q. 9. Vers. Dico ego*, vbi comment. rem hanc fusè tractat. *Faber ibidem disp. 15. & ego cap. 25 q. 13. num.* 30. Alij dicunt, esse baptizandum inuitis parentibus si sit in periculo mortis proximo cum Vericello de Missionib. q. 61. Sed ista exceptio est in omnibus Infidelibus, qui continuò sunt in certo periculo suæ salutis, à quo se possunt eximere per receptionem Baptismi.

A fortiori nullatenus impediri potest puer habens vsum rationis, si petat Baptismum, vt docent *Ricciul. lib. 2. cap. 33. Ciarlin. cap. 42. n. 46. Gratian. cap. 977*. In casu quo filius
39 inuito patre sit baptizatus; ab eo separandus est & educandus apud Christianos. Adulti tamen cogendi non sunt ad Baptismum, quia
40 Deus neminem inuitũ recipit in suã familiã, sed eligit sibi militem voluntarium, *cap. Non est 10. 15. q. 1. Scotus in 4. dist. 4. q. 4. Vers. de tertio*, dicit, nullum esse Baptismum collatum nolenti illum simpliciter; valere verò si illum recipiat ex metu; quia illud vult virtualiter, ita quòd sufficit intentio virtualis, in quo sensu intelligendum est cap. De Iu-
41 deis dist. 46. vbi quòd. Princeps si rebutus vissit, vt cogerentur Iudæi ad Baptismum, & sic receperunt illud validè, licet non fructuose, & colligitur ex cap. 3. de Baptismo.

Quæritur 18 Iudæi, seu Pagani Baptizati cuiusnam patriæ, & progeniæi dican-
42 tur?

℞. Patriæ vbi nati sunt, si ibidem renascuntur, aliter sunt illius loci, vbi Sacramentum Baptismi recipiunt, nobiles autem non sunt à natalibus, quia Iudæi carent nobilitate, *l. Hac valitura, ibi: Habeatur vt ante C. de Iudæis, Rota par. 2. dec. 249 num. 2.* Sed sic cum regeneratur ex aquà, & spiritu sancto, non enim amplius consideratur qualis fuerat, vt dicitur cap. Ferrum 18. dist. 50. hisce: *Non ergo in eo debet despici, quod fuit, quia iam incipit esse, quod non fuit* verus siquidem catolicus est, licet neophitus, qui de recenti est baptizatus, liber est, nobilis est, quia miles Christi est.

SECTIO LIII.

De Edentibus carnes diebus prohibitis.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium excludit comestionem carnium.*

2 *Diebus Dominicis, & Iouis erat prohibitum Ieiunium.*

3 *Ieiunabatur diebus Veneris, & Sabbati, remansit abstinentia quò ad carnes.*

4 *Lacticinia prohibita in Quadragessima; extra vtuntur illis Lombardi.*

6 *Iudex in his Inquisitor.*

6 *Cum Episcopo, qui & ipse vocatur.*

7 *Inquisitor ordinarius in causis Fidei.*

8 *Comedens suspectus vehementer.*

9 *Faciens opus laudatum ab Hæreticis præsumitur Hæreticus.*

10 *Licentiam habens excusatur à suspicione.*

11 *Infirmus verè comedens carnes sine Licentià excusatur.*

12 *Necessitas non habet Legem.*

13 *Licentia non petitur ab Inquisitore.*

14 *Commedens simul cum carne pisces non subditur.*

15 *Egrotus probat suam infirmitatem.*

16 *Non enim presumitur, cum nullus nascatur ægrotus.*

17 *Multis modis probatur.*

18 *Tortura, & Abiuratio locum hic habent.*

CErtum est, quod Ieiunium stare non potest simul cum esu carnium cum illas excludat à se Ieiunium, hinc est, quòd antiquitus Christiani cum ieiunarent diebus Veneris, & Sabbati, in memoriam mortis Christi, & sepulturæ eius venerationem, consequenter illis diebus abstinebant à carnibus; processu tamen temporis Ieiunium abijt in dissuetudinem, & remansit obligatio abstinendi à carnibus. Diebus verò Dominicis, 2

&

& Iouis prohibetur ieiunium, quia illis diebus lætandum propter resurrectionem Domini Iesu Christi, qui resurrexit die Dominico & die Iouis ascendit in Cœlum. De his vide cap. 11. 13. 14. 15. & 16. dist. 3. de consecr.

Certum ergo est interdictam esse comestionem carnis illis diebus, quibus ieiunatur,
3 & vlterius per totam Quadragesimam etiam prohibetur vsus lacticiniorum, hoc est butiri, casei, lactis, & ouorum, vt docent omnes ex cap. Denique dist. 4. *Canonistæ in Rubr. de obseruat. ieiun.* quos magno numero congerit Pasqualig. dec. 71. de Ieiunio, corrigendo se de eo, quod antea dixerat, referendo oppositam opinionem fuisse reiectam à Congregatione S. Officij. Verum quidem est, quòd in nostris partibus Lombardiæ extra Quadragesimam in alijs Ieiunijs admittuntur
4 lacticinia ex antiquissimâ, & probatissimâ consuetudine, quia hæc abundant, & pisces non superfluunt. His præmissis.

Quæritur 1. An comedentes carnem, & lacticinia in diebus Ieiunij Quadragesimalis, & eius Dominicis, atq; diebus Veneris, & Sabbati extra Ieiunium puniantur in S. Officio?

5 ℞. Affirmatiuè, quia non solùm Hæretici, sed etiam suspecti de Hæresi Puniuntur in S. Officio; tales sunt comedentes carnes, seu lacticinia illis diebus, scilicet Hæretici, si credunt id licere, vel saltem suspecti de Hæresi, vt probabo infra, ergo subduntur S. Officio. Ita *Repertorium V. Cognoscere Vers. sed an Iudex*, *cum alijs* Farinac. *q.* 178. *num.* 80. *Carena par.* 2. *tit.* 15. *num.* 11. *Genuens. cap.* 18. *num.* 11. *Salelles Reg.* 150. *num.* 141.

An solus Inquisitor, an cum Episcopo? Cum hoc, quia ille causas S. Officij expedi-
6 re non potest sine hoc, *Clem.* 1. *de Hæres.* Est enim & ipse Episcopus Inquisitor in causis Fidei, *Glos. V. Quadragesimam Clem. No-*
7 *lentes* 2. *eod.* Et quidem Ordinarius, antiquior, & maior; ante enim institutionem Regularium mendicantium erant Episcopi, qui ex officio puniebant Hæreticos, & alios de Hæresi suspectos, catolicam Fidem immaculatam tuentes.

Quæritur 2. An prædicta comedentes illis diebus sint suspecti de Hæresi, & qualiter?

8 ℞. Est suspectus de Hæresi, & quidem vehementer, si pluries conuincitur comedisse, & reprehensus non obediuit. Primum probatur de Suspicione, quia ille est suspectus de Hæresi, qui facit opus malum, quod pro non malo habetur ab Hæreticis, inquit Sotus *in Relect. de Hæresi*, & sic ab eis laudatur; certum autem est, quòd Hæ-
9 retici nonnulli omni die carnes comedunt sine aliquo delectu, quos vocant Insabbatati ex factione Valdensium. *Prateolus in Elencho hæreticorum V. insabbatati num.* 4. Quem errorem probauit Luterus apud eundem Prateolum V. Luterus num. 5. Ergo commedens carnes præsumitur approbare tali facto hunc hæreticorum errorē. Et ita docēt *Repertorium cit.* Pegna *par.* 3. *com.* 24. *Vers. Ecclesiastica* Farinac. *q.* 178. *num.* 80. *cum alijs* Carena *par.* 2 *tit.* 15. *num.* 2.

Secundum probatur de vehementi Suspicione in eo, qui reprehensus non se correxit, & est malæ famæ, & sæpius comedit, hæc enim simul sumpta arguunt in comedente vehementem Hæresis suspicionem. Et id pluribus suadet Carena *num.* 8. *ex* Pegna, qui ambo ita docent, quos sequitur *Genuens. cap.* 18. *Vers. Comedentes carnes*, Salelles *Reg.* 150. *num.* 142. *Reg.* 396. *num.* 461. *& Reg.* 503. *à num.* 428. *ad* 442.

Quæritur 3. An licentiam habens comedendi cibos prohibitos excusetur à suspicione Hæresis? & Qualis debeat esse hæc Licentia?

℞. Excusatur, quia per Licentiam legiti- 10
mam tollitur suspicio, sicut aufertur peccatum; siquidem probatur credere sine licentiâ esse peccatum comedere vetita, ac proinde cum sentiat contrarium Hæreticis, non potest præsumi ipsum sentire cum illis. Sufficit autem quod licentia detur à Medico etiam ore tenus, quò ad tollendam suspicionem; quò ad peccatū debet esse signata ab Episcop. qui solet delegare hanc dispensationē in Ciuitate, & Diæcesi certis Sacerdotibus viris peritis. Et si constat de infirmitate, nulla extante licentiâ, in hoc casu quoq; est immunis a peccato, & suspicione, quia necessitas legem non habet, vt in proposito dicitur *cap.* 11
2. *de Obseruat. ieiun.* Et ita docent *Parisius Vol.* 4. *consil.* 169. *num.* 61. *Bonac. de legib.* 12
disp. 10. *q.* 1. *p.* 2. *Carena par.* 2. *tit.* 15. *num.* 6. Hanc licentiam non est necessarium petere ab Inquisitore, quia nullibi id præscribitur.

Quæritur 4. An puniri possit ab Inquisi- 13
tore denuntiatus, quòd simul cum carne comederit etiam pisces, non obstante Licentiâ comedendi carnes, quæ videtur nulla, cum detur ad tuendam sanitatem, quam inficit comestio piscium?

℞. Negatiuè, quia non comestio piscium, 14
sed carnium inducit suspicionem Hæresis in eo, qui caret Licentiâ comedendi carnes, sed hic habet Licentiam comedendi carnes, ergo suspectus non est respectu huius, neq. respectu piscium, quia illi non sunt prohibiti, nisi virtute temperantiæ, quando illi sunt valde nociui, ergo nullo modo puniri potest in S. Officio, cum ex his comestionibus non fuerit factus suspectus de Hæresi.

Rem hanc fusè tractat Carena part. 2. tit. 15. n. 12. & *Salel. Reg.* 396. *n.* 481. *ad* 488. Referendo diuersorum opiniones, Nauaræ Grafii, asserentium miscentes pisces cum carnibus

peccare mortaliter; & aliorum id negantium, quia nõ renunciauit iuri suo comedendi pisces; cum Licentia carnium non sit prohibitiua piscium, imo renunciare priuilegio huius Licentiæ & comedere pisces nunquã prohibitos, nisi in casu intemperantiæ vel vitio gulæ, potest, quandocunque vult.

Quęritur 5. An infirmus probet suam infirmitatem, quando caret licentiâ Medici vt non puniatur ab Inquisitore?

15 ℞. Affirmatiuè, quia cum intendat se eximere à Iudicio huius sacri Tribunalis fundando suam intentionem super infirmitate, quæ
16 non præsumitur, quia cum ea homo non nascitur *Decius Cons. 522. num. 6. Borgn. dec. 7. num. 15 Vol. 2.* hanc probare debet, *Mascard. Concl. 1295. Pacian. lib. 1. de Probat. tit. 54. num. 8.*

Infirmitas autem probatur attestatione Medici per testes de familiâ, qui seruierunt ægro-
17 to, per Iuramentum Infirmi, & per aspectum corporis infirmi. Ita Doctoribus citatis *Carena par. 2. tit. 15. num. 14.* Adde tu & per Sacerdotem, qui ęgroto Sacramenta ministrauit.

Quæritur 6. An hic locum habeat Tortura, & Abiuratio?

18 ℞. Affirmatiuè; Tortura si negat delictum, vel prauam Intentionem; sed solùm, quando probatur vehementer suspectus, non si leuiter; Abiuratio verò sequitur gradum suspicionis. Deniq. pœnis Ieiuniorum expediendi, vt puniantur in eo, in quo peccauerunt. Ita Carena num. 15.

Quæritur 7. An paruitas materiæ in comestione prohibitorum excuset à mortali, & suspicione hæresis? vt si quis ederet tantillum carnis,

19 ℞. Quamuis in foro Conscientiæ à multis excusetur vt docet cum illis Dian. par. 5. trac. 5. res. 32. Nihilominus in Foro externo Iudex in causis Fidei præsumet illum malè sentire de delectu ciborũ, quod scilicet non prohibeantur; sed eorum esum esse licitum in errore hereticorum, ad hanc enim presumptionem sufficit quilibet actus externus, cum non minus indicet suspicionem modica, quàm magna comestio, est enim actus comestionis vt sic, qui arguit suspicionem. Faciunt quæ dixi Cap. 12. num. 24. in sacro Tribunali.

SECTIO LIV.

De Insordescentiâ in Excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Insordescentia est permansio obstinata in Excommunicatione, vel ob causam Fidei, vel ob aliam causam.*

2 *Tempus vnius anni in insordescentiâ incipit à die declaratæ incursionis Excommunicationis.*

3 *Annus vnus debet esse continuatus, & completus in perseuerando in Excommunicatione sine impedimento, sed voluntariè.*

4 Per, *importat continuationem sine interruptione.*

5 *Pertinax debet manere per annum in Excommunicatione non petendo Absolutionem, licet possit obtinere eam.*

6 *Insordescens dicitur finito anno, si neglexit Absolutionem.*

7 *Suspectus vehementer de Hæresi insordescens ex causâ Fidei; ex alijs causis solùm leuiter.*

8 *Inquisitor procedit in priori casu, non in posteriori.*

9 Tamquam, *significat impropriè.*

10 *Sententia alia definitiua, alia contumacialis, & eius effectus.*

11 *Condemnatus habet Ius infra annum probandi suam innocentiam.*

12 *Condemnatus vt Hæreticus, non tamen punitur vt Hæreticus, sed vt suspectus de Hæresi.*

13 *Sententia enim contumacialis non probat ipsum esse Hæreticum.*

14 Velut, *non importat veritatem, sed quandam similitudinem, non proprietatem.*

15 *Legitimum impedimentum excusat ab Insordescentiâ.*

16 Tæque absoluentes *non prodest insordescenti.*

17 *Priuatur Beneficijs, si delictum id exigat, Insordescentiâ non.*

Insor-

1 INfordefcentia eft perfeuerantia in Excommunicatione per annum negligendo Abfolutionem ab illâ; eft autem duplex, vna incurritur ex causâ Fidei, altera ex alijs caufis extra Fidem, de priori potiffimùm hìc agendum eft, pro cuius ampliori explicatione.

Quæritur 1. Quandonam incipiat hìc annus, quo excommunicatus dicitur permanere in Excommunicatione, & fieri in ea infordefcens?

2 ℞. Non incipit ab ipfo die, quo incidit in Excommunicationem inobediens citatus ab Inquifitore ad refpondendum de Fide, & non comparens; fed à declaratione, quòd inciderit in Excommunicationem, quia non comparuit infra tempus præfixum, quia fic denuntiatus excommunicatus incipit habere notitiam fe effe excommunicatum, quia non paruit præcepto, & citationi fibi factæ à Iudice S.Officij. Ita *Albertinus in Rubr. de haret. in 6. q. 13. num. 35. ex eo Farin. q. 192. num. 29. Riccius par. 3. refol. 216. Carena par. 2. tit. 8. num. 5. Salelles Reg. 148. num. 69. & 85. Reg. 354. num. 224 Dal Bene Dub. 211. num. 4.* Ipfe dies declarationis non facit numerum, fed computatio incipit à fequenti die currere, quia dies termini non computantur in termino, ex vulgatis Iuribus.

Quæritur 2. An hoc tempus vnius anni debeat effe continuus, & completus, vt dicatur infordefcere, & permanere in cenfura?

3 ℞. Affirmatiuè, ex cap. *cum contumacia 7. de Har. in 6. & in cap. 13. de Haret. vbi Barb. num. 15. Quam* fcilicet excommunicationem, *fi per annum animo fuftineat pertinaci*. Illud enim Per importat duo; comple-
4 mentum, & in eo continuationem fine interruptione, *ex allegatis à Barb. Dict. has 250. num. 2. & 3.* Ita docent omnes, *Seraph. bin. dec. 1285. num. 5. Ricciul. lib. 4. cap. 8 num. 1. Carena par. 2. tit. 8. num. 3. Salelles Reg. 148. num. 83. Reg. 354. num. 223. Barb. hic num. 3. Dal Bene Dub. 211. num. 6.* Quare fi infra annum compareat, & obtineat Abfolutionem etiam fub conditione reincidentiæ; efto reincidat, non amplius dicitur infordefcere, tunc enim tempus preteritum non computatur, fed annus incipit ab illâ interruptione; ita præcitati.

Quæritur 3. An ad hanc Infordefcentiam requiratur pertinacia in excommunicato permanendi in eâ?

5 ℞. Affirmatiuè, vt colligitur ex cit. cap. Cum contumacia 7. de hæret. in 6. ibi: *Animo fuftineat pertinaci*, quod importat contemptum contra poteftatem ecclefiafticam circa Cenfuras, eas parui pendendo. Ita *Farin. decif. Rota crimin. 196. num. 2. & 3. & dec. 181. num. 2. Barb. hic num. 4. Carena num. 6.* Duo autem funt probanda vt infordefcens poffit puniri; perfiftentia continua in Excommunicatione, & hæc pertinacia cum contemptu clauium. Ita *Rota par. 1. dec. 132. Ricciul. lib. 4. cap. 8. num. 3. Carena num. 6. Riccius par. 3. refol. 212.*

Quæritur 4. Quis dicatur ex causâ Fidei infordefcere in Excommunicatione?

℞. Ille, qui eft denuntiatus in S. Officio 6
fuper aliquo delicto, quod arguit fufpicionem Hærefis, fiue vehementem, fiue leuem; citatus fub pœna Excommunicationis latæ fententiæ ad refpondendum non comparens infra terminum præfixum, excommunicatus eft, & fi non curat obedire, nec quærit Abfolutionem ab ipfo Inquifitore, vel eius Superiore, incipit à declaratione Excommunicationis infordefcere in ea ex causâ Fidei, & finito anno dicitur infordefcens abfolutè. Ita colligunt Doctores ex præcitato *cap. cum contumacia 7. de Haret in 6.* licet de verbo *infordefcere* nihil dicatur in textu, eft enim inuentum Doctorum tale verbum quo Tridentinum vtitur feff. 25. cap. 3. Ita docent *allegati à Farinac. q. 192. num. 31. Dal Bene Dub. 211. à num. 21.*

Quæritur 5. An fit fufpectus de Hærefi, & qualiter, citatus fiue ex causâ Fidei, fiue ex aliâ causâ non comparens fuftinens Excommunicationem contra fe latam?

℞. Eft fufpectus de Hærefi ob infordefcentiam in vtroque cafu; in caufa Fidei eft 7
fufpectus vehementer, cap. cum contumacia 7. de Hærefi in 6. *Cum contumacia in caufa præfertim Fidei Sufpicioni præfumptionem adijciat vehementem* ibidem Glof. Ita. *Carena num. 19. Salelles Reg. 148 num. 92. & Reg. 354. num. 236.* Ratio eft, quia in contumaciam fertur fententia contra ipfum tamquam Hæreticum, ergo præfumitur ex vehementi fufpicione, quod fit Hæreticus.

Infordefcens verò in Excommunicatione ex aliâ causâ fiue criminali, fiue ciuili, eft folùm leuiter fufpectus, vt docent præcitati, & alij fuper *Concil. feff. 25. cap. 3.* vbi dicitur, quòd contra infordefcentem ex aliâ causâ procedi poteft tamquam de Hærefi fufpectum, vbi Barb. *num. 37. citat Menochium de Arbitrar. cafu 416. num. 57.* procedere in quauis causâ tam ciuili, quàm criminali extra caufam Fidei. Ita docent *Direct. par. 2. q. 47. ibi Pegna, Salcedo ad Diaz cap. 118. n. 12. Genuenf. cap. 68. num. 8. Farin. q. 192. num. 23. cum alijs Carena num. 25. Salelles Reg. 148. num. 92. Reg. 354. num. 241. Dal Bene Dub. 211. num. 11. & 12.*

Quæritur 6. An Inquifitor poffit procedere etiam contra infordefcentem ex aliâ causâ, quàm hærefis.

℞. Id non eft in vfu, vt docent omnes cum 8
Peg. part. 2. com. 72. Verf. ex receptâ *Scaccia* de Iudic. cap. 98. n. 36. *Carena par. 2. tit. 8. nu. 18. Salelles Reg. 148. num. 90. & Reg. 354. num.*

num. 231. Sed variat, si eius dicta conferantur, *Dal Bene Dub.* 211. *num.* 15. *Riccius par.* 3. *resol.* 215. Ratio, cur Inquisitores non se ingerant ea est, quia Concilium eo Cap. 3. Sess. 25. non dicit absolutè, quòd sic insordescens ex aliâ causâ, quàm Hæresis, sit suspectus de Hæresi, sed quòd tamquam suspectus de Hæresi puniendus est. Verba concilij sunt ista: Excomunicatus verò quicumq. si post legitimas monitiones non *resipuerit, non solùm ad Sacramenta, & Communionem fidelium, ac familiaritatem nō recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de heresi suspectum procedi possit.*

9 Notanda est illa dictio *Tamquam*, quæ non significat propriè suspicionem hæresis, sed tantùm impropriè, vt dicunt allegati à *Barb. hac dict.* 403. *num.* 1. *Rota part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 270. *num.* 14. Meritò ergo Inquisitores in hoc casu non procedunt contra insordescentes ex alia causâ excommunicatos.

Quæritur 7. An citatus, & non comparens intra prefixum tempus habendus sit pro confesso, & pro conuicto, ac proinde sit tamquam hæreticus verus, & formalis condemnandus.

Præmitto, duplicem esse Sententiam aliam Definitiuam, aliam Contumacialem. Defini-
10 tiua est illa, per quam Reus confessus, vel conuictus legitimè, condemnatur in pænam conuenientem delicto, siue Reus sit præsens, siue absens, & si non appellat infra decendium, exequitur contra condemnatum.

Contumacialis verò est illa, quę fertur contra denuntiatum, seu querelatum potiùs ob contumaciam, quàm ob delictum nondum plenè probatùm, absentem citatum, & non comparētem intra terminum illi pręfixum ad comparendum. *Rota par.* 1. *decis* 450 *num.* 7. & *decis.* 665. *num.* 3. *Farinac. in decis. crim.* 175. & 191. lata contra absentem pręsumitur
11 contumacialis; non ob delictum, *Rota par.* 2. *dec.* 467. *num.* 2. *Farinac. dec. crim.* 175. *Rota par.* 3. *dec.* 625. *par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 376. *num.* 43. Fertur ob non paritionem, vel ob non comparitionem, *Farinac. dec. crim.* 191. *num.* 2. *Gratian. Cap.* 119. *num.* 10. Contumancialis non probat delictum, *Ottob. dec.* 186. *num.* 15. Contumacialis per comparitionem resoluitur, nisi sit etiam definitiua, *Seraph. dec.* 972. *num.* 20. *dec.* 981. *num.* 3. & *dec.* 965. *num.* 7.

Duo autem requiruntur ad hanc resolutionem; primum est, quòd condemnatus compareat infra annum à Sententiâ, *cap. Rursus.* 36. *cap. quicumq.* 37. 11. *q.* 3. & *l.* 2. *ff. de requir. Reis.* Alterum est, vt comparens se constituat, coram Iudice, & probet suam innocentiam, vt dicitur in præcitatis locis, aliter Sententia exequitur contra condemnatum; quòd si vltrà annum velit probare se innocentem, admittitur, quò ad hoc, sed non recuperat Bona, ex cit. lege. Et hæc faciunt ad rem nostram, & in his terminis. Expectatur ergo infra annum condemnatus in contumaciam ad probandum suam inocentiam; & hinc fit, quòd Sententia non exequitur contra ipsum, nisi post annum, *Seraph. dec.* 965. *num.* 13. *Farin. cons.* 14. *num.* 5. His præmissis

℞. Condemnatur sicut Hæreticus post, 12
annum, *cap. cum contumacia de heret. in* 6. *Auth. Gazzaros C. de heret* Ita docent *Farinac. q.* 192. *num.* 14. *Carena par.* 2. *tit.* 8. *num.* 11. *Salelles Reg.* 354. *num.* 237. *Dal Bene Dub.* 211. *num.* 23. Ratio est, quia habetur pro confesso, & conuicto, si non comparet infra annum ad se defendendum, vt supra dictum fuit, Riccius par. 3. resol. 210.

Quæritur 8. An taliter condemnatus si capiatur plectendus sit pænis Hæreticorum?

℞. Negatiuè, quia reuera non est propriè 13
Hæreticus, sed tantùm de hęresi suspectus non solùm ob delictum inducens suspicionem, super quo fuit denunciatus, sed etiam ob insordescentiam, quià præsumitur malè sentire de potestate Clauium, dum neglexit comparere ad respondendum, vt euitaret excomunicationis pœnam, & eius insordescentiam.

Non condemnatur vt propriè, & formaliter hæreticus, quia non constat ex actis processus esse formaliter Hæreticus neq. ex vi Sententiæ, quia delictum non probat, sed supponit illud probatum, cum non feratur nisi in confessum, vel legitimè conuictum. Et id colligitur ex ipsomet textu allegato cit. cap. Cum contumacia, extremis verbis: *Ex tunc velut* 14
Hæreticus condemnetur. Nam illa dictio *Velut* non importat veritatem, sed quandam similitudinem, nō proprietatem, vt docent alegati à *Farinac. q.* 192. *n.* 19. & quamplurimi citati *à Barb. ad cap. Excommunicamus* 13. *de Heret.* Puniendus ergo est pœnis arbitrarijs duobus consideratis nempe delicto, super quo fuit denunciatus, & insordescentiâ Censuræ.

Quæritur 9. An impedimentum legitimum excuset ab insordescentiæ pœnâ.

℞. Affirmatiuè, nam legitimum impedi- 15
mentum, & iusta causa excusat à qualibet pœnâ, si probetur *cap. Inter quatuor, de maior. cap. Significante, de pignor.* Excusatur a pœnâ contemptus, *Baldus in l. Si eum dies,* §. *Si quis ff. de arbitr.* Et à negligentiâ, *Alexander Vol.* 1. *cons.* 21. Quia impeditus non dicitur negligens, *Paris. lib.* 1. *de Resign. q.* 13. *num.* 4. Excusatur à pœnâ Contumaciæ, *Boer. Vol.* 1. *cons.* 88. *num.* 35. *cum alijs ex Riccio par.* 3. *resol.* 214. Et ita in terminis nostris *Pegna par.* 3. *com.* 174. *Salcedo ad Diaz cap.* 116. *num.* 12. *ibidem Riccius. Dal Bene Dub.* 211. *sect.* 6. *num* 7 *Farin. q.* 192. *num.* 22. *Salelles Reg.* 354. *num.* 238.

Quare impeditus etiam post annum comparens, & probans Impedimentum legitimum vt quia fuit continuo infirmus, vt captus ab

hostibus

hostibus &c.non est Reus insordescentiæ, si spontanea fuit eius comparitio, facta antequam declararetur Hæreticus, Ita *Pegna par. 3. Com. 49. Vers. Tandem addo Farinac. cit. Carena par. 2. tit. 8. num. 39.*

Quæritur 10. An clausula *Teque absoluentes* prosit impetrantibus gratiam, vel Beneficium existentibus in insordescentia Excommunicationis?

16 ℞. Negatiuè, neq. si petatur infra annum neq. multò& minus post annum Ratio est quia non operatur, nisi ad eum effectum, propter quem datur Absolutio, vt id expresè intendit Papa ibi: *Ad effectum præsentium dumtaxat* idest ad validè obtinendam gratiam, vel beneficium, ergo absolutio data à Papa vlterius non extenditur, dum ad hæc limitatur. Et quia ea absolutio datur etiam non pœnitentibus, *ex Hostiensi, & Felino apud Valerum de Differ. vtriusq. fori V. Absolutio Differ. 2. num. 5.* Ergo non tollitur pertinacia ab insordescente, Demum non tollitur ipsa Excõmunicatio, sed illa clausula suspendit impedimentum ne gratia, aut Beneficium nulliter conferatur, facta ergo collatione cessat Suspensio, & Excõmunicatio remanet cum suis effectibus, & priuationibus. Ita Carena *par. 2. tit. 8. num. 34. ad 38. Riccius par. 3. resol. 213. Dal Bene Dub. 213. Sect. 7.*

Quæritur 11. An insordescens sit priuatus Beneficijs, vel priuandus?

17 ℞. Ex vi insordescentiæ non est priuatus, quia nullibi talis pœna priuationis reperitur. Si verò crimen, propter quod fuit excõmunicatus, inferat de iure priuationem ipso facto; sine dubio erit priuatus; in quo casu cum habeatur pro confesso, est priuatus per Sententiam contumacialem; si verò delictum non inferat ipso Iure priuationem Beneficij, sed delinquens veniat priuandus; tunc poterit post contractam insordescentiam priuari, quia insordescentia probat incursionem delicti, ex ea enim oritur confessio delicti.

In casu quo delictum non infert priuationem Beneficij; nec actu, nec potentiâ insordescentia nihil operatur, cum nullo Iure sit Statutum insordescentiam inducere priuationem huius generis. Hanc doctrinam habet *Seraphin. dec.* 1285. quem omnes sequuntur *cum Ricciul. lib. 4. Cap. 7. Carena par. 2. tit. 8. num. 12. Riccius par. 3. resolut. 211. Gratian. Cap. 119. num. 10. Ventriglia Annotat. 2. §. 6. num. 18.*

Quæritur 12. Quid dicendum de Torturà, & Abiùratione contra insordescentem in Excommunicatione?

18 ℞. Tortura datur solùm neganti delictum semiplenè probatum non autem circa insordescentiam, quia de hac semper constat. Circa intentionem torquetur, probatus vehementer de eà suspectus, non autem leuiter suspectus. Abiùratio sequitur suspicionis qualitatem; ad eam autem non tenetur leuiter suspectus condamnatus extra causam Hæresis, quia insordescentia in tali causà nõ punitur ab Inquisitore, vt dixi supra sub num. 8. quia insordescens propriè non est suspectus de hæresi.

Quæritur 13. An contemnentes Censuras sine insordescentia puniri possint ab Inquisitoribus.

℞. Contemnentes Censuras, obloquendo contra illas talibus, ex quibus colligi potest præsumptio, quòd illi non credant apud Iudices ecclesiasticos esse potestatem clauium, sunt suspecti vehementer de Hæresi, ac proinde Inquisitores procedunt contra tales. Contemptus autem in his contingere potest verbis, vt si quis dicat: *Che scommunica* Che Scommunica? *Io non la stimo. Le hò in culo. Anco li scommunicati mangiano.* Et factus, vt si quis deturpet cedulones, aut ingrediatur excommunicatus Ecclesiam audiendo diuina officia cum sit excõmunicatus. Certum est deturpantes, vel lacerãtes cedulones & præfata verba proferentes puniri posse ab Inquisitoribus. Ita apud *Pegnam par. 3. Com. 24. Vers. Sunt item, M. Antonius Columna, Carena par. 2. tit. 17. a num. 7. Homob. par. 4. consult. Resp. 16. Vol. 1. Diana par. 4. tract. 8. resol. 103. cum alijs Alberghinus cap. 19. num. 3 & 4.* Obseruandum tamen est, dubitantem de nullitate Censuræ non subijci Inquisitoribus, quia non obloquitur sed quærit de valore illius ex modo, quo Iudex processit inferendo Sententiam.

SECTIO LV.

De Regularibus in causis S. Officij.

SVMMARIVM.

1 *Olim Superiores cognoscebant, nunc autem nullo modo.*

2 *Religiosi tenentur denuntiare alios quoscunq. Inquisitoribus.*

3 *Obligatus obstare minori malo, à fortiori maiori.*

4 *Dictio* Etiam *exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, & sic est ampliatiua.*

5 *Superiores non tenentur denuntiare ex vi Paulina.*

Sed

Sed per Edictum.

6 *Quod proponitur omnibus per Inquisitores.*

7 *Religiosi omnes comprehenduntur in Bullis contra se latis, nisi nominatim excipiantur.*

8 *Generales denuntiati non puniuntur ab Inquisitoribus.*

9 *Habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio sunt Iudices cum Inquisitore.*

10 *Inquisitores procedunt contra Superiores impedientes suos subditos à denuntiatione.*

11 *Pœnæ contra Superiores se ingerentes in causis S. Officij.*

12 *Sunt excommunicati, à Papa solùm absoluendi.*

13 *Edicta publicare tenentur.*

14 *Bullæ 21. sunt in Decreto Vrbani legendæ.*

15 *Feria 6 post octauam Assumptionis.*

16 *Fides lectionis Bullarum defertur Inquisitori.*

17 *Pœnæ contra Superiores non curantes, vt legantur.*

18 *Tempus lectionis prorogatur.*

19 *Superiores negligentes lectionem denuntiantur Inquisitoribus.*

20 *Non sunt tamen suspecti de Hæresi.*

21 *Vtique impedientes lectionem.*

22 *Contrahentes Matrimonium puniuntur ab Inquisitoribus.*

23 *Pœnitentiati in S. Officio priuati sunt Officijs, & inhabiles ad ea.*

24 *Priuatus officijs, non est priuatus voce actiuà,*

25 *Summarium Bullæ Alexandri VII.*

26 *Inhibentes quæstum Eleemosinarum Mendicantibus puniuntur ab Inquisitoribus.*

27 *Episcopi in odiosis non veniunt sub nomine Ordinarij.*

28 *Iuri communi non derogatur nisi cum eius expressione.*

29 *Ioannis Vigleph Hæresis contra Mendicitatem regularium.*

REgularium Superiores olim erant Iudices suorum subditorum in causis S. Officij, vt legitur apud Casarubios, & Sorbum in Compendio Priuileg. V. Inquisitor. Postmodum Alexander IV. in suà incip. *Ne commissa* 22. eos subiecit Inquisitoribus, sicut fecit. Clemens VII. in suà incip. *Cum sicut* extensa in Calce Direct. fol. 107. Pius verò IV. in suà incip. *Pastoris æterni* si idem præstitit, modò à proprijs Superioribus non sint præuenti. Demum Paulus V. in suà incip. *Romanus Pontifex* 26. reuocauit omnes facultates Superioribus quorumcunq; ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessas cognoscendi causas suorum subditorum ad officium S. Inquisitionis hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinentes. Pariter Vrbanus VIII. in suà incip. *Cum sicut accepimus* 8. in Append. Ordinauit, quòd constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catolicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam edendæ super quacunque alia omnes regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur. 1

Quæritur 1. An in his Bullis Pauli V. & Vrbani VIII. præcipiatur omnibus Religiosis, vt denuntient Inquisitoribus, seu Episcopis, non solùm alios Religiosos, siue sui ordinis, siue alterius, sed etiam Clericos, & seculares Hæreticos, vel de Hæresi suspectos?

℞. Affirmatiuè ex Bullà Pauli §. 3. *Volentes, & expressè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam ordinum huiusmodi professores de Hæresi suspectos, Inquisitoribus vel ordinarijs locorū vicinioribus liberè denuntiare; absq. eo, quod Superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere; vel quoquo modo impedire id, vel retardare audeant, vel præsumant.* Nihil de hac re in Bullà Vrbani VIII. 2

Per illa verba: *Omnes etiam Ordinum huiusmodi professores.* Probatur, quòd Religiosi debent denuntiare alios Religiosos siue sui, siue alterius ordinis, clericos, & laicos, quod significatur per eam dictionem *Etiam*, quæ exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, est enim ampliatiua, *ex allegatis à Barb. hac dict.* 112. Nomine *Religiosi*, qui debet denuntiare venit non solùm quilibet professus siue Sacerdos, siue Clericus, siue Laicus; sed etiam Tertiarius, & Nouitius; sunt enim omnes de familia, & sub nomine *Religiosi* veniunt. Dicitur *de Hæresi suspectos*, ergo non debent denuntiare Hæreticos. Id falsum est, quia si tenentur denuntiare illos, à fortiori hos, siquidem iussus obstare minori malo, à fortiori malo maiori, quod magis nocere potest. 3 4

Quæritur 2. An Generales ordinum teneantur denuntiare Hæreticos, seu de Hæresi suspec;

suspectos ex vi Bullæ Pauli, aut etiam ex vi Edictorum?

5 ℟. Ex vi Bullæ Pauli V. Superioribus, qui aliàs cognoscebant causas S. Officij, non est impositum onus denuntiandi, vt bene colligitur ex verbis in precedenti quæst. relatis, nam ibi illud verbum *Religiosi* contradistinguitur ab illis: *Absq. eo, quòd Superiores prædicti personas denuntiandas impedire &c.* Superiores suos Religiosos impedire non possunt à denuntiatione, ergo præceptum denuntiandi refertur solùm ad subditos, & non extenditur ad Superiores. Vtique ex Bullà Alexandri VII. infra num. 25.

6 Quò ad Edictum dico. Omnes Superiores regulares, etiam Generalis debet denuntiare quoscunq; Hæreticos, seu de Hæresi suspectos, etiam suos subditos, vt probaui sect. 18. q. 8 num. 20. licet ibi eos non nominauerim in proprijs terminis. Reuoco, quod in contrarium dixi in Sacro Tribun. cap. 27. num. 24. Vbi sub num. 19. confirmo, quæ dixi contra Bonacinam.

Quæritur 3. Quomodo intelligenda sunt Vrbani VIII. hæc verba: *Edendæ verò in posterum per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros tàm in fauorem prefatæ Fidei Catolicæ illiusq. propagationis, & S. Officij Inquisitionis prefati quàm super quacunq. alia re, negotio, seu materia, constitutiones dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter omnino comprehendant Regulares, nisi expressè excipiantur.*

7 ℟. Constitutiones editæ post annum 1631. die quinta Nouembris, & in futurum edendæ, quæ loquuntur de Religiosis, omnes afficiunt, cuiuscunq. sint ordinis, congregationis, seu Instituti, siue in eis agatur de causis S. Inquisitionis, siue de alijs materijs; ità quòd omnes Regulares sub illis comprehenduntur, nisi expressè excipiantur, nominibus, & nuncupationibus proprijs e. g. Exceptis Monachis S. Benedicti, exceptis Societatis Iesu; exceptis Mendicantibus S. Dominici &c. Quidam enim habebant certa priuilegia, vt non comprehenderentur in ordinationibus Apostolicis, nisi proprià denominatione exprimerentur, ad quod Vrbanus VIII. hac Bulla prouidit, æqua lance omnes feriens, & subijciens in posterum constitutionibus edendis. Dixi etiam cap. 27. q. 6.

Quæritur 4. An Generales iudicentur ab Inquisitoribus, & Episcopis in causis Fidei?

8 ℟. Sunt quidem denuntiandi, sed Inquisitores non possunt procedere contra illos, debent enim negotium referre ad Papam, seu Tribunal supremum S. Fidei, vt colligo ex cap. Inquisitionis 16. de Hæret. in 6. illis verbis: *Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios Superiores Prælatos, sciuerint, vel inuenerint circa crimen Hæresis commisisse, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ denuntiare.* Ita Farinac. *q.* 186. *num.* 28. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 81. *art.* 1. *Vers. Aduertendum*, *Trimarch de Solicitat. disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 39.

Neque huic responso obijci possunt præfatæ Bullæ Paulina, & Vrbana, quia nihil disponunt circa hoc; sed tantùm reuocant priuilegia, quæ Regulares habebant cognoscendi suos subditos in causis Hæresis, & disposuit Paulus V. vt Religiosi denuntiarent Hæreticos, vel de Hæresi suspectos etiam suos Religiosos, non Superiores, vt visum fuit sub q. 2.

Quæritur 5. An Superiores regulares habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem in ecclesiasticos, & laicos cum suo territorio possint cognoscere causas S. Officij, sicut facit Episcopus cum Inquisitore?

℟. Affirmatiuè, quia tales Prælati sunt 9
Ordinarij locorum, & æquiparantur Episcopis, ita quòd illi habent cognitionem omnium causarum tàm Criminalium, quàm ciuilium in suis territorijs, sicut habent Episcopi, *ex cap. In singulis de statu monach. cap. Abbates, de priuileg. in 6. Rota apud Tambur. tom. 3. dec* 41. Ita in his terminis *Carena par.* 2. *tit.* 17 *num* 35. *Vers. Ita tamen*. Præcedunt Inquisitoribus.

Quæritur 6. An Inquisitores possint procedere contra Superiores regulares impedientes, ne suos Religiosos denuntient in S. Officio?

℟. Affirmatiuè, quia offendunt Officium 10
S. Inquisitionis, vt colligitur ex Paulinà, cuius verba retuli sub q. 1. excluduntur Generales ex q. 8. Ita Carena *par.* 2. *tit.* 17. *num.* 35. *vers Pari modo*. Non tamen est Reus Bullæ *Si de protegendis*, vt dixi sect. 19. q. 27. num. 73. Est vero suspectus de Hæresi, si enim non denuncians est suspectus sect. 18. q. 36. num. 74. à fortiori impediens denuntiationem, quod magis patet in sequenti quæstione.

Quæritur 7. Quibus pœnis plectantur Superiores regulares transgressores Bullæ Pauli V.?

℟. His, quæ exprimuntur in eius Bullà 11
sub §. 6. hisce verbis: *Quod si Generales, aliq. prædicti præsentibus litteris non paruerint, eos omnes priuationis quaruncunq. dignitatum, seu prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ & passiuæ, perpetuaq. inhabilitatis ad easdem; necnon contra fautores Hæreticorum, & impeditores Officij statutas, & inflictas pœnas, aliasq. censuras ecclesiasticas, etiam Excommunica-*
tionis maioris latæ Sententiæ, à qua nonnisi à 12
Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse. Nota hic quòd Superiores non

parentes ijs, quæ illis præcipiuntur in Paulinâ sunt Rei harum pœnarum, non verò subditi, vt patet ex illis verbis. *Generales, aliÿque prædicti non paruerint*, quæ important similitudinem in officijs, argumento eorum, quæ habet *Rota par. 4. tom. 1. dec. 444. & tom. 3. dec. 194. num* 8. Vnde verbum *prædicti* restringit ad superiores cum exclusione aliorum, qui superiores non sunt; & hoc videtur certum, quia pœnæ sunt proportionatæ superioribus, non subditis, qui carent dignitatibus, & prælaturis. Ita videtur sentire Carena *par. 2. tit. 17 num. 35. vers. Pari modo ex* Bonac. *de censur. in particul. disp. 2. q. 9. p. 7. num.* 4. Qui Superiores subiecit prædictis pœnis non denuntiantibus, quod tamen mihi non placet, cum referantur ad eosdem solùm, quando se ingerunt in causis Hæresis; vel non desistunt à causis cæptis, vel non consignant processus Inquisitoribus, vel demum quando impediunt, vel retardant subditos à denuntiatione; non autem si ipsi non denuntiant.

Quæritur 8. An Superiores Regulares teneantur publicare Edicta S. Officij suis subditis, cum ad eos transmittuntur.

13 ℞. Affirmatiuè, quia ita exprimitur in ipso Edicto, tamen huiusmodi publicatio solet fieri sola eius affixione in Sacristia, siquidem illud virtualiter, & æquiualenter intelligitur publicatum per Bullas, quæ singulis annis leguntur, de quibus infrà sequenti quæstione.

Quæritur 9. De Bullis S. Inquisitionis legendis singulis annis apud Regulares in Decreto Vrbani VIII. incip. *Sanctissimus*.

14 ℞. Sunt XXI, Prima Iulij III. *Licet a diuersis*. Contra impedientes Inquisitores, aut se ingerentes in eorum officio, & causis. Secunda Pij V. *Si de protegendis*, contra molestantes Officiales huius Tribunalis, & Officij scripturas, & res diripientes Dixi sect. 19. Tertia Pij IV. *Cum sicut nuper*, de Solicitatione in Confessione. Dixi sect. 25. Quarta Gregorij XV. *Vniuersi dominici gregis* 34. De quà sub eadem sect. 25. Quinta Gregorij XIII. *Officij nostri partes*. 21. contra non Sacerdotes celebrantes Missam, & ministrantes Sacramentum Pœnitentiæ; Dixi de celebrante sect. 22. de absoluente sect. 23. Sexta Clementis VIII. *Et si aliàs* 81. declaratoria pœnarum contra predictos non Sacerdotes. Septima Vrbani VIII. *Apostolatus officium*, de pœna mortis contra eosdem excedentes annum vigesimum ætatis. Octaua Sixti V. *Cœli, & Terræ* 17. contra Astrologos iudiciarios. De qua dixi sect. 38. Nona Vrbani VIII. *Inscrutabilia* 113. extensiua ad alia, & cum grauioribus pœnis. Decima Clementis VIII. *Cum sicut* 42. Contra Italos euntes habitare extrà in locis Hæreticorum. Dixi sect. 51. Vndecima Gregorij XV. *Romani Pontificis* 28. contra Hæreticos, ne apud nos commorentur. Duodecima Paulus V. *Romanus Pontifex* 26. Reuocat à Prælatis Regularibus facultates cognoscendi causas suorum subditorum pertinentes ad S. Officium. Dixi hìc supra. Decimatertia eiusdem Pauli *Regis pacifici*, de Conceptione Immaculatà Beatæ Mariæ Virginis. Decimaquarta Gregorij XV. *Sanctissimus* 29. ampliatiua, & declaratoria præcedentis. De quibus infra dicam. Decimaquinta Gregorij XV. *Romanus Pontifex* 27. reuocantis viuæ vocis oracula. Decimasexta Vrbani VIII. *Aliàs Felicis*. 9. in Append. prædictæ extensiua. Decimaseptima Gregorij XV. *Apostolatus* 27. reuocatoria licentiarum legendi Libros prohibitos. Decima octaua Vrbani VIII. *Apostolatus* 114 pariter reuocatoria Librorum prohibitorum legendorum. Dixi sect. 48. Decimanona eiusdem *Sanctissimus* 37. de Imaginibus, gestis, & votis nondum beatificatorum. Dixi sect. 47. Vigesima eiusdem Vrbani, *Sanctissimus*. de libris imprimendis in statu ecclesiastico, vbi sunt compositi non mittendis extrà sine licentià. Dixi sect. 46. Vigesima prima eiusdem *Cum sicuti accepimus*. quòd omnes regulares in causis Hæresis sint subiecti Inquisitoribus. Dixi hìc.

Super hoc Decretum nonnullæ quæstiones proponendæ sunt, & resoluendæ, prosequendo numerum earumdem.

Quæritur 10. Quo tempore legendum sit hoc Decretum?

℞. Tempus specificatur sub eius initium his verbis: *Semel saltem in anno, idest. Ferià sextà post octauam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publicà mensà vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato. Et insuper in quocunq. Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu Diatà vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari congressu suos subditos, ac Religiosos commonere de iniunctà omnibus obseruantià, & executione &c.* Illud verbum *commonere* importat legere Decretum ad verbum, vt probaui cap. 28. q. 11. num. 28. 15

Quæritur 11. An Fides de eius lectione deferenda sit Inquisitori?

℞. Non inuenio hanc obligationem in hoc Decreto, sed solùm in eius fine, sic dicitur. *Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe.* Sed quoniam singulis annis id mittere Romam est nimis graue tàm recipientibus, quàm mittentibus, ideo expeditiùs mittitur documentum Inquisitoribus. 16

Quæritur 12. Quas pœnas incurrunt negligentes legere?

℞. Sub initium eiusdem Decreti his verbis: *Omnes Superiores teneantur sub pœnà priuationis officij, ac vocis actiua, & passiua ipso facto incurrendà, aliÿsq. arbitrio Sanctitatis* 17

tatis sua infligendis in perpetuum semel saltem in anno &c. Negligentes ergo legere illud in Capitulo Generali Generalis, in Prouinciali Prouincialis, in Conuentu verò Superior localis est Reus harum pœnarum.

Licet autem tempus legendi illud in Conuentu ad Mensam præfigatur in Feriâ sextâ post Octauam Assumptionis, nihilominus
18 Sacra Congregatio tempus prorogauit per totum residuum mensis Augusti. Decretum prorogationis retuli cap. 28. num. 12. Vbi etiam extendi aliud responsum super Decreta de celebr. Missar. quo dicitur, vt legantur, vel die præfixo, vel infra decem dies immediatè subsequentes. Hæ autem prorogationes sunt fauorabiles omnibus regularibus. Vnum autem aduerto, eas non habere locum in Congressibus Capitularibus Generalibus, & Prouincialibus, itaut legenda sunt, antequam dissoluatur Capitulum. Et licet dicatur in textu, quòd priuatio officij, & vocum incurratur ipso facto, nihilominus requiritur factum Iudicis declarantis, Superiorem negligenter omisisse lectionem.

Quæritur 13. An omittentes legere debitis temporibus sint denuntiandi Inquisitoribus?

19 ℞. Affirmatiuè, nam Sanctissimus anno 1638. mandauit omnibus Inquisitoribus, vt inuigilarent super obseruatione dicti Decreti, & oblatas denuntiationes contra transgressores recipientes formarent processum, vt notauit *Resol.* 58 *q* 25. *Carena par.* 2. *tit.* 17. *num.* 100. ab illis, ait, non esse puniendos, sed recurrendum esse ad Sacram Congregationem. Et ego puto Superiores, qui non commiserunt lectionem Decreti, & aliarum Bullarum, non esse statim denuntiandos, sed prius admonendos de lectione, quia pro ipsis videtur stare præsumptio inaduertentiæ, & obliuionis; ac proinde si moniti non curent de lectione, tunc reuera debet illos denuntiare quilibet sciens omissionem.

Quæritur 14. An non facientes legere, & non denuntiantes sint suspecti de Hæresi, & incurrant hi aliquam censuram?

20 ℞. Superiores, quibus hoc munus incumbit, omittentes lectionem, & alij non denuntiantes non sunt suspecti, nec pœnam incurrunt, quia omissio non arguit suspicionem, sed obliuionem, & inaduertentiam, ac proinde nec pœnam. Impedientes verò lec-
21 tionem fiunt suspecti de Hæresi, quia videntur malè sentire de Fide, & esse magis affecti ad Hæresim, quàm ad Fidem.

Quæritur 15. An professi contrahentes Matrimonium sint suspecti de Hæresi, & subdantur Inquisitoribus?

22 ℞. Vtiquè, vt probaui Sect. 4. num. 27. ad 32. & Sect. 27. per totam

Quæritur 16. An pœnitentiati in S. Officio sint habiles ad gradus, & Officia adimpletis pœnitentijs?

℞. Negatiuè, quia ita decreuit Vrbanus 23
VIII. cuius verba retuli Sect. 16. num. 32. à suis autem superioribus habilitari non possunt, sed solùm à Papa, vel Congregatione S. Officij. De hac re latius dixi Cap. 27. à num. 36. ad 46. & n. 51. Vbi probaui talem pænitentiatum non esse priuatum voce actiuà, 24
quia priuatio Officiorum arguit tantum ablationem vocis passiuæ.

Quæritur 17. Quid contineat Bulla Alexandri VIII. incip. Licet aliàs, quam habes extensam apud Dal Bene in calce sui Operis?

℞. Statuit, quòd Omnes Regulares non 25
solùm subditos, sed etiam superiores eorum etiam Generalem denuntient Episcopis, vel Inquisitoribus suos subditos, & confratres, & quoscunq. alios, etiam leuiter suspectos, nulla super hoc facta consultatione inter ipsos religiosos, vel cum aliâ personâ, siue facta sit correctio fraterna, siue non, ita quod nullo modo retrahere, possint retardare, nec impedire à denuntiatione, sub pœnis statutis in Bullâ Pauli V. quam supra explicauimus; nec non priuationis quaruncunq. dignitatum, seu Prelaturarum, seu Officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, cum inhabilitate ad eadem ipso facto, & absq. alia declaratione incurrendis quę omnia sunt reseruata.

Et sub ijsdem pænis ipso facto incurrendis, quòd Superiores Omnes in quocunq. conuentu hoc Decretum semel singulis annis Kalendis Martij in publica Mensa legi curent vnà cum alijs Decretis, & constitutionibus Apostolicis ad S. Officium Inquisitionis pertinentibus quot annis legi solitis iuxta Decretum Vrbani VIII. Affigatur in loco publico, vt à religiosis legi possit; de huiusmodi lectione à superiore, & duobus religiosis documentum subscriptum mittatur Inquisitori.

Numquid sufficit legere hoc Decretum tantùm, an simul cum illo legendæ sint aliæ Bullæ ad S. Officium spectantes; Dico, sufficere, quòd legantur Statutis temporibus, quod probo ex illis verbis: *de huiusmodi lectione documento publico certiorẽ* &c. Singulariter loquitur, ergo de hoc tantum disponit lectionem Kalendis Martij. Neque obstat particula *legi curent vna cum alijs Decretis*, quia importat obligationem lectionis, quæ vnius est rationis, non simultatem temporis. Vide quæ dixi Sect. 18. num. 5. de denuntiandis sine correctione, vel cum correctione etiam frugifera.

Quæritur 18. An Inquisitores procedere possint contra prohibentes Religiosis quærere Eleemosinas;

℞. Affirmatiuè, quod colligitur ex sequẽti 26
Mari magno Fratrum S. Augustini Eremitarum his verbis: *Quod si per quoscunq. processus, lites,* & controuersias quomodolibet inter ipsos Fratres prænominatos, & Ecclesiarum

Rectores, ac Ordinarios emergentes, Ordinarij ipsi siue quicunq; alij inhibitionem Eleemosinarum per Christi fideles Fratribus ipsis faciendarum, quocunq. modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentium patrocinio decernimus, omnes, & singulos tales inhibentes ipso facto Excõmunicationis incurrant Sententiã. Et contra tales ipsi Inquisitores Hæreticę prauitatis ad prædictorũ Fratrum requisitionem possint, & debeant sicut contra Hæreticos procedere.

27 Lezana refert hoc Priuilegium sub num. 51. & infra sub num. 151. dicit, Inquisitores posse procedere in hoc casu contrà Episcopos quia veniunt nomine Ordinarij, non obstante, quod Iure communi aliàs procedere non possint contra illos in causis Fidei, *ex cap. Inquisitores 16. de haret. in 6.* Quod mihi non placet, quia nomine Ordinarij in Ordisis non venit Episcopus; & in Bullà prædictà non derogatur specialiter constitutionibus insertis in corpore iuris, quod est necessa-

28 rium, vt Iuri communi derogetur, *Iason in l. ff. de constit. Princip. num. 16. & in l. fin. C. de inoffic. testam. num. 6. Surd. lib. 3 cons. 325. num. 8.*

29 Sed cur talis casus subijciatur Inquisitoribus numquid prohibens illos quærere Eleemosinas est suspectus de Hęresis Vtique; præsumitur enim sequi errorem Ioannis Vigleph Hæretici, quia sub num. 20. suorum errorum dixit: *Conferens Eleemosinam Fratribus est excommunicatus ipso facto.* Item sub num. 24. *Fratres tenentur per labores manuum victum quarere, & non per mendicitatem.* Item sub num. 32. *Omnes de Ordine Mendicantium sunt Haretici, & dantes eis Eleemosinas, sunt excommunicati* Hinc meritò Papa hunc casum subiecit Inquisitoribus. Nostris temporibus denuntiati non sunt tractandi, vt suspecti de Hæresi, sed obiurgatione dimittendi, quia inhibitio arguit potiùs interesse eorum, quàm suspicionem Hæresis, euanuit enim talis Hæresis, quæ in solo Ioanne remansit sine prole.

SECTIO LVI.

De Immaculatà Conceptione Mariæ Virginis.

SVMMARIVM.

1 *Obloquentes de alterutrà opinione subduntur Inquisitoribus.*

2 *Affirmatiua est Thomistarum, negatiua Scotistarum.*

3 *Remedium præseruatiuum excellentius subleuatiuo.*

4 *Ioannes sanctificatus sanctificatione purgatiuà, Maria perfectiuà.*

5 *Purgatiua eijcit peccatum originale; perfectiua illud non inuenit in Personà.*

6 *Alexander VII. asserit, in eius animam nunquam intrasse originale.*

7 *Negatiua non ampliùs opinio, sed sententia est.*

8 *A sententià Principis non appellatur.*

9 *Appellatio fit à minori ad maiorem Iudicem.*

10 *A Papà nullus appellat, cum sit omnibus maior.*

11 *Neque ab eodem ad Concilium Generale.*

12 *Appellans est Schismaticus, & malè sentit de Fide.*

13 *A vicario ad Episcopum non appellatur, cum vtriusq; vnum sit tribunal.*

14 *Papa cum Deo vnum facit tribunal.*

15 *Et sic non appellatur à Papà ad Deum.*

16 Quodcunq. ligaueris *probat vnicum tribunal.*

17 *Affirmatiua remanet in suo statu opinionis.*

18 Immaculatæ *titulus tributus à Sixto IV. non casu, sed consilio.*

19 *Ignorantia est mater cunctorum errorum.*

20 *Titulus à nullo Inquisitore prohiberi potest.*

21 *Officium eius celebrandum solùm sub nomine Conceptionis.*

22 *Sanctificationis vox nullo modo continetur sub nomine Conceptionis.*

23 *Clemens IX. concessit octauam Officio.*

24 *Inquisitores cognoscunt obloquentes.*

25 *Negatiua commendatur, & exaltatur*

tatur etiam à Pontificibus.

26 *Comparatio est odiosa, non tamen iniuriosa.*

27 *Raymundus Lullus probatur innocens ab Heresibus.*

QVoniam Paulus V. in sua incipit *Sanctissimus.* 105. prohibuit, ne quis in actibus publicis assereret, Beatam Mariam Virginem in peccato Originali fuisse conceptam, & tenentibus partem negatiuam, ne contrariam impugnent, sub pænis contentis in Bullis Pij V. incip. *Super speculam.* 114. prohibentis disputationes in publicis prædicationibus, & vulgaribus discursibus refellendo partem aduersam; & Sixti IV. in Extrauag. de Reliquijs & Vener. Sanct. interdicentis, ne defensores vnius partis oppositam Opinionem asserant Hæreticam, vel esse peccatum mortale eam tenere. Vnde ad tollenda
1 iurgia, & Scandala, Paulus transgressores subiecit puniendos Episcopis, locorum Ordinarijs, & Inquisitoribus, vt legitur sub §. 8. quòd Gregorius XV. in sua incip. *Sanctissimus* 29. firmauit sub eisdem verbis in §. 6. Omnibus præcipiendo, vt eius festum cum Officio, & Missa sub alio nomine non celebrent, nisi Conceptionis, vt mandauit Sixtus IV. Ideo hìc aliquid de eà agendum.

Celebris olim fuit controuersia inter Thomistas, & Scotistas, illis affirmantibus Ma-
2 riam fuisse maculatam in sua Conceptione, cum D. Thoma par. 3. q. 27. art. 2. ea ratione, quia non omnes à Christo fuissent redempti. Istis negantibus, nempe Scotistis cum suo Magistro in 3. Sent. dist. 3. q. 1. quia sufficit redemptio præseruatiua, quæ est perfectior subleuatiuà, quæ contingit alijs hominibus, nam cum Christus perfectissimus sit mediator, debuit vti medio perfectissimo, & singulari ad redimendum personã magis sibi caram inter alias; quod fuit remedium præseruatiuũ à peccato originali. Singulare priui-
3 legiũ, quod sine dubio concessit Mariæ Matri suæ futuræ, vt in hoc excellentior fieret præ alijs hominibus: & sicut Ioannes, quia fuit Sãctificatus in ventre Matris, antequã nasceretur habuit hoc singulare priuilegium, ita dicendum est, Mariam sanctificatam fuisse sanctitate non purgatiuà, vt S. Ioannes, sed perfec-
4 tiuà non inuento originali peccato in primo instanti creationis eius animæ, aliter Maria non posset dici maior Ioanne; ex quo & ipse sanctificatus est in ventre materno; nullus autem hactenus dixit, Ioannem fuisse maiorem, nec parem Virgini in conceptione, ergo hæc illum superauit, eo quòd Maria fuit concepta sine peccato originali, Ioannes cum peccato
5 originali; vterq. sanctificatus, Ioannes sanctificatione purgatiuà peccati originalis, Maria Sanctificatione perfectiua, largiendo gratiam originalem sine purgatione peccati originalis, quod in ea nonquam fuit.

Alexander VII. in sua incip. *Solicitudo* ad 6
fauorem immaculatæ Conceptionis ita constituit his verbis: *Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse.*

Notandum, quòd hic Pontifex opinio- 7
nem Scotistarum, immò & nostris temporibus ferè totius Ecclesiæ per vniuersum orbem, non amplius opinionem, sed sententiam sæpiùs appellauit, non casu, sed consilio diuinæ inspirationis, nomine opinionis 8
relicto parti affirmatiuæ; Misterium est hoc, nam à sententià Principis non appellatur, *l.* 9
1 ff. A quibus appellari non licet, quia appellatio fit a minori ad maiorem Iudicem, *cap.* 10
Anteriorum 28. 2. q. 6. Vnde nullus à Papà appellare potest, cum ipse omnibus sit maior, 11
etiam Imperatore, *Glos.* V. *Iurisdictionem cap. Nouit, de iudic.* Etiam Concilio Generali, ad quod nullus appellare potest contra Papam, vt definiuit Iulius II. in suà incip. *Suscepti regiminis* 22. & aliter agentes vocat 12
Schismaticos, & malè sentientes de catolicà Fide; immò nec à sententià Papæ licet ap- 13
pellare ad Christum, cum vtriusq; idem sit tribunal, est enim Papa Vicarius Generalis Dei, vt docent citati à Paulo Rubeo ad decis. 2. Rotæ par. 3. num. 69. vbi sic appellans sus- 14
pectus est de Fide; videtur enim sentire Papam non esse Vicarium Dei in terris, sicut enim non appellatur à Vicario Generali ad Episcopum *cap. Romana 3. de appellat. in 6.* 15
quia vtriusq. idem consistorium, & auditorium, neq. enim appellatio ab eodem ad eundem fit, ita neque appellatur à Papa ad Deum, cùm vtriusq. idem sit auditorium, & tribunal, dixit enim Christus Petro, & cuilibet eius legitimo successori Matth. 16. *Quod-* 16
cunq. ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq. solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce idem tribunal Papæ, & Dei.

Itaq. ad rem nostram, opinio in materià 17
Conceptionis affirmatiua remansit in gradu suo valdè infimo, & negatiua transiuit in sententiam latam ab Alexandro VII. quòd scilicet Maria Virgo sit concepta in primo instanti sine originali peccato, à qua nulli licet appellare etiam ad ipsum Deum, nisi ab eo, qui præsumitur malè sentire de Fide catolica, cum talis appellatio facta contra Papam censeatur facta etiam contra Deum, qui eam confirmauit, immo tulit, vt probatur ex allatà auctoritate Euangelij; quis ergo audebit negare immacu-
latam

latam eius Conceptionem, cum Deus non confirmet, nisi veram sententiam, non falsam opinionem; verum ergo est, & certum, omninò, quòd Maria concepta fuit sine peccato originali, quod nunquam tetigit, nec infecit eius animam, vnde res hæc aliter definiri non potest, cum sententia Alexandri à Deo sit confirmata, licet nondum Ecclesiæ formaliter declarata sit, virtualiter tamen ostensa.

18 Meritò igitur titulus *Immaculata* à Sixto IV. tributus fuit Conceptioni Mariæ non casu, sed consilio, super quo fundauit suam intentionem ordinandi festum, & officium eius celebrandum esse publicè in S. Ecclesiâ. Quem titulum nonnulli ignorantes fuisse illi tributum expunxerunt, mirum hoc non est, quia ignorantia est mater cunctorum errorum cap. 1. dist. 38. cum ergo error fuerit, non

19 potuit præiudicare; vnde quidam Inquisitor, qui licentiam imprimendi Elogium, in quo Mariæ Conceptio vocabatur Immaculata, dedit; postmodum impressum legens aduertens dictum titulum, quem primò non obseruauerat, negauit Auctori elogij publicationem ratrahendo ad se omnia elogia impressa. Auctor recurrit ad sacrum Tribunal supre-

20 mum, quòd precepit Inquisitori restitutionem omnium Elogiorum. Debent ergo Inquisitores admittere laudes Mariæ, quæ est omni laude dignissima. Contra dictam expunctionem multi Hispani scripserunt, ad quos ego direxi duo Manuscripta de titulo hoc restituendo, vnum Romæ consignaui P. Petro de Alua, & alterum ad eundem direxi Matritum, & tertium est in fortijs S. Officij Romæ, quartum iam impressum Panormi sub hac inscript. *Sacrum Septenarium Immaculatæ Conceptionis*, anno 1664. industriâ Reuer. D. Abbatis Octauij de Augustino nobili Panormitano multis titulis illustrati, cui illud dedicaui.

21 Gregorius XV. præcepit omnibus ecclesiasticis, vt huius sacri priuilegij Officium diuinum publicè celebrent sub hoc nomine tantùm Conceptionis octauo die Decembris, ac proinde exclusit nomen sanctificationis,

22 sub quo celebrabant Dominicani; mitto inæptam distinctionem, quam aliqui excogitarunt à nomine Conceptionis non excludi sanctificationem, cum ex diametro aduersetur menti Romani Pontificis Gregorij XV.

23 Deinde Clemens IX. in sua incip. *Sincera nostra* 21. Octobris 1667. concessit Officium, & Missam Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis cum octaua in Vrbe, & vniuersâ S.R.E. temporali ditione de præcepto recitanda. Quod extendit ad alia loca ferè per vniuersum orbem. Quid plura? Alter festum illius à seruilibus indicet. Et statim sententia transibit in definitionem manifestam, Et hæc satis.

Inquisitores autem, & Episcopi procedunt 24 contra transgressores, qui scilicet sunt illi, qui obloquuntur contra tenentes hanc, vel illam opinionem, quòd scilicet vna sit definita, altera damnata; vna hæretica, altera de Fide, ac proinde hæreticos &c. Nam vsq. modo nihil definitum est, tamen negatiua ab omnibus etiam Pontificibus summè commendatur, & extollitur; non enim sine causa adiungitur octaua de præcepto dici festi, paulatim enim (parcant mihi, quia comparatio & si odiosa, non tamen iniuriosa) affirmatiua incipit ægrotare, & linguam perdere. De illa *Carena par. 2. tit. 17. §. 11. à num. 36.* qui prope finem hortatur Inquisitores, vt recurrant ad supremos Iudices, ne sint tales quasi in propriâ causâ. Dal Bene Dub. 234.

Raymundus Lullus in Insulâ Maioricarum in vico S. Michaelis patre Raymundo, 26 & matre ex familia Merilium nobilibus natus anno 1236. insignitus titulis Beati, & Martyris Tertij Ordinis S. Francisci, de quo in Martyrologio Franciscano sub die 26. Martij. A Nicolao Eymerico Ordinis Prædicatorum in Directorio par. 2. q. 9. notâ Hæretici inuritur falsò & iniquè, occasione disputationis de Conceptione, quam habuerat cum nonnullis Lullistis, quem ab hac calumnia vindicauit Ioannes Riera Syndicus in Regno Balcario in causâ eiusdem catolici viri, vt videri potest in suo libello inscripto *Transumptum Memorialis* impresso Palmæ Balearium, cuius defensionem ex eodem libro paucis refert Salelles Reg. 276. à num. 55. vsq. ad 104. Vading. ad annum 1315. à num. 2. Causini tom. 4. Curiæ Sanctæ tract. 1. sect. 16. defensio sub his verbis: *Thesaurus absconditus, ab æmulis exagitatus, à superbis lacessitus, condemnatus ab ignaris, & imperitis, sed magnus Dei seruus, vir pius, & doctus, atq. diuino plenus amore, & cælesti prorsus scientiâ imbutus.* Hæc pauca de ipso retuli, quia mei ordinis professor fuit. Et certè calumniatus fuit, quia Patres in Concilio Tridentino procurantes exactum Indicem in eo non expresserunt Raymundi opera, ergo euidens argumentum, quòd innocens omnino semper fuit ab Hæresi.

SEC.

SECTIO LVII.

De Varijs Generibus Propositionum Suspectarum.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor genera propositionum excatolicarum, quæ opponuntur alijs quatuor Catolicis. De fide cui opponitur* Hæreticalis. *Theologica, cui* Erronea. *Sapiens Fidem, cui* Sapiens Hæresim. *Pia, cui opponitur* Impia.

2 *Harum prolatores subduntur Iudicibus contra hæreticam prauitatem.*

3 *Qualificatorum vota sunt decisiua, Consultorum non.*

4 *Illis standum, non istis.*

5 *Aliæ species dantur, quæ sunt Temeraria, Scandalosa, Schismatica, Male sonans, Iniuriosa, & Blasphema.*

6 *Animæ non purgantur vltra vigesimum annum, reprobatur.*

7 *Scriptura sacra scatet erroribus grammaticalibus; Rudis, & sine eloquentia.*

8 *Sunt temerariæ, & iniuriosæ.*

9 Exies, Exiet *à futuro subiunctiui detractione RI.*

10 *Futurum subiunctiui seruit etiam futuro indicatiui.*

11 In illo tempore *etiam Cicero vsus fuit.*

12 Alio *loco* Alij, *alteratum ab imperitis.*

13 *Scriptura plena eloquentiâ.*

14 Fratris *nomine olim vtebantur Monachi.*

1 DE varijs generibus propositionum dixi Sect. 1. num. 27. de Catolicis fouentibus catolicam Fidem, quarum quotuor sunt species, prima de Fide, secunda Teologica; tertia Sapiens Fidem, quarta appellatur pia; quibus correspondent excatolicæ, quæ sunt pariter quatuor Species, Hæreticalis, erronea, Sapiens Hæresim, & impia, quas explicaui Sect. 6. à n. 69. de quibus latissimè cap. 41. in Sacro Tribunali. Et quoniã istę quatuor species aliquo modo opponuntur propositionib; de Fide, directè, vel indirectè Fidem catolicam violantes in aliquo; idcirco tales proferentes propositiones sunt si non formaliter Hæretici, saltem de Hæresi suspecti vehementer, vel leuiter, attentis circumstantijs Propositionum, & personarum proferentium illas; consequenter subijciuntur Iudicibus huius sacri Tribunalis, Episcopis per sacrum Trident. Consilium Sess. 5. cap. 2. & Inquisitoribus per Paulum III. in suâ incip. *in Apostolici culminis* 30. vbi §. 2. sic disponitur, quòd Inquisitores contra omnes, & singulos tàm *Regulares, quàm seculares &c. qui propositiones suspectas, Scandalosas, periculosas, errores continentes, Hæresim sapientes, ac alias Catolicæ fidei minus consonas, Christianaq. pietati, & bonis moribus minimè conformes huiusmodi, vel earum quaslibet inposterum asserere, seu publicè proponere, & populis prædicare audeant, vel præsumant, procedere, & inquirere, suamq. iurisdictionem exercere debeant.* Et ita docent Carena par. 2. tit. 15. num. 15. Salelles Reg. 93. num. 137. Alberghin cap. 12. num. 21. qui plures refert gradus propositionum censurabilium, & cap. 14. nu. 5. ait, vota Qualificatorum esse decisiua, non consultiua, *ex Royas par. 1. de hæret num.* 384. & in hoc dicuntur esse melioris conditionis, quàm sint Consultores, quorum vota non sunt decisiua, sed tantùm consultiua, quibus proinde Iudices stare non tenentur, sicut votis Qualificatorum; *ex eodem Royas num.* 409. *&* 423. *Diana par.* 4 *tract.* 7. *resol.* 38. 2 3 4

Doctores apud præfatum Alberghinum eodem capite 12. plures propositionum suspectarum, quæ fauent Hæresibus, & offendunt catolicam Fidem saltem indirectè, species referunt, quæ præter quatuor à nobis recensitas, sunt Temeraria, Scandalosa, Schismatica, Male sonans, iniuriosa, & Blaspehma, quarum nominibus illæ quatuor appellari possunt, 5 nam hæretica, erronea, sapiens Hæresim, & impia sunt temerariæ, Scandalosæ, malesonantes, & iniuriosæ; nihilominus inter se distinguntur ex suis specialibus rationibus; nam Temeraria ea est, quæ caret ratione; Scandalosa, quæ arguit ruinam spiritualem animæ in proferente illam, audientibus similiter tribuit Occasionem similis ruinæ. Schismatica diuidit vnionem inter membra, & caput, cum scilicet fidelis recedit ab obedientiâ Papæ, Malesonans, quæ offendit aures à Sonitu eius, e. g. Plures seculares saluantur, quàm ecclesiastici. Iniuriosa, quæ proximo detrahit.

Dal Bene Dub. 195. Sect. 66. quærit, an Inquisitores possint procedere contra proferentem hanc propositionem *Animæ defunctorum* 6

rum non detinentur in Purgatorio vltra decem, vel viginti annos. Respondet cum Naldo, & Henriquez affirmatiuè, quià est temeraria, periculosa, & erronea. Confirmatur. Et quia vsus est Fidelium relinquere suffragia pro defunctis vsq; in perpetuum. Et quia retrahit Fideles ab operibus satisfactorijs, & minuit diuinum cultũ in Ecclesijs. Eam propositionem protulit *Sotus in 4. dist. 19. q. 3. art. 2. Conradus tom. 1. q. 118. Ioannes à Cruce in suo Direct. par. 2. de sacram. Panit. Indulg. Dub. 2. conlc. 3. Viualdus de Purgat. num. 9.* quia Dei misericordia est immensa, & acerbitas tormentorum est maxima, ergo citò expediuntur. Tamen per hanc rationem non possumus asserere, quod dixit Sotus.

7 Qualis est sequens propositio: *Sacra Scriptura scatet erroribus Grammaticalibus.* Item *Rudis est eius sermo, & sine eloquentia.* Primam sic nonnulli probant exemplis Sacræ Scripturæ; nam pluribus in locis dicit *in illo tempore*, quod est error; nam tempus in ablatiuo casu exprimitur sine præpositione. Deinde hoc verbum *Exeo, exis, exit*, non inuenitur sub his dictionibus apud Grammaticos *Exiet* Isaia cap. 51. 4. Apocal. cap. 11. 5. *Exies* Lucæ cap. 12. 59. In Euangelio Matthæi 8. 9. & Lucæ 7. 5. Sic dicitur: *Dico huic, vade, & vadit; & alio veni, & venit.* Secunda de se patet, quia nullis adornatur eloquijs.

8 ℟. Illæ propositiones sunt temerariæ, & iniuriosæ Auctori Deo, & eius Scriptori S. Hieronymo; temerariæ, quia nulla ratione nituntur, vt patebit in responsione; iniuriosæ, quia auctorem taxant de ignorãtiâ Grammaticæ, & de ruditate, de imperitiâ, de ignauiâ.

9 Modò allatis responsum do, nam illæ voces *Exies*, *Exiet* descendunt à verbo *Exeo* satis noto detractione litterarum *Exieris Exierit.* RI. quod si quis dicat, dicta verba habent significationem indicatiui futuri, non subiunctiui, & sic non sunt desumenda à futuro subiunctiui, sed indicatiui, à quo tamen non possunt accipi, cum careat vocali E. *Exibo, exibis, exibit.*

10 Respondeo ex Probo, & Aluaro, quòd futurum Subiunctiui seruit etiam indicatiuo, ac proinde nullius momenti est Obiectio.

11 Ad illud *in illo tempore* similis locutio sana est, legitima immunis ab omni errore gramatico, nam eo vsus est Cicero pater eloquentię, vt legitur in Nizolio lit. In *In hoc interdicto non solet addi in hoc anno.* Item. *Ha contra nos amba faciunt in hoc tempore.* Item in lit. Tempus. *In illo tempore* Item. *Statutum in his temporibus ciuitatis omnia perpeti* Iterum. *In grauissimis temporibus Ciuitatis.* Iterum, *Et quoniam in grauissimis temporibus Ciuitatis.* Respondit Grammaticulus, id non amplius est in vsu. Redargui illum, vnde hoc, abes? cum enim vsus sit quid facti, facile decipitur sic Obijciens. Deinde id non facit ad rem, quia loquimur de eo, quod factum est non autem de vsu, vel non vsu.

Dico demum, illum datiuum *Alio* non inueniri in corpore Sacræ Scripturæ sed solùm in nonnullis Missalibus. De his latiùs egi Decis. 72. tom. 4. Lugdunensis impressionis. 12

Sacra Scriptura plena est eloquentia, vt dicit S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 6. & 7. quòd omnes virtutes, & ornamenta eloquentiæ sunt in sacris litteris, vt ipse probat; & Rupertus Abbas lib. 7 loquens de Spiritu sancto, ait, Omnes partes rethoricæ orationis in Scripturâ plenissimè contineri. Retuli hæc ex opusculo inscr. *Regula intelligendi sacras Scripturas.* Francisci Ruizij Vallisoletani Abbatis S. Facundi Ordinis S. Benedicti, vbi se vocat nomine *Fratris*, quo nomine vocabantur omnes Monachi ante institutionem Mendicatium 13 14

SECTIO LVIII.

De Sponte comparentibus.

SVMMARIVM.

1 *Sacrum Tribunal licet tremendum & timendum; tamen misericors.*

2 *Comparitionis gratia habet originem à Concilio Bitterensi.*

3 *Spontè comparet, cuius delictum nondum est semiplenè, probatum.*

4 *Spontè excludit vim, & metum.*

5 *Probatio semiplena fit per testem ocularem, vel auricularem omni exceptione maiorem; vel per indicium proximum probatum per duos testes eiusdem conditionis.*

6 *Praeuentus legitimè, cuius delictum est probatum semiplenè, vt dictum fuit.*

7 *Denuntiatus non vocatur, nisi semiplenè, vt supra, delicto probato.*

8 *Praeuentus ergo legitimis indicijs comparens non gaudet hoc Priuilegio.*

9 *Comparens debet manifestare omnia delicta spectantia ad hoc S. Officium.*

10 *Vnde*

10 *Vnde si aliqua tacet, gratiam non obtinet.*
11 *Complices quoq; manifestare debet.*
12 *Alios quoq; licet non complices debet manifestare.*
13 *Praeuentus dicitur ab vno complice, si sit torturatus.*
14 *Socius criminis denuntiando Socium, se facit infamem.*
15 *Duorum dictum facit Indicium ad Torturam.*
16 *Per solùm denuntiantem dicitur praeuentus.*
17 *Denuntians habetur pro Teste.*
18 *Sponte dicitur comparere confessus delicta, super quibus non fuit denuntiatus.*
19 *Causa limitata producit effectum limitatum.*
20 *Imaginatio nullum producit effectum, si res ita non est.*
21 *Interrogantur de multis sponte comparentes.*
22 *Recipiuntur in Foro iudiciali, non sacramentali.*
23 *Confessio comparentis in scriptis accipitur.*
24 *Abiurat Haeresim.*
25 *Praeuentus dicitur* Parma *denuntiatus Cremonae.*
26 *Relapsus admittitur ad gratiam.*
27 *Gratiatus semel non admittitur.*
28 *Gaudent gratia comparentes post lapsum temporis.*
29 *In dubio praeuentionis resoluitur non fuisse praeuentum.*
30 *Comparitio sufficit, si fiat coram aliquo Officiali huius S. Officij.*
31 *Comparitio admittitur per internuntium.*
32 *Haeresiarcha non admittitur.*
33 *Confitens delictum, sed negans prauam Intentionem torquendus non est.*
34 *Gratia quouis tempore fieri potest.*
35 *Gratia consistit in condonatione poenarum.*
36 *Religiosi gaudent hoc Priuilegio.*
37 *Ignorantia praeuentionis non excusat.*
38 *Admittitur tamen in tribus casibus.*
39 *Iudex laicus punit de Homicidio Reum iam absolutum de sortilegio ab Inquisitore.*
40 *Peccator amplius non est absolutus etiam in foro externo.*
41 *Dolus, & fraus nemini debent patrocinari.*
42 *Priuilegium comparitionis non prodest absoluto contra Iudicem secularem.*

QVamuis Sacrum Tribunal contra haereticam prauitatem erectum pro conseruandâ Fide Catolicâ, vt perpetuò illibata, & inuiolata permaneat, si tremendum, & timendum; non ideo caret suâ benignitate, clementiâ, & misericordiâ, dum sponte comparentibus & integrè suos errores & Sociorum, si habuerunt manifestantibus Reuerendissimi Inquisitores parcunt, sine vlla punitione contra illos decretâ in hoc Foro. 1

Gratia huiusmodi originem habet à Concilio Bitterensi cap. 2. in haec verba: Ac deinde mandetis, vt omnes, qui se, vel alios sciuerint in crimine labis haereticae deliquisse compareant coram vobis veritatem dicturi. Assignato eis termino competenti, quod tempus gratiae vocare soletis, quibus tamen aliàs huiusmodi gratia non est facta, infra quem terminum venientes, poenitentes, & dicentes plenam de se, ac de alijs veritatem, habeant impunitatem mortis, immurationis, exilij, & confiscationis bonorum. Pegna in Direct. par. 3. com. 12. §. Magnam, De hac materiâ agunt *Fulcodius q. 2. Carena par. 2. tit.* 18. *Albergbinus in suo Manuali Qualificatorum cap* 40 *Farinac. q.* 193. *Salelles par.* 1. *Regula* 200. Nonnulla dubia sunt resoluenda. 2

Quaeritur 1. Quid sit sponte comparere?

℟. Ille dicitur sponte comparere, cuius delictum & si denuntiatum sit, nondum tamen est semiplenè probatum, dum suum errorem manifestat coram Superiore. Praecitati Doctores dicunt, illum sponte comparere, qui legitimis indicijs non praeuentus fatetur sua delicta. Non differt à nostrâ nisi secundum magis, & minus clarum; nam per legitima indicia inducitur semiplena probatio. Igitur sponte comparere non dicitur, qui metu poenarum ductus fatetur errorem, qualis praesumitur esse ille, cuius delictum iam semiplene probatum est, dictio enim *Sponte* excludit vim, & metum secundum Seraphin. decis. 224. num. 3. 3 4

5 Semiplena autem contingit fieri duobus modis: *Primò* per depositionem vnius testis ocularis, seu auricularis, qui scilicet vidit proprijs oculis fieri, vel proprijs auribus audiuit delictum, qui vlterius debet esse omni exceptione maior. Vt omnes testantur per *Glos. Exacto iuramento l. Admonendi* 31. *ff. de iuriur. Farinac. q.* 63. *num* 52. *& q.* 36. *nu.* 225. *Miranda q.* 26. *num* 101.

Semiplena probatio *Secundò* contingit ex probatione Indicij proximi, & vrgentis facta per duos testes contestes omni exceptione maiores deponentes super Indicio inferente delictum, ita Doctores *ex Glos. V. speciem l.* 3. *ff. de testibus Arsenale par.* 10. *Auuert.* 152. de vtroq; modo mentionem facit, & ait sufficere ad Torturam, *Carena par.* 3. *tit.* 10. §. 4. 5. *&* 6. Nullus enim in hoc Foro citatur, nisi prius delictum sit semiplenè probatum, vt Iudex negantem possit subijcere torturæ; esset enim inutilis citatio, si non posset cogi per Torturam ad fatendum veritatem.

6 Quare quamuis quis sit denuntiatus, & nondum delictum sit probatum vno ex predictis modis, si comparet coram Inquisitore admittendus est ad gratiam, quia nondum dicitur præuentus legitimis indicijs, ex quibus oritur semiplena probatio. Confirmatur id, quia secundum præcitatos Doctores, nondum citatus, nondum vocatus dicitur sponte compare; sed dum non constat semiplenè de delicto Reus citari, nec vocari potest à Iudice, vt notat *alijs citatis Carena*
7 *par.* 3. *tit.* 2. *num.* 24. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 11. ergo tunc dicitur sponte comparere, dum nondum cogitur accedere ad hoc sanctum Tribunal.

Quæritur 2. An gaudeat gratia huiusmodi, si ante citationem compareat, postquam indicijs legitimis, vt supra, præuentus fuerit.

8 ℟. Non gaudet, quia præsumitur comparuisse metu probationum, & non sponte. Nec ei videtur suffragari ignorantia indiciorum, in hoc enim Iudex illi credere non tenetur, quà enim de causà comparuit post probationem delicti, & non ante? certè non alio fine, nisi ad euitandum pœnas in Foro externo, ergo contra ipsius allegatam ignorantiam presumendum est, quòd scientiam habuerit. Scio *Farinac. q.* 193. *num.* 28 *& ex eo Carenam par.* 3. *tit.* 2. *num.* 2. *&* 3. docuisse sic comparentem, & dicentem se ignorare probationem contra se factam, gaudere hoc Priuilegio; qui tamen subdunt, hanc scientiam, vel ignorantiam relinqui arbitrio Iudicis. Ex dictis autem patet adesse presumptionem scientiæ magis, quàm ignorantiæ. *Vide infra q.* 26.

Quæritur 3. Quænam delicta à comparente sunt manifestanda Inquisitiori?

9 ℟. Omnia illa, quæ iudicabilia sunt in hoc tribunali, ac proinde non solùm Hæreses verùm etiam crimina suspicionem Hæresis inferentia, vt Blasphemia hæreticalis, Sortilegia, Poligamia &c. Similiter propositiones censurabiles, quæ partier suspicionem Hæresis inducunt. Nec obstant, quòd in textu illius Concilij sermo sit *de crimine labis Hæretica*, quasi excludantur alia crimina ab hac gratiâ, nam de eâ mentio facta fuit, vt de principali delicto, quod si condonatur in foro externo, à fortiori alia minora, quæ solùm inducunt suspicionem Hæresis censentur comprehensa sub hoc Priuilegio, argumento à maiori ad minus. Ita *Pegna par.* 2. *com.* 59. §. *Sed videamus*, *Alberghinus cap.* 40. *num.* 12. *Carena par.* 3. *tit.* 2. *num.* 10. *&* 16.

Quæritur 4. An si aliqua manifestet, & alia taceat, consequatur gratiam?

℟. Negatiuè, quia textus Concilij expressè habet: *Dicentes plenam de se veritatem*, quam non dixit ille, qui alia delicta tacuit spectantia ad hunc Forum; ac proinde veniam non meretur, impium enim est dimidiam sperare veniam, cap. sunt plures 42. dist. 3. de Pœnit. *Carena par.* 3. *tit.* 2. *nu.* 7. *Sousa lib* 4. *cap.* 8. *num.* 4. *Alberghinus cap.* 40. *num.* 6. *Pegna par.* 3. *com.* 12. §. *cæteri autem Salelles par.* 1. *Reg. fin. num.* 46. 10

Quæritur 5. An debeat manifestare complices, vt consequatur gratiam?

℟. Affirmatiuè, quia ita habet textus: 11
Dicentes plenam de se, ac de alijs veritatem. Ita Pegna *de tempore gratia cap.* 10 *& par.* 2. *Directorij com.* 59. §. *Ex his possumus*, *Sousa lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 4. *Alberghinus cap.* 40. *num.* 21. *Salelles par.* 1. *Reg. fin. num.* 46.

Quæritur 6. An debeat manifestare alios Hæreticos, vel suspectus de Hæresi, licet non fuerint cum eo complices?

℟. Affirmatiuè, si eorum notitiam habet; 12
nam textus absolutè loquitur: *Dicens plenam de se, & de alijs veritatem*, verbum enim illud *de alijs* indifferens est ad complices, & non complices, & sicut de seipso siue Hæretico, siue tantùm de Hæresi suspecto dicere debet, ita & de alijs similibus criminibus infectis dicere debet; ac proinde etiam de non complicibus. Verbum etiam *de alijs* ad similia delicta, & delinquentes refertur. Ita ex citatis supra.

℟. 7. An denuntiatus à suis complicibus dicatur præuentus ad effectum, ne gaudeat huiusmodi gratiâ?

℟. Non dicitur præuentus per vnicum 13
complicem, nisi Torturatum, vtiq. si duo contra eum deposuerunt. *Primum* probatur, quia ex dictis q. 1. ille dicitur præuentus, cuius delictum probatum fuit ad minus per vnicum Testem omni exceptione maiorem, qualis non potest dici Testis hic, qui patitur exceptionem societatis, socius enim criminis eo ipso infamem se facit, *cap. in primis* 2. 14
q. 1.

q. 1. *Farinac. q. 43. num. 5. siue examinatus sit vt testis, num. 5. siue vt Reus, vt ibidem, & licet sit bona fama num. 24. Secundum*, quòd dicatur præuentus, si socius suum dictum deponat cum Torturà, docet *Salelles par. 1. Regul. fin. num.* 39. quia Tortura purgat hunc defectum societatis. *Tertium* de duob. testibus societatis probatur, quia eorum depositiones se inuicem adiuuant tamquam infirmæ ad componendam vnam semiplenam, vnde eorum dictum facit indicium ad Torturam, inquiunt *Carena par. 3 tit. 10. num.*
25 *37. Ciarlin. cap. 10. num. 119. Ciriacus controu. 80. num. 3. Farinac. q. 43. num. 41. & 42. Guazin. Defens. 32. cap. 8. num. 4. Diana par. 4. tract. 6. num. 7.* Ergo per hæc comparens dicitur præuentus, dum Inquisitor aquisiuit Ius ad Torturam.

Quæritur 8. An per ipsum tantùm denuntiantem dicantur præuentus?

26 ℟. Affirmatiuè, quia ratio denuntiationis non facit exceptionem contra denuntiantem maximè in S. Officio, in quo non propriam, sed Religionis causam prosequitur, ideo si nullam patitur exceptionem, dicitur per suam denuntiationem præuenisse Reum.

Confirmatur id ex cap. In omni negotio 4. de Testibus, vbi ipse cum alio teste integro plenè probat delictum, & in Bullà Iulij II. incip. In multis §. 10. simul cum alio teste legitimo sufficit ad condemnationem, ergo ipse denuntiator aliàs omni exceptione maior facit semiplenam probationem contra
27 Reum, qui ab eo dicitur præuentus, ne gaudeat Immunitate. Quòd autem in S. Officio denuntiator habeatur pro teste, præter Iulium II. citatum docent *Diana par. 7. tract. 3. resol. 4. de correct. fraternà Rodriq. tom. 2. q. 12. art. 6. Miranda q. 17. num. 183. Riccius par. 4. decis. 361. F. Franciscus de S. Iuliano Ordinis Discalceat. S. Trinit. Redempt. Captiuor. cap 5. Aduert. 6. §. 2.*

Quæritur 9. An dicatur præuentus, qui confessus crimina, de quibus fuit denuntiatus, alia manifestat, super quibus non fuit denuntiatus? e. g. indiciatus fuit de nonnullis Hæresibus, seu Blasphemijs, quas fatetur, addendo in suà Confessione alias diuersas, de quibus non fuit querelatus. Numquid pro istis non denuntiatis dicatur spontè comparere?

28 ℟. Affirmatiuè quia nullo modo potest dici denunciatus, citatus, nec vocatus; ac proinde in nullo præuentus; consequenter quò ad hæc crimina debet gaudere gratià sponte comparentium. Ita videtur sentire Carena par. 3. tit. 18. num. 6. qui distinguit; dubitantem se esse præuentum non gaudere, quia eius confessio videtur facta metu probationum, & citat *Farinac. q. 193. num. 37. qui sicut Decian. lib. 5. Crimin. cap. 56. num. 12. Alphonsum de Castro, & Paramum*, asserentem esse recipiendum ad gratiam, quando est occultus, non aliter; si verò non dubitat, gaudet gratià, quia non dicitur comparere metu probationum, sed spontè ad exonerandum suam conscientiam. Sed dic tu, siue dubitet, siue non, gaudere hac immunitate, quia nullo modo est præuentus, non enim sufficit imaginaria præsumptio, seu quod potuisset denuntiari, sed requiritur, quòd reuera præcesserit denuntiatio cum semiplenà probatione iuxta dicta sub Dub. 1.

Deinde certum est, causam limitatam producere limitatum effectum, consequenter denuntiatio super tali, & tale crimen, non se extendit ad alia, licet sint eiusdē etiā Speciei, aliter causa limitata produceret effectū illimitatum, quod non admittitur maximè in odiosis; ergo in casu nostro denuntiatus nullo modo dicitur præuentus respectu criminum non denuntiatorum, & sic respectu illorum denuntiatus nondum est Reus, sed omninò occultus, ac proinde hæc delicta in denuntiatione non expressà ab eo non dicuntur manifestari tamquam à Reo citato, sed ipsemet dicitur ea spontè deponere contra seipsum, esto putet, super illis fuisse denuntiatum, & sic metu probationum confiteri, quia huic putationi, & imaginationi nihil à parte rei respondet, ex quo non existit denuntiatio, nec probatio talium criminum, consequenter rationabile non est, quòd sit priuatus huiusmodi gratià; non enim est tàm exiguæ entitatis, vt à solà imaginatione eius, quod reuera non 20
est, tollatur, vt patet multis exemplis e. g. qui se putat excommunicatum, cum reuera non sit non priuatur suffragijs, & alijs actibus legitimis, quia Excōmunicatio cum sit pæna realis postulat causam realem, & non imaginariam, & fictitiam. Dicta procedunt, siue ipse fuerit interrogatus, siue spontè se accusauerit de ijs, de quibus non fuerat præuentus, & indiciatus, vt subdit *ipse Carena num. 6. qui ex Pegna par. 3. com. 18.* ait, Iudicem non posse Reum interrogare de his, super quibus non fuit indiciatus.

Quæritur 10. Super quibus interrogandi sunt spontè comparentes?

℟. Interogandi sunt *primò*, quanto tempore 21
in illis permanserint. *Secundò*, si certò crediderint illos errores, vel solùm dubitauerint. *Tertiò* si alios tales errores, vel alios docuerint *Quartò* an ab aliquo eos didicerint. *Quintò*, an præuenti alias fuerint super illis. *Sextò*, an super illis habuerint socios, & complices. *Septimo* an alios errores circa Fidem habuerint *Octauò*, an aliàs fuerint suspecti de Hæresi, aut commiserint alia crimina inferentia suspitionē Hæresis? *Nonò*, an pœniteant de erroribus narratis. Demum admonendi sunt, quòd parati esse debent ad illos, & omnes Hæreses abiurandos, viuendo deinceps Catolicè, & quod caueant ab occultatione ali-

quorum quia si aliquos errores taceant, non dicendo plenam, & integram veritatem de omnibus criminibus, quæ ad hoc Iudicium spectant, non obtinent gratiam, sed seuere puniuntur inuenti mendaces, & diminuti. *Carena par.3.tit.18.num.10.*

Quæritur 11. An sponte comparentes recipiendi sint in foro pœnitentiali Sacramenti, vel solùm in Forò iudiciali?

22 ℞. Nequaquam recipi possunt ad Confessionem sacramentalem, sed tantùm in Foro iudiciali externo, & secreto. Probatur, quia hæc gratia est tantùm pro Foro iudiciali, non sacramentali, de mente Concilij Bitterensis dum enim comparentibus sponte condonat pœnas mortis, immurationis, exilij &c. certum est loqui tantùm in foro externo, non sacramentali, in illo enim, non in isto, pœnitentes eo modo puniuntur. Ita *Direct. part. 3.fol.410.num. 59. Salelles par. 1. Regul. fin. num. 35.*

Quæritur 12. An comparentis confessio in Scriptis redigenda sit, sicut fit confessio citatorum indiciatorum.

23 ℞. Affirmatiuè, quando casus non est omnino occultus, tunc enim confessio iudicialis non recipitur in Scriptis per notariũ, sed ab Inquisit. absoluitur ab Excõmunicatione incursa propter Hæresim imposita salutari pœnitentia. Ita *Direct. par. 3. ante com 12. num. 61. Salelles par. 1. Reg. fin. num. 34.*

Quæritur 13. An sponte comparens debeat abiurare Hæresim?

24 ℞. Affirmatiuè, vel de formali, si fuit Hæreticus formalis, vel de vehementi, si fuit de illa tantùm vehementer suspectus. Ita *Royas Sing. 23. num. 8. de Haret. par. 2. n. 272. Farinac. q. 194. num. 8. ex illis Carena par. 3. tit. 18. num. 9. Alberghinus cap. 40. num. 5.* qui aiunt abiurationem debere esse secretam, quia cum sponte comparuerit, non debet pati palam hunc ruborem. Est autem differentia inter abiurationem faciendam à minori, infra 25. annum, & maiori vltra illud tempus, quia minor abiurat cum clausulà: *Citra pænam relapsi* Maior verò sine illa, quia cum illis semper mitiùs agitur propter ætatem, quam cum istis. Carena num. 12.

Quæritur 14. An dicatur præuentus hic Parmæ, qui denuntiatus ante fuit Cremonæ cum indicijs legitimis?

25 ℞. Affirmatiuè, quia hæc præuentio non loco, sed tempore tantùm mensuratur; vnde Inquisitores in dimittendis sponte comparentibus, eos expediunt cum hac clausula: *Dummodo in aliquo Sancto Officio non sis præuentus* Ita aduertit *Farinac. q. 193. num. 28. §. Et scias. Carena par. 3. tit. 18. num. 11.*

Quæritur 15. An relapsus admittatur ad huiusmodi gratiam Sponte comparens?

26 ℞. Affirmatiuè, nec obstat textus *in cap. Ad abolendam q. de Haret. & super eo 4. eod. in 6.* vbi dicitur relapsos non esse audiendos, licet pæniteant, sed relaxandi sunt bracchio seculari; quia id intelligitur de relapsis præuẽtis; in illis enim textibus sermo est de relapsis citatis & vocatis, & conuictis, qui autem comparet, nõ est præuentus, nec citatus, nec conuictus. Ita *Repertor. V. Relapsus §. Si tamẽ. Castro lib. 2. cap. 2. Menoch. cons. 82. num. 160. Barb. ad dictum cap. 9. num. 20. Farinac. q. 193. num. 36. Carena par. 3. tit. 18. num. 13. Pegna par. 3. com. 12. Vers. sed quid relapsus, Alberghinus cap. 40. num. 11. §. Sed tamen* Ea ratione, quia Sponte comparens non potest præsumi fictè conuersus, sicut præuentus petens veniam, & pœnitens præsumitur non verè sed fictè ad euitandam pœnam mortis.

Quæritur 16. An semel gratiatus, si iterum Sponte compareat, admittendus sit ad Beneficium remissionis?

℞. Negatiuè, ex verbis expressis textus, quę sunt: *Quibus tamen alias huiusmodi gratia non est facta.* Semel igitur huiusmodi gratia vsus non admittitur iterum ad eundem, quia cum prima abusus fuerit, ex falsa conuersione præsumitur abusurum secundà; ex quo recidendo non censetur primà vice ex corde conuersus. quod docet *Carena par. 3. tit. 18. num. 19. §. Dummodo.* 27

Quæritur 17. An post elapsum tempus gratiæ præfixum comparentes gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Gaudent, si non fuerant præuenti, posito tamen legitimo impedimento, quo intra illud tempus comparere non potuerunt, quibus cum solo iuramento sine alià probatione creditur. Ita pleriq. *citati à Carena par. 3. tit. 18. num. 19. §. Secundo.* 28

Quæritur 18. Quando dubitatur an fuerit præuentus, numquid resoluendum est, fuisse præuentum?

℞. Negatiuè, quia in ambiguis fauendum est Reo, ideo concludendum est, ipsum non fuisse præuentum, sed gaudere priuilegio. *Salelles par. 1. Regul. fin. num. 44.* 29

Quæritur 19. An dicatur sponte comparere qui accedit ad quemlibet officialẽ huius sancti Officij, an verò debeat comparere coram Inquisitore, vel etiam Episcopo?

℞. Haberi pro sponte comparente, & gaudere hoc priuilegio, qui compareat coram aliquo eius officiali, seu etiam coram Episcopo. Ratio est, quia omnes officiales vices gerunt Inquisitoris, ac proinde censentur coram illo comparuisse. *Salelles par. 1. Regula fin. num. 3.* Et de Episcopo non est difficultas, cum eadem gaudeat potestate, quam habet Inquisitor, & in his dicatur iudex ordinarius. 30

Quæritur 20. An comparere quoq; possit per amicum, & internuntium?

℞. Admitti comparitionem per internuntium, qui aperit viam ipsi pænitenti, qui aliquando non audet immediate comparere ti- 31

more,

more, & rubore suffusus. Ita ait practicari Salelles cit. num. 32. Facta ergo per amicum relatione, quamuis postea præueniatur etiam cum legitimis indicijs, gaudet immunitate hac, dummodo diù non differat comparere, nisi aliàs sit legitimè impeditus.

Quæritur 21. An Hæresiarcha comparens admittendus sit ad gratiam.

32 ℞. Negatiuè, quia cum alios docuerit, ita se firmauit in sua pertinacià, vt non possit præsumi conuentus spontè, & verè, sed solùm fictè ad euadendas pœnas, ideo non dicitur spontè comparere. Vide allegatos à Sousa lib. 4. cap. 10. vbi aiunt, admittendos, si verè constat eos esse pœnitentes.

Quæritur 22. An suspectus de Hæresi ob blasphemiam, Sortilegium &c. Spontè comparens, & confitens sortilegium &c. sed negans se habuisse prauam Intentionem, sit torquendus?

33 ℞. Negatiuè, sed ei credendum est, cum spontè comparuerit ad accusandos proprios errores, & sicut fatetur illum actum externum sic præsumitur, quòd fassus fuisset prauam Intentionem, si eam habuisset. Ità *Pegna par. 2. com. 59. §. Sed videam, Carena par. 3. tit. 18. num. 16.*

Quæritur 23. An Inquisitores possint facere hanc gratiam quouis tempore, an solùm tempore determinato?

34 ℞. Possunt non solùm temporibus determinatis, sed quouis anni tempore recipere ad gratiam Spontè comparentes. Primum. Tempus gratiæ indicitur *primò*, cum in aliqua ciuitate erigitur nouum Officium Sanctæ Inquisitionis, *Secundo*, cum iam collapsum renouatur. *Tertiò* quando aliquod Regnum, seu ciuitas conuertitur iam infecta, cum alijs Carena par. 3. tit. 18. num. 18. *Secundum* probatur ex praxi, nam Inquisitores quoslibet non præuentos recipiunt ad huiusmodi gratiam, & quandoq. huiusmodi tempus præscribunt, vt fecit Reuer. Ioannes Michael Piò Mediolani anno 1625. & M. Stephanus Boidus Parmæ anno 1641.

Quæritur 24. Gratia, & immunitas sponte comparentium in quo consistat? An nimirum immunes sint ab omni pœna?

35 ℞. Gratia in hoc consistit, vt si aliàs mereretur mortem, carcerem perpetuum, exilium, & confiscationem bonorum, immunes fiunt ab his pœnis, non tamen omnino liberi dimittendi sunt, sed Iudices cum eis mitissimè agere debent, corrigendo illos pœnis salutaribus. Ita *ex Pegna par. 3 com. 12. Carena par. 3. tit. 18. num. 8.* Alia vide apud Sousam lib. 4. Et licet non fiat mentio de pœna triremium, tamen ea cadit sub dispensatione, & gratià, ex eius minoritate.

Quæritur 25. An Religiosi spontè comparentes gaudeant hoc priuilegio?

36 ℞. Affirmatiuè, non enim textus restringitur, sed loquitur indifferenter de Omnibus comparentib. & id videtur doceri à S. Cógreg. quæ decreuit anno 1626. Regulares in S. Officio pænitentiatos, salutaribus pænitentijs exceptis, esse inhabiles ad omnes gradus, & officia suæ Religionis, ergo supponitur ibi, huiusmodi gratiam locum habere etiam in Regularibus, cum pænitentiæ salutares præscribantur Spontè comparentibus, & non citatis, qui puniuntur in foro externo publicè, & non occultè, vt comparentes.

Quæritur 26. An ignorantia præuentionis aliquando excuset comparentem?

℞. Non excusare, quia præsumitur magis scientia, quàm ignorantia, & sic ex metu non sponte comparuisse ex dictis. q. 2. Puto tamen Inquisitorem in sequentibus casibus admittere posse allegatam ignorantiam præuentionis *Primo*, quando præuentus fuit in alià ciuitate. *Secundò*, quando delictum ab vno, vel altero tantùm scitur. *Tertio* si Inquisitor, se reddat difficilem ad recipiendum comparentem, vel aliquem alium gestum, vel motum facit, quo statim comparens pallidus fit vel obmutescit, & fit timidior, iste enim motus de repente superueniens est signum, quod præuentionem ignorabat, & sic sponte censetur comparere. 37 38

Quæritur 28. An iudex laicus puniat de delictis eum, qui antecedenter coram Inquisitore comparuit, à quo absolutus fuit? Pono casum ad me transmissum his verbis Titius sponte comparuit coram Patre Reuer. Inquisitore confessus ritè homicidium Sortilegum, & actus sodomiticos habitos pariter medijs Sortilegijs, obtinuit per hanc comparitionem Spontaneam Absolutionem cum salutaribus pænitentijs. Motus autem fuit ad hanc comparitionem, quia præsciuit, cœptum fuisse processum contra se informatiuum in foro seculari, post præfatam Absolutionem obtentam captus fuit, & in primo examine appellauit, protestando se super illis delictis iam fuisse iudicatũ in S. Officio, vnde Iudex tunc supersedit, interim quærendo, an deberet admittere appellationem?

Respondi, quòd Iudex secularis potest prosequi officium suum, & Titium Reum confessum, vel conuictum legitimè in suo Foro condemnare, quia in Foro secreto sacri Tribunalis absolutus fuit potius à sortilegijs, quàm ab homicidio, & sodomià, ac proinde coram Iudice seculari considerabatur tantùm vt homicida, & sodomita sine Sortilegijs, per absolutionem datam ab Inquisitore, licet non sacramentalem, in quo casu habetur, ac si non peccasset sortilegijs arg. *cap. Ferrum 18. dist. 50.* habetur enim ac si non peccasset, *Bart. & Bald. in l. Imperialis C. de nuptijs.* Et Scotus in 1. dist. 17. q. 2. Vers. Contra, inquit: *Peccator ante pænitentiam est iniustus, post penitentiam est iustus.* 39 40

Et

Et licet eorum dicta referantur ad Sacramentum Pænitentię, nihilominus intelligenda sunt etiam quò ad Forum huius Tribunalis, cum reuera sic comparentibus parcatur quò ad eas pœnas debitas in eo foro commutatas in salutares relatiuè ad sortilegium; homicidium enim, & sodomia in se spectata, non sunt materia huius sacri Tribunalis sed solùm ipsa sortilegia, quæ fuerunt causa perueniendi ad homicidium, & sodomiam. Quare ne hæc delicta iam dictâ sortilegij qualitate spoliata remaneant impunita, ratio dictat, vt perpetrator dictorum delictorum subicijatur debitis pęnis infligendis à Iudice seculari, cui nō obstat confessio Titij cum illis circunstantijs Sortilegij, quia illas non considerat, sed solùm delicta prædicta.

41 Præterea dolus, & fraus nemini debent patrocinari *Cap. Sedes 15. Cap. Ex tenore 16. de Rescr.* Titius autem non spontè, sed metu secularis Iudicij iam cæpti, comparuit coram Inquisitore, non zelo Fidei, & emendationis, sed vt huiusmodi medio effugeret Iudicium seculare, quod tamen illi prodesse non debet, cum sit in fraudem Iustitiæ, quæ non patitur, vt crimina maneant impunita, cap. vt famæ 35. de sent. excom.

42 Demum, Priuilegium hoc comparitionis coram iudice S. Officij prodest solùm respectu eiusdem iudicis, vt docent omnes, dum dicunt, eundem Inquisitorem, qui absoluit, aut alius eiusdem, vel alterius loci, de eisdem delictis iam absolutis nunquam iterum contra eosdem comparentes cognoscere posse, *Salelles par. 1. lib. 2. cap. 8. num. 7.* Quare cum hoc Priuilegium non sit contra Iudices seculares, poterat ille Iudex procedere contra homicidam, & sodomitam contemnendo iniquam appellationem, per quam ille intendebat declinare Forum sui legitimi Iudicis.

SECTIO LIX.

De Probationibus per Indicia.

SVMMARIVM.

1 *Probatio est ostensio rei dubiæ per media legitima coram Iudice competente facta ad aliquid sciendum.*

2 *Ostenditur aliquid tripliciter, Testibus, Indicijs, & Scripturis.*

3 *Iudex intendit quatuor super querelato; Inuestigationem, Citationem, Torturam, & Condemnationem.*

4 *Definitio omnis in Iure ciuili est periculosa. Intellige ruditer data.*

5 *Probatio quadruplex, Leuis, Semiplena, Media, & Plena.*

6 *Leuis ex Indicijs, quæ ferè nihil mouent nisi ad inquirendum.*

7 *Semiplena ex Indicijs sæpe mouentibus Iudicem ad citationem, & torturam.*

8 *Sufficiens vnicum proximum, & vrgens. 12.*

9 *Testis vnicus omni exceptione maior probat ad torturam. 12.*

10 *Mediam probationem faciunt duo Indicia proxima, & indubitata.*

11 *Plena probatio resultat ex duobus Testibus de propriâ scientiâ visuali, vel audibili, maioribus omni exceptione.*

12 *Vnicus Testis de propriâ scientiâ integer probat ad torturam, sicut vnicum indicium indubitatum legitimè probatum. 8. & 9.*

13 *Duo Testes integri sufficiunt ad pœnam ordinariam. Duo indicia proxima ad mitiorem.*

14 *Indicium est delictum probans aliud delictum ab eo procedens.*

15 *Indiciorum, alia Indubitata; alia Dubitata; alia Proxima; alia Remota; alia Leuia, Grauia, & Vehementia, seu Violenta.*

16 *Indubitatum coarctat mentem Iudicis ad credendum determinatè. A lege approbatum dicitur Indubitatum.*

17 *Dubitatum, quod inclinat, sed non cogit.*

18 Proximum *est vicinum delicto, quod infert. Remotum respicit circunstantias.*

19 *Differunt à Testibus probantibus immediatè delictum visum, vel auditum.*

20 Leue *indicium parùm persuadet Iudicem;*

dicem; sufficit solùm ad inquirendum.

21 *Graue frequenter probat delictum, & ad Torturam.*

22 *Grauissimum frequentissimè probat.*

23 *Indicia quamplura numerantur.*

24 *Conditio Patria Indicium primum.*

25 *Cretenses semper mendaces.*

26 *Burgundi, Galli, Asculani, & Perusini faciles ad blasphemandum.*

27 Santo diabolo *apud siculos.*

28 *Educatio Filiorum secundum Indicium.*

29 *Loquacitas mala tertium Indicium.*

30 *Conuersatio quartum Indicium.*

31 *Mala vita quintum indicium.*

32 *Semel malus semper præsumitur malus explicatur.*

33 *Leue est indicium.*

34 *Solitus delinquere sextum indicium.*

35 *Confessio extra iudicialis septimum indicium.*

36 *Dicitur etiam facta coram indice incompetente.*

37 *Torturam inducit quatuor concurrentibus.*

38 *Verisimile, quod non est, non attenditur.*

39 *Confessio extraiudicialis est indicium remotum.*

40 *Non plenè probans Hæresim.*

41 *Testibus contestibus, & integris probatur.*

42 *Fama publica indicium octauum.*

43 *Dubia decem super famà.*

44 *Fama vehemens ritè probata.*

45 *Remotum indicium.* 54.

46 *A duobus saltem fide dignis ortum habet.*

47 *Testes eam probantes integri, licet singulares.*

48 *Fama vires aquirit eundo.*

49 *Auctores Famæ nominandi sunt.*

50 *Fidem ab auctoribus habent Testes.*

51 *Famam definit Testis suo modo.*

52 Probatur per Est, & Fuit.

53 *Orta post carcerationem, immò & post Inquisitionem nihil probat.*

54 *Fama non sufficit ad carcerandum, sine adminiculis.*

55 *Plenè probatur concurrentibus sex requisitis.*

56 *Adminicula Famæ.*

57 *Fuga est indicium nonum, sufficiens ad Torturam facta antè denuntiationem.*

58 *Iusta tamen causa excusat.*

59 *Fuga iustificatur per spontaneam comparitionem.*

60 *Et causam saltem coloratam.*

61 *Fuga post denuntiationem inducit Torturam.*

62 *Fugiens è carceribus S. Officij non est habendus pro conuicto, nec confesso.*

63 *Fuga tamen auget suspicionem.*

64 *Cur in alijs fugiens habetur pro confesso, & conuicto.*

65 *In delictis S. Officij duo spectantur, ipsum, & suspicio Hæresis.*

66 *Variatio in respondendo indicium decimum.*

67 *Testis varius torquetur.*

68 *Non vero Reus.*

69 *Contumacia indicium vndecimum.*

70 *Contumacia infert Torturam.*

71 *Contumax infra annum comparere potest ad probandum suam innocentiam.*

72 *Nihilominus torquetur super intentione.*

73 *Socij dictum est proximum indicium, & duodecimum.*

74 *Non integer.*

75 *Probat cum adminiculis ad Torturam.*

76 *Socij duo probant ad Torturam.*

77 *Etiam si sint singulares.*

78 *Qui si sint mille tantùm probant, quantum vnus, qui non probat explicatur.*

79 *Socij patientes alios [illegible] probant.*

80 *Dicta Socij [illegible] delicti*

81 *Torquendus non est Socius in crimine Hæresis.*
82 *Societas intelligitur circa idem delictum.*
83 *Assertio vulnerati indicium decimum tertium; nihil probat.*
84 *Testis nemo legitimus in propriâ causâ.*
85 Testificor, quia ego Deus tuus sum. *Psal.* 49. 7.
86 *Res inuenta indicium* 14.
87 *Pedis vestigium indicium* 15.
88 *Allocutio secreta indicium* 16.
89 *Minor ætas non admittit Testem nisi post* 14. *annum, est indicium decimum septimum.*
90 *In ordine ad pœnam, nisi post vigesimum.*
91 *Solicitatio coram iudice indicium* 18. *& vltimum.*
92 *Præsumptio est probatio vnius delicti ex alio.*
93 *Præsumptio hominis, quæ non est expressa in iure.*
94 *Hac nullus condemnatur.*
95 *Præsumptio temeraria, quæ caret ratione.*
96 *Præsumptio iuris est illa, quæ pro veritate habetur.*
97 *Transferens onus probandi in aduersarium.*
98 *Officialis præsumitur benè gessisse suum officium.*
99 *Præsumptio iuris de iure est ipsius dispositio non admittens probationem, nisi indirectam.*
100 *Præsumptio in causis Fidei est Iuris, de Iure.*
101 *Præsumptio se tenet ex parte Iudicis, suspicio ex parte Rei.*
102 *Præsumptio leuis est illa, quæ rarò infertur ex delicto.*
103 *Grauis, quæ sæpæ infertur.*
104 *Violenta quæ frequentissimè, imo semper infertur.*
105 *Delictum inferens debet esse legitimè probatum.*
106 *Per Testes de propriâ scientiâ.*
107 *Omni exceptione maiores.*
108 *Qui possunt esse singulares.*
109 *Condemnari nemo potest ad pœnam ordinariam ex Præsumptionibus.*
110 *Etiam in causis Fidei.*
111 *Condemnatus tamen in pœnam suspicionis, hoc est, ad Abiurationem.*
112 *Plura indicia imperfecta coniunguntur.*
113 *Indicia sunt arbitraria Iudicibus.*
114 *Fama bona in genere elidit malam.*
115 *Non tollit malam in specie.*
116 *De concursu Præsumptionum, & de axiomatibus earum ad* 135.
136 *Præsumptio est opinio.*
137 *Præsumptiones sunt inuentæ propter difficultatem probationum.*
138 *Ita etiam Opiniones, quia Intellectus non potest cognoscere omnia obiecta sicut sunt in se.*

ABsolutâ delictorum ad S. Officium spectantium tractatione, opus est agere de Probationibus necessarijs ad consequendam veritatem super delictum eius, qui in hoc sacro Tribunali denuntiatus fuit, antequam citetur ad respondendum super ijs, quæ ipsi obijciuntur. Pro qua re.

Quæritur 1. Quid sit Probatio.

℞. Probatio est ostensio rei dubiæ per media legitima coram Iudice competente facta ad aliquid sciendum. Collegi eam definitionem ex initio tit. C. de Probat. Vbi dicitur, *quod est rei dubiæ per argumenta Ostensio.* Nomen *Ostensionis* latè sumitur pro qualibet demonstratione morali, quæ tripliciter exibetur; primò per Testes de scientiâ propriâ delicti oculari, seu auriculari. Secundò, per Indicia, quæ immediatè non attingunt delictum, sicut faciunt Testes. Tertiò per Scripturas ipsius delinquentis recognitas. Quæ comprehenduntur sub illis verbis *per media legitima*, quæ Glosa appellat *argumenta*. Reliqua verba *coram iudice competente facta ad aliquid sciendum,* pertinent ad rationem differentiæ, nam multa ostenduntur alijs, quàm Iudicibus, & quandoq; etiam, quæ sciuntur. 1 2

Dixi *coram Iudice competenti*, quia aliter probationes factæ non valent ad aliquid quia non entis nulli sunt effectus. Vide Guazio.

zin. Defenf. 1. cap. 1. Et in hoc conueniunt omnes. Dixi 2. *Ad sciendum aliquid*. Iudex enim super querelâ sibi porectâ primò inuestigare debet, an debeat inquisitionem facere, & posito quòd sic. Secundò quærit an debeat citare Reum verbaliter, an realiter dando scilicet mandatum de eius capturâ, & in-
3 carceratione. Tertiò, an subijcere Torturæ, si neget delictum. Quartò demùm quibus pœnis debeat plectere confessum, vel conuictum de delicto, Alia circa definitionem, & diuisionem Probationis dixi latius in mea Praxi impressà tomo 5. Lugduni cap. 5.

Displicet mihi, quod aliqui dicunt cum Saliceto & Marsilio in Rubr. de Probat. in Codice; nimirum in Definitionibus in legali scientià, parum, aut nihil esse vtilitatis; hoc enim dicere absurdum est; cum circunstantijs, & alijs cõsideratis cõditionibus facile deduci possit bona, & vtilis definitio, ex qua benè intellectà plurium quæstionum infertur resolutio, soleo enim dicere, quòd definitio est sermo decisiuus quæstionum. Nec obstat Reg.
4 203. *ff. de regul. iur.* quòd omnis definitio in Iure ciuili est periculosa, rarum est enim, vt non subuertatur. Quia ibi sermo est de definitionibus imperfectis, quibus aliquid deest; nec mirum est, si aliquando receditur à regula definitionis, quia exceptio obiecta
5 firmat in alijs regulam, & materiæ morales aliter tractari non possunt, quia earum scientiæ, & cognitiones versantur circa singularia, quæ tales exigunt exceptiones.

Quæritur 2. Quot sunt species Probationis, seu potius gradus illius? Vide Farinac. q. 36. à num. 11. & meipsum præcitato cap. 5. vbi num. 10. statui eius quatuor species, quæ sunt Infima, Semiplena, Media, & Plena. Modo reduco ad tres gradus.

6 ℞. Probatio triplex, Infima dicta Leuis; Semiplena seu Grauis, & Plena, quæ & Grauissima appellatur. De singulis aliquid dicam.

Leuis probatio est illa, quæ Iudicem parum mouet ad credendum contra delinquentem, quia ex eius Indicijs rarò veritas colligitur, & vt plurimùm abest, & ideo dicitur infima, & parui momenti; nihilominus aliqualiter mouet Iudicem, saltem ad inquirendum. Exemplificant in dicto testis inhabilis, assertione vulnerati, famà, & similibus Indicijs remotis, quæ sufficiunt ad inquirendum tantùm, non ad capturam, multò minus ad Torturam, licet quandoq; sufficiant etiam ad capturam, quando timetur fuga delinquentis. Doctores cito infra de leuibus Indicijs, nam ab illis Probatio denominatur *leuis*.

7 Grauis est illa Probatio semiplena nuncupata, quæ componitur ex Indicijs, quæ frequenter probant delictum. Et ista sufficit sine dubio ad carcerandum, & torquendum Reum, si neget delictum, & si abest ad transmittendum inquisitionem factam contra ipsum, seu vt aiunt, *Inquestrum*, vt compareat ad respondendum. E. g. Fuga delinquentis ante querelam. Ita *Farinac. q. 36. num. 52. & seq.* Sufficit autem vnicum Indicium, proximum tamen, & vrgens ad Torturam, vt docent *Pegna par. 3. com. 110. Vers. Cæterum non video*, *Diana par. 4. tract. 5. resol 6. Carena par. 3 tit 10 num. 16. Farinac. q. 37 num. 45. Guazin. Defens. 30. cap. 4. nu. 12. Franciscus Pitigianus in sua Praxi subst. 2. de Indicijs cap. 7. Vers Grauia*, *Franciscus à S. Iuliano Ordinis Discalceat. Redempt. Captiu. in suo Tribun. Regul. cap. 1. Aduert. vlt. num. 4.* Sufficit etiam vnicus Testis omni exceptione maior ad inferendam Torturam. *Farinac. cit. num.* 54. In nostris terminis *Pegna cit Diana cit. resol. 6. Carena num. 29.* 8 9

Probationem, quam vocaui Mediam inducunt ad minus duo Indicia proxima, & indubitata, quæ sufficiunt legitimè probata ad pœnam extraordinariam, & mitiorem. Et hinc apparet differentia inter probationem semiplenam in ordine ad Torturam, quæ constituitur ex vno teste legitimo, vel ex vno Indicio proximo; & probationem Mediam, quæ requirit plura Indicia proxima & indubitata ad inducendam pœnam extraordinariam. Alia est differentia, quòd maior est probatio per plura indicia, quàm per vnicum Ad pœnam ergo extraordinariam sufficiunt ad minus duo Indicia indubitata, vt docent. *Pegna par. 2 com. 80 Vers. sed banc sententiam Farinac q. 187. num. 9. cum alijs Salelles Regula 177. num. 26.* 10

Qui hanc probationem vocat semiplenam Hoc mihi displicet, quia species probationum rectè inter se distinguuntur per illa quatuor; inquirendi scilicet, torturandi, & puniendi pœnâ extraordinariâ; cum alius gradus Probationis requiratur in vno, alius in altero; patet enim ad torturam sufficere vnum Indicium indubitatum, ad pænam verò extraordinariam requiri plura, ad ordinariam plenam, de qua mox dicam.

Plena Probatio quæ propriè luce clarior appellatur, & grauissima est illa, quæ oritur ex duobus Testibus occularibus, vel auricularibus deponentibus ex propriâ scientiâ attingentibus immediatè per suum visum, vel auditum delictum ipsum; qui sint contestes nullam patientes exceptionem ratione personæ, aut respectu suorum dictorum. Et per hoc Iudex mouetur certissimè ad condemnandum Reum in pœnam ordinariam, sic conuictum, vel confessum. Et in hoc conueniunt omnes, quos citat *Barb. ad cap. Literis 12. de præsumpt. Farinac. decis. 35 lit. E. & decis. 69. lit C. & B.* Asserentes pæna ordinariâ non posse puniri inuentum cum fæminâ in lecto, nudum cum nudâ, sed tantùm ex- 11

traordinariâ, quia illæ circunstantiæ faciunt solùm probationem vrgentem, & indubitatam de copulâ sufficientem ad pænam extraordinariam, non verò ad ordinariam, quia copula visa non fuit, sed tantùm illæ circumstantiæ.

Quæritur 3. Quid requiratur, vt probatio sortiatur suum effectum? Duo potissimùm effectus considerantur in probatione, nimirum Tortura, & condemnatio.

12 ℞. Ad Torturam sufficit vnus Testis maior omni exceptione, ac proinde masculus, legitimæ ætatis; vel vnicum Indicium proximum, & indubitatum per duos Testes omni exceptione maiores probatum, non solùm contra hominem malæ famæ, sed etiam bonæ. De vnico Teste omnes *cum Farinac. q. 37. num. 58. Miranda q. 26. num. 101. Spatharius tract. 9. cap. 26. num 3. Riccius par. 2 dec 269 Castropal. par. 1. tract 4. disp. 8. p. 9 num. 5. Carena par. 3. tit. 5. num. 73. & tit* 10. *num.* 29. De vnico Indicio proximo legitimè probato Farinac. q. 57. num. 54. alios citaui hic num. 8.

13 ℞. 2. ad condemnationem quamcunq. requiruntur duo, vel Testes, vel indicia indubitata legitimè probata; ad pænam quidem Ordinariam duo Testes contestes omni exceptione maiores, *ex Deuter. cap. 17. num. 16. cap. 19. num. 15. l. Vbi 12. de testib. cap. 1. &* 2. 2. *q.* 1. Est communis apud *Farin. q. 63. à num* 232. *Guazin Defens. 33. cap. 14. num.* 5 Illi autem Testes de propria scientiâ debent proferre testimonium, *cap. Tam literis 23 cap licet. 47. de testib.* Testimonium ergo debet esse de visu, seu auditu proprio, *Farinac. q. 69 num. 148. Miranda de ordine iudic. q 17. num 19 Carmelita ab Angelis cap. 14. num. 25. Dixi in Praxi cap. 5. num 22.* Ad pænam extraordinariam inferendam sufficiunt Indicia proxima, *iuxta dicta sub num. 8. de probatione mediâ, & sect. 43. q 5. num. 31.*

Pro explicatione illorum verborum *Per media legitima* positorum in definitione probationis sub num. 1. videndum est in sequentibus, quid, & quotuplex sit Indicium quod est medium legitimum ad faciendam Probationem semiplenam, & mediam, sicut duo Testes ex propriâ scientiâ contestes, & omni exceptione maiores faciunt probationem plenam, & concludentem, & veniunt sub eisdem verbis *Per media legitima.*

Quæritur ergo 4. Quid sit indicium?

14 ℞. Est signum probatiuum delicti. Vel clarius. Est factum, vel dictum, ex cuius ostensione probatur delictum non ex necessarijs, sed ex probabilibus tantùm argumentis, à quibus potest quidem abesse Veritas, non tamen verisimilitudo commissi criminis. Ita *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 7. num. 6. Farinac. q. 36. num.* 28. *Sousa lib. 2. cap. 25. Carena par. 3. tit.* 10. *num. 4. Salelles lib. 2. cap. 5. num.* 140. *Ego in Praxi cap.* 51.

Quæritur 5. Quotuplex sit Indicium.

℞. Relictis inutilibus diuisionbus pono tres diuisiones. Prima est in indubitatum, & Dubitatum. Secunda in Proximum, & Remotum. Tertia in Leue, Graue, & Grauissimum. Secunda tamen incidit cum primâ. 15

Indubitatum est illud, quod mentem Iudicis ita coarctat ad vnum credendum, vt non possit inclinare animum suum in contrariam partem. E. g. repertus solus cum solâ in lecto hoc indicium arguit copulam, & non oppositum. Exiens è domo interfecti cum gladio euaginato sanguine asperso, in qua nullus erat præter ipsum, qui posset occidere. Hæc & similia indicia ita Iudicis animum mouent ad credendum copulam, & homicidium esse perpetrata, vt aliter sentire non possit *Farinac. q. 36. num.* 37. *vbi num.* 40. dicit, indicium à lege approbatum dici indubitatum. Et hoc facit mediam probationem ad pænam extraordinariam. Dicitur vrgentissimum, violentum, & proximum, quia cogit Iudicem ad credendum quod indicat. 16

Dubitatum verò est illud, quod Iudicem inclinat ad credendum illud, quod per ipsum ei indicatur, sed non cogit, nec restringit ad delictum indicatum. Vt fama, vicinitas &c. sunt leuia, faciunt probationem infimam ad inquirendum, vt dixi num. *6.* 17

Proximum Indicium est illud, quod vicinum est delicto, inferens illud. Vnde parum differt ab indubitato. Remotum verò, quod respicit circunstantias longè à delicto, & sic concidit cum Dubitato Indicio. Et id suadetur, quia Doctores in exemplificando ponunt eadem indicia in memoris vtriusq. diuisionis. Tamen Doctores communiter sic definiunt. Proximum est illud quod immediatè per sensum visus, vel auditus respicit delictum. Remotum, quod respicit delictum per circunstantias illius. Ita *Farinac. q. 36. num. 44. Sousa lib. 2. cap. 25. num. 2. Carena par. 3. tit. 10. num. 7. Salelles lib. 2. cap. 5 num. 146.* 18 Displicet definitio, quia ea competit magis Testibus ocularibus, & auricularibus, quàm ipsis Indicijs; siquidem probatio, quæ fit immediatè per Testes delictum percutientes, dicitur facta per Testes, non per indicia, ergo Indicijs proximis non potest competere allata definitio, qua dicunt indicium proximum esse illud, quod immediatè per sensum visus, vel auditus respicit delictum, quod propriè dicitur de Testibus, qui perpetrationem delicti proprijs oculis, vel auribus senserunt. 19

Leue indicium est illud, quod non multum, sed parùm persuadet delictum, quia rarò adest, & frequenter abest; sufficit ad inqui- 20

inquirendum, & capturam secundum Clarum apud Farinac. q. 36. num. 51. Exempla ponunt in famâ, in inimicitiâ graui, in assertione vulnerati, Franciscus Pitigianus *in suâ Praxi crimin. Subst. 2. cap. 7. Vers. indiciorum ex Claro quæst.* 20. Probationem per leue Indicium vocaui sub num. 6. infimam. Potest etiam dici Indicium remotum, quia probat per circunstantias longè à delicto.

21 Graue est illud, quod frequenter probat delictum ex suâ verisimilitudine; sufficit ad torturam eius, qui est carceratus; & ad transmittendum inquisitionem, seu Inquestrum ad absentem vocatum ad respondendum. *Farinac. q. 36. num. 52. Pitigianus cit. Vers. Grauia. Franciscus de S. Iuliano ordinis Discalceat. Redempt. Captiu. in suo Tribun. Regul. cap. 1. Aduert. vlt. num. 4.* Hoc Indicium constituit probationem semiplenam, & vocari potest Indicium proximum, vt est fuga delinquentis ante querelam.

22 Grauissimum, quo frequentissimè probatur delictum, vnde & indubitatum vocatur. Ita præcitati *Farinac. num. 49. Clarus initio, Sousa num 4. Pitig. Vers. Grauissima, de S. Iuliano num. 5.* Vocatur manifestum, & violentum. Exempla sunt repertus in lecto solus cum solâ, euaginatus gladius sanguine aspersus &c. relata sub num. 15. ac proinde dici potest Indicium indubitatum, & ab eo specificatur probatio media, qua Reus condemnatur ad pœnam extraordinariam.

23 Modò agendum est de Indicijs in suis speciebus, quæ inter alia numerantur sequentia. Qualitas patriæ; Educatio filiorum; Loquacitas; conuersatio hominis cum homine; Vita ante male acta; Confessio extraiudicialis; Fama; Fuga; variatio Rei, Contumacia; Societas; Assertio vulnerati; Res inuenta in domo alienâ, Aloquutio secreta. Testis minor; Solicitatio coram Iudice de procedendo contra aliquem; Riualitas in amore. De singulis hoc ordine dicendum in subiectis quæstionibus.

Quæritur 6. Super Indicio conditionis Patriæ?

24 ℞. Conditio patriæ est Indicium arguens delictum in personis illius patriæ, quæ suspecta habetur. Colligitur ex Sacris Literis in Epist. S. Pauli ad Titum cap. 1. 12. *Cretenses*
25 *semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri testimonium hoc verum est ex l. Quod si nolit, §. Qui mancipia ff de adilib edict.* Vnde Episcopi inquirunt, cuiusnam patriæ sint, qui volunt ordinari, *cap Quando 5 dist. 24.* Vbi Glos. V. Patriam citat præfatum legis textum. Ita *Carena par. 3. tit. 3. num. 14. alijs citatis, qui num. 15 ex Simanch. tit. 5. de Instit. Catol tit. 50. num. 9.* ait, quòd hæc præsumptio, seu Iudicium magis vrget esse Hæreticum Angium, & Germanum, quàm Italum, & H[illegible] d[illegible]prehensum in manducatione carnium diebus prohibitis, quia ibi grassantur Hæreses, cum non puniantur.

Noto primò, ex Deciano lib. 6. cap. 2. de Blasphemiâ num. 24. quòd Burgundi, & Galli, qui militiæ vacant, de quibus expressè cap. Si gens dist. 56. Asculani, & Perusini maximi sunt blasphemi. Sed audio, fere totum mundum esse Gallum, Asculanum, & Perusinum. 26

Noto secundò, in Sicilia inoleuit praua consuetudo blasphemandi sic, *Sancto diabolo*, tribuendo, quod nunquam habuit. Lupus super Edictum lib. 23. dist. 2. d ffi. 1. dicit, propter hanc consuetudinem eam Blasphemiam apud alios hereticalem, esse solùm simplicem apud Siculos, de qua etiam testatur *Albergbinus noster Siculus cap. 16. num. 10 Dixi sect. 33. num. 52. ad* 54. Itaq. hoc Indicium aliquibus est vtile & bonum, alijs præiudiciale, Siculis bonum; Anglis, & Germanis malum, apud quos dici potest Indicium indubitatum. 27

Quæritur 7. De indicio educationis Filiorum.

℞. Educatio filiorum à malis parentibus est argumentum, & indicium ad præsumendum contra filios, qui paterna vitia præsumuntur sequi *Ex Bald. Vol. 1. cons. 95. Carena par. 3 tit. 3 num 21.* 28

Quæritur 8. De loquacitate, seu malâ locutione.

℞. Locutio mala est Indicium præsumendi contra obloquentem, quia maledicta præsumuntur male præmeditata, inquit enim S. August. relatus cap. Is autem 4. 22. q. 2. Verba sunt inuenta, vt quisq. in alterius notitiam cogitationes suas proferat, sunt enim notæ secundum Aristotelem, earum passionum, quæ sunt in animâ; vnde Christus Matth. 15. 18. dixit: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Qui ergo malè loquitur de Fide, de ea non potest præsumi benè sentire, ac proinde censetur Hæreticus. Ita *Royas par. 1. de Hæresi num. 602. Carena par. 3 tit. 3. num. 24.* [illegible]re hæc Indicium est proximum, aliàs remotum. 29

Quæritur 9. De conuersatione vnius hominis cum alio.

℞. Conuersatio cum bonis arguit bonum, cum malis malum, iuxta illud Psal. 17. 26. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Prouerb. 22. 24. *Noli esse amicus homini iracundo, neq. ambules cum furioso, ne fortè discas semitas eius.* 30

Conuersatio autem non solùm personalis & collocutionis, sed etiam inter absentes contingit per literas, aut per missionem munerum, vt alijs notatis dicit *Carena par. 2 tit. 4. num. 62. & seq. qui num. 69.* ait esse indicium sufficiens ad Torturam contra conuersan-

uersantem *ex Baldo Vol 3. consf. 79. Royas par. 2. de haret. num.* 77. Loquuntur de conuersatione cum Hæreticis. Est autem Indicium proximum. In alijs quoq. causis, & delictis est Indicium sufficiens ad Torturam adiunctis adminiculis, *Farinac. q. 52. num.* 85. *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q 89. num.* 125.

Quæritur 10. De Indicio malæ vitæ.

31 ℞. Mala vita arguit hominem vitiosum, sicut bona indicat illum virtuosum, iuxta illud Matth. 7. 16. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Vnde *cap. Miramur 4. dist. 61.* dicitur, quòd vita prior est testimonium cuiuscunq; nam vita bona ante acta dat præsunptionem in futurum, Tiraquel. de pœnis temper. caus. 51. num. 3. Sicut mala nonnisi malam arguere potest.

Hoc indicium, firmatur illo axiomate Reg. 8. in 6. *Semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali*. Donec constet, quod pænitentiam egerit, quæ cum sit quid [illegible] non præsumitur, sed probatur; ideo ex priori delicto præsumitur contra aliud simile, *ex allegatis à Barb. Axiom. 142. num. 3. Carena. par. 3. tit. 3. num. 22. & 23.* Procedit in eodem genere mali, quia ex diuersis non fit illatio, sed ex eisdem. Vnde semel damnatus de Hæresi, vel de alio delicto arguente eius Suspicionem, de eo semper timendum est. Ita *Simanch. de catol. instit. tit. 50 num. 15. Paramus lib. 3. q. 9. num. 60 Albertinus q. 25. num. 14. apud præcitatum Carenam num. 22.*

32 Axioma hoc patitur nonnullas exceptiones. *Prima sit*, non valet præsumptio ab uno ad aliud delictum diuersæ speciei, vt dixi supra. *Secunda* quando constat, semel malum factum fuisse bonum per pænitentiam, non potest præsumi contra illum; habetur enim ac si non peccasset, vt dixi sect. 58. num. 41. Menoch. tamen ait adhuc axioma valere, quia per Pænitentiam non tollitur præsumptio malitiæ. Et id puto verius, quia axioma nullibi fere haberet locum, cum quisq. in Paschate confiteatur. *Tertia*, non habet locum in peccato luxuriæ, quod licet fuerit vehemens in iuuentute, tamen præsumitur extinctum in senectute, secundum *Bartol. in l. is cui §. ijsdem ff. de accusat. num.* 8 Sed adhuc viget igniculus dicebat ille vir sanctus: Beatus, qui superat Carnis tentationes, quia melior est, & fortior Martire, quia pugna est continua, rara victoria. *Quarta*, præsumptio procedit respectu futurorum, nam respectu præsentium est sola suspicio, inquit Alciatus Reg. 2. præsumpt. 7 *Quinta*, non habet locum in crimine occulto ex eodem Alciato, quia ex occulto, & ignoto nihil deduci potest, debet ergo constare ex actis publicis, vel notorijs. Ita Pitigianus in 2. subst. fol. mihi 149.

Hoc autem indicium leue est, de se insufficiens ad torturam, inquiunt *Anchar. super Reg. 8. in 6. Alciatus cit. num. 3. Barbosa eos citans* super dicta Reg. num. 10. 33

Solitus delinquere habet maiorem præsumptionem contra se, quàm si semel delictum perpetrasset, quia non dicitur tunc solitus. Consuetudo autem delinquendi respectu eiusdem criminis legitimè probata dat Ius torquendi, quando probatur intra triennium deliquisse in eodem genere, aliàs si illud delictum, super quo fuit querelatus non commisit intra illud triennium, non torquetur præcise ex hoc. Ita *Royas singul. 194 num. 9 Riccius par. 2. decis. 159. num. 14. Spatharius tract 8. cap. 3. num. 5.* Qui dicit esse leue Indicium respectu aliorum delictorum alterius speciei, num. 3. 34

Quæritur 11. Quale Indicium sit confessio extraiudicialis?

℞. Est indicium remotum à delicto contra ipsum confitentem, qui propter hoc torquetur, si negat delictum. Ita *Clarus q. 21. Vers. confessio, Pegna par. 3. com. 110. vers. Cæterum non video, Peguera dec. crim. 17. num. 3. Farinac q 36. num. 34. Giurba cons. 87. num. 20 cum cit Carena par. 3. tit. 10. num.* 58. Extraiudicialis censetur etiam ea, quæ fit coram Iudice incompetente, vt à Clerico coram Iudice laico, vel alio priuato homine, parte presente, vel absente, ibidem *Carena num. 59. Salelles lib. 2. cap. 3. num. 56.* 35 36

Vt autem confessio extraiudicialis inducat Torturam contra confessum extraiudicialiter, requiruntur quatuor condiciones. *Prima*, quòd sit verisimilis, quod enim non est verisimile habet Speciem falsitatis, *Bald. in l. 1. ff. de Seruis fugit num 9 Surd. decis 23. num.* 15. Quod enim verisimile non est, non attenditur, *Cap. Quod verisimile, de præsumpt. l. fin. ff.* quod metus caus. *Secunda*, quòd propria Confessio exprimatur cum loco, & tempore; ita quòd non sufficit generalis, *Menoch. lib. 1. de præsumpt. præsumpt. 49. num. 20. Guazin. Defens. 32. cap 34. num. 9. Tertia*, quòd sit facta seriò non iocosè, nec ex iactantiâ, *Menoch. num. 19. Guazin. num. 10. Vers. Idemq. erit.* Neque ex iracundiâ. *Glos. V. Admonita cap. Ex literis. 5. de diuort. Mascard. conclus. 350. num. 20. Quarta.* debet Confessio hæc esse probata duobus Testibus, cum sit indicium remotum *Menoch num. 21. Guazin. num. 13. Mascard concl. 379. num. 1.* Requirentes, quod hi duo Testes sint omni exceptione maiores, & contestes, De his quatuor conditionibus agunt *Carena par. 3. tit 10. à num 60 ad 64. Diana par. 4. tract 6. resol. 12. Ego in Praxi Cap. 63. Albergin. cap. 39. num. 4. ad 7. Dal Bene Dub. 192. Sect. 20.* qui *num.* 10. *cum* Pegna *par. 3. cum 118. in Append. Geneuens.* 37 38 39

uens. cap. 8. *num.* 3. *Miranda de ordine iudic. q.* 26 *art.* 7. *concl.* 2. *ab eo citatis*, dicit, prædicta de Confessione extraiudiciali habere locum etiam in confessione factâ coram Iudice non competente. Demum, qui talem reuocauit confessionem, probando errorem, euitat Torturam, vt docent omnes *cum. Farinac. q.* 82. *num.* 28. *Miranda cit. concl.* 1. *Dal. Bene num.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 10 *num.* 63.

An per huiusmodi Confessionem plenè probetur Hæresis; Affirmant *Albertinus q.* 25. *num.* 10. *ex eo Farinac. q.* 82. *num.* 21. *cum alijs Alberginus cap.* 39. *num.* 10. quia quæ in animo consistunt Confessione probantur; sed Hæresis consistit in Intelectu, & Voluntate, ergo confessione probatur; talis enim præsumitur voluntas loquentis, qualem in-
40 dicant verba ab eo prolata. Sed oppositum sentio; sufficere tantùm ad Torturam, non ad condemnationem Ordinariam, quia tale Indicium est remotum à delicto, ergo non potest illud confere. Nec vrget ratio, quia Hæresis non plenè Probatur per confessionem extraiudicialem, sed tantùm per Iudicialem, aliter non esset differentia inter vtramq. sed æqualiter probarent, quod dicere absurdum est.

41 Quòd testes probantes confessionem extraiudicialem in ordine ad Torturam debeant esse maiores, & contestes docent *Farinac consil.* 115 *num.* 23. & 24. *consil.* 174. *num.* 5 *consil.* 182. *num.* 3. *Guazin Defens.* 32. *cap.* 34 *num* 13. *Carena par.* 3 *tit.* 10. *num.* 63. *Sousa lib.* 2 *cap.* 21. *num* 9 *quos citaui in Praxi cap.* 19. *num.* 84. Licet alij teneant sufficere, quòd sint singulares loco, vel tempore, quos citaui cap. 64. num. 13. ob rationem ibi adductam, quæ spernenda non est; tamen non vrget, quia si Testes non conueniunt loco, & tempore, iam eadem numero confessio non probatur à duobus sed bina à singulis.

Quæritur 12. De famæ publicæ Indicio?
42 ℞. Fama est bona, vel mala opinio de vitâ alicuius. Vel est opinio voce manifestata in populo super delicto alicuius, quæ orta à tempore delicti paulatim volat, & propagatur per ora hominum. De illa plura dixi in Praxi cap. 52. De ea occurrunt plura dubia, quæ sunt sequentia.

43 Primum dubium quid sit Fama vehemens? *Secundum*, an sit Indicium remotum, an leue, vel graue? *Tertium*, an Fama ab vna persona orta, à qua fuit diuulgata probet aliquid? *Quartum*, quot, & qualibus Testibus probetur fama? *Quintum*, an in probatione nominandi sint auctores famæ? *Sextum*, an credendum auctoribus, qui sunt malæ Famę? *Septimum*, an Testes debeant explicare quid sit Fama? *Octauum*, an probetur per verba fuit, & est? *Nonum*, an orta post carcerationem probet? *Decimum*, an probata sufficiat ad inquirendum, capiendum, & torturandum querelatum?

Primo dubio respondetur; Fama vehemens dicitur illa, quæ orta à personis bonis probatur ex causis, & coniecturis verisimilibus, iuxta dicenda in sequentibus dubijs, *Farinac. q.* 47. *à num.* 31. *ad.* 35. A legitimâ ergo probatiõe denominatur vehemens, quia tunc vrget, & operatur aliquid contra infamatum. 44

Secundo Est Indicium remotum à delicto, vnde vocatur falax, quà peior Testis inueniri non potest. Ita omnes cum *Farinac. q.* 47. *num.* 164. *Castropal. part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 9. *num.* 9. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num* 64. Et quamuis legitimè probata dicatur vehemens; tamen adhuc remota nuncupatur, quia probatio non approximat eam delicto, sed solùm illi tribuit gradum vehementiæ mouentis Iudicem ad aliqualiter credendum. 45

Tertio, Fama debet ortum habere Saltem à duabus personis Fide dignis, non mendacibus, ita quòd vna nõ facit famã publicam, ita colligo ex cap. Qualiter 24. de accusat. ibi: *Et fama ad aures Superioris peruenerit non quidem à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis, & honestis.* Quare ab vno tantùm orta, etiam Fide digno nihil probat, quia ea oritur ex pluribus auctoribus viris probis, ex mox dictis. Ita *Decius cons.* 37. *num.* 10. *Osascbius decis.* 101. *num* 17. *apud. Rubeum. ad decis.* 257. *num* 7 *part.* 4. *tom.* 2. 46

Quarto, ad probandam Famam requiruntur duo Testes omni exceptione maiores ratione personæ, etiam singulares deponentes de Famâ, non est tamen necesse explicare, quòd res sit nota maiori parti communitatis. De duobus Testibus patet, quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. Est comunis, *Farinac. q* 47. *num.* 208. *Ciriacus contr* 50 *num.* 49. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num* 66. *Saleles lib.* 2 *cap.* 2. *num.* 117. Legitimis, & integris. Prædicti *Farinac. num.* 210. *Carena num* 68. *Barb. ad cap. qualiter* 24. *de accus. num.* 10. De singularibus. *Alexander vol.* 1 *cons.* 51. *col.* 3 *Cephalus cons.* 437 *num.* 54. *Carena num.* 69 *Barb ad cap. In omni.* 4. *de testib. num.* 44 *Farinac. num.* 265. Ratio est, quia Fama paulatim crescit, & fit publica, iuxta illud Virgilij 4. Æneidum. 47

Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget, viresque aquirit eundo. 48

Non est autem necesse, quòd testes addant, se a pluribus alijs audisse, sed sufficit deponere, publicè ita dici. *Farinac. q.* 47. *num.* 257. *Carena num.* 69. *Ludouis. dec.* 273. *Mastrillus dec.* 295. *num.* 12. contra Bartolum ab omnibus derelictum.

Quinto, Testes debent nominare personas, à quibus audierunt, cum illæ sint auctores 49

res Famæ, ad eum finem, vt Iudex sciat, an Fama ortum habeat a personis Fide dignis, an à maleuolis, ex tertio dubio supra explicate, aliter si non nominantur auctores nihil probatur *Farinac. q. 47. num. 226. ad 239. Carena num. 68. Barb. ad. cap. Qualiter 24. de accusat. num.* 10.

50 Sexto, non est credendum; si auctores sunt malæ famæ ex eod. cap. *Qualibet ex Dub.* 3. quia Testes totam Fidem accipiunt ab Auctoribus, ergo si his non est credendum, nec Testibus; esto enim probent famam, non tamen probatur principale intentum, quod est delictum, dum Fama oritur ex radice infectā. Farin. q. 47. num. 11. 26. 153. & 156.

51 Septimo, interrogatus quid sit Fama? respondere tenetur non scientificè, non scholasticè, sed more vulgi exponendo eam verbis iuxta suam capacitatem. Ita *Scaccia de Iudic cap* 84. *num* 32. *Carena par.* 3 *tit.* 10. *num.* 72.

52 Octauo, probanda est per præteritum, & præsens, quia Fama supponit delictum perpetratum ante carcerationem, cui respondet tempus præteritum per verbum *Fuit*; & debet permanere, vt tempore, quo examinantur Testes per eam redargui possit querelatus, cui respondet verbum *Est* Fama ergo non probatur tantùm per tempus præsens, sed necessariò requiritur deponere de illā respectu præteriti, Rota par. 2. decis. 335. num. 5.

53 Nono, orta post carcerationem, nihil probat, quia præsumitur orta non ex veritate delicti, sed ex odio carcerationis. Ita *Gramat. Voto* 34 *Marsil singul* 97 *Giurba cons* 91. *num* 44 *Carena par* 3 *tit* 10. *num.* 73. N [illegible] probat. Farinac q 47 *num.* 376 *Caballus resol. crimin. casu* 200. *Ciarlin. cap.* 10 *num.* 132.

54 Decimo, sufficit ad inquirendum, non ad carcerandum, multò minus ad torturandum, nisi sit adminiculata, eò quòd est Indicium remotum, debile, & fallax. Ita *Farinac q.* 47. *num.* 17. *Giurba cons.* 43. *num.* 18. *&* 19 *Ciarlin. cap.* 10 *num.* 130 *Diana par.* 4 *tract.* 6 *resol.* 13. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 206. *Carena cit num.* 64. Quando delicta sunt difficilioris probationis, tunc sufficit sola Fama plenè, & concludenter probata quia tunc vrget, & veritati approximatur. Ita *Farinac q.* 47. *num.* 11. *Giurba consil.* 87.

55 *Carena par.* 3. *tit.* 10 *num.* 75. *Ciarlin. cap.* 278. *num.* 41. Vt Fama dicatur plenè probata requiruntur sex, quæ recenset Farin. à num. 208. ad 230. quæ reposita sunt in resolutione Dubiorum, aliter non probat sine illis requisitis Farinac. num. 36.

56 Adminicula autem sunt, fuga Rei, Testes minus idonei, minæ, inimicitia. *Farinac. q.* 47. *n.* 18. *ad* 23. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *n.* 74.

Quæritur 13. de Fugæ Indicio?

℞. Fuga ante denuntiationem facta est Indicium ad Torturam, non verò post; ratio 57
eius est, quia fuga præsumitur arrepta ob conscientiam criminis. Huius verò ob timorem tormentorum, & aliarum molestiarum. Est communis omnium, quos citat *Farinac. q.* 48. *num.* 27. *Barb. ad cap.* 4. *præsumpt. num.* 3 *Giurba cons.* 13. *ait num.* 20. hanc distinctionem à nullo negari. In nostris terminis *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num* 83. *&* 84 *Diana par* 4 *tract.* 6. *resol.* 14. *Dal Bene Dub.* 192. *Petit* 6. *Simanch tit.* 65. *num.* 28. *Salelles lib.* 4. *cap* 4 *num.* 150.

Fuga facta ante denuntiationem excusatur ex iustā causā; si probatur ab eo, qui recessit, vt quia erat Mercator, vt quia persequebatur ab inimicis, vt quia missus fuit à suo patrono, vel cognato ad negotium &c. Vide citatos *à Farinac. q.* 48 *num.* 36. *Salellem cit num.* 155. qui num. 158. in dubio iustæ causæ Iuramentum ipsius fugitiui dirimit difficultatem. 58

Fuga iustificatur per spontaneam comparitionem, *Farinac q* 48 *num.* 48. *&* 55 *Giurba cons.* 13. *num.* 22. *Carena num.* 85. Si assignetur aliqua causa saltem [illegible], non deuenitur ad Torturam, *ex eisdem Farinac. n.* 36. *Carena num.* 86. 59 60

Arrepta vero fuga post Denuntiationem de se spectata non facit Indicium ad Torturam, nisi sit adminiculata alijs Indicijs, quia est Indicium remotum, vt docent omnes, *Farinac. q.* 48. *num.* 7. *Salelles cit. num.* 166. *Carena num* 84 *Diana cit. resol* 14. 61

Sed cur adminicula sunt necessaria in hoc secundo casu, & non in primo, cum fuga in vtroq; sit Indicium remotum? nam parem effectum producere deberent. Ratio differentię hæc est, quia in primo casu non potest argui, nisi quòd fuga fuit causata ex conscientiā delicti; in secundo verò casu Iudex præsumit fugisse timore pœnarum, quod non arguit perpetrationem delicti, ergo huic fugæ aliquid addendum est, vt fiat indicium ad Torturam.

Dubitant, an fugiens è carceribus S. Officij habendus sit pro conuicto, & confesso de Hæresi? Affirmant Zinchinus *de Hæresi cap.* 10. *num.* 4 *ibidem Campegius apud Pegnam par* 3. *com* 35 *qui in vers. In crimine cum Simancha tit.* 16. *num.* 23. *Royas de Hæret par.* 2 *num.* 185. Negat fugientem è carceribus etiam fractis haberi pro conuicto, & confesso, quia effractio carcerum, seu fuga nihil commune habet cum Hæresi, sed Fuga præsumitur facta ex tædio carceris, vel alio timore, & incommodo. 62

Dicit tamen ibi Eymericus Vers. Attendentes, quod fugiens e Carceribus habetur fortiùs suspectus de Hæresi, quàm quod erat ante; Fuga ergo suspicionem auget, sed 63
non

non facit fugitiuum haberi pro confesso, nec conuicto.

Sed cur in alijs criminibus fugitiuus è carceribus habetur pro confesso, & conuicto, & pro tali condemnatur, vt dicitur ibidem à
64 Pegna. Ratio est, quia sufficit, quòd fuga è carcere aliquid operetur, nempe augmentum suspicionis Hæresis; quò verò ad alia delicta operatur conuictionem, & confessionem, nam in causis huius sacri Tribunalis duo spectantur, delictum, & suspicio Hæresis, satis est, si Fuga augeat suspicionem Hæresis, cum vt plurimùm constet de delicto,
65 quod eam inducit; in alijs verò criminibus talia non inueniuntur, ideo fuga non auget, sed operatur, vt habeatur pro confesso, & conuicto, cum antea non appareret talis, sicut apparet de Hæresis criminibus.

Quæritur 14. Quale sit Indicium, quo Reus variat in respondendo Iudici?

66 ℞. Reus varians in respondendo siue in substantialibus, siue in accidentalibus non sibi indicat Torturam, nisi concurrant contra eum adminicula, quia talis variatio siue extra tormenta, siue in tormentis facta est Indicium remotum à delicto, ac proinde insufficiens de se ad Torturam, quæ prærequirit Indicium vrgens, & constat. Ita Farinac. q. 52. *num* 22. *& 29 vinctis*, *ex eo Castropal. par.* 1. *tract.* 4 *disp* 8 *p.* 9. *num.* 11. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num* 98.

67 Dices, Testis varius torquetur, *l. Qui falsa*, *ff. de testibus*, *l. Ex libero ff.* de *quæst.* ergo & Reus, quod probatur, quia si non ratificat dictum in Torturà, sed reuocat confessionem in ea factam propter hanc variationem torquetur, ergo variatio de se est sufficiens indicium ad Torturam.

68 Respondetur, neutrum torqueri ob variationem, sed ex aliâ causa, nam Testis torquetur, vt eius dictum magis firmetur, cum sit inconueniens, quod aduersus tertium valeat dictum Testis mutabilis; Reus verò torquetur, quia aliàs nullus suam confessionem in tormentis factam ratificaret, vt immunis esset à pœna. Ita Castropalaus?

Quæritur 15. Quid dicendum de contumaciâ?

69 ℞. Contumacia, quam contrahit ille, qui legitimè citatus ad respondendum in causa Fidei, non comparens, ac dicitur contumax, & inobediens, est signum, & Indicium proximum inducens torturam in eo, qui condemnatus fuit per Sententiam contumacialem, esto vlterius, quòd compareat infra annum, & probet suam innocentiam, etiam quòd eius statua combusta fuisset, nihilominus subijciendus est Torturę super Intentione.

70 Primum, quòd contumacia eius, qui non comparet post sententiam contumacialem inferat Torturam, docet *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 117. *Salelles lib.* 4. *cap. num.* 247.

Secundum, quòd comparere possit infra annum ad probandam suam innocentiam, probatur *ex l.* 2. *de Reis requir. & cap. Rursus* 36. *cap. Quicunq.* 37. 11. *q.* 3. *quæ citaui sect.* 54. *num.* 15. in causà Insordescentiæ, ad quam reducitur præsens quæstio. 71

Tertium, quòd non obstante probatione Innocentiæ adhuc torquendus sit, probatur, quia existendo sic contumax est suspectus de efficaciâ, & virtute censuræ, præsumitur enim malè sentire de illâ, quòd nullius sit momenti, dum illam neglexit, nolendo comparere, vnde super hac torquendus est quid sentiat, non super suspicione orta ex delicto, super quo calumniatus fuit, cum reuerà illud non fecerit. Et ita docent *Carena par.* 3. *tit.* 10 *num.* 117. *vers. Hinc etiam*, *Salelles lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 247. 72

Quæritur 16. An Socius in crimine Hæresis, vel alterius delicti inferentis probet ad Torturam?

℞. Dictum socij in Iudicio est Indicium proximum, non tamen sufficit ad Torturam nisi concurrant adminicula; vel sint duo socij criminis eiusdem, quorum dicta esto sint singularia in circunstantijs; sufficit, quòd sint contestes in substantia delicti, quòd si plures patiuntur defectus, nihil probant. 73

Primum, quòd sit Indicium proximum, probatur, quia vidit delictum, vel audiuit, cui cooperatus fuit, sed quia non est Testis integer, eius dictum sumit naturam Indicij. 74

Secundum, quòd probet ad Torturam cum adminiculis, & non per se tantùm, patet, quia Testis nullam debet pati exceptionem in ordine ad Torturam, hoc autem ipso quòd se facit complicem, infamis est, & sic cum non sit Testis integer non sufficit ad Torturam, nisi suum dictum cum adminiculis iustificet. Est communis, *Royas singul* 191. *num.* 4 *Sousa lib* 2. *cap.* 25. *num.* 22. *Carena par* 3. *tit* 10. *num.* 36. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp* 8. *p.* 9 *num.* 6 *Farinac. q.* 185. *num.* 151. *Diana par.* 4 *tract.* 6. *resol.* 7. Adminicula sunt testes de auditu, fama, fuga, stricta amicitia cum socio, secreta collocutio, conuersatio, *ex Sousa num.* 24. *ego cap.* 35. *num.* 12. *Diana cit. cum alijs.* 75

Tertium, quòd duo Socij in eodem crimine probent ad Torturam, patet ex eo, quia coniunguntur ad inuicem, & faciunt semiplenam probationem. Confirmatur, quia vnus cum adminiculis probat, vt mox dictum fuit, ergo à fortiori duo. Ita *Pegna par.* 3. *com.* 110. *in Append. Becanus de iust. q.* 57. *Ciarlin. cap.* 10. *num.* 119 *Carena num.* 37. *Diana par.* 4. *resol.* 7. *tract* 6. *Vers. Notandum quos citaui cap.* 35. *num.* 14. *contra citatos à Barb. ad cap. In fauorem fidei* 5. *de Haret. in* 6. *num* 5. requirentes tres Socios. 76

Quar-

77 Quartum, quod sufficit singularitas in eorum dictis, modò in substantiâ delicti sint concordes, probatur, quia in suis dictis vniuntur in principali, & faciunt semiplenam probationem. Et quia in præcitato cap. 5. de Hæret. in 6. sufficiunt minus legitimè probationes in fauorem Fidei. Ita *Guidopapa dec. q. 44. Boer. dec. 23. num. 44. Albertin. cap. 1. q. 16. num. 51. cum alijs Barb. ad hoc cap. num. 6. Sousa lib. 2. cap. 39. num. 55. Diana par. 4. tract. 6. resol. 7. Vers. Notandum, Cas-*
78 *tropal. cit. p. 15. § 4. initio*. Contra quamplures citatos à Barbosâ num. 7. cum quibus est Carena num. 41. probans illo axiomate, quia Testium singularium quantum probat vnus, quantum mille, sed vnus nihil probat, ergo nec mille, & super hoc Giurba cons. 79. num. 24. de more multos congerit Doctores, & sub num. 35. ait, mille testes singulares singularitate obstatiuâ tantum probant quantum vnus, multis citatis cum Gratiano dec. 139. num. 8.

Nihil ergo probant in ordine ad pœnam; vtique quò ad Torturam; nullus enim negare potest augmentum, & vnionis Fidei corroborationem, nam experientia nos docet, quòd sicut vnus non potest solus trahere pondus, vtique adiungendo sibi alterum, qui nec solus illud idem trahere valet, ambo pondus trahunt; ita duo Testes diuisim accepti nihil probant, vtique verò si ambo concurrant in idem substantiale dictum.

79 Quintum, quòd nihil probant, si alios patiuntur defectus, probatur, quia pluralitas defectuum destruit illorum fidem. Ita *Sousa lib. 2. cap 25. num. 25. cap. 39. num 63. Diana par. 4. tract. 6. resol. 8. Carena par. 3. tit. 10. num 52.*

Tria super dictis dubia occurrunt. *Primum* an prædicta locum habeant non solum in Hæresi, sed etiam in alijs delictis inferentibus Hæresim? *Secundum*, numquid Socius sit torquendus? *Tertium*, an Socius blasphemus ludens cum non blasphemante.

80 Primo respondetur, prædicta locum habere in socijs aliorum delictorum, Sacrilegij, Solicitationis, & similium difficilis probationis, in quibus potest Socius interrogari. *Menoch. lib. 2. de arbitr. casu 474. num. 27. Farinac. q. 43. num. 58. 66. 68. & 89. apud Sousam lib. 2. cap. 25. num. 18.*

81 Secundo, non expedit torquere socium, quia non deponit propter aliquod interesse, nec in odium, sed vt satisfaciat præcepto denuntiationis, & zelo Fidei, vnde grauandus non est. Ita *Simanch. tit. 53. num. 38. Pegna par. 3 com. 113. Diana resol. 10. Carena par. 2. tit. 12. num 233. ad 236.* De Socio, qui tenetur in certis casibus denuntiare egi sect. 18. q. 16. num. 33.

82 Tertio, qualitas Socij non habet locum in Blasphemiâ, quando simul cum socio non blasphemauit in ludo, vel alia occasione, societas enim intelligitur in eodem numero delicto. De Socio criminis plura dixi in Praxi cap. 10. sect. 15.

Quæritur 17. De Indicio assertionis vulnerati?

℞. Assertio vulnerati Indicium est dubi- 83
tatum, & remotum ad nihil aliud deseruiens nisi ad inquirendum. Ita *Clarus q. 21. vers. Assertio, Honded. lib. 1. cons. 102. num. 6. Carena par. 3. tit. 10. num. 99.* Ratio est, quia in 84
propriâ causâ nemo est legitimus Testis, nec proinde illi credendum, *cap. Si testes, §. Nullus 4. q. 2. & 3. cap De cætero 14 de testib. l. Nullus ff. de testib.* Solus Deus est sibi, & 85
pro se testis fidelis, Psalm. 49. 7. *Testificor, quia ego Deus tuus sum*. Vide *Farinac. q. 60. num. 54. & 61.*

Quæritur 18. De Indicio rei inuentæ?

℞. Res inuenta in loco delicti facit Indi- 86
cium ad torturam contra eum, apud quem inuenitur in loco delicti. Ita *Zanger. de quæst. & tort Carena par. 3 tit. 10. num.* 100. Limitant *Farinac. q. 177. de furtis initio, & Albertin q. 28. num. 25. & 26.* non habere locum, si persona sit bonæ vitæ, & famæ.

Non placet hoc mihi, si sermo sit de libro prohibito composito ab eo, apud quem inuentus fuit, siquidem verificari non potest, quòd res mea ab alio proiecta fuerit in domum meam, res ergo mea probata, mea est, non aliena; ac proinde Indicium facit contra me, siue bonæ famæ, siue malæ vitæ ante fuerim, ac proinde Indicium hoc est graue, & proximum.

Quæritur 19. De Indicio vestigij pedalis?

℞. Forma pedis inuenta in terrâ humidâ 87
vbi delictum fuit commissum de se est Indicium valdè remotum, ac proinde leuissimum non faciens pro Torturâ, nisi sit adminiculatum alijs indicijs *Menoch lib. 5. Præsumpt. 31. num. 12. cum alijs Carena num.* 100.

Quæritur 20. De secretà allocutione quale Indicium sit?

℞. Secreta allocutio ad aures alicuius 88
statim post commissum delictum de per se non facit Indicium ad Torturam, nisi alijs indicijs sit adminiculata, quia est Indicium leue, & remotum. Ita *Zanger. cap. 2. num. 50. Carena num.* 101.

Quæritur 21. Quale Indicium sit minor ætas, & quam probationem faciat?

℞. Nihil probat dictum impuberis, nisi 89
post annum decimum quartum expletum, vt dicitur *cap. 1. 4. q. 2. vbi Glos. V. ad testimonium autem. fine*, in crimine læsæ maiestatis, ergo & in causa Hæresis, *ex cap. In Fidei 5 eod. in 6.* Huius ergo assertum probat ad Torturam, cum sit omni exceptione maior, & plenum habeat vsum rationis; si enim impubes probat ad Torturam adiunctis adminiculis, *Farinac. q. 58. num. 52. apud Carenam*

renam par. 3. tit. 5. num. 53. ergo & pubes sine adminiculis, cum huius testimonium sit fortius dicto impuberis. Vlterius tamen non procedit eius probatio. Vide eundem Farinac. q. 188. num. 76. Ampliat V. vbi citat Delrium lib. 5. in Append. 2. q. 15. Requirentem ad Torturam duos puberes, vers. Quando. Sed non placet, quia eius Fides non esset maior Fide impuberis. Deinde ex citato cap. 1. 4. q. 2. simpliciter admittitur, ergo nullam patitur exceptionem, neq; enim illi opponi potest minoritas ex l. In testimonium
90 20 ff. de testibus, quia ibi sermo est de minoribus in ordine ad pœnam; minor enim non nisi post vigesimum annum probat contra Reum ad pœnam, esto adhuc sit minor, & sicut lex ab eo remouet eam exceptionem, & facit maiorem, ita & Canon ille, qui est Concilij 7. Cartaginensis destruit hanc exceptionem respectu Torturæ.

Quæritur 22. De Indicio solicitationis coram Iudice contra delinquentem?

91 ℞. Ista Solicitatio facta contra hominem malæ famæ Indicium est solùm ad inquirendum; contra verò bonæ famæ nihil probat, quia est leue, & remotissimum. Carena alijs citatis par. 3. tit. 10. num. 107. Qui num. 109. agit de riualitate amoris.

Explicatis Indicijs oportet modò aliquid dicere de presumptionibus, quæ sunt effectus ipsorum Indiciorum, siquidem Indicium & Præsumptio si sumantur materialiter pro eodem accipiuntur, sicut & vocabula Argumentum, Coniectura, Suspicio, Adminicula &c. tamen accepta formaliter differunt sicut causa, & effectus, nam, vt mox dicam præsumptio oritur ex dictis, vel factis, quæ aliud non sunt, nisi Indicia, quæ hactenus explicauimus. Suspicio pariter est effectus delictorum inferentium Hæresis præsumptionem, de quâ satis actum est sect. 16. sub initium.

Quæritur ergo 23. Quid sit præsumptio?

92 ℞. Est coniectura rei dubiæ verisimilis, quæ ex naturâ rei, vel ex circunstantijs negotiorum, vel personarum oritur. Ita Simancha tit. 59. num. 4. & in Enchirid. tit. 4. num. 1. Dix. ego Resol. 139. tom. 4. impressionis Lugdun. & in Sacro Tribun. cap. 10. num. 14. & in Praxi cap. 51. q. 3. Est coniectura alicuius gesti orta ex dicto, vel facto. Vel est argumentum, quo probatur vnum per aliud iam dictum, vel factum; est enim inter illa connexio illationis, licet non omninò semper necessaria, propter diuersitatem circunstantiarum, quæ modo persuadent connexionem, & illationem, modo non. De qua re vide Alexandrum de Ales Ordinis Minorum part. 3. q. 43. membro 7. Farinac. q. 36. à num. 64. Exemplificant præsumptionem copulæ probando, hominem inuentum fuisse in loco secreto cum fæmina; nam per hanc societatem tamquam Indicium probatur præsumptiuè copula.

Quæritur 24. Quotuplex sit Præsumptio?

℞. Diuiditur primò in eam, quæ dicitur Hominis, & in eam, quæ dicitur Iuris. Et hæc subdiuiditur in eam, quæ dicitur simpliciter Iuris, & in aliam, quæ vocatur Iuris de Iure. Secundò diuiditur in Leuem, Grauem, Vehementem, & Violentam.

Præsumptio Hominis ea dicitur, quæ non est in Iure expressa, sed causata ab aliquo dicto, vel facto, quod hominem mouet ad præsumendum aliquid iuxta suum arbitrium ratione regularum. Farinac. q. 36. num. 93. 93
Sousa lib. 2. cap. 25. num. 7. Si est probabilis, & verisimilis facit semiplenam probationem, vt dicunt Angelus, & Siluester V. eodem Pitigianus in sua Praxi cap. 10 fol. 218. Regulatur autem à suâ causâ iuxta dicta de Indicijs. 94

Præsumptionibus autem Hominis nullus condemnatur, ex l. Sciant cuncti C. de probat. Bossius de coniect. num. 29. Clarus q. 29. fine Pitigian. cit. vers. Secundò infertur fol. 95
219. Quando non fundatur in aliquâ ratione probabili dicitur præsumptio temeraria, ex eisdem; nam illud temerè factum dicitur, quod caret ratione, Cicer. 3. de Orator. illis verbis: Plerique temerè, & nulla ratione causas in Foro dictitant. Glossa V. Temerè in fine Clem. 1. de Summâ Trinit.

Iuris Præsumptio est probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ pro veritate habetur, si non probatur contrarium, hæc enim admittit probationem contra se. Ita Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 4. num. 3. Farinac. q. 36. num. 86. Sousa lib. 2 cap. 25. num. 8. Pegna par. 2. com. 80. Sanchez. lib. 1. cap. 10. num. 13. Salelles lib. 2 cap. 4. num. 148. Qui ergo habet hanc Legis præsumptionem pro se, habet suam Intentionem in Iure 96
fundatam pro veritate, vt transferat in aduersarium onus probandi contrarium, Mascardus concl. 1228. num. 1. & 2. Lex enim pro officiali præsumit, quòd bene gesserit suum Officium, nisi ab aduersario probetur contrarium, cap. eum inter 13. cap. Sicut nobis 16. de sent. & re iud. l 2. C. de off. ciu. iud. Bald. Vol. 1. cons. 494. fine. 97 98

Præsumptio Iuris de Iure est Legis dispositio super aliqua re, quam Lex pro certâ habet ex præcedenti facto, ita quòd stante illâ certitudine licet non physicâ, non admittit probationem in contrarium, vt facit præcedens præsumptio Iuris tantùm, nihilominus, si non admittit directam probationem; non tamen prohibet indirectam, quando veritas palpari potest, tunc enim præsumptio cedit veritati, si clarè apparet. Duo exempla refero huius præsumptionis, vnum in eo qui delinquens in Ecclesiâ præsumitur id fecisse, 99

cisse, vt gauderet immunitate; contra quem tamen est *cap. fin. de immun.* in quo deciditur, non gaudere, vnde contra istum est præsumptio *Iuris de Iure* huius capitis, contra quam non admittitur probatio ad fauorem delinquentis, nisi indirectè, probando scilicet, se non deliquisse intra Ecclesiam, sed extra. Alterum in Decretali *cap. 15. qui 30. de sponsal.* vbi textus, eum, qui cognouit suam sponsam de futuro, præsumitur ex eà copulà contraxisse Matrimonium; quod tamen per Concilium sess. 24. cap. 1. Sublatum fuit, quod decreuit, nullum esse Matrimonium, nisi coram proprio Parocho, & duobus testibus. Et is textus clarè dicit non admitti probationem contra præsumptionem Iuris vbi *Glos. V. Contra præsumptionem, vbi* Barb. *vocat Doctores*. Ita *Farinac. q. 36. num.* 100. *Sousa lib. 2. cap. 25. num. 9.* *Pitigianus in 2. Subst. cap.* 10. *folio* 217. *Royas singul.* 167.

100 Ad rem nostram in causis Fidei præsumptio, quam habet Inquisitor contra delinquentem probatum Reum, appellatur Iuris de Iure, contra quam denuntiatus nihil probare potest, cum Iudex suam intentionem, quòd sit suspectus de Hæresi, fundatam habeat in Iure, quod tale, & tale delictū inferat suspicionem Hæresis, & id colligitur *ex cap. Quicunq. 2. cap. Filij 3 cap. cum contumacia 7. cap. contra Christianos* 13. *de Hæret.* in 6. Ex quibus locis varia delicta recensentur, ex quibus delinquens præsumitur suspectus de Fide.

Præsumptionis ergo vocabulum secundum actionem, & coniecturam se tenet ex parte Iudicis præsumentis; suspicionis verò
101 vox ex parte delinquentis. Et de hac latius egi sect. 16. q. 13. De alià diuisione præsumptionis Leuis, Vehementis & Violentæ agunt *Farinac. q. 36 num.* 110. *&* 118. *Menoch. lib. 1. q. 5. num.* 11. *Salelles lib. 2. cap. 4. num.* 152. *Direct. par. 2. q. 55. ibi Pegna com.* 80.

102 *Leuis* dicta etiam modica prouenit ex signis exterioribus operum, vel dictorum, ex quibus capitur coniectura, quia concludi potest, non frequenter, sed raro, quòd talia faciens, vel dicens aliquod crimen commiserit. Ita præcitati *cum Albert. q. 34. num. 46. Sousa lib. 2 cap. 25. num.* 12. Leuis dicitur, non quia temeraria, sed relatiuè ad vehementem, & grauem, nam & ipsa suum habet fundamentum in Iure, & est Iuris, quandocunq. agitur in causis Fidei, vt dictum fuit supra.

103 Grauis, seu Vehemens, aut Magna est illa quæ oritur ex signis exterioribus operum, vel dictorum, ex quibus frequenter, & vt plurimùm infertur, quòd talia agens, vel dicens est suspectus de alio crimine. Ita præcitati.

104 Violenta prouenit ex dictis, vel factis, ex quibus quasi necessariò aliud inferri non potest, nisi delictum. Ad rem nostram, hoc crimen, seu delictum, quod ex alio delicto infertur nihil aliud est, quàm Hæresis, do exemplum in blasphemante hæreticaliter, nam hoc delictum infert aliud, quod est Hæresis illata præsumptiuè à Blasphemià hæreticali, & talis suspicio potest esse leuis, vel grauis, de qua in sect. 45. Si deturpatur, seu laceratur sacra Imago, inde oritur violenta suspicio Hæresis, ac proinde delictum ex delicto infertur.

Quæritur 25. An ad inferendam præsumptionem alterius delicti necesse sit, quòd præcedat probatio legitima alterius delicti inferentis illud.

℞. Affirmatiuè; primum igitur delictum 105
inferens secundum debet esse probatum non coniecturaliter, sed sensibiliter Testibus ad minus duobus omni exceptione maioribus; sufficiunt tamen singulares, dummodo concordent in substantià rei.

Primum, quòd probatio debeat esse sen- 106
sibilis, non coniecturalis, probatur, quia præsumptio non infert præsumptionem l. 1. C. de dotis promiss. quia in præiudicialibus vna præsumptio non admittit aliam contra se, vt dixi sect. 51. num. 25. Vide sect. 16. num. 65. ad 68. vbi præsumptio præsumptionis datur in consequentiam, probato tamen sensibiliter primo delicto per Testes, scilicet oculares, vel auriculares.

Secundum de Testibus legitimis probatur 107
tam respectu Torturæ, quàm condemnationis; quia vtrunq. infert graue damnum, & irreparabile, ergo Testes debent esse legitimi, & omni exceptione maiores, vnicus quidem pro Torturà ex dictis hic sub num. 12. binus pro condemnatione ibidem num. 13. Tales ergo debent esse, ne fiat iniuria Reo. Et ita docent *Farinac. q. 37. num.* 28. *Guazin. Defens. 30. cap. 31. Carena par. 3 tit. 10. num. 22. Salelles lib. 2. cap. 3. num. 179. Miranda q. 26. à num* 73.

Tertium de singularitate Testium, qui 108
debent concordare in substantià delicti, probaui hic q. 16. Vers. Quintum. Ita *Locatus q. 35. Sousa lib. 2. cap. 39. num. 19. Albert. q. 25. num. 20. Diana par. 4. tract. 6. resol. 5. Vers. Sed bis* Loquuntur in ordine ad Torturam.

Quæritur 26 An ex probationibus præsumptiuis, legitimis tamen, quis condemnari possit?

℞. Non posse condemnari pœnà corpo- 109
rali, sed mitiori tantùm, l. Absentem ff. de Pœnis, ibi: *Sed nec ex suspicionibus debere aliquem damnari*, quia probationes debent esse luce clariores, *l. Sciant cuncti C. de probat.*. Ita docent *Farinac. q. 86. num. 100. Mascard. concl. 1228. num. 76. Barb. ad cap. 2. de præsumpt. num. 7. & cap. 14. eod. num. 4.*

Pro-

110 Procedit hoc etiam in causâ Hæresis, *Farinac. q. 187. num. 6. Castropal par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 10. initio*, *Carena par. 3. tit. 3. num. 9.* Ne quis, scilicet formaliter Hæreticus condemnetur ex Præsumptionibus, cum necessariæ sint probationes luce clariores, & sensibiles per auditum proprium ipsius testificantis, vt prædicti dicunt cum Royas *par. 2. de Hæresi num.* 150. *Simancha tit.* 50. *de præsumpt. num.* 21. *Decian. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 20. *vers.* Immo quòd, quod deducunt *ex cap. Literas* 14. *de præsumpt.* illis verbis: *Mandamus quatenus eum propter solam Suspicionem quamuis vehementem, noluimus illum de tam graui crimine condemnari.* Intellige

111 quò ad formalitatem Hæresis; est tamen condemnandus quò ad Suspicionem, & pænam illi conuenientem, quia probatio præsumptiua orta ex præsumptione Iuris non solùm de Iure, sed etiam Iuris tantùm inducit condemnationem in pænam Lege statutam, nempe, quòd probatus suspectus de Hæresi debet condemnari ad illius Abiurationem; id enim sacri canones præcipiunt iuxta quod dixi sect. 17. & alijs pœnis iuxta grauitatem delicti inferentis Suspicionem Hæresis, quod debet esse probatum concludenter, & sensibiliter, Præsumptiones ergo Iuris hanc efficaciam habent, quia cum sint à sacris Canonibus approbatæ pro liquidissimis, & concludentibus habentur, & pro veris, & proprijs, ac euidentibus tenentur apud auctores citatos à *Menochio lib.* 1. *de præsumpt. q.* 36 *&* 97. *à Philippo de Bellis Capucino in sua Epitome causar. Regul q.* 74 Et in nostris terminis id deducitur ex cap. Accusatus, de Hæret. in 6. ibi *Licet ante Abiurationem suam Hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.* Suspecti ergo condemnantur ad Abiurationem per præsumptas probationes, esto Hæresis non fuerit plenè probata; scilicet per Testes auriculares de proprio auditu. Ita *Farinac q.* 187. *num.* 9. 40 *&* 41. *Royas par.* 2 *num* 304. *Simanch. tit.* 50. *num.* 21. *cum alijs Castropal. cit. Carena par.* 3. *tit.* 3. *num* 13

Quæritur 27. An plura Indicia imperfecta possint coniungi simul ad inferendam Torturam, & pænam mitiorem.

112 ℞. Vtique, quando hæc Indicia sunt imperfecta non solùm in substantiâ Indicij, idest in seipsis, vt sunt fama, minæ, inimicitia, &c. sed etiam in substantiâ probationis, dummodo tendant ad vnum, & eundem finem, cui subordinantur, vt si vnus deponat de præparatione armorum, alter de gladio euaginatio, tertius de absconsione in silua; ista indicia coniunguntur; sicut & hæc in casu Hæresis; vnus audiuit prædicantem Hæresim, alter eundem eam docentem, tertius scribentem &c. Huiusmodi indicia simul coniunguntur, cum referantur ad idem crimen, ac proinde Iudex efficaciter ab illis mouetur ad credendum querelatum tale crimen illatum ab illis indicijs comisisse. Et pro his facit illud axioma: *Singula quæ non posunt, simul vincta iuuant.* Quòd si indicia de se singula imperfecta sint, non ordinata ad eundem finem, vt fama, minæ &c. cum non possint coniungi, nec proinde iuuent ad torturam; multò minus ad pænam, quia insufficientia sunt ad mouendum Iudicem ad credendum. Et ita docent *Farin. q.* 86. *num.* 100. *Giurba consi.* 87. *cum alijs. Carena part.* 3. *tit.* 10 *num.* 112. *&* 113.

Quæritur 28. an indicia sint arbitraria Iudicibus.

℞. Est in eorum arbitrio determinare hoc vel illud Indicium esse sufficiens ad torturam. Ita *Clarus q.* 64 *vers. dixi quoq.* *Farinac. q.* 43. *num.* 126. *Menoch. de Arbitr. casu* 270. *Castropal p.* 9 *num.* 7. *ex illis Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 20. Dicentes, huiusmodi arbitrium debere esse regulatum ex sententijs Doctorum, cum Miranda *q.* 26 *num.* 83. 113

Quæritur 29. De præualentia in concursu bonæ, & malæ Famæ.

℞. Bona Fama alicuius in genere destruit malam Famam eiusdem in genere, & præsumptionem ex eà resultantem. Ratio est, quia probatio affirmatiua validior est negatiuâ vagâ, & purâ, *l Diem proferre* §. *Si plures ff. de arbitr.* *Farinac. q.* 65. *num* 200. *Sperellus dec.* 178 *num* 20. *cum alijs. Ego in Praxi cap.* 32 *num.* 2. Ita docent *Farinac. q.* 47. *n.* 181. *Peguera dec.* 17. *num.* 13 *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 79. Magis enim credendum est deponentibus de bonâ famâ, quàm de malâ *ex allegatis à Rota par.* 1 *dec.* 167. *num.* 27 *&* 28. *& dec* 182. *num.* 9. *Barbosa de Canon. cap.* 13. *num.* 46. quia in concursu preualet bona Fama, *Baldus lib.* 1. *cons.* 402. *num.* 4. *Roland. lib.* 2. *cons.* 63. *num.* 39. *Crauetta cons.* 275. *num.* 12. *Mantica decis.* 275. *fine*, magis enim, aiunt, præsumendum est pro bonâ Famâ, quàm pro malâ. 114

Bona fama in genere probata non tollit specialem malam probatam, quia probatio generica opponitur tantùm oppositæ probationi in genere, non in specie. Ita *Farinac. q.* 47. *num.* 192. *Clarus q.* 60. *Vers. frequens etiam*, *Carena num.* 81. Nec probatio bonæ famæ in hoc casu est inutilis Reo, quia prodest illi, quòd leuius, & mitius punitur, ex eodem Farinacio. 115

Quæritur 30. An in concursu contrariarum præsumptionum vna lædat, & destruat aliam. 116

℞. Primò generaliter, fortior inter contrarias elidit, & destruit minus fortem, nam duo contraria simul esse non possunt in eodem subiecto; vnde vnum pellit aliud ab eodem subiecto; sic Præsumptio vna expellit aliam ab eodem homine. Est commu-

nis, *Ioannes de Amicis cons.* 114. *num.* 23. *Socinus Senior vol.* 1. *cons.* 21. *num.* 4. *Parisius vol.* 2. *cons* 25. *num.* 82. *ex illis Marius Anton. lib.* 1. *resol.* 88. *num.* 12. Dixi, fortiorem destruere minus fortem, quia inter æquales non datur victoria, quia par non agit in parem, *l. Nam Magistratus* 4. *ff de arbitr. cap. innotuit* 20. *de elect.*

117 ℞. 2. Plures vnum vincunt, quia fortiores. Ita *Craueta consil.* 145. *num.* 11. *Rimin. Iun. cons.* 183. *Guazin. Defens.* 39. *cap.* 2. *num.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 3. *num.* 36. *Sperell. dec.* 136. *num.* 44.

118 ℞. 3. Præsumptio exclusiua peccati prçualet inclusiuæ peccati, quia quisque præsumitur bonus, nisi contrarium probetur. Ita *Romanus cons.* 68. *num.* 8. *Farinac. q.* 85. *num.* 1. *Carena cit. num.* 37. *Sperellus decis.* 108. *num.* 53.

119 ℞. 4. Præsumptio verisimilior excludit minus verisimilem, quia illa est fortior, cum magis approximetur Veritati. Ita *Craueta cons.* 245. *num.* 11. *Bertazol. cons.* 412. *num.* 28. *Carena num.* 38.

120 ℞. 5. Præsumptio specialis tollit generalem, quia illa est fortior, & magis specialis tollit minus specialem. Ita *Menoch de Arbitr. casu* 472. *num.* 14. *Carena num.* 40. *Sperell. dec.* 136. *num.* 45.

121 ℞. 6. Præsumptio facti perimit aliam, quæ non prouenit ex facto. Ita *Abbas in cap veniens, de Filijs Presbiter num.* 7. *Menoch lib.* 1. *de præsumpt. q.* 29. *num.* 17. *Carena num.* 41.

122 ℞. 7. Præsumptio cedit veritati *l. Nuptura filio ff de iure dot. Barb. Axiom.* 186. *vbi plures citat*

123 ℞. 8. Præsumptio ex præsumpto sumi non potest, ne detur processus in infinitum. Ita *Farinac cons.* 55 *num.* 25. Limitatur, nisi veniat in consequentiam, iuxta quod dixi *Sect.* 26. *num.* 64. *Mantica dec.* 21. *num.* 2.

124 ℞. 9. Nulla præsumptio est in præiudicium tertij *Aymon. de antiquit temp. par.* 2. *num.* 24. *Rota vol.* 1. *dec.* 64. *num.* 3. Vnde nec admittit contra se præsumptionem, vt dixi sect. 51. num. 25.

125 ℞. 10. Præsumptiones in claris cessant. *Anton. Monach. Florent. dec.* 51. *num.* 49. *Barb Axiom.* 186. *Megal.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *fine.*

126 ℞. 11. Præsumptio propinquior veritati attenditur. *l. Filium ff. Qui sunt sui, vel al. Grilenz. cons.* 161. *num.* 11. *Nauar. cons.* 1. *de præsumpt.*

127 ℞. 12. Concursus duarum præsumptionum denegatur maximè manantium ex eodem fonte, & diuersum finem operantium. *Menoch. lib.* 1. *q.* 43. *num.* 6. *Ruin. vol.* 3. *cons.* 76. *num.* 20. *cum alijs Sperell. dec.* 28. *num.* 57.

128 ℞. 13. Vna vehemens plures debiliores exterminat. *Paris. lib.* 2. *cons.* 11. *num.* 26. *Palleotus de Nothis cap.* 24. *num.* 5. *Sperell. dec.* 174. *num.* 60.

℞. 14. Præsumptio non oritur ex facto non plenè probato, *Rota par.* 3. 704. *num.* 10. Vnde non potest oriri ex aliquo facto, nisi illud sit certum, & indubitatum, *Alex. lib.* 3. *cons.* 76. *num.* 7. *Craueta cons.* 32. *num.* 7. *Surd. cons.* 135. *num.* 79. *eadem Rota dec.* 378. *num.* 12. 129

℞. 15. Præsumptio cedit probationi *Decius cons.* 400. *num.* 8. *Craueta de Antiquit. par.* 3. *num.* 28. *Leoncillus dec.* 175. *num.* 3. Et ea non sufficit, vbi probatio est necessaria. *Bartol. in l. Lucius ff. de cond. & dem. Buratus dec.* 763. *num.* 7. *Leoncill. dec.* 32. *num.* 4. 130

℞. 16. Non est capienda præsumptio de eo, quod non est verisimile, quia præsumptio in tantùm est probabilis, in quantùm assimilatur Veritati, & si enim nulla præsumptio, vt sic, sit Veritas manifesta, etiam si sit præsumptio Iuris de Iure. *Alciatus de præsumpt. par.* 2. *Prælud. num.* 9. *Menoch. lib.* 1. *q.* 61. *num.* 7. Tamen debet cum ipsa Analogiam habere, & ipsius speciem repræsentare; Aliter non est præsumptio legalis, & legitima, sed temeraria, & improbabilis. *cap. Quia verisimile* 10. *de præsumpt. Menoch. cons.* 1. *num.* 258. *Barb. ad dictum cap. num.* 3. Et remotum à verisimili est imago falsitatis, *Baldus in l.* 1. *C. de seru. fug. col. vlt. Iason. in l. Extraneus C. de cond. ob causam num.* 8. apud eundem Barbosam. 131

℞. 17. Nullus ex præsumptionibus debet puniri pœnâ ordinariâ, pro quâ probationes debent esse luce clariores, quales non non sunt Præsumptiones, quæ obscuram habent Veritatem proinde dictam verisimilitudinem, licet sint vehementes, & violentæ Ita *Farinac. q.* 86. *num.* 200. *Mascard. concl.* 1228 *cum multis alijs Barb. ad cap.* 2. *de præsumpt. num.* 7. Dixi sub q. 26. 132

℞. 18. Ex bono actu nulla præsumptio mala colligi potest, quia non potest arbor bona malos fructus facere, Matth. 7. 18. Ita *Cagnolus l.* 2. *C. de pactis num.* 52. *Osaschius dec.* 42. *num.* 8 *fine, Decian. cons.* 2. *num.* 218. *Farin. q.* 163. *num.* 20. *ex illis Ciarlin. cap.* 40 *num.* 30. 133

℞. 19. Præsumptio cadit super casum dubium, cum ea non attingat Veritatem, licet illi assimiletur. *Ruinus lib.* 1. *cons.* 51. *num.* 23. *Ciarlin cap.* 122. *num.* 37. 134

℞. 20. Præsumptio, quæ stat pro Religione præualet, sicut & pro causâ piâ. Ita *Pancirol. cons.* 135. *num.* 12. *Gratian. cap.* 133. *num.* 2 *ex illis Ciarlin. cap.* 143. *num.* 26. 135

Quæritur 31. An Præsumptio sit Opinio?

℞. Affirmatiuè, nam Opinio est assensus vnius partis cum formidine oppositæ, ha- 136

bet

bet adiunctam formidinem, quia inuestigare non potuit Intellectus, & attingere Veritatem obiectiuam rei, sicut in se est; ideo eius Veritas physica non est, sed moralis appellata verisimilitudo oriens ex rationibus probabilibus, à quibus ipsa opinio denominatur probabilis; sed hæc omnia competunt præsumptioni, quæ & ipsa est assensus vnius partis cum formidine oppositæ; potest enim esse, quòd ex tali facto verè non oriatur e.g. Suspicio Hæresis in blasphemante, quam præsumit Iudex, dum veritatem in obiecto cognoscere non potest, nisi per verisimilitudinem, quæ est cognata Veritatis, ergo est opinio, præsumptio enim nascitur ex probabilibus argumentis, & Indicijs, sicut opinio.

Confirmatur, quia eadem necessitas, quà inducitur opinio, nimirum, quia Intellectus non semper potest attingere Veritatem in
137 obiecto eo modo, quo in eo est, causat præsumptionem, cum scilicet Intellectus Iudicis non potest attingere Veritatem facti in subiecto, vnde Mantica dec.264.num.9. dicit, præsumptiones esse inuentas propter difficultatem probationum, *per not in l. Lucius ff. de cond. & dem. Baldus in cap. final. de cohabitat mulier.* Sicut propter difficultatem Veritatis, quæ in singulis obiectis ex-
138 piscari non potest, cum hamum non habeat quo scrutari possit interiora obiecti, necessarium est ponere opinionem. Ita *Mantica lib.1.de coniect.tit.1.num.8.* vocat præsumptionem opinionem Vers. *Item præsumptio est quadam opinio*, apud Farinac. q. 36. num. 72.

SECTIO LX.

De Probatione Hæresis per Scripturas.

1 *Tribus modis aliquid probatur, Indicijs, Testibus, & scripturis.*
2 *Subscripta tribus Testibus probat recognita.*
3 *Et habet vim Instrumenti.*
4 *Notarius vicem gerit duorum Testium.*
5 *Et ideo scriptura priuata, requirit tres testes Instrumentum duos tantùm.*
6 *Creditur magis Instrumento, quàm Testibus.*
7 *Credulitas fortior trahitur ab actu magis publico.*
8 *Scriptura recognita facit plenam probationem, si eam fateatur scriptam à se.*
9 *Sufficiens etiam ad pœnam ordinariam.*
10 *Nemo ex solà Confessione damnatur, sed præcedentibus indicijs.*
11 *Confessio propria scripturæ plenè probat.*
12 *Si negans cogatur scribere, falsificabit suam manum, ne sibi contradicat.*
13 *Scribere videns, & simul recognoscens probat semiplenè.*
14 *Confingitur manus aliena.*
15 *Comparatio litterarum fit coram Iudice perperitos à se electos.*
16 *Quæ sine adminiculis non probat, nec semiplenè, secundùm aliquos.*
17 *Melius alij affirmant.*
18 *Quia est Indicium indubitatum.*
19 *Dicta procedunt, siue scriptura sit Liber, siue Folium volans.*
20 *An protestatio excuset, nisi tractatio sit ex professo pro Hæresi.*
21 *Delicta non probantur per Instrumenta.*
22 *Intellige, quæ sunt separata ab ipsà scripturà, quæ de se non est delictum.*
23 *Hæresis autem etiam scripta est delictum scriptum.*

TRibus modis probantur delicta in causis Hæresis, & alia quæcunq; Indicijs, de quibus in præcedenti sectione; 1 Testibus scientibus immediatè delictum, quod attingunt propria scientiâ, de quibus in sequentibus Sectionibus; & Instrumentis, seu Scripturis exprimentibus delictum, de quibus hìc agendum. 2

Iste triplex modus probandi tàm in criminalibus causis, quàm ciuilibus adhibetur, vt colligitur ex l.fin.C.de probat. his verbis. *Sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis Testibus; vel instructa apertissimis documentis, vel Indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita* Licet hìc

hic sermo fit de criminibus, tamen doctrina huius Legis applicatur etiam causis ciuilibus Sub nomine *Apertissimis documentis* veniunt Instrumenta ex Glos. ibidem, & ad rem nostram quæcunque aliæ scripturæ. Illud adiectiuum *Apertissimis*, Scripturam debere esse legitimam, & claram indicat, aliter non probat, vnde Instrumentum debet esse subscriptum, & sigilatum à Notario; aliter non dicitur apertissimum, nec publicum, & in forma probante. *Bart. in l Si quis ex argentarijs*, §. *Si initium, de edend. q. 1. Felin. in cap. 1. de fide instr. num.* 18. *Verallus par. 2. dec.* 104.

2 Scriptura autem priuata tunc est apertissimum documentum probans, quando apparet subscripta ad minus à tribus Testibus, dum tractatur negotium, & scribitur; ex his enim fit autentica, vt colligunt Doctores ex

3 cap. 2. de fide Instrum. Et tunc habet vim publici Instrumenti, si partes conueniant inter se, *Rota par 6. dec. 118. num. 3. & par. 9 dec. 242 num. 10. dec. 331. num. 1.*

Sed cur in scriptura requiruntur tres Testes vltra scribentem, & in Instrumento suf-

4 ciunt duo testes? Ratio est, quia Notarius habet vim duorum testium cum sit persona

5 publica, *ex cap. Quoniam 11. de Probat. Barb. ibidem num. 10 Carena par. 2. tit. 5. num. 71 fine*. Scribens vero reputatur persona priuata cum Testibus, vt ergo Scriptura equiualeat Instrumento dependere debet à quatuor personis, sicut Instrumentum recipit esse à tribus, quarum vna, scilicet, Notarius stat pro duabus. Et hinc fit, quòd magis creditur scripturæ, quàm Testibus

6 *l. census ff. de probat. Rota apud Tambur. de iure Abbat. tom 3. dec 37. & 76.* quia maior credulitas tribuitur a ratione publica, quàm

7 à priuatà plurium fide. Hactenus dicta intellige, quando Scriptura, vel Instrumentum producitur contra tertium ab actore, non autem contra ipsum scribentem, in hoc enim casu aliter proceditur.

Quare ad rem nostram dicendum est Scripturam productam contra scribentem probare contra illum, vt dicunt omnes, quòd facit eius scriptura plenam probatio-

8 nem, *Gemin. conf. 19. Aretinus conf. 44 Decius lib. 2. conf. 650. num. 6. cum alijs Farinac. q. 84. num. 19.* In terminis nostris de Hæresi, docent idem *Farinac. cit num. 16 & q. 187. num. 10. Genua lib. 1 q 15. num. 6 Castropal. tract. 4 disp. 8. p. 10. initio ex eis Carena par. 3. tit. 4. num. 1. Salelles lib. 2. cap. 3. num. 11.*

9 Tunc autem propria Scriptura facit plenam probationem, cum scribens fatetur esse suam, quæ sufficit ad condemnationem etiam in pœnam ordinariam, ita alijs allegatis *Mascard. concl. 85. num. 4. & 5.* Vbi subiungit, quòd nemo potest condemnari

10 ex solà eius Confessione, nisi aliter de delicto constet *l. 1. §. Item illud ff. Ad Sillan. Bald. in Auth. sed nouo iure C de seruis fugit. num. 5.* Quod intelligitur de alijs delictis, non de Hæresi, quæ solà ipsius Hæretici confessione plenè probatur, consistit enim in solo eius animo, cuius solus Deus, & ipse notitiam habet; debent tamen precedere Hæresis Indicia ipsam eius confessionem, *ex allegatis ab eodem num. 6.*

Recognitio ergo necessaria est, facta per Confessionem ipsius scribentis, vt probatio sit plena. Quòd si neget scripturam esse suam, alij sunt modi probandi illam, nimirum quatuor; Primus cogendo illum scribere; sed is videtur inutilis, quia non imitabitur manum suam, illam diuersificando, ne probetur fateri, quod negauit. Secundus modus est per testem, qui vidit eum scribere Hæresim, & habet notam eius manum, duo hæc simul probationem faciunt semiplenam, ita allegati *à Mascardo concl. 1301. num 28. & 32. Riccius par. 2. dec. 225. num. 2. Ciarlin. cap. 175 num. 26.* Tertius modus est, cum Testes habentes notam eius manum, licet non viderint eum scribere scripturam testantur esse Hæretici denuntiati, sed hæc recognitio parum probat, cum Testes non viderint eum scribere; potest enim esse, quòd alter eius manum sit imitatus, nam plures reperiuntur, qui alienam manum ita confingunt, vt videatur esse eius qui reuera non scripsit, vt notat Gratian. *cap. 473 num. 50 ex Marsilio in Rubr. de probat. num 318 Zasius lib. 2. singul resp. cap. 25. Surd consl. 187. num. 24 fine*. Quartus modus est per comparationem aliarum scripturarum eiusdem collatarum cum illà, quæ continet Hæresim, factam coram Iudice per peritos asserentes scripturas esse omnino similes, & is modus probandi per comparationem habetur *ex Auth. de instrum. caut. §. Si quis & in Auth at si contractus C. de fide Instrum.* Debent autem periti esse electi à Iudice, non à Fisco, & comparatio facienda est coram eodem Iudice, ex allegatis à Farinac. consil. 70. num. 25. & 26. Et huiusmodi comparatio sine adminiculis non facit Indicium ad Torturam, *ex Treuisano dec. 52. num. 28. Aimon de antiquis. par. 1. nu. 72. Vulpellus conf. 135. num. 14. cum alijs Farinac. cit. num. 14.* nisi inquisitus sit homo malæ famæ, quia tunc sola comparatio sufficit ad Torturam, in his terminis *Carena par. 3. tit 4. num 6 & 8.* Nihilominus *Sousa lib. 2 cap. 22. num. 13. cum Couar. in Practicis quæst. cap. 22. num. 6. & Panorm cap. 2 de fide instr. num. 2. & cum eis Salelles lib. 2. cap. 3 num. 19.* dicit facere semiplenam probationem ad Torturam, etiam cum vno teste inquit Panormitanus loco citato. Et hoc mihi magis placet, quia comparatio huiusmodi facit Indicium indubitatum.

Dicta

18 Dicta procedunt non solùm si scriptum sit in forma Libri manuscripti, siue folij, vt aiunt voluntatis, nulla enim differentia in
19 comparatione attendenda est, cum in collatione consideretur tantùm similitudo caracterum, & ipsa Hæresis, de qua debet constare clarè in ipsâ scripturâ.

An protestatio eum excuset? Dixi sic, sect.49.num.69.nisi ex professo de Hæresib.
20 agat, quia tunc protestatio perimitur per ipsum factum.

21 Videtur prædictis obstare, quòd communiter dicunt Doctores delictum non probari per Instrumentum, seu Scripturam, etiamsi in Instrumento Notarius assereret, delictum esse perpetratum in eius præsentiâ, vt omnes dicunt *in l. fin. C. de probat. Farinac. q. 84. num. 1.*

22 Sed intelligendi sunt, quòd Scriptura non probat illud delictum, quod factum fuit an-antecedenter, & separatum ab ipsâ scripturâ, quamuis inseratur narratiuè in Scripturâ; hoc autem modo Hæresis non committitur vt delictum à scripturâ separatum, sed ipsamet Scriptura delictum est, dum enim scri-
23 bit Hæresim, Hæresim committit, prodendo eam forans, & de mentali facit scriptam. Et ita respondet *idem* Farinac. *num. 26. & ex eo cum alijs* Carena *num. 2.*

SECTIO LXI.

De Testibus inhabilibus in communi.

1 *Defectus Testium alij in personâ, alij in eius dictis consistunt.*
2 *Testis quid sit definitur.*
3 Homo *comprehendit vtrunq; sexum.*
4 *Testium edictum est prohibitorium.*
5 *Iuramentum est finis omnis Controuersiæ.*
6 *De substantiâ Iudicij.*
7 *Testis habilis, cui nihil opponi potest.*
8 *Habilis, idoneus, legitimus, integer, omni exceptione maior, idem sunt.*
9 *Exceptio est actio, quâ Reus se defendere potest.*
10 *Inhabiles omnes admittuntur fauore Fidei.*
11 *Excepto capitali inimico.*
12 *Inhabiles admittuntur, esto non desint habiles.*
13 *Admittuntur in omnibus delictis inferentibus suspicionem Hæresis.*
14 *Admittuntur etiam pro defensione Rei.*
15 *Causa pro* Reo *debet esse fauorabilior pro Reo, quàm pro Fisco.*
16 *Inhabilis est etiam ratione interesse.*
17 *Admittuntur ad probanda adminicula.*
18 *Intrinseca, non autem extrinseca.*
19 *Inhabiles admittuntur cum suâ exceptione.*
20 *Non potest tamen illis opponi.*
21 *Non sunt torquendi.*
22 *Inhabilitas spectatur tempore depositionis.*
23 *Inquisitor interrogat super inhabilitate.*
24 *Testis in S.Officio iurat, tam contra se, quàm contra Reum.*
25 *Testes interrogati super propriam vitam, tacent ignominiosa personæ suæ.*
26 *Nullo modo admittitur Testis habens plures defectus.*
27 Ne sis testis frustra contra proximum tuum.
28 *Propositum quod operatur in proposito, oppositum operatur in oppositum.*
29 *Duo Testes inhabiles probant ad Torturam.*
30 *Vnus quoq. cum adminiculis.*
31 *Quatuor cum circunstantijs probant ad pœnam ordinariam.*
32 *Supplementum non recipit, quod non est.*
33 Et quæ non possunt singula, multa iuuant.
34 *Fides inhabilium est diminuta, non annihilata.*

35 *Pro-*

35 *Probatur axioma exemplis.*
36 *Augetur horum Fides fauore Fidei.*
37 *Tres cum adminiculis sufficiunt ad pœnam mitiorem.*
38 *Probatio ad Torturam non sufficit ad pœnam etiam mitiorem.*

1 DIxi præcedenti Sectione, quòd probatur aliquid tribus modis, Indicijs, Scriptura, & Testibus, de his agendum hîc, & in sequentibus sectionibus, & hi tres modi constituunt processum informatiuum, qui & dicitur offensiuus. Materia Testium ad duo capita principaliora reducitur, nempe ad conditionem personæ, & ad dicta Testium; quid, & qualiter probent. In hac sectione agendum est de testibus quò ad conditionem personæ, hoc est, de habilibus, & inhabilibus in genere; vnum enim eorum genus sine altero intelligi commodè non potest, quia vnum contrariorum benè cognoscitur per alterum, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt.

Quæritur 1. Quid sit Testis.

2 ℞. Est homo vsum rationis habens non prohibitus testificari super facto, vel dicto aliquo in Iudicio vocatus, vt iuramento probet veritatem rei, de qua quæritur apud Iudicem. Dixi primò *Homo* sub quo venit tam fæmina, quàm masculus *l. Hominis* 152.
3 *ff de verbor. signif.* Dixi 2. quòd testis debet habere vsum rationis, quià testificatio est actus rationis, cuius vsu carent amentes, & infantes, quorum proinde dicta nihil omnino valent. Dixi 3. Nisi prohibeatur, edictum enim de Testibus est prohibitorium, *l. 1. C. de testib. Glos. 11. Idonei, cap. 1. de testi-*
4 *bus.* Ergo qui non est prohibitus potest testificari. Dixi 4. Vocatus in Iudicio, quia nemo debet se offerre ad testificandum in Iudicio, nisi citetur à Iudice; aliter se reddit suspectum, Farinac. q. 80. Dixi 5. cum iuramento, quia id est finis omnis controuersiæ,
5 vt dixit Paulus ad Hebr. 6. 16. Adeo quòd dictum à teste sine Iuramento, nullius est Fidei; quia ipsum est de substantialibus Iu-
6 dicij, vt probaui cap. 4. in Praxi num. 5. Nullus contradicit, & ita docent citati à *Barb. ad cap. Tuis 39. de testib. num. 2 Carena par. 3. tit. 7. num. 2.* Quod in nullo casu est omittendum, nec in summario Iudicio, *Direct. par. 3. q. 55. num. 3. ibi Pegna com. 104. vers. Voco.*

Quæritur 2. Quid sit Testis habilis, & inhabilis?

7 ℞. Ille testis dicitur habilis ad testificandum in Iudicio, cui ratione eius personæ nihil opponi potest. Inhabilis verò, cui aliquid opponi potest in personâ, propter quod repellitur à Testimonio. Testis habilis dicitur etiam idoneus, legitimus, integer, & omni exceptione maior, cui scilicet nihil opponi potest. Farinac. q. 62. num. 3. facit differentiam inter idoneum, & maiorem omni exceptione in eo, quòd Testis maior dicitur magis fide dignus, idoneus verò, qui tantam Fidem non habet.

8 Inhabilis testis non caret omnimodâ Fide sed tantùm illam habet diminutam, & taliter præsumitur ex eius inhabilitate siue culpabili, siue inculpabili. Non caret ergo fide. Tùm quia ad minus probat ad inquirendum. Tùm quia admittitur in delictis difficilioris probationis, quæ sunt furtum, adulterium, partus suppositus, simulatio, simonia, fraus, dolus, tractatus, & quid simile, *Farinac. q. 62. num.* 28. Tum quia probat in criminibus exceptis, quæ sunt Hæresis, læsæ maiestatis, latrocinij, simoniæ, *sub num.* 81. Tum quia probat innocentiam Rei, *sub num.* 90. Tum quia probat, Reo non opponente, *sub num.* 175. Tum quia eius Fides suppletur ex numero, *sub num.* 309. ex alijs quoq. medijs, *sub num.* 328.

Fidem ergo habent Testes inhabiles, sed diminutam, & ideo tantum probare non possunt, quantum habiles.

Exceptio autem est actio, qua Reus se 9
defendere potest opponendo aliquid contra testem; vt quòd sit inimicus, infamis, excommunicatus, hæreticus, minor, consanguineus &c. De his egi cap. 8. in Praxi, & in sacro Tribunali cap. 33.

Quæritur 3. An inhabiles ex quocunq. defectu personæ admittantur in causis Fidei pro ipsa Fide?

℞. Affirmatiuè, expressè cap. In Fidei 10
fauorem 5. de hæret. in 6. Et licet ibi fiat mentio solùm de excommunicatis, & socijs in crimine, & de periuris in cap. Accusatus 8. §. Licet eod. nihilominus idem dicendum est de omnibus alijs inhabilibus, quia expressa per modum exempli sunt, ac proinde regulam non restringunt, sed extendunt ad quoscunq. alios, *Surd. cons.* 308. *num.* 10. *Tuschus lit. B. conclus.* 547. *Molin. de primog. lib. 2 cap. 8. num 4. Sanch. lib. 1. disp. 57. num. 6. & lib. 7. disp. 4 num.* 8. Confirmatur, quia omnes Testes inhabiles admittuntur in causâ criminis læsæ maiestatis, vt docent Canon. in cap. 1. de confessis; à fortiori in crimine læsæ maiestatis diuinæ. Omnes tamen excipiunt testem capitaliter inimicum, quia lex in omni casu semper præsumit malum de capitali inimico. *l. inimicitia ff. de his quibus vt indign. Ita Farinac q. 188. num. 67.* 11
Diana par. 4 tract. 8 resol. 16. Castropal par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. nu 1. Carena par. 3. tit. 5. num. 2. Salelles lib. 2. cap. 2. num. 46. Et alij omnes.

Quæritur 4. An Testes inhabiles solùm admit-

admittantur, quando integri non possunt haberi?

12 ℞. Admittatur simpliciter, quia in præcitato cap. 5. de hæret. in 6. nulla exprimitur limitatio. Ita *Castropal. cit* §.2.*num*.7. *Carena par*.3.*tit*.5.*num* 81. *Diana par*. 4. *tract*. 6.*resol*. 11. *Notab*.5.

Quæritur 5. An admittantur etiam in delictis inferentibus suspicionem Hæresis?

13 ℞. Affirmatiuè, quia textus cit. cap. 5. de Hæret. in 6. non dicit in crimine Hęresis, sed in fauorem Fidei, cui opponitur non solùm Hæresis crimen, sed etiam eiusdem suspicio; ac proinde crimen, & delictum inferens eius suspicionem; testes ergo inhabiles in omni causâ spectante ad Sanctum Officium in materiâ Fidei admittuntur in fauorem Fidei. *Barb. ad hoc cap. num*.4.

Quæritur 6. An testes inhabiles sicut admittuntur in fauorem Fidei, an è contra recipi possint pro defensione Rei?

14 ℞. Affirmatiuè, quia catolica Religio cum fauorem, quem pro se introducit, non negat Reo ad defensionem suæ innocentiæ. Confirmatur, quia non est negandum Reo, quod Fisco conceditur, cum debeat esse fauorabilior causa Rei, quam Fisci. Ita

15 *Farinac.q.62.num.97*. sibi contrarius q. 188. *num*.149.*Castropal.cit.disp*. 8.*p*.15.§.2.*num*. 8. *Anton. Gomez tom*. 3. *variar. cap*. 12 *de probat. delict. num*. 23.*Sousa lib*. 2. *cap*. 13. *num*. 8.

Contrarium multi docent apud dictum Castropalaum, quos pro se citat *Diana par*. 4.*tract* 6.*resol*.11.*Notab*. 1. *& tract* 8. *resol*. 57.*Dicto* 3.Probant ex cap. Filij 3. de Hæret. in 6. vbi filij, vel hæredes petentium in infirmitate suâ Hæreticorum consolationem non admittuntur ad probandum, quod non sanâ mente, vel perditâ loquelâ susceperint, si constat, quod erant sana mente, vel si prius suspecti, vel diffamati erant de Hæresi, aliàs possunt procurare testes Fide dignos pro se ipsis, ipsi verò omnino expelluntur à defensione. Sed hoc argumentum nihil probat contra nostrum responsum, filij enim, & Hæredes & alij de familiâ non repelluntur propter inhabilitatem, sed propter eorum interesse proprium, si enim admittan-

16 tur præsumuntur potius falsum dicere, quàm verum, vt hereditatem sibi vindicent, & non aquiratur Fisco, ad quod facit ibi Glos. V. Pro intellectu, dum dicitur, quòd Hæreticus defunctus etiam post mortem declaratur talis, vt eius bona aquirantur Fisco: interessati ergo non sunt admittendi fauore defuncti ob eam rationem.

Quæritur 7. An admittantur ad probanda adminicula in causis Fidei?

17 ℞. Admittuntur ad ea probanda, quæ sunt intrinseca delicto, non autem extrinseca, quæ illud non inferunt v. g. Baptismus non infert Hæresim, aliter omnis baptizatus esset hereticus, quod dicere impium est, 18 quamuis nemo sit Hæreticus, nisi baptizatus. Familiaritas verò cum Hereticis, defensio, fauor, eorum receptio &c. sunt adminicula intrinseca, quia inferunt suspicionem Hæresis ideo ad horum probationem admittuntur inhabiles. Non verò ad probandum ipsum esse baptizatum, si neget ad euitandum pœnas Hæreticorum, integer enim testis esse debet. Ita *Castropal. cit*.§. 2 *num*.1.*Diana par*.4.*tract*.6 *resol*.11. *Notab*. 3. *Carena par*. 3.*tit*.5. *num*.75.*Ego cap*.33. *num*. 10.

Quæritur 8. Qualem nam Fidem faciant testes admissi inhabiles?

℞. Testes huiusmodi admittuntur cum 19 sua Fide diminutâ, quam de iure habent, quia Iura per admissionem illorum non pares faciunt testibus idoneis, aliter exuerentur suis defectibus, quod verum non est. Ita *Farinac.q*.188. *num*. 83. *Castropal par*. 1. *tract*.4.*disp*.8 *p*.15.§.4.*num*. 1. *Pegna par*.3. *q*.64. *com*. 113. *vers. cæteris tamen*, *Carena par*.3 *tit*.5 *num*.73.

Quæritur 9. An illis opponi possit exceptio inhabilitatis?

℞. Negatiuè, quia Iure concessum impugnari non potest. Ita *Farinac.q*.188 *num*. 20 82. *Locatus* V. *Testis num*. 34. *ex eis Sousa lib*.2.*cap*.13. *num*. 14.

Quæritur 10. An sint torquendi?

℞. Negatiuè, ex quo enim coguntur denuntiare non sunt torquendi, ne retrahantur ob officio denuntiationis in graue præiudicium ortodoxæ Fidei. Ita *Farinac. q*.188. 21 *num*.68 *Castropal.cit*. §.2.*num*.6.*Diana part*. 4.*tract*.6 *resol*.11.*vers.verum*. Contra Sanctarellum, Campegium, & Delrium apud Dianam; Sed praxis est in contrarium. Nec obstat, quòd in alijs Iudicijs torqueantur inhabiles ex culpâ, & infamiâ, *l. ob crimen*. 21.*ff. de testibus*. Auget enim Fidem, vt dixi cap. 8. in Praxi num. 30. quia Inquisitores non tenentur Legibus, sed suis institutis fundatis in Iure canonico, quod hoc non iubet.

Quæritur 11. Quonam tempore inhabilitas spectetur in Teste?

℞. Solùm tempore iuramenti, & examinis, quia qualitas adiuncta verbo intelligenda est iuxta tempus verbi *l. In delictis* 4. §. *Si damnum ff. de noxal.act. l. Titius* 26. *ff de testam.milit.Rota par*.4. *tom*.1. *dec* 645.*num*. 5. Quare si tempore iuramenti, & examinis nullum habet defectum, siue culpabilem, siue inculpabilem est integer esto antea fuisset excommunicatus &c. vel post examen incurrat inhabilitatem. Ita *Farinac. q*. 62. *num*.166.*Sousa lib*. 2. *cap*.13.*num*. 11. 22

Quæritur 12. An Inquisitor interrogare teneatur super inhabilitate?

℞. Affirmatiuè, quia cum in hoc Tribu- 23

nali

nali nomina testium non publicentur Reo, vt possit se defendere, partes Iudicis erunt de illis se informare, vt sciat, quantam fidem illis possit adhibere; est enim Iudex medius inter actorem, & Reum, ergo pro vtrisq. & contra vtrunq. æqua lance procedere debet; vnde iuramentum à testibus exigitur tàm contra se, quàm contra Reum, *ex*
24 *allegatis à Carena par. 3. tit. 7. num.* 1. Et ita docent Albertinus in cap. 1. de *Haret. in 6. q. 16. num. 28 & 32. Diana par. 4. tract. 8. resol. 124. Carena par. 3. tit. 1. num. 66.*

Quæritur 13. An denuntiator, & testis interrogati super vità, & moribus proprijs teneantur respondere, & dicere veritatem ad effectum, vt Iudex veniat in cognitionem quanta eis Fides sit adhibenda?

25 ℞. Tenetur solùm manifestare eos defectus, qui non sunt illi ignominiosi, cuiusmodi sunt delicta personalia, quæ redundant in proprium dedecus, vt quòd sit latro, adulter, sodomita &c. Quod verò sit excommunicatus, quod de genere Iudæorum, spurius, &c. Iudex in his sobrius esse debet, & prudens, ne sit occasio alijs se retrahendi à denuntiatione, & testificatione. Ita *Diana par. 4. tract. 8. resol. 114. Carena par. 3. tit. 7 num.* 74. Rem hanc latiùs probaui Controu. 1. Morali q. 30. num. 187. quæ est resol. 101. tom. 4. impressionis Lugdun.

Quæritur 14. An patiens plures defectus admittatur, seu admissus probet aliquid?

26 ℞. Nihil probat, quia ex suà inhabilitate fidem habet suspectam, & dubiam, ac proinde quò plures sunt defectus, eò magis minuitur fides, & ad nihilum redigitur, & sic nihil probat, & ad id facit, quod dicitur prouerb. 24. 28. *Ne sis testis frustra contra*
27 *proximum tuum*. Idest nihil probans. Confirmatur, quia sicut plura adminicula probationem augent, & ampliant, ita è contra plures defectus destruunt, & nihil probant, quod enim operatur propositum in proposito, ita oppositum in opposito, *l. Si pater* 101.
28 §. *Si filius ff. de legat.* 3. Ita omnes docent *cum Farinac. q 43. num.* 178. *& q. 62. num.* 80. *Anton. Gomez lib. 3. var. cap. 12. num. 15. Menoch. lib. 1 præsumpt. q. 89. num. 74. Sousa lib. 2. cap.* 25. Vnde dictum testis inualidatur per duos defectus, *Bursat. cons. 69. num.* 25. *Megalius cons. 41. num.* 5. Procedit etiamsi alio modo veritas haberi non potest, *ex citatis à Farinac.* Dixi Resol. 102. num. 36.

Quæritur 15. Quot testes ex inhabilibus requirantur ad Torturam?

29 ℞. Duo sufficiunt; qui singuli vnicum solùm patiantur defectum, aliter non probant, vt patet ex quæst. præced. Nam duo inhabiles æquiparantur vni integro, qui facit semiplenam probationem ad Torturam, duæ enim probationes infimæ simul vnitæ faciunt semiplenam probationem, vt dixi in Praxi cap. 8. num. 13. Ita *Pegna par. 3. com. 110. vers. Si tamen duo Socij, Delrius lib. 5. sect. 3. vers. Ad torturam, & lib. 5. in Append. 2. q. 1. concl. 2. Farinac. q. 185. num. 152. ex illis Castropal. disp. 8. p. 9. num. 7. fine.*

Qui cum Farinac. q. 43. num. 163. ponit 30
alios quatuor casus inferentes Torturam ex dicto vnius testis inhabilis cum adminiculis, quæ sunt. Primum Testes de auditu, qui cum illo faciunt semiplenam probationem. Secundum, quando cum dicto Socij concurrit fama super delicta probata. Tertium, si concurrat fuga nominati. Quartum, si concurrat stricta amicitia nominati cum nominante; est enim hoc speciale delictum habere familiaritatem cum Hæreticis. Ita docet quoq. *Carena par. 3. tit. 10. num. 36. & 37. citans Dianam par. 4. tract. 6. resol. 7. Ciriacum contr. 80. num 3. Ciarlin. cap. 10. num.* 119. Prædicta licet sint de Socio, tamen idem dicendum est de alijs similibus Testibus defectuosis, & inhabilibus, de quibus eadem ratio est habenda.

Quæritur 16. Quot Testes inhabiles requirantur ad condemnationem in pœnam ordinariam?

℞. Quatuor sufficiunt cum aliquibus 31
circunstantijs, quia sicut duo dicuntur se inuicem adiuuare, & fieri integri ad Torturam, ita & quatuor coalescunt in duos integros, quorum inhabilitas dicitur destructa ex coniunctione eorum in vnum finem tendentium. Et ita docet *Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num.* 1 quia ex multitudine deponentium inhabilitas reparatur; loquens disiunctiuè, tres scilicet, vel quatuor sufficere. *Pegna par. 3. com.* 113. *vers. Sit secundum*, dicit, plures quàm duo testes inhabiles sufficiunt ad pœnam ordinariam, *multis ab eo & à Farinac. cit q.* 188. *num.* 84. *Diana par. 4. tract 8. resol.* 123 *Carena par. 3. tit. 5. num. 77. Farin. q. 62. num. 325. Salelles lib. 2. cap. 2. num.* 77. Qui omnes præter numerum testium requirunt etiam alias circùnstantias ex cap. In Fidei fauorem 5. de Hæret in 6. ibi: *Si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum tàm deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, &c.*

Diana loco citato refert alios oppositum 32
sentientes, quia inhabilitas vnius Testis non potest suppleri per alium testem inhabilem, cum id, quod nihil est, non possit recipere supplementum, l. sed & si manente ff. de Præcar. ergo vt testium inhabilitas suppleatur, necessariò requiritur, vt testis supplens non sit inhabilis, nam ex pluribus imperfectis non potest oriri perfectum.

Sed contra istos oppono illud commune 33
axioma: *Et quæ non prosunt singula, multa iuuant.* simul scilicet iuncta, *Glos. V.*
Collecta

Collecta cap. Tres sunt 81. dist. 1. de Pænit. Et ibi sermo est de peccatis, & criminibus, ergo probant plenè non solùm in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus, contra plures citatos à Barb. ad cap. cum causam 13. de Probat. Super hoc axiomate vide Gabriel. lib. 1. commun. opin. concl. 1. multa congerentem, & facit pro nobis sub num. 29. Ego dixi in Praxi cap. 8. num. 20.

34 Ad rationem respondeo ex nihilo nihil suppleri posse, in casu autem nostro fides testium inhabilium non dicitur annichilata, sed tantùm diminuta, ac proinde plures Fides licet diminutæ supplentur in Fidem integram; sicut enim vnitates singillatim 35 spectatæ non faciunt numerum, nisi simul coniunguntur, ita plures diminutæ Fides simul iunctæ constituunt integram probatio- 36 nem; & hoc maximè procedit in causis S. Officij, quia Pontifex Romanus in eo cap. 5. de Hæresis, Fidem inhabilium aliqualiter auxit. Pariter falsum est, quod ex imperfectis nō oriatur perfectum, si enim ex imperfectis partibus, in physicis, quæ sunt materia, & forma, oritur compositum, quod est perfectum, cur & non ex moralibus procedere potest quid perfectum ex imperfectis.

Quæritur 17. Quot Testes inhabiles sunt necessarij ad condemnandum in pænam 37 extraordinariam?

℞. Sufficiunt tres cum adminiculis, quia minor debet esse probatio in ordine ad pænam mitiorem, quàm ad grauiorem, ad quam, vt dictum fuit in præcedenti quæstione, sufficiunt quatuor cum circunstantijs, ergo tres sufficiunt, qui faciunt probationem maiorem, quàm ad Torturam, & minorem quàm ad pænam ordinariam, & grauiorem. Responsio hæc est consequens præcedentibus. Nihilominus Pegna par. 3. com. 113. vers. Cæteris tamen, & Farinac. q. 188. num 83. aiunt, sufficere duos inhabiles, quia sufficiunt ad Torturam, quasi ex eà infera- 38 tur ad pænam mitiorem. Sed non placet, quia probatio ad pænam debet in aliquo gradu excedere probationem pro Torturà.

SECTIO LXII.

De Testibus culpabiliter Inhabilibus.

SVMMARIVM.

1 *Accusator admittitur in causis Fidei.*
2 *Accusatus.*
3 *Adulter.*
4 *Apostata nequaquam.*
5 *Apostata à Religione admittitur.*
6 *Non est infamis.*
7 *Arenarius, cum senicis.*
8 *Bannitus.*
9 *Birruarius.*
10 *Blasphemus.*
11 *Calumniator.*
12 *Carceratus.*
13 *Concubinarius.*
14 *Decoctus.*
15 *Denuntiator.*
16 *Duellantes.*
17 *Ebrius.*
18 *Excommunicatus.*
19 *Falsarius.*
20 *Fur, Latro, Raptor.*
21 *Fustigatus.*
22 *Hæreticus.*
23 *Histriones.*
24 *Homicida.*
25 *Incestuosus.*
26 *Non confessus, non communicatus.*
28 *Iudæus non admittitur.*
29 *Non verò querelati.*
30 *Testimonium inimici optimum pro inimico.*
31 *Leno admittitur.*
32 *Meretrix pariter.*
33 *Periurus admittitur retractans primum dictum.*
34 *Dicto secundo in causis Fidei, & pro Fide statur.*
35 *Prodigus admittitur.*
36 *Sacrilegus pariter, &*
37 *Sortilegus.*
38 *Socius in crimine admittitur in Testem contra Socium.*
39 *Vsurarius testis in causis Fidei.*
40 *Non est casus sancti Officij.*

Actum est in præcedenti Sectione de testibus inhabilibus in genere; nunc in præsenti tractandum est de eisdem in specie, in quantum exigit præsens opus in ordine ad Sanctum Officium, in quo recipiuntur omnes testes inhabiles, excepto capitali inimico, vt dixi initio præcedentis sectionis. De his autem breuiter sermo erit, quia prolixiùs de illis egi à cap. 10. & sequent. in Pra-

xi tom. 5. impress. Lugdunensis. Inhabilitas autem, vel oritur ex aliquà culpà ipsius testis, vel ex aliquo alio defectu inculpabili in teste, hic agam ordine alphabetico de inhabilibus ex culpà, de alijs postmodum in alià Sectione.

1 Accusator quamuis repellatur cap. 1. 14. q. 4. cap. Accusatores 2. 3. q. 5. ita quòd nec probat ad inquirendum, *Farinac. q. 60. num. 65.* Nihilominus in causa Hæresis admittitur etiam in Testem, cum censeatur testari zelo Fidei, vt ex alijs dicit ibidem *num. 70. & q. 185. num. 32. Carena par. 3. tit. 5. n. 65.*

2 Accusatus regulariter non admittitur, *ex cap si testes 3. 4 q. 3. §. In testimonium, & cap. fin. de testib.* Quia querelati opinio grauatur, *Glos. V. Nuntiantur cap. 4. de Accusat.* Vtique in causa Hæresis, cum sit crimen ex exceptis *Farinac. q. 56. num. 173.*

3 Adulter, qui scilicet copulam habuit cum alienà vxore, siue sit coniugatus, siue solutus, si Adulterium eius sit notorium, vel de eo damnatus, repellitur *cap. constituimus 11. 3. q. 5. Farinac. q. 56. num. 289. & 290.* Nihil tamen dicit de hoc crimine, sed cum nullus excipiatur in causis S. Officij admittitur.

4 Apostata à Fide repellitur in totum à testificando fauore Fidei, *cap. Pagani 25. 2. q. 7.* Dixi in totum, quia patitur plures inhabilitates, nam est excommunicatus, infamis, & Hæreticus *cap. Alieni erroris 23. 2. q. 7. cap. si aduersus, cap. Excommunicatus 13. de hæret. in 6. & in B. Cœna Domini Farinac. q. 56. num. 445.* Ratio, Apostata non potest præsumi benedicere de Fide, à qua recessit.

5 Apostata à Religione repellitur a testimonio solùm, quia est excommunicatus, non ex Apostasià præcisè, sed propter dimissionem habitus, si illum dimisit, *de communi Barb. ad cap. 1. de temp. ordin. num. 6.* De repulsa à testificando Farinac. q. 56. num. 444. ob tres rationes. Et quia infamis, & quia contrauenit Iuramento præstito in ingressu Religionis; & quia est excommunicatus. Reieci primam, & secundam rationem cap. 20. num. 6. in Praxi, nam in illo cap. Infa-
6 mes 6. q. 1. citato à Farinac. non fit mentio de Religione professionis, sed Fidei Christianæ, & sic de Apostasià à Fide. Nec obstat, quòd multi dicant, Apostatas à Religione esse infames allegantes *cap. Alieni 23. 2. q. 7. cap. Beatus 2. 3. q. 4. cap. infames 2. 3. q. 4. & citatum cap. Infames 17. 6. q. 1. Graff lib. 3. de casib. reseru. cap. 2. num. 26. Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 26 concl. 1.* cum eis Petrus Belasius Florent. Congregationis Fesulanæ in suo Promptuario Regulari V. *Apostasia num. 4.* In illis tamen textibus ne verbum quidem de Apostasià à Religione, ergo non sunt notandi infamià, quæ à solo Iure inducitur, vel à notorietate facti infamis, vel per condemnationem. Admittitur autem in causis Fidei, cum solùm patiatur notam Excommunicationis. Demum nullus Apostata est violator Iuramenti, cum in professione nihil cum iuramento promiserit.

Arenarius repellitur *per l. ob carmen ff. de testibus, l. 3. §. Lege Iulia ff. eod.* præsumuntur enim peierare turpis lucri gratià, & sunt 7
infames *ex l. 2. fine ff. de his, qui infam. not.* de quibus Farinac. q. 56. à num. 439. ad 443. cum scenicis, hystrionibus, & bestiarijs, qui omnes dicuntur infames. Sed nostris temporibus non sunt amplius in vsu.

Bannitus qualis est condemnatus in contumaciam, qui citatus noluit comparere in 8
loco, à quo exulat, testificari non potest, cum sit infamis, si delictum est famosum, *l. fin. C. de requir. reis, Farinac. q. 56. num. 328.* Extrà verò testificatur, *num. 334.* nisi infamia illum comitetur ob famosum delictum, aliter intelligitur testificari *num. 335.* Restitutus est habilis *sub num. 337.* non enim amplius est infamis. In causis fidei admittitur, Carena par. 3. tit. 5. num. 36.

Birruarius licet ei sit credendum in ijs, 9
quæ spectant ad suum officium, vt docet *Farinac q. 56. num. 374.* tamen quia ex communi opinione uulgi est infamis repellitur à testimonio, *sub num. 370.* & admittitur in casib. exceptis, *sub num. 397. Carena par. 3. tit. 5. num. 51.*

Blasphemus non solùm condemnatus, 10
sed etiam notorius repellitur à testificando, quia in vtroq; casu est infamis, & cum sit infidelis Deo, non potest esse fidelis hominibus, *Farinac. q. 56. num. 414. ad 424.* Admittitur tamen in exceptis casibus, *sub num. 425.*

Calumniator, qualis est ille, qui falsa cri- 11
mina alicui scienter imponit, condemnatus de calumnià est infamis, *l. 3. C. de calumn.* & ideo repellitur à testimonio, *l. 1. ff. de senatus consul. Turpil. Farinac q. 56. num. 459.* Admittitur tamen in causis Fidei.

Carceratus pro crimine de Iure infaman- 12
te repellitur ex cap. Si testes 4. q. 1. Admittitur in causis Fidei; liberatus testificatur etiam de ijs, quæ sciebat tempore carcerationis, *Farinac. q. 56. num. 180. ad 184.*

Concubinarius, qui domi retinet Con- 13
cubinam sicut vxorem, siue ambo sint coniugati, siue alter eorum Iure Canonico repellitur à Testimonio cum dicatur criminosus, & eius peccatum continuum, *Farinac. q. 56. num. 288. ad 300.* Vide Trident. sess. 24. cap. 8. & sess. 25. cap. 14. de pœnis contra istos tam seculares, quàm ecclesiasticos. Admittuntur tamen in causis Fidei. Idem dicitur de concubinà.

Decoctus, vulgo *fallito* repellitur, quia 14
infamis, *Farinac. q. 56. num. 446. ad 451.* Admittitur in causis Fidei.

Denun-

15 Denuntiator non patitur in S. Officio hanc exceptionem, sed est Testis integer, quia non minuit hæc exceptio eius Fidem, vnde qui primo reuelat delictum in S. Officio, dicitur Denuntiator, & Testis, alij simpliciter Testes, *Iulius* III. *in Bulla* 23. *incip. in multis* §. 10 *Diana par.* 7. *resol.* 47. *Miranda de ordine iudic. q.* 17. *num.* 183. *de S. Iuliano cap.* 5. *Aduert.* 6. §. 2. De denuntiatoribus officialibus in alijs causis *Farinac. q.* 60. *num.* 74. *ad* 76.

16 Duellantes cum sint excommunicati, & infames, esto nullum sequatur homicidium, Trident. sess. 25. cap. 19. repelluntur a Testimonio ferendo. De Duello Barb. ad citatum cap. 19. Gregorius Carafa Theatinus opus congessit dignum lectione. Non inueni apud hos, an repellatur à testimonio, sed quoniam est infamis, & excommunicatus, idcirco prohibentur testificari, admittuntur tamen in causis Fidei.

17 Ebrius, in quo tres spectantur gradus ebrietatis; Leuissima, quæ exhilarat bibentem sine amissione vsus rationis; Leuis, quæ mentem perturbat; & Magna, quæ mentem alienat, & facit perdere vsum rationis, de quibus dixi sect. 45. num. 33. in primo gradu non repellitur, sed in secundo, quia reputatur persona vilis, & infamis habens perturbatum rationis vsum, in tertio gradu penitùs est inhabilis ad testificandum, cum careat vsu rationis, vnde nec seruire potest in causis S. Officij, propter diminutionem vsus rationis in secundo gradu. *Farinac. q.* 56. *num.* 434. Hæc autem exceptio spectatur tempore depositionis.

18 Excommunicatus maiori Excommunicatione etiam nondum denuntiatus aduersario excipiente contra ipsum repellitur in suo dicto *ex Farinac. q.* 56. *num.* 280. à fortiori denuntiatus, cum sit infamis, cap. illi 3. 6. q. 1. repellitur expressè, *cap.* Veniens 38. *de Testib. ibi* Barb. *num.* 9. Farinac. *num.* 241. *Miranda q.* 17. *num.* 126. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 23. Vt impediat testificationem, debet esse in Excommunicatione tempore iuramenti, & depositionis, *sub num.* 274. Hæc exceptio allegari etiam potest coram Iudice laico, *sub num.* 254. Absolutus ad cautelam bene probat, *sub num.* 249. *Riccius par.* 2. *resol.* 259. In causis fidei res est certa, quòd excommunicatus admittitur, vt expressè dicitur *in cap. in fidei fauorem* 5. *de haret. in* 6. Et ita docent omnes *cum Barb. hic num.* 3. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 24. *Farinac. q.* 56. *num.* 273. *& q.* 188. *num.* 68. *Dal Bene Dub.* 198. *sect.* 1. *num.* 5. Sed numquid est absoluendus ab hac Censurâ, ante examen? Affirmat Barb. in citatum cap. Veniens 38. de testib. num. 9. id enim expressè dicitur in textu extremis verbis. Non placet hoc, quia iam excommunicatus non testificatur in causâ Fidei, si est absolutus etiam ad hunc effectum tantùm, citatus enim à S. Officio comparens cum Excommunicatione, & deponens verum non peccat, cum inseruiat S. Officio.

Falsarius in facto, non in verbo, qualis est testis periurus, repellitur à testificando, quia infamis est condemnatus in iudicio, *l.* 1 *ff de his, qui inf. not. l. infamem ff de publie. ex Thesauro Iesuita de Panis V. Falsum cap.* 1. Ita *ex Innoc. in cap.* 1. *de confessis Stephanus Aufrerius de testib. apud Ziletum, num.* 42. In causis Fidei admittitur. 19

Fur, Latro, Raptor sunt infames secutâ condemnatione, *l. Athleta* 4. *l. Furti* 5. *ff. de his, qui inf. l. Non potest* 65. *ff. de furtis, l. Si furti C. Ex quibus caus. inf.* Ac proinde repelluntur à Testimonio, *cap. Constituimus* 9. 3. *q.* 5. Admittuntur in causis Fidei. 20

Fustigatus est ipso Iure infamis *l. Fustibus* 16. *C. Ex quib. caus. infam.* ac proinde repellitur à testimonio, Farinac. *q.* 56. *num.* 456. Admittitur vero in causis Fidei. 21

Hæreticus admittitur contra alium Hæreticum cap. Hæreticus 26. 2. q. 7. Farinac. q. 56. num. 216. 22

Histriones nuncupati etiam Buffones, circulatores in scenam prodeuntes causa quæstus sunt infames cap. 1. 4. q. 1. prohibentur accusare, & testificari, *Farinac. q.* 56 *num.* 439: qui gratis, & recreationis gratia hæc agunt Hystriones non sunt, *sub num.* 441. 23

Homicidæ cuiuscunq; speciei repelluntur à testificatione, per *cap. Constituimus* 9. 3 *q.* 5. *Farinac. q.* 56 *num.* 127. de Proditore *num.* 452. *ad* 455. Admittuntur in causis Fidei. 24

Incestuosus, qualis est ille, qui copulam habet cum consanguineâ, vel affine, repellitur à Testimonio, cap. constituimus q. 3. q. 5. 25

Inconfessus, & non communicatus in Paschate repellitur à testificatione, quia reputatur infamis *ex cap. illi* 3. 6. *q.* 1. *ex allegatis à* Farinac. *q* 56 *num.* 261. *ad* 265. requirente, talem personam esse excommunicatam, denuntiatam, ac proinde non ex infamia, sed ex censura esse inhabilem Testem & sic credo, quia ex illo textu reuerà id non colligitur, Admittuntur ergo in causis Fidei. 26

Inimicus capitalis omninò reijcitur tàm masculus, quàm fæmina, etiam in causis Fidei, & alijs delictis exceptis in sententiâ omnium, *Farinac. q* 53 *num.* 3. *&* 4. in terminis nostris, *idem num* 5. *& seq. Barb. ad cap. Per tuas* 32. *de Simon. num.* 2. *Dal Bene Dub.* 198. *sect.* 2 Admittuntur verò inimici leuis inimicitiæ cum hac exceptione, *idem Farin. q.* 188. *num.* 110. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 15. §. 2. *num.* 9. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num* 7. De inimicitiâ latè dixi cap. 10. sect. 8. in Praxi. 27

Iudæus

28 Iudæus repellitur à Testimonio *per l. Quoniam* C. *de Haret cap.* Pagani 25. 1. q. 7. *Farinac. q. 56. num.* 205. *ad* 238. *de Dictis q.* 33. contra Christianum, P*egna par.* 2. *cum Dal Bene Dub.* 198. *sect.* 1. *num.* 12. Admittitur tamen in causis Fidei, *Farinac. q.* 188. *num.* 125. *& q.* 56. *num.* 227. *Carena par.* 3. *tit.* 1.
29 *num.* 26. tamen non admittitur vllo modo ad fauorem Rei, quia præsumitur irridere Fidem nostram, cum sit apertus hostis contra Fidem Christi. Testimonium autem quod Iudæus profert fauore Fidei Iesu Christi, quem vsque modo non cognouerunt Hebræi, est verissimum, vt persuadent hoc auctoritates Sanctorum Hieronymi Epist. 61. ad Pammachium his verbis: *Testimo-*
30 *nium illud verum est, quod ab inimicis voce profertur fauorabile*. Ioannis Chrisost. in Ioan. 18. inquientis. *Id veritatis maximum est argumentum, cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, testimonium adducit.* Basilij Homil. 21. de hum. Christi generat. his verbis: *Ex inimicis testimonia longè præstantiora, Fideq. digniora*. Referente Agnello Episcopo Casalensi in suo Mariali lib. 6. Discorso 6. pag. 681.

31 Leno idest *Ruffianus, & Ruffiana* venditores alieni corporis ad luxuriandum sunt infames, *l. Palam.* 43. §. *Non est ignoscendum ff. de ritu nupt. l.* 1. *& l. Athletas* 4. *ff. de his qui infam not.* Ideo repelluntur à testimonio, *Farin. q.* 56. *num.* 52. *&* 364. Admittuntur tamen in casibus exceptis, cuiusmodi sunt Hæresis, & alia delicta Hæresim inferentia, *ibidem sub num.* 366.

32 Meretrix, quæ parata est omnibus seruire carnaliter de suo corpore, vt infamis repellitur à testimonio, ex eis legibus mox allatis de Lenone *Farinac q.* 56. *à num.* 359. *ad* 366. vbi admittitur in casibus exceptis, *& q.* 188. *num.* 83. vbi facit eius dictum pro Torturà, & ad pænam extraordinariam, intellige alijs concurrentibus, & cum eo Carena par. 3. tit. 5. num. 29. & 30.

33 Periurus, qui falsum in Iudicio deposuit, licet repellatur omnino, *cap. Quicunq.* 18 6. *q.* 1. licet sit emendatus, ita quòd nec eius indicium faciat ad Torturam, *Farinac. q.* 56. *à num.* 186. *ad* 189. Neq. eius dictum per Torturam habilitatur, *sub num.* 193. *Guazin. Defens.* 19. *cap.* 16. *num.* 19. Admittitur verò in causa Hæresis, vt expressè dicitur
34 *in cap. Accusatus* 8. §. *Licet de haret. in* 6. Vbi decernitur, quòd standum est secundo dicto fauore Fidei, quando Testis, licet periurus, primum dictum reuocat etiam ex interuallo temporis, si manifestis Indicijs appareat, talem non ex leuitate animi, vel fomite odij, vel corruptione pecuniæ, sed solo Fidei catolicæ zelo suum dictum corrigere in fauorem Fidei, vbi *Barb. num.* 14. Doctores colligit. *Dal Bene Dub.* 198. *sect.* 1. *num.* 7. *Castropal. disp.* 8. *p.* 15. §. 1. *num.* 3. Etiamsi pœnitentiam non egerit.

Prodigus, qui suabona dissipat, administrationem suorum bonorum retinens testificatur; aliter non, *Farinac. q.* 61. *num.* 457. *&* 458. Admittitur in causis Fidei. 35

Sacrilegus ex læsione rei sacræ Personalis, localis, & realis perseuerans in hoc crimine sacramentali confessione non ablato repellitur à testimonio, *cap. Constituimus q.* 3 *q.* 5. *cap. infames* 17. 6. *q.* 1. *Farinac. q.* 56. *num.* 127. Admittitur in crimine Hæresis *sub num.* 150. 36

Sortilegus abusor rerum sacrarum, repellitur *ex cap. constituimus, ex eodem Farinac. ibidem num.* 127. *& sub num.* 150. admittitur in causis hæresis. 37

Socius in crimine Testis, immo & denuntiator admittitur in causis hæresis, vt dicitur in cap. In fidei fauorem 5. de hæret. in 6. dixi sect. 18. num. 33. & sect. 59. à num. 73. ad 83. In Praxi latiùs cap. 10. sect. 15. 38

Vsurarius repellitur à Testimonio, cum sit infamis, *ex l. Improbum* C. *Ex quib. caus. infam. irroget.* & Iuris infamia non tollitur per pœnitentiam, & restitutionem, cum sit lata à Principe laico, Farinac. q. 56. à num. 552. ad 357. admittitur tamen testis fauore Fidei. Causa vsurarum non spectat ad Inquisitores, Farinac. q. 186. num. 42. non enim opponitur fidei, sed iustitiæ. 39

Quantum autem valeat dictum horum testium, visum fuit, & determinatum præced. sect. q. 15. ad torturam; q. 16. ad pænam ordinariam; q. 17. ad extraordinariam. 40

SECTIO LXIII.

De Testibus inculpabiliter Inhabilibus.

SVMMARIVM.

1 *Aduocatus in causis Fidei non admittitur pro suo cliente, sed pro Fide.*
2 *Affinis pariter reijcitur, & fauore Fidei admittitur.*
3 *Idem dicitur de amico.*
4 *Atque de arbitro.*
5 *Cæcus admittitur pro delictis pendentibus ab auditu, si notam habet personam.*
6 *Consanguineorum testimonium optimum*

mum fauore fidei.
7 *Domesticorum quoq;*
8 *Etiam ad defensionem Rei ad probandam eius innocentiam.*
9 *Ecclesiastici contra laicos, & isti contra illos.*
10 *Minor ætate admittitur.*
11 *Mulier admittitur Iure ciuili, non canonico, non probat ad Torturam.*
12 *Mutus sciens scribere admittitur.*
13 *Pauper probatæ vitæ admittitur, & integer est.*
14 *Spurius factus Religiosus, & ex nobili natus integer.*
15 *Surdus admittitur in delictis oculis perceptibilibus.*
16 *Vilis est Testis integer, quando aliter probari non potest Hæresis.*

TRactationem de testibus culpabiliter inhabilibus expeditam sequitur sermo de eisdem inculpabiliter talibus ordine pariter alphabetico exordiendus. Vide de his dicta à me in Praxi cap. 11. & sequent.

1 Aduocatus non potest ferre Testimonium in causà eius, pro quo aduocauit, *cap. Si testis 3. 4. q. 3. & l. fin. ff. de testib.* Farinac. q 60. *num.* 155. Etiam finito officio, *sub num.* 160. nec in causa appellationis, *sub n.* 164. Quia præsumitur adhuc durare affectus erga causam à se defensam. Quare repellitur etiam in causis Fidei, fauore clientis sui, fauore Fidei tamen admittitur.

2 Affinitas repellens à testimonio intelligitur illa, quæ prouenit ex copula licitâ Farinac. *q. 54. num.* 73. Affinis ergo non potest testificari contra extraneum querelatum à suo affine, quia affinitatis affectio veritatem impedire solet, *cap. Similiter* 10. 3. *q.* 5. *cap. Absens* 18 3. *q.* 9. *Farinac. q.* 54. *initio* In S. Officio affinis contra affinem fauore Fidei admittitur, sub num. 77. & est optimum testimonium, non verò admittitur fauore affinis ob allatam rationem, nisi in defensionem, vt dicam sub num. 8.

3 Amicus ex quauis amicitia siue graui, siue leui non admittitur in causis S. Officij pro denuntiato, quia præsumitur mentiri ob affectionem, & amorem erga illum, vtique verò contra ipsum fauore Fidei, & eius depositio habetur pro vera sine aliqua exceptione. Vide Farinac. q. 55. à num. 231. & seq.

4 Arbiter non potest esse Testis in causa pro qua arbitratus fuit, etiam finito officio, neq. in causâ appellationis, quia præsumitur adhuc in eo durare affectionem ad causam. De his Farinac. q. 60. à num. 89. Fauore Fidei non negatur ei Testimonium, quia tunc cum agat contra suum clientem, non præsumitur dicere falsum, sed fortassis vel corrigere suum arbitrium, vel ex nouis motiuis aliter sentire.

Cæcus, qui caret visu oculorum, non potest testificari de illis, quæ pendent à visu, 5
quia testimonium circa id debet esse oculare, *l. Coram Titio, ff. de verb. obligation. l. Testium C. de testib. cap. cum causam, de testib.* *Farinac q.* 61. *à num.* 19. Testificatur verò circa ea, quæ pertinent ad auditum, & si habeat personam sibi notissimam, adhuc dicitur pati exceptionem, *Farinac. sub num.* 27. *ad* 32. Quare cum tali exceptione admittitur in S. Officio, contra denuntiatum.

Consanguinei ob affectionem erga suos 6
repelluntur à testificando contra extraneum querelatum ab alio coniunctò, *cap.* 1. 3 *q.* 5. *ex cap.* 12. *eod.* *Farinac. q.* 54. *sub initium*, hæc prohibitio restringitur vsque ad 4. gradum inclusiuè, etiam in affinibus, *sub num.* 57. quia affectio præsumitur frigida, & nullius momenti. In causis Fidei recipiuntur fauore Fidei, & sunt optimi, non verò contra, & fauore denuntiati, *sub n.* 77. Immò coguntur, *Cap. Filij, de hæret. in* 6. *Pegna par.* 3. *com.* 119. *Farinac q.* 188. *num.* 189. *cum alijs Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 21. *Dal Bene* Dub. 198. *sect.* 1. *num.* 12. Et ita Pater testificatur contra Filium hæreticum formaliter, & vice versa Filius contra Patrem. A fortiori Frater contra Fratrem, & Sorores; item vnus coniux alium coniugem. Probatur, quia locum habet denuntiatio in prędictis ex sect. 18. q. 19. & seq. ergo & testificatio; sed non expedit tales recipere testes, nisi Iudex certus sit de illorum bono testimonio fauore Fidei contra denuntiatos consanguineos, tale enim testimonium est validissimum.

Domesticus dicitur omnis stans in domo 7
alicuius manducans de eius pane, & vino bibens, *Farinac. q.* 55. *num.* 8. *ad* 12. propter interesse repellitur a testimonio pro patrono suo, *l. Etiam C. de Testib. cap. Si testes* 3. 4. *q.* 3. *cap. super prudentia* 1. 14 *q.* 2. *cap. In litteris* 24. *de test.* Admittuntur nihilominus, immo & coguntur fauore Fidei, *ex allegatis à Farinac. sub num* 94 *&* 95. *& q.* 188. *num.* 143. *Barb. ad cap.* 24. *de testib. num.* 13. *Sousa lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9.

Sed numquid admitti possunt consangui- 8
nei, & domestici ad probandam innocentiam denuntiati in eius defensionem? ℞. sic quia id probatur in cap. Litteras, de presumpt. vbi Frater admittitur ad purgationem Fratris in causâ Hæresis, a fortiori admitti potest domesticus, & seruus, ita *Farinac q.* 55. *num.* 77. *& q.* 188. *num.* 151. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 22. *Vers.* Si tamen

sint

sint viri spectatæ probitatis; huiusmodi tamen Testimonium recipitur cum suâ exceptione, cum testificans non sit integer, *ex eodem Carena num. 22.*

9 Ecclesiastici idest clerici, & Regulares esto contra laicos non habeantur pro integris, & maioribus omni exceptione, & vice versa, vt latiùs dixi cap. 15. in Praxi. Nihilominus in causis Fidei nullam patiuntur exceptionem; negotium enim Fidei conseruandæ à calumnijs ad omnes spectat, ac proinde ecclesiasticus contra laicum testificatur, & vice versa laicus contra ecclesiasticum, Carena num. 72.

10 Minor ætate an, & quomodo probet, dixi sect. 59. num. 89. & 90.

11 Mulier iure ciuili non excluditur à testificando, vtique iure Canonico *cap. Mulierem* 33. *q.* 5 *cap. Forus, de Verb. sign. Farinac. q.* 59 *num.* 23. *ad* 27. in causis verò Hæresis admittitur cum sua exceptione, F*arinac. sub num.* 11. *&* q. 188. *num.* 76. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num* 14. *&* 73. *Dixi de solicit. sect* 25. *à num.* 179. *ad* 200. Ita quòd vnica mulier, quamuis honesta non probat ad Torturam, *Farinac. q.* 138 *num.* 32. *Campanilis Rubr.* 11. *cap.* 32. *num.* 6. *Leonissa tom.* 1. *cons. crim.* 55. *num.* 12. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 73. Nec duæ probant ad condemnationem, *ex allegatis à* F*arinac. q.* 59. *num.* 27. Portell. *par.* 1. *casu* 25. *num.* 3. *ex Rodriq. tom.* 4. *cap.* 150. *num.* 3.

12 Mutus non cæcus sciens scribere probat per scripturam, *l. Disertis* C. *Qui testam. facere*, Farinac. *q.* 61. *num.* 52. licet alias repellatur *ex num.* 39. ac proinde recipitur cum exceptione huiusmodi.

13 Pauper necessitate, non voluntate, vt Religiosi, repellitur, si sit malæ famæ *l.* 3. *ff. de testib.* quia in eo oritur præsumptio mendacij, & corruptionis. Et id firmatur auctoritate Salomonis Prouerb. cap. 30. nu. 9. vbi dicitur: *Aut egestate compulsus furer aut periurem nomen Dei*. Vide Farinacium q. 57. à num. 1. asserentem sub num. 75. Pauperem honestæ, & probatæ vitæ, bene probare, neq. ei diminui de Fide, ibi allegatis Iuribus, & Doctoribus, ideo in causis Fidei nullam patitur exceptionem, sed integer est, *ex allegatis à Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 68. Si pauperes repellerentur à testificando, paucas causas Iudices expedirent, cum in Iudicijs soleant Fiscales citare similes personas.

14 Spurius ex quouis coitu illicito repellitur à testificando, quia est persona infamis infamia facti, *Farinac. q.* 56. *num.* 404. etiam legitimatus *sub num.* 405. Admittitur, si sit bonæ famæ, *sub num.* 410. Si religionem sit ingressus, & professus in ea, abstergitur enim infamia, *sub num* 411. Integer est spurius ex nobili statu, & conditione, *sub num.* 412. Religiosus, & nobilis nullam patiuntur exceptionem, cum sint integri, ex locis citatis.

Surdus non potest testificari super his, quę pendent ab auditu, cum organum habeat læsum; admittitur verò in ijs, quæ respiciunt sensum visus, si hunc habet sanum. F*arinac. q.* 61. *num.* 45. Quare in causis Hæresis admittitur, cum delictum cadere possit sub sensum visus, non autem auditus. *Sousa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 26. *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 70. Et sic erit testis integer, & omni exceptione maior, quia Surditas non inficit visionem. 15

Vilis persona secundùm F*arinac. q.* 57. *num.* 54. est villanus, & qui ex infimâ plebe est natus, seu à vilitate exercitij, vt Buffones, Histriones, & Ioculatores, *in cap. Primum, de vita, & honest. in* 6. subdens Farinac. num. 61. repelli, sed tantùm diminui de eius Fide, & non esse torquendum si sit bonæ famæ, aliàs torquetur, *sub num.* 67. Si vero sit vilis, & simul pauper, ob has duas exceptiones repellitur, *sub num.* 71. In causis S. Officij admittitur vilis persona, quæ est probatæ vitæ, & integer reputatur omni exceptione maior, quando alij testes haberi non possunt, *sub num.* 74. 16

SECTIO LXIV.

De Infamia Testium.

SVMMARIVM.

1 *Infamia radix inhabilitatis culpabilis Testium.*
2 *Fama à fando; alia bona, alia mala, de qua hic.*
3 *Infamia Iuris inducta à Iure ciuili, & canonico, facti verò ex opinione virorum proborum.*
4 *Ius canonicum approbat Iura ciuilia inferentia infamiam.*
5 *Miles in certis casibus infamis.*
6 *Scenici turpia ex quæstu exercentes sunt infames.*
7 *Non autem repræsentantes moralia sine turpibus actibus.*
8 *Lenocinium infamat.*
9 *Calumniator est infamis.*
10 *Præuaricator item.*
11 *Fur condemnatus.*
12 *Infamia nubentis infra annum luctus.*

13 *Sub-*

QVia inhabilitas Testium vt plurimùm habet radicem repellendi personam à testimonium ferendo ab infamiâ personæ, textibus vtriusq; Iuris citatis à Farinac. q.56. num. 26. cui proinde non creditur, aut penitus, aut saltem habent Fidem diminutam, idcirco hic agendum est de Infamiâ ad maiorem intelligentiam eorum, quæ dicta sunt in sect. 61. & 62. 1

Quæritur 1. Quid sit bona, & mala Fama, quam Apostolus 2.Corinth.cap.6.num. 8. vocat Infamiam?

℞. Fama dicitur à *fando*, & est diuulgatio vitæ alterius, quæ si procedit à moribus bonis, & honestis, appellatur bona Fama, quæ est status hominis vitâ, & moribus honestis comprobatus; si verò procedit ab actibus iniquis, & malis, dicitur Infamia, quæ est mala opinio de vita, & moribus alicuius concepta à viris probis, & grauibus, ex illius malis operibus. 2

Diuiditur communiter in Infamiam *Iuris*, & *Facti*. Illa incurritur à committente delictum, cui à Lege est annexa Infamia. Infamia verò facti est illa, quæ oritur ex turpi facto habente annexam infamiam ex opinione hominum grauium, non ex ordinatione Legis, in qua non registratur, ab ea tamen non reprobatur. De quâ *Farinac. q. 56. sub initium, Castropal. de irregular. p. 20. num. 7. Suarez disp. 48. sect. 1. & alij*. Aliqui volunt neutram incurri nisi ex delicto, quod Iure aliquo notat delinquentem infamiâ, quos aliquando secutus sum Resol. 56. num. 41. Sed lego omnes communiter sequi dictam diuisionem, cum quibus nunc sto. 3

Quæritur 2. Quænam sunt ista crimina, & delicta, quæ ex Iuris vtriusq. annexam habent hanc Infamiam?

℞. Ius Canonicum cap. Omnes 2. 6. q. 1. Inquit: *Omnes verò infames esse dicimus, quos Leges seculi infames appellant*. Refero casus infamiæ ex legibus *sub tit ff. De his, qui not. Infamiâ, & in C. Ex quibus causis infam.* 4

5 *irroget*. Miles exauthoratus, vt quia vendidit arma, quia condemnatus de Adulterio infamis est l. 1. & 2. ff. eod. & conducens aliena prædia l. fin. ff. Locati. Artis ludicræ exer-
6 citores in scenis sunt infames, ibidem, in l. 21. C. excipiuntur minores ætate. De Histrionibus fit etiam mentio *in cap.* 1 4. *q.* 1. *& in cap.* Pro *dilectione* 95. *dist.* 2. *de consecr.* omnes ergo Scenici, Citaredi, equorum agitatores sunt infames, *Sanch lib. 6. opusc. cap. 3. dub. 6. num. 6. citatus à Thesauro eiusdem Societatis V. Ars cap.* 1. Mimi nostri temporis non videntur esse infames, quia non
7 repræsentant turpia, sed moralia tractant non solùm recreationis gratiâ, sed etiam ad eruditionem audientium.

8 Lenocinium agentes sunt infames *l.* 1. *&* 2. *ff. eod. Gratianus in Decreto cap. apud misericordem* 10. 32. *q.* 1. *ibi Glos.* V. *Crimen Lenociniy* ostendit multis modis committi.

9 Qui in iudicio publico calumniæ, vel præuaricationis causâ iudicatus fuit, est infamis. l. 1. & 4. ff. eod Calumniator est ille, qui scienter imponit falsa crimina in Iudicio, *Azon. in summa cod. de calum. & in cap.*
10 8 §. *Notandum* 2. *q.* 3. Præuaricator, ibidem, dicitur, qui crimina abscondit, ne puniantur criminosi.

11 Fur condemnatus est infamis, l. 1. 4. & 6. ff. eod. Si appellat. non est reus infamiæ l. 6. cit.

12 Qui infra annum luctus viduam suam collocat in Matrimonium l. 1. & 8 ff. eod. Item ducens vxorem sine iussu eius, in cuius est potestate, l. 1. 8. & 11. sunt infames. Similiter & vidua nubens infra annum luctus, l. 15. C. eod. l. 1. C. de secundis nupt. Sponsalia tamen contrahens non est infamis, l. 10. ff. eod. Vide *Sanch lib. 7. disp.* 87. *& Castropal. disp.* 4 *de Sponsal. p.* 13. §. 2. *num.* 2.

13 Notandum hic est omnes pœnas etiam Infamiam latas contra mulieres viduas infra annum luctus nubentes, sublatas fuisse. Iure canonico, *cap. fin. de secundis nupt.* & licet ibi sermo sit expressus de infamia, non tamen excluduntur aliæ pœnæ, *Sanchez lib. 7 disp. 87. num. 23. Castropal. num.* 10.

14 Crimen Stellionatus infamat. l. 13. fine ff. eod. quale committit ille, qui rem suam vni obligatam, alteri pignoratur, sic dictum ab animali vario in colore, qui serpens stellio appellatur.

15 Vidua prægnans minimè si mittitur vt prægnas in possessionem infamis est, sicut eius pater, in cuius erat potestate, passus eam mitti in possessionem, l. 19. ff. eod.

16 Fustigatio infamat, si causa propter quam id meruit, pari infamiam irrogat l. 22. ff. cod. & l. 16. C. eod.

17 Pœna corporalis loco pecuniariæ infamat quia per hoc non remittitur l. 22. ff. eod.

18 Damnatus de crimine expilatæ hæreditatis est infamis. l. 12. C. eod.

Transactio in causâ famosâ infamat, si pecunia interueniat, l. 18. C. eod. 19

Condemnatus in actione pro Socio de fide ruptâ est infamis, l. 22. C. eod. 20

Vsurarius est infamis, l. 20. C. eod. 21

In sequentibus casibus non incurritur Infamia. Carceratio non infamat. *l.* 1. *C. Ex quib. causis infamia irrog.*

Si pœna maleficij fuerit per sententiam diminuta, infamia videtur remissa l. 3. C. eod. 22

Licet quis de furto condemnatus sit infamis, non tamen furti retentor, si non fuit condemnatus de receptatione, l. 8. C. eod. 23

Infamis non est cedens bonis paternis l. 7. Nec debitor cedens suis bonis l. 11. C. eod. 24

Tortura, & fustigatio pro eruenda veritate non infamant. l. 14. C. eod. 25

Demum non implens Iuramentum promissorium, quando potest, est infamis. *l. Si quis maior C. de transact. l. Quoties C. de Dignit. lib.* 12. 26

Crimen læsæ maiestatis, adulterij, proditionis, falsi, rapinæ, & homicidij infamant. Instit. de public. iudic. 27

Iure Canonico infames numerantur in cap. Constituimus 9. 3. q. 5. homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, domestici, periuri, qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos, diuinosq. concurrerunt. 28

Infames sunt Hæretici, & eorum Fautores, vt notaui sect. 10. num. 2. 29

Insequentes Cardinales hostiliter sunt infames cum suis filijs, & nepotibus *cap. Felicis*, *de Panis in* 6. Item raptores mulierum, *Trident. sess.* 25. *cap.* 19. habens simul duas vxores est infamis, *cap. Nuper.* 4. *de Bigamis*. 30

Quæritur 3. De Infamiâ ex facto oriente?

℞. Hæc Infamia oritur ex facto ipso, quod est graue peccatum, cui Lex infamiam non adiunxit. *Castropal. de irregular. fine p. 20 num. 7. Farinac. q. 56. num. 6. concl.* 3. Et sicut infamiâ Iuris procedit à lege ciuili, & canonicâ, ita infamiâ facti procedit non à quacunq. personâ dicente factum ipsum eam inducere, sed à viris bonis, & grauibus, qui iudicant tale factum eam inducere, *ex tex. l. Non debet ff. de dolo, & in l. Honori ff de obsequijs, Glos. V Infamia* § *Porro* 3 *q.* 7. *Farin. cit.* Tunc autem incurritur infamia facti, cum scitur à maiori parte loci; & non est necesse, quòd omnes proprijs oculis viderint factum ipsum, sed sufficit, quòd turpe delictum sit factum coram duobus, aut tribus animaduertentibus ipsum delictum, sparsum deinde ad aures aliorum per ipsos, qui 31 32

qui illud viderunt fieri à certâ personâ illis notâ.

Quæritur 4. Quomodo infamia tàm *Iuris*, quàm *Facti* probetur?

33 ℞. Infamia Iuris probatur primò per confessionem ipsius Rei, *ex allegatis à Farinac.q.56.num.*15. Secundò, per sententiam
34 illius delicti, quod illam infert. *sub num.*18. interposita tamen appellatio eam impedit, ne exeat in actum, *sub num.* 19 *& q.*59.*num.* 5.*&* 18.ad hoc, vt pariat suos effectus, oportet, quòd infamis sit in Iudicio de crimine infamiam inferente, confessus, aut conuic-
35 tus, atque condemnatus, *Suar. de censur. disp.*48.*sect.* 1.*num.* 8. *&* 9. *Sayrus lib.* 7. *de censur.cap.* 11. *num.* 3. *Sigismundus de elect. Dub.*86.*num.*1.*Barb.Allcg.*43.*num.*14.
36 Infamia verò facti probatur per Testes, etiam singulares, secundum *Farinac.q.* 47.*à num.*302.*Dixi sect.* 6. *à num.* 112. *ad* 120. *& iterum sect.* 59. *num.* 42. *ad* 56.

Quæritur 5. Quandonam incurritur infamia tàm Iuris, quàm facti?

37 ℞. Incurritur tunc, cū sit sententia criminis declaratoria, quia infamia est læsio, & diminutio bonæ Famæ, & existimationis proximi; debet ergo constare de crimine, dum enim manet occultum, nemo dicitur infamatus. Ita *Glos. in cap. Inquisitionis, de Accusat. Nauar.cap.*27.*Couar.lib.*3.*Variar.resol. cap.* 3 *num.* 2. *Sanchez lib.* 2 *cap.* 26. *num.* 1. *Castropal.de irregul p.*20 *num.*3.

Quæritur 6. Quomodo tollatur, dispensetur, seu aboleatur vtraq. infamia? Vide sect. 10. vsq. ad num. 13.

38 ℞. Infamia Iuris dispensatione Principis à quo fuit inducta, aufertur; nam post crimen commissum, & etiam emendatum perseuerat vlterius, donec auferatur dispensatione. Infamia verò facti emendatione aboletur. Ita *Panorm. in cap. Ex diligenti de Simonia, Nauar.cap.*27 *num.*204. *Castropal. cit.num.*8.*Peyrin de Prælato q.*2. *cap.*5. *num. Lezana V. Infamia.*

39 Emendatione ergo delicti tollitur ab eo, qui per triennium bene vixit, *ex adductis à Farinac.q.*56.*num.* 140. Probatur etiam per schedulam confessionis, *Glos. V. Hoc casu cap.Testimonium* 54.*de testib. Mascard. concl.*466.*num.* 10. *Barb. in citato cap.* 54. *num.* 3. *De Bictis q.*31.*num* 8.*vide sect.* 10 *num.*5.

Quæritur 7. An Infamis repellatur à testificando?

40 ℞. Affirmatiuè super his delictis, quæ faciliores sunt probationis, & admissi nihil probant, *cap. Nulli* 11. 3. *q.*4. *cap.constituimus* 9. 3. *q.* 5. *cap.Licet* 47. *cap.Testimonium* 54.*de testib.* Nam actus testificandi est actus legitimus, & honoris, sed hi prohibentur infamibus, *ex Farinac. q.* 56.*num.*26.*ad* 38.
41 In casibus exceptis, & difficilioris probationis admittuntur iuxta dicta in præcedentibus sect. casus autem sunt, crimen vtriusq; læsæ Maiestatis, & omnia ad S. Officium spectantia, Simonia, Sacrilegium, Crimen fraudatæ annonæ, Dilapidationis bonorum 42
Ecclesiæ, fraudati Census, & Perduellionis numerata à Farinac.q.56.num.70. In his ergo admittuntur Testes infames ad probandum non solùm delictum, sed etiam indicia, & adminicula tantùm intrinseca, & proxima delicto, de communi *Farinac.q.*56.*num.* 72. *ad* 79.

Quæritur 8. An infamis occultus repellatur?

℞. Non repellitur, sed tantùm probatus 43
talis ex dictis sub q. 4. infamia enim volat per ora hominum, *Farinat. q.* 56. *num.* 22. *&* 86.

Quæritur 9. An infamis admissus in prædictis casibus sit Testis integer, & omni exceptione maior, & qualiter probet?

℞. Non est integer, cum recipiatur vt 44
talis, vnde non potest facere de per se nec semiplenam probationem, nisi adiuuetur alijs concurrentibus. *Farinac. q.* 56. *num.* 148. *&* 155. *iuxta dicta sect.* 61. *q.* 15. 16. *&* 17.

Quæritur 10. An Infamis deponat contra alium Infamem?

℞. Negatiuè, quia habens Fidem dimi- 45
nutam non potest adiuuari ab alio infami, nec adiuuari, si aliàs posset, cum sit irregulare, quòd querelatus probet contra se. *Farinac.q.*56.*num.* 44. contra alios, qui tamen nullum per se habent solidum fundamentum. In casibus exceptis admittitur iuxta dicta q.7.

Quæritur 11. An de consensu partium admittatur Testis infamis?

℞. Affirmatiuè, quia infames repellun- 46
tur fauore Reorum; ergo si consentiunt, cedunt Iuri suo. *Farinac.q* 56,*num.*92. Sed id non practicatur, quia Reus dum se defendit, vellet etiam legitimos repellere, si posset, ne ab eis offenderetur.

Quæritur 12. An infamia superueniens post latum testimonium infirmet probationem?

℞. Negatiuè, quia infamia solùm nocet 47
tempore depositionis, non autem ante, nec post, sufficit enim, quòd eo tempore Testis sit integer, & immunis ab omni exceptione. *Farinac.q.*56.*num.* 94.

Quæritur 13. An Iudices regulares admittant Testes regulares infames infamia Iuris in suis causis criminalibus?

℞. Affirmatiuè, sed cum suà exceptione, 48
si enim admittuntur in causis Hæresis cum exceptione, à fortiori in alijs causis, quæ sunt inferioris notæ. Vide, quod dixi cap. 9. q. 15. & explica vt hic, & cap. 8. eiusdem Praxis §.Crim.q.15. vbi probaui, inhabilitatem Testium non esse apicem Iuris, contra 49

Pitigianum, Spatharium, Longum & alios asserentes Iudices regulares suos subditos licet inhabiles admittere probabilibus, & idoneis posse, quia putant inhabilitatem esse apicem iuris; sed id verum non est, cum Testis legitima depositio sit de substantialibus iudicij in sententia omnium, Clem. sæpe, de verb. sign.

SECTIO LXV.

De Testibus Singularibus.

SVMMARIVM.

1 *Testis singularis non ex personà, sed ex dicto relatiuè ad aliud alterius Testis.*

2 *Testis singularis vnitate personæ, & dicti.*

3 *Diuersitas dictorum est necessaria in Testibus singularibus.*

4 *Singularitas est exceptio sine inhabilitate.*

5 *Singularitas triplex, Obstatiua, Diuersificatiua, & Cumulatiua.*

6 *Obstatiua est illa, quæ vnius Testis dictum destruit dictum alterius Testis circa idem numero delictum.*

7 *Diuersificatiua est illa, ex cuius varijs dictis inferuntur plura delicta numero distincta sub eadem, vel diuersis speciebus.*

8 *Cumulatiua est illa, quà dictum vnius fauet dicto alterius, dum plures Testes ad eundem finem tendunt.*

9 *Singularitas opponitur contestitati, & conuenientiæ Testium.*

10 *Probatio refertur ad carcerationem, torturam, & condemnationem.*

11 *Probatio est ostensio delicti per legitima media facta coram Iudice competente.*

12 *Contestes saltem duo sufficiunt ad condemnationem, si sint omni exceptione maiores.*

13 *Obstatiui Testes nihil probant.*

14 *Testes diuersificatiui probant ad Torturam.*

15 *Et ad condemnationem.*

16 *Coniunguntur enim depositiones singulares diuersificatiuæ*

17 *Vnus non tollit Fidem alterius.*

18 *Coniunguntur simul duæ semiplenæ, ergo & duæ singulares.*

19 *Singulares diuersificatiui se inuicem adiuuant.*

20 *Inhabilitas maior defectus, quàm singularitas.*

21 *In genere aliquid probatur, & simul in aliquà personà.*

22 *Valet argumentum à genere ad species in moralibus.*

23 *Singularitas diuersificatiua probat ad pœnam ordinariam.*

24 *Diuersificatiui probant ad pœnam extraordinariam.*

25 *Quatuor diuersificatiui plenè probant.*

26 *Quatuor inhabiles, sed contestes plenè probant.*

27 *Minor credulitas in eis est; maior in singularibus.*

28 *Ex diuersis licèt imperfectis fit perfectum.*

29 *Opinio aliorum, quòd diuersificatiui plenè non probent.*

30 *Cap. Nihilominus 16.3.q.9. explicatur.*

31 *Cap. De parentelà 8.35.q.6. explicatur.*

32 *Cap. Bonæ memoriæ 23. de elect. explicatur.*

33 *Cap. Cum dilectus 32. de elect. explicatur.*

34 *Cap. Licèt causam 9. de Probat. explicatur.*

35 *D. Thomas contrariæ opinionis non est.*

36 *Ex singularitate Testium non habetur plena probatio.*

37 *Impugnatur præcedens propositio.*

38 *Testes concordantes in ipsissimis ver-*

verbis videntur ex condicto probare.

39 *Singularitas est idem, quòd vnitas.*

40 *Intellige in Teste vnico, non in comparatiuo.*

41 *Singularitas dicit veritatem, & contrarietatem.*

42 *Dicit quidem varietatem, non tamen contrarietatem, nisi obstatiua.*

43 *Ex singularitate arguitur falsitas, & dolus; id verum est.*

44 *Quando testes conueniunt, vt saluent Reum.*

45 *Testes singulares non probant idem numero delictum, sed plura.*

46 *Sufficit, quòd probatio referatur ad vnum numero querelatum.*

47 *Delictum enim in specie probatum necessariò etiam est probatum in Reo.*

48 *Diuersitas loci, & temporis non mutat substantiam delicti.*

49 *Species diuersæ Hæresum requirunt ad sui probationem quatuor singulares.*

50 *Vnicus Testis singularis ex cumulatiuà sufficit ad Torturam.*

51 *Ad pœnam extraordinariam tres; ad ordinariam quatuor.*

52 *In dubio Testes censentur contestes non singulares.*

53 *Singularitas oritur ex actu positiuo.*

54 *Singularitas in verbis non attenditur, nisi verba articulata sint.*

55 *Mutatio verborum non mutat factum.*

56 *In dubio an depositio sit super vnicum, an plures actus, resoluitur de vno.*

57 *Pluralitas sine necessitate ponenda non est.*

58 *Delictum, quod fit de se successiuè, probatur testibus singularibus.*

59 *Solicitatio probatur Testibus singularibus.*

60 *Probato delicto in specie; etiam in indiuiduo.*

61 *Tempus, & locus in tribus casibus de substantià delicti.*

IN præcedentibus actum est de Testibus quoad habilitatem, vel inhabilitatem personæ testificantis, in hac verò sectione, & sequentibus tractandum est de dictis, & depositionibus Testium; in hac autem de diuersitate, & singularitate eorum consistente in eorum dictis, quæ est quæstio valde celebris. De qua latiùs dixi in Praxi cap. 19.

Testis dicitur singularis non singularitate personæ, sed sui dicti, & depositionis cum relatione ad alios testes, qui diuersa ab ea deponunt. Itaque illi Testes dicuntur singulares, qui varia inter se deponunt, vel obstando, vel diuersificando, vel cumulando, vnde oritur triplex singularitas, quam mox explicabo. 1

Differt autem Testis singularis à textu vnico, nam vnicus ille dicitur vnitate personæ suæ, non ratione sui dicti, quod nulli comparatur, ex quo vnicus est, vnde idem est testis vnicus, ac singularis singularitate personæ; singularis verò, de quo agendum est, dicitur ille, cuius dictum comparatur cum dicto alterius, & diuersum inuenitur. 2

Varietas autem dictorum, & testimoniorum, seu depositionum est de ratione Testium singularium. Differt autem hæc varietas à varietate vnius Testis vnici in eo, quòd varietas in vnico Teste attenditur in ipso, respectu diuersorum eiusdem dictorum in eodem examine, & causà; dum deponit modo vno modo per auditum, modo per visum, modo sibi contradicendo, & alijs modis. In testibus verò singularibus attenditur relatiuè vnius ad aliud; sermo igitur hìc est de varietate dictorum relatiuà, non absolutà eiusdem adscriptum. 3

Singularitas quamuis sit exceptio, quæ in Iudicijs obseruatur, non tamen dicit inhabilitatem in Testibus, quia non oritur ab aliquo eorum defectu intrinseco in ipsis Testibus, sed nascitur ex varietate dictorum, & testimoniorum secundum propri m vniuscuiusq. testis cognitionem, quæ nullum dicit defectum, nisi extrinsecum in ordine ad fidem habendam ipsis testimonijs non Testibus. Sunt ergo testimonia in suis varietatibus radix, & causà diminuendi fidem in Testibus, iuxta quod infra dicetur. 4

Singularitas ab omnibus assignatur triplex, Obstatiua, Diuersificatiua, & Cumulatiua, dicta etiam adminiculatiua. Auctores de hac triplici singularitate refert Farinac. 5

rinac. q. 64. à num. 4. *Pegna par. 3. Direct. com. 121. Salelles par. 1. Regul. 169. num. 88. Carena par. 2. tit. 6. num. 50. Miranda q. 17. de Ordine iudic. num. 242. Spatharius de testibus tract. 7. cap. 15. Petrus de Angelis Carmelita* Discalceatus *in suo ordine iudic. cap. 14. à num. 13. Castropal. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 3. Philippus de Bictis Capuc. in Epitome causar. iudic. Regular. q* 44. & alij apud citatos.

6 Singularitas obstatiua est illa, quà Testes deponunt contraria circa idem factum numero sic articulatum, & subiectum probationi, adeo quòd dictum vnius destruit dictum alterius vel formaliter, vel virtualiter. Obstatiua ergo singularitas oritur ex contrarietate, & repugnantia Testium in suis dictis, ita quod si non vterque, saltem vnus eorum falsum deponit, E. g. Susannæ adulterio probando, vnus deposuit, quòd adulterauit sub Schino, alter vero sub Pruno. Daniel. 13. à num. 54. ad 60. Quoniam lis erat sub vnico adulterio, testimonia illorum pugnabant ad inuicem, quia erat impossibile quòd vnica adulteratio fieret in duobus locis diffitis inter se, vt id notum est naturaliter, & experientia docet. Denuntiatus est quidam, quòd fecerit tale sortilegium vnicum, & semel; vnus testis deponit factum die quarta Ianuarij; alter die quinta, vel vnus mane, alter post vesperas, vel in domo propria, alter deponit esse factum in Ecclesia, vel in plateà. Huiusmodi depositiones nihil probant, sed se inuicem perimunt, & destruunt, quia impossibile est, quòd idem numero sortilegium sit factum diuersis temporibus, & locis; diuersitas enim temporis arguit pluralitatem actuum, non vnitatem, super qua præcisè fit quæstio. Singularitas obstatiua vel dicit contrarietatem formalem, & expressam, vt cum vnus testis negat adulterium, sortilegium &c. & alter illud idem numero affirmat, vel dicit virtualē contrarietatē, vt in exemplis supra allatis.

Dixi, quòd querela debet esse super vnicum numero crimen, & delictum, aliàs singularitas non esset obstatiua, sed Diuersificatiua, de qua mox dicam. Et hoc voluit dicere Craueta de Antiquit. tempor. de testib. singul. num. 2. dum dixit. *Et ista singularitas obstatiua consideratur in actu non reiterabili*, Idest, respectu vnius numero actus, & non de pluribus, quia tunc singularitas non esset obstatiua, sed Diuersificatiua, relata scilicet ad plures actus ex diuersitate temporum, & locorum.

7 Singularitas Diuersificatiua est illa, ex cuius varijs depositionibus inferuntur plures actus, seu delicta numero distincta sub eadem, vel diuersis speciebus, e.g. vnus deponit de mutuo facto in vno loco, & alter de eodem mutuo facto in alio loco, & alio die, censentur duo actus numero distincti sub eadem specie mutui. Item vnus deponit de Blasphemià auditā tali die, & tali loco, alter alio die, & loco, duæ sunt Blasphemiæ sub eadem specie. Item vnus deponit de Blasphemià, alter de sortilegio, sunt duo crimina inter se numero distincta sub diuersis speciebus; etiamsi sint facta eodem temporis memento, quia diuersitas specifica sufficienter infert pluralitatem numericam.

Singularitas ergo Diuersificatiua inducens pluralitatem numericam actuum, & delictorum cognoscitur, & infertur ex duobus; primò ex diuersitate locorum, vel temporum, de qua potissimum Doctores loquuntur; secundò ex diuersitate specierum, sub quibus sunt actus numericè distincti, vnusquisq; sub suà specie; sicut enim species sunt plures, ita necesse est, quod actus illarum sint numero plures, cum vnum indiuiduum non possit esse sub pluribus speciebus, e.g. Petrus non potest esse sub specie Leonis, & Hominis; cum non possit participare naturam vtriusq; propter oppositas, & contrarias differentias, erit ergo sub specie hominis, cuius differentiam participat. Ita in moralibus. Sortilegium Cribri non potest esse sub specie Blasphemiæ, & Sortilegij, quia ex diuersis essentijs sunt, quæ non possunt communicari sortilegio cribri, cui competit tantùm ratio sortilegij, non Blasphemiæ; ideo sequitur, quòd sortilegium, & Blasphemia, quæ specie sunt diuersa, inferant diuersitatem numericam in illis criminibus.

Cum ex singularitate diuersificatiuà inferatur pluralitas actuum, quod non contingit in obstatiua, in qua vnicus articulatur actus, seu crimen in ordine ad testes, hinc sequitur in diuersificatiuà non spectari repugnantiam nec contrarietatem, sicut in obstatiuà, sed solùm pluralitatem actuum, consequenter illos posse esse omnes veros, nam potest esse, quòd Petrus blasphemauerit pluries ex diuersitate locorum, & temporum, & quòd pariter sit Fur, sit Blasphemus, sit sortilegus etiam respectu eiusdem loci, & temporis, quia in his non locus, nec tempus diuersificat, sed illorum criminum species inducunt in actis distinctionem numericam.

Singularitas cumulatiua, siue adminiculatiua est illa, qua dictum vnius fauet testimonio alterius, dum plures Testes per diuersa media tendunt ad eundem finem; e.g. vnus super eodem delicto Sortilegij, Blasphemiæ &c. deponit de auditu, alter de famà, alter de confessione, alter de ludo, alter de attentatione sortilegij, alter de instrumento &c. In his autem non reperitur contrarietas, nec repugnantia, dum vnus alteri fauet, augendo eius Fidem in probatione criminis. 8

Notan-

9 Notandum autem est quòd singularitas Testium opponitur contestitati, seu conuenientiæ Testium, nam Testes singulares dicuntur, quia tales sunt in suis dictis, in quibus non conueniunt; testes verò dicti contestes sunt illi, qui concordant in suis dictis deponentes super eodem actu, seu delicto eisdem verbis, vt cum plures testes dicunt se vidisse fieri Sortilegium à Curtio tali loco, & tempore. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres primò, an Testes singulares probent, sicut faciunt contestes? Præmitto au-
10 tem probationem referri ad tria. Primò ad carcerationem; Secundò ad Torturam, quando reus negat delictum saltem semiplenè probatum; Tertiò ad pœnam infligendam, siue sit ordinaria, & legalis; siue extraordinaria, & arbitraria.

11 Est autem probatio ostensio delicti per legitimos modos facta coram Iudice competente. Et est duplex, Plena, & Semiplena. Illa est, quæ tantam fidem facit, quanta est necessaria ad expediendam causam. Illa autem probatio potissimum dicitur plena, quæ constat ad minus duobus Testibus omni exceptione maioribus, qui inter se sint contestes conuenientes in depositione criminis. Semiplena probatio est illa, quæ inducitur ad minus per vnicum Testem omni exceptione maiorem, si enim duo exiguntur ad plenam, ergo vnus sufficit ad semiplenam, vt nomen ipsum indicat. Multa autem sunt media ad probandum, nam præter Testes, in quibus potissima probatio consistit, probatur aliquid etiam per Indicia, nimirum, per scripturam, per confessionem, per euidentiam facti, per Iuramentum, per præsumptionem, & per Famam. In his omnes conueniunt cum Mascardo lib. 1. de Probat. q. 2. & 4.

12 ℞. Contestes saltem duo omni exceptione maiores plenè probant, & conuincunt Reum ad condemnationem pœnæ Ordinariæ, in omni causà tam ecclesiasticà, quàm laicali, cap. In omni negotio 4. de Testibus vbi Barbosa innumeros refert Doctores. Ex his infertur, duos testes singulares non probare plenè, nec conuincere ad condemnationem aliquam; positâ in illis duobus quauis singularitate. Et id ab omnibus amplectitur, persistendo in comparatione duorum contestium cum duobus singularibus nullam patientibus exceptionem præter singularitatem. Cæterum si causa coadiuuetur alijs Testibus, & indicijs lis est inter Doctores dirimenda in sequentibus.

Quæres 2. An testes ex singularitate obstatiuâ aliquid probent?

13 ℞. Nihil omnino probant, quia vnus repetimit, & destruit Fidem alterius, vt patet ex definitione ipsius superius allata. Colligitur *ex cap. Licet causam 9. de probat.* Ita omnes cum *Farinac. q. 64. num. 41. Spathar. tract. 7. de Testib. cap. 15. num. 1.* quibuscunq. etiam concurrentibus adminiculis, *Petrus ab Angelis cap. 14. num. 13. Miranda q. 17. art 8. num. 242. vbi ex Baldo*, quòd neq. semiplenè probant; *Castropal. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 3. Farinac. de S. Iuliano ordinis Discalciat. Redempt. Captiuor. in suo Tribun. Regul. cap. 5. Aduert. 4. num. 2.*

Quæres 3. An vnus Testis ex singularibus, abiecta singularitate, & spectatus vt vnicus, seu sine relatione ad alios, probet saltem ad Torturam, & dicatur Testis omni exceptione maior? Difficultas locum non habet inter Testes singularitatis obstatiuæ, quia certum est nihil probare, quia reputatur falsus, restringitur ergo ad diuersificatiuam, & Cumulatiuam?

℞. Affirmatiue, quia Fides vnius non nocet Fidei alterius, inquit enim Crauetta, quòd singularitas cumulatiua, & diuersificatiua non dicit repugnantiam, nec contrarietatem, cum sint diuersę ab Obstatiuâ, ergo derelictâ singularitate, seu eâ non spectatâ, immo & spectatâ, non præiudicat Fidei testis; ergo potest is solus sufficere ad Torturam, dum illi non diminuitur de Fide, & sublata singularitas exceptionem infringit. 14

Et quod reijci possit singularitas probatur, quia primus Testis examinatus nondum dicitur singularis, sed tantùm vnicus, examinatis verò alijs, vel secundo tantùm incipit denominari singularis singularitate sui dicti dependenter à secundo Teste diuersificante; vel cumulante, ergo ex eius dicto bene deueniri potest ad Torturam, cum in suo dicto careat omni exceptione, vt suppono, & etiam hac de singularitate, quia Iudex ad Torturam Ius aquisiuit per primum dictum in eo instanti, in quo deposuit, & suum dictum firmauit, non verò à depositione posterioris Testis.

Quæres 4. An Testes singularitate diuersificatiuà probent non solùm ad Torturam, sed etiam ad condemnationem in pœnam non solùm arbitrariam, sed etiam ordinariam? Quod est etiam quærere an quis conuinci possit pluribus Testibus singularibus diuersificatiuis?

℞. Quatuor testes deponentes super idem delictum in specie, præsertim in causis Sancti Officij, probant non solùm ad carcerandum, & torquendum Reum, sed etiam ad plenè illum conuincendum, & condemnandum, non solùm ad pœnam arbitrariam, sed etiam ad ordinariam. Sufficiunt autem quatuor Testes, qui nullam patiantur exceptionem pręter singularitatem. 15

Prima pars de probatione ad carcerandum, & torturandum probatur, quia ad hæc secundum omnes sufficit vnicus Testis integer, ex dictis præced. quæst. Vnusquisq. autem

autem eorum absolutè spectatur, & non relatiuè sufficit, cum sit vt sic integer; ergo nihil prohibet, quin etiam simul sufficiant, & à fortiori, cum eorum Fides intendatur magis. Ita *Mascard. concl.* 856. *num.* 17. *&* 22. *Pegna par.* 3. *comment.* 121. §. *Quia verò, ex illis Farinac. q.* 64. *num.* 219. *Spathan tract.* 7. *cap.* 16. *num.* 2.

Secunda pars, quòd plenè probent, probatur multis argumentis, & auctoritatibus Doctorum.

16 Primò, quia nihil prohibet, quin plures testes possint simul coniungi ad augendam inuicem Fidem, vt inde sequatur plena probatio, iuxta illud commune axioma: *Et qua non prosunt singula, multa iuuant*, Glos. v. Collecta cap. Tres sunt 81. dist. 1. de Pœnit. Nam ibi non impeditur coniunctio, vbi non est repugnantia, nec contrarietas; sed in Testibus huiusmodi nec repugnantia, nec contrarietas reperitur, vt patet ex definitione eius superiùs datâ; & hæc est differentia inter singularitatem *Obstatiuam*, & *Diuersificatiuam*, quòd testes illius propter repugnantiam non vniuntur ad probationem, sicut coniunguntur Diuersificatiui carentes contrarietate.

17 Secundò, vnus non tollit Fidem alterius, vnde si hodie primus Testis deponit, facit semiplenam probationem, non obstante, quòd cras denominetur singularis relatiuè ad secundum Testem, qui deposuit de eodem crimine perpetrato, sed in alio loco, & tamen secundus Testis non reprobatur, consequenter debet aliquid operari pro Fisco contra Reum, ergo ex illis augetur probatio in tali gradu, quòd dici potest plena, aliter testes pro nihilo haberentur, si nihil probarent augendo ad inuicem Fidem, quod tamen dicendum non est, cum à nullo negetur illis Fides propria vnicuiq; in gradu suo.

18 Tertiò, sicut coniunguntur simul duæ probationes semiplenæ duorum Testium integrorum contestium ad faciendam plenam probationem, quod nemo negat, ita & iunguntur plures, licet imperfectæ, ad perficiendam vnam plenam, neq; enim ratio imperfectionis habet impedire vnionem, quam non negant duæ semiplenæ, quæ ex suâ semiplenitudine sunt imperfectæ; cum enim in ratione huiusmodi imperfectionis se habeant vt partes, quærunt ex suâ naturâ perfectionem, sicut facit materia, & forma duæ partes partiales componentes, & perficientes compositum resultans ex illis, ergo idem facere debent plures probationes vnam plenam constituentes.

19 Quartò, nam Testes singulares vel se inuicem adiuuant, vel non: Si non, ergo reputantur vnus Testis, & sic nec extraordinariè Reus puniri poterit, contra Aduersarios. Si se adiuuant, ergo dictum vnius auget Fidem alterius; ergo quò maior est numerus Testium, eò maior Fides adhibetur, & sic tandem deuenietur ex multiplicatione Testium ad plenam Fidem, & probationem.

Est argumentum Vericelli tract. 8. q. 44. num. 50. qui confirmat, quia est in arbitrio Iudicis credere Testibus singularibus ex communi Opinione Castrensis, Neuizani, Parisij, Menochij, Scacciæ, Gabrielis, Borellæ, & aliorum, quos citat Pasqual. decis. 217. initio, ex eodem Vericello num. 51. sed nemo Iudex arbitrabitur, maiorem Fidem esse adhibendam duobus contestibus, quàm septem Testibus licet singularibus diuersificatiuis tempore, vel loco.

Quintò, inhabilitas Testium ex infamiâ, excommunicatione, criminis participatione &c. suppletur in causis Fidei ex multitudine deponentium, vt docent omnes etiam Aduersarij in cap. In Fidei, de Hæret. in 6. & plenè probant; cur non probabunt Testes singulares, & à fortiori; maius enim præiudicium reperitur in Testibus inhabilibus, & à lege reprobatis, quàm Testibus singularibus, qui propriam Fidem diminutam non habent, sicut inhabiles, & tamen hi admittuntur, ergo & illi, etiam in casu, quo exceptio singularitatis diminuat de Fide Testibus; minus enim diminuit, quàm inhabiles, qui intrinsecam habent Fidei deteriorationem, & quidem absolutam, quæ simpliciter talis est; in testibus verò singularibus est extrinseca, & relatiua, quæ fere nihil præiudicat, dum præcisè indicat pluralitatem actuum, non vnicum tantùm. Et licet inhabilitas Testium diminuat Fidem in illis ratione conditionis personarum, non verò ratione dictorum, sicut in singularibus Testibus, quorum Fides minuitur ex qualitate dictorum; tamen cum diminutio in vtrisque attendatur, non est maior ratio inferendi, quòd inhabilitas suppleatur per pluralitatem Testium, non autem singularitas, cum hæc minus debilitet Fidem Testium. 20

Sextò, potest aliquid in genere probari per Testes singulares, vt docet de communiori veriori opinione Farinac. q. 64. n. 150. ergo & in specie. Probatur consequentia, quia impossibile est dari genus existens, & non eius species, seu speciem, & non eius indiuidua; nam omne vniuersale existit in suis inferioribus, & non extra illa, secundùm Philosophum, & veritatem, si ergo probatur per Testes singulares diuersificatiuos dari e. g. Adulterium; non ne simul, & semel probatur hoc numero adulterium in Petro querelato? 21

Nec dicas, non valet argumentum ab existentia generis ad species, & à specie ad indiuidua, e. g. est animal, ergo est Homo, 22

quia

quia potest esse alia species, ut lupus, vel leo. Est Homo, ergo est Petrus, non valet, quia potest esse aliud indiuiduum. Quia respondetur, argumentum hoc procedere à genere, & specie ad sua inferiora sub ratione contrahibilis; in quo sensu non valet inferre ab existentiâ unius ad aliud, ob rationem adductam; si verò spectetur vt contractum, valet utique illatio; nam benè dicitur existit hoc animal, hic homo, ergo existit Petrus, qui est hoc animal, qui est hic homo. In proposito, adulterium e. g. in genere sumitur, sed applicatum, & contractum ad hunc hominem, qui non potest probari adulter in genere, quin etiam probetur simul, & semel tale, & tale adulterium perpetrasse, quia adulterium, sicut alia crimina, non sunt in concauo lunæ, sed adhærent suis Auctoribus. Probato ergo genere immediatè, & directè, est reuera probata etiam species plurificata, quia vniuersale est in pluribus, & adulterium in pluribus adulteriis, quando probatum fuit in genere.

23 Hanc opinionem, quòd Testes singulares singularitate diuersificatiuâ ex diuersis temporibus, seu locis plenè probent ad pœnam ordinariam idem delictum multiplicatum sub eadem specie, docent quatuordecim Doctores, quos pro se citat Vericellus tract. 8. q. 44. num. 49. Qui sunt Salicetus *in l. Testium, C de testib. num. 16. & in l. Quicunq. C. de haret. Albertinus de Agnosten. q. 34. num. 12. Simaneas Catolic. Instit. tit. 64. num 75. & 76. Corradus Brunus lib 4. de haret cap 9. prope finem. Petra de Fideicom. q. 12. num.* 700. *Lessius lib. 2. cap. 30 num. 33. Villalobos par. 2. summa tract. 17. diffic. 3. num. 6. Aragon. 2. 2. q 70. art. 2. fol. 528. Sousa in calce Aphorism. sect 2. num 11. Gomezius 3. Variar. cap. 12. num. 12. Zanchinus de Haret. cap. 16. num. 6. Viuius in Silua commun opin.* 11. *Testis singularis, Sanch. lib. 6. consil. cap. 5. dub. 12. num. 5.* Et sic practicatur in Lusitania, & Aragonia, ut dicunt Sousa, Fernandez, Diana. Salelles par. 1. lib. 2. Regula 169. num. 121. ait, hanc sententiã tutâ conscientiâ amplecti posse. Barbosa ad cap. In Fidei fauorem 6. de hæretic. in 6. præter allegatos Doctores, refert Iacobum Butrig. *in l. Ariani, C. de haret. Guidopapam q. 44. Boer. decis. 23. num. 44. Franciscum Curtium de testib. concl. 37. à num. 77. Hippolytum cons. 1. num. 41. 46. & 58. & consil. 39 num. 22. Monticellum in Rubr. Testes in crim. Haresf. Meneb. de success. lib. 2. §. 4. num. 45.* Quos repetit idem Barb. ad cap. 4. de Testibus num. 32. Alios refert præter dictos Farinac. q. 64. n. 201. sentiens tamen oppositum num. 217.

24 Tertia pars, quòd Testes singulares diuersificatiui probent ad pœnam arbitrariam, est communis omnium, & à fortiori tenetur à Doctoribus supra citatis, dum aiunt, plenè probare, ac proinde ad pœnam ordinariam, à fortiori ad extraordinariam, & arbitrariam.

Quarta pars, quòd sufficiant quatuor testes singulares diuersificatiui ad plenè probandum idem delictum in specie, seù in genere, ut aiunt Legistæ, probatur, quia duo Testes singulares nullam aliam patientes exceptionem, coniungi possunt ad augendam Fidem sibi inuicem, ut probaui supra num. 16. & cum hoc augmentum omnino tollat eam exceptionem, cum parum diminuerit de Fide; sequitur, quòd ambo sic coniuncti faciunt semiplenam probationem. Pariter alij duo ita uniti aliam parient semiplenam probationem; ergo quatuor testes simul vniti plenam faciunt probationem. Confirmatur, quia quatuor testes inhabiles, sed contestes sufficiunt ad pœnam ordinariam, vt docet *Pegna par. 3. Direct. com.* 113. *Castropal. tom. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 1. Farin. q 59. num. 29. Gandinus de Furib. num. 7. Delrius lib. 1. in Append. q. 13.* loquentes de quatuor fœminis. Ergo & quatuor singulares; minor enim credulitas suspicionis Fidei habetur in Testibus inhabilibus propter defectum intrinsecum, quàm singularibus propter exceptionem singularitatis; sed quatuor inhabiles sufficiunt; à fortiori quatuor singulares. De quatuor testibus ita præcitati cum Probo ad Ioannem Monachum *in cap. 1. de testib. in 6. num. 3. Calcaneus cons.* 100. *num. 5 & 6. Alexander lib. 2. cons. 128. num. 4. Gabriel. de testib. concl. 6. num. 3. Diana par. 4 tract. 8 resol. 123. Vericellus tract. 8. q. 44. sect. 12. num. 59.* prædictos citans. Immò Albertinus apud Farinac. q. 64. num. 208. asserit, sufficere tres.

Sed impugnatur hæc opinio tamquam falsa à Royas *Assert. 6. de Haret. num. 146.* eâ ratione, quia ubi datur singularitas, ibi datur diuersitas, & ex pluribus diuersis nunquam perficitur unum integrale. Ratio hæc seipsam perimit, quia ex physicis, & moralibus constat, aliquid perfici, & integrari ex diuersis, nonne omne compositum etiam morale perficitur ex partibus diuersis inter se, cur ergo non unientur inter se duo dicta diuersa loco, & tempore ad probandum vnum specie delictum multiplicatum, dum constat non dari vniuersale, nisi in pluribus?

Contraria opinio, quòd testes singulares diuersificatiui plenè non probent idem delictum Hæresis in specie etiam eiusdem propositionis, ad pœnam ordinariam, sed solùm ad pænam extraordinariam, & arbitrariam, amplectitur à quamplurimis, & fauet multùm Reis, ne plectantur pœnâ ordinariâ & hos refert *Barbosa ad dictum cap. 4. de Testibus* in eadem causâ Hæresis num. 32. vbi refert quindecim Doctores, *& in cap. In fidei 6. de haret. in 6. num. 7. Etiamsi concurrat*

currat fama publica, Vericellus citat contra se plusquam 24. *Farinac. q. 64. num.* 217. *&* 305. *& q.* 158 *de haeresi num.* 158. *Carena par.* 3. *tit.* 6. *num.* 30. vbi tamen loquitur de diuersis Propositionibus hæreticis. Referam argumenta eorum, & soluam, in quantum obstant supradictis.

Probant primò quinq. auctoritatibus Iuris, quas referam, & explicabo.

30 Prima habetur *cap. Nihilominus* 16. 3. *q.* 9. *Nihilominus puniendi sunt Testes, qui ad calumniam aliquid testificantur, nec eorum voces tamquam plurium admittuntur, quas temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit.*

Respondetur, ibi sermonem esse de singularitate *obstatiuâ*, in qua præsumitur falsitas, & calumnia; & ideo fit mentio de punitione; in diuersificatiuâ autem non solum circa idem actum specie multiplicatum in indiuiduo, sed etiam diuersos, non habet locum calumnia, neq. præsumitur falsitas, cum vtrunq. possit esse verum, ideo textus loquitur tantùm de obstatiuâ. Et id colligitur ex Glos. ibidem v. Simul, quæ exemplificat in casu Susannæ, & sic loquitur textus de singularitate obstatiuâ, quando crimen licet reiterabile, tamen articulatur, & restringitur ad vnicum actum, nam illi duo senes accusauerant Susannam de vnico concubitu cum iuuene.

31 Secunda habetur cap. De parentela 8. 35. q. 6. *In quibus non debet aliqua varietas, vel contrarietas inueniri.* Sed varietas locorum & temporum inuenitur in singularitate diuersificatiua, ergo ex ea Testes non probant.

Respondetur eodem modo, in eo textu agi de singularitate obstatiuâ, quæ admittit varietatem contrarietatis, vt satis clarè loquitur textus, non autem de diuersificatiuâ quæ non stat cum contrarietate, quæ nullo modo probat, sicut facit diuersificatiua, quæ saltem probat ad Torturam in Sententia etiam Aduersariorum.

32 Tertia habetur cap. Bonæ memoriæ 23. de elect. dicitur: *Et si quilibet de se posset asserere, quòd citatio ad eum minimè peruenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares.*

Respondet Vericellus, sicut ad alias, eadem q. 44. sect. 11. à num. 56. non facere ad rem textus, quia ibi agitur, quòd negatiua non potest probari. Dic tu illos Testes fuisse singularitate personæ, & in suum commodum deposuisse singulos, sine aliorum Testium probatione; singuli ergo probabant pro seipsis, & sic non erant singulares singularitate relatiuâ.

33 Quarta habetur in cap. cum dilectus 32. de elect. *Cum contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimonijs singulares.* Ergo Testes singulares non probant.

Respondetur eodem modo, illos dici singulares, quia non habebant aliquos testes pro se, qui audiuissent præstare consensum in electionem, quia singilatim, & secretò præstabatur, ideo eorum probatio erat insufficiens, quia erant singulares, idest, soli sine testibus, nec ipsi poterant testificari, quia agebatur de eorum commodo, & interesse.

Quarta ex cap. Licet causam 9. de probation. *Vix ex illis sex remanserunt concordes, cum alij sibimet in serie sui testimonij contradicant, & quidam alij sint in dicto sui testimonij singulares.* Ergo nihil probant. 34

Respondetur, ideo Testes singulares in eo textu non probare, non quia singulares sunt sed quia patiebantur alios defectus; erant enim malæ famæ, & leuis opinionis. Vericellus ait, eo textu agi de probanda Iurisdictione, quæ Testibus singularibus plerè probatur. Et subdit, illos testes reijci, quia singulares erant fortè singularitate adminiculatiuâ, sed meo iudicio reiecti fuerunt, quia patiebantur alios defectus, vt dixit ibidem textus.

Probant secundò auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 70. art. 2. vbi ait, non posse ex testibus singularibus aliquem pœnâ ordinariâ puniri, illis verbis; *Illis auferri efficaciam, si discordant in tempore, & loco, quia videntur esse singulares.* Ergo nihil probant, efficacia enim Testium est probatio. 35

Respondetur primò, ibi agitur de singularitate obstatiuâ; secundò etiam de diuersificatiuâ, cuius duo Testes non probant ad condemnationem etiam in pœnam extraordinariam.

Probant tertiò, quia ex Testibus singularibus tempore, & loco nullum delictum probatur plenè, & adæquatè, plura enim sunt delicta numero, & tot sunt Testes, quot delicta, vnus autem probare non dicitur solus suum delictum, nisi habeat contestem eiusdem delicti numero, non sufficit in specie probare, nisi semiplenè. 36

Respondetur ex dictis supra sub num. 22. probato delicto in specie v. g. Blasphemiam sortilegium cribri &c. per plures testes, remanere immediatè probata illa delicta plura in indiuiduo, quia impossibile est dari speciem, & eam non esse in aliquo ex suis indiuiduis. Vericellus retorquet argumentum in Aduersarios, nam si decem testes deponerent de decem propositionibus Hæreticis; nonne iste punietur arbitriâ Iudicis pœna? Tunc sequitur contra illos, quodlibet indiuiduum delictum esse tantùm semiplenè probatum, ergo nullatenus punietur. 37

Si dicas, puniri extraordinariè, quia delictum est plusquam semiplenè probatum,

nam

nam ad dictum vnius testis accedunt alij, qui faciunt præsumptionem, aut malam famam. Contra respondet, cur dicunt Aduersarij, facere præsumptionem, & non plenam probationem? faciliùs enim accidit, duos contestes esse falsos, quàm quatuor, aut decem, quamuis singulares. Itaque seorsim accepti faciunt semiplenam probationem, simul verò spectati perficiunt plenam probationem. Quòd falsitas faciliùs accidere possit in duobus contestibus, quàm in pluribus singularibus, colligitur ex Doctrina S. Ioannis Chrysostomi apud D. Thomam. loco allegato, vbi dicit: *Quinimmo aliqua discordia in talibus facit testimonium*
38 *credibilius, quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre, quod tamen prudentiæ Iudicis relinquitur discernendum.* Hæc tanctus vterque.

Probant quartò cum Farinac. q. 64. num.
39 34. Singularitas est idem, quod vnitas, sed vnicus Testis non probat, ergo nec singularis, quia in testibus singularibus non est contestatio, nec numerus, nec pluralitas.

40 Respondetur, me initio huius tractatus distinxisse inter Testem singularem, & Testem vnicum, nam singularis dicitur ratione sui dicti, & comparatiuè ad alium, vnicus verò dicitur ratione suæ personæ, cuius dictum non refertur ad alium Testem. Testis ergo vnicus, & singularis in ordine ad Torturam pares sunt, in ordine autem ad probationem, Testis vnicus nihil probat ex vnitate suæ personæ, & sui testimonij; Testis verò singularis, qui talis dicitur relatiuè ad alios, cum illis planè, & plenè probat, habet ergo cum illis contestationem, numerum, & pluralitatem.

41 Probant quintò, quia vbi adest singularitas in Testibus, ibi dicitur adesse varietas, & contrarietas; sed Testes varij, & contrarij nihil probant, ergo neq. singulares probant.

42 Respondetur, varietatem, quæ dicit contrarietatem, & repugnantiam, reperiri tantùm in singularitate obstatiuâ, non verò in diuersificatiua, quia dictum vnius non perimit dictum alterius. Testes ergo varij secundum repugnantiam, & contrarietatem nihil probant, vtique verò singulares, qui nullam includunt repugnantiam.

43 Probant sextò, quia ex singularitate arguitur falsitas, & dolus ex Follerio in pract. §. Item quod commisit falsitatem num. 26. ex Baldo; sed Testes dolosi, & falsi nihil probant, ergo.

44 ℞. Duplex est singularitas malitiosa, & bona, malitiosa ea est, qua Testes, vt saluent Reum à delicto, contraria deponunt, & in hoc locum habet singularitas obstatiua; bona verò est illa, per quam Testes præsumuntur dicere verum, quia potest esse, quòd querelatus pluries commiserit tale delictum, & in hoc sensu singularitas diuersificatiua nullatenus est malitiosa.

Probant septimò ex l. Sciant cuncti, C. de probat. *Vel Indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus.* Clarissimæ ergo, & indubitatæ debent esse probationes, & non dubiæ, nec obscuræ, quales sunt, quæ proueniunt ex singularitate diuersificatiuà.

Respondetur nihil contra nos; testes enim singulares ex eorum pluralitate sunt idonei, & integri nullam patientes exceptionem euacuatam per pluralitatem, & augmentationem Fidei vnius ad alterum.

Probant octauò cum Castropal. *tract.* 4. 45
disp. 8. *p.* 15. §. 4. *num.* 10. quia Testes deponentes de Hæresi commissà diuerso loco, & tempore non deponunt de eodem numero actu, sed de diuerso, cum impossibile sit eundum actum, v.g. eandem propositionem hæreticam longo tempore continuari nec per diem? sed Testes deponentes de diuerso actu singulares sunt, & non concordes, ergo non plenè probant.

Respondetur, quamuis duo tantùm Tes- 46
tes non probent, super quibus tantùm loquitur, & non de pluribus, tamen coniuncti cum alijs duobus ad minus, plenè probant, quia omnes æque deponunt super eamdem peccati speciem, ac proinde dum probant illud in specie, immediatè quoq. 47
& necessariò illud demonstrant in suo indiuiduo, dum species non potest esse extra sua indiuidua, & neutrum extra subiectum probatum hæreticum, vnde parum refert quòd Testes non concordant tempore, & loco, dum concordent in totà rei, seu delicti substantià: Sanctum enim Inquisitionis officium non solet articulare actus numericos, sed species delictorum, quæ à tempore, & loco non pendent in suà substantià, licet non fiant sine tempore, & loco.

Præterea diuersitas loci, seu temporis non 48
immutat substantiam peccati in suà specie plurificatà, cum plures illæ Hæreses, Blasphemiæ Sortilegia &c. eiusdem speciei per huiusmodi diuersitates non admittant veritatem obiectiuam, quam habent in se, & formalem in Testibus, qui deponunt de re sicuti est in se, in se autem species eiusdem delicti est plurificata, ergo vtrunq; simul probatum. Quare diuersitas temporis, & loci non est intrinseca depositioni, neq; indiuiduationi, sed tantùm dat intelligere pluralitatem actuum, qui cum in seipsis non differant à sua specie, in qua sunt omnino idem in ratione delicti, sufficienter, & plenè dicuntur probati per plures Testes, non obstante hac diuersitate loci, & temporis.

Vnum obseruo contra Vericellum, qui *tract. 8. q. 44 sect. fin. num. 61.* ait parum constantes esse sequentes Doctores, qui docent, quatuor Testes inhabiles contestes sufficere ad pœnam ordinariam; & postea negant, quatuor Testes aliàs idoneos, sed singulares, sufficere ad pœnam ordinariam. Primum docent Castropal. *tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 4. num. 1.* secundum verò num. 11. Pegna *par. 4. com 121. §. atq. vt in hac causa* dicit secundum, & com. 113. primum, Carena *par. 3. tit. 6. num. 16.* Nam reuera Castropal. & Carena non sunt inconstantes, quia loquentes de Testibus singularibus apertè dicunt, quod duo non probant plenè eandem speciem Hæresis plurificatam; quatuor verò inhabiles vtiq; & sic non est contradictio inter ipsos, sicut forsan est in Pegna. Vide Carenã nõ loco citato, quia nihil ibi; sed p. 3. tit. 5. n. 77. vbi de quatuor inhabilibus probãtibus plenè], quamuis ibidem referat aliorum sententiam, & ipse relinquat id arbitrio Iudicis & seq. tit. 6. vbi num. 30. an ex duobus testibus singularibus conuincatur quis hæreticus Luteranus? Et respondet negatiuè. Et licet sub num. 36. neget conuinci per quatuor Testes singulares, non tamen sibi aduersatur, quia non est eius opinionis, dum eam relinquit arbitrio Iudicis. Qua occasione.

Quæritur 5. An duo Testes omni exceptione maiores, sed singulares probent plenè diuersas species Hæresum, Blasphemiarum, sortilegiorum &c. E.g. vnus deponit, quod Christus non est natus ex Virgine alter, quòd Spiritus Sanctus non procedit à Filio. Item vnus deponit de hac Blasphemia, *Putana di Dio*; alter sic: *Ad despectum Dei*. Item vnus deponit de cribro, alter de potione amatoria. Videntur concludenter probare, quia concordant in substantià delicti multiplicati sub eadem specie. Idem quæsitum fieri potest super diuersis sectis, quomodo scilicet probetur, aliquem esse de sectà Maumetanà, Luteranà, Iudaicà, &c.

49 ℞. Duos testes singulares singularitate diuersificatiua specierum nihil probare quò ad pœnam ordinariam, nisi multiplicentur proportionaliter, sicut in probanda specie plurificatà in suis indiuiduis. Ratio est, quia si duo non sufficiunt in probatione eiusdem speciei multiplicatæ, sed quatuor requiruntur ex dictis sub num. 25. à fortiori multò minus sufficient in probatione diuersarum specierum, in quibus est maior diuersitas, ergo vnaquæq. petit quatuor Testes.

Confirmatur primò, quia Hæreses habent caudas colligatas ad inuicem, *cap. Excommunicamus 13. de Haret.* ergo vna aliam coadiuuat in ordine ad Testes. Secundò, quia vna species delicti non aduersatur alteri, maximè sub eodem genere, sed fauet, quia malus in eodem genere mali semper præsumitur malus.

Quæritur 6. An Testes cumulatiui, quos vocant adminiculatiui, probent ad carcerationem, torturam, & pœnam,

℞. Vnicus Testis ex singularibus sufficit ad carcerationem, & torturam, si nullam patitur exceptionem, sitq. Testis ocularis, & de proprià scientià, nec illi obstat singularitas, quia sub ea non spectatur, sed tantùm consideratur vt vnicus, & sine comparatione. Confirmatur, quia sufficit vnus ex singularitate diuersificatiuà, ex num. 14. ergo à fortiori cumulatiuus, qui habet minorem singularitatem, quæ in neutro Teste spectatur in ordine ad carcerationem, & torturam. *Farinac. q. 64. num. 219. ex Mascardo concl 856. num. 22.* Pegna *par. 3. com. 121. vers. Quia vero. Diana par. 4. tract. 6. resol. 5.* Si enim sufficiunt indicia probata per testes singulares ad Torturam, à fortiori dictum vnius ex proprià scientià. 50

Quò ad pœnam verò extraordinariam non videntur sufficere duo Testes singulares, hoc ipso, quòd plures duobus requiruntur ad pœnam ordinariam *ex Albertino in cap. 1. q. 16. num. 53. Simancb. de catol. instit. tit. 64 num. 77. Farinac. q. 188. num. 157 & q. 64. num. 209. cum Salelles lib. 2. cap. 2. num. 117.* Et sicut quatuor requisiui in singularitate diuersificatiuà, sub num. 15. & 25. ita proportionaliter tres in cumulatiuà sufficiunt. 51

Quæritur 7. Quid concludendum in dubio, an testes sint singulares, an contestes?

℞. Censendi sunt contestes, conueniunt enim in substantià rei, nec taciturnitas, aut ignorantia alterius Testis aliquid ponit diuersificatiuum in re, non entis enim nullæ sunt passiones, ac proinde nulla diuersificatio; remanent ergo contestes. Ita de communi *Farinac. q. 64. num. 75. & 317. ad 321. Castropal. tract. 4. disp 8. p. 15 §. 4. num. 12. Carena par. 3 tit. 6. num. 39.* Qui duo, eos vocant contestes, sed non integrè, quia deficit tempus, & locus in vno, positum ab alio. Dictu, eam limitationem non esse admittendam, quia singularitas diuersificatiua oritur ex aliquo positiuo, non ex omissione, ita dixi in Praxi cap. 19. num. 60. vbi plura dixi de singularitate Testium respectu aliorum quoq; delictorum, & in casibus quoq; ciuilibus. 52 53

Quæritur 8. Quid dicendum, quando singularitas consistit in solis verbis, & testes sunt concordes non solùm in substantià rei sed etiam loco, & tempore?

℞. Quando diuersitas consistit in solis verbis, tunc Testes sunt contestes, nisi verba ipsa sint articulanda, primum patet, quia eorum significatio attenditur, non cortex verborum; spiritus enim viuificat, & littera occidit, 54

occidit, vt ait Apostolus, & verborum variatio non mutat factum, modo in substantiâ idem concludatur, *cap.7.de reg.iur.* Vnde
55 hæc verba. *Tu sei vn becco. Tu sei vn martino. Dio becco, Dio Martino. Non vi è prouidenza in Dio. Dio non mi aiuta nelli miei bisogni.* Prima duo exempla idem sunt contra Dei pudicitiam, alia duo posteriora idem respectu diuinæ prouidentiæ, in verbis autem differunt. *Deus impudicus, Deus luxuriosus.* Diuersa sunt verba, idem in re contra diuinam pudicitiam. Dixi, nisi verba ipsa sint articulanda in seipsis, quia tunc sunt attendenda in suis terminis. Vide *Farinac. q.64.num.212.& 216.Castropal.p.15.§.14.num.13. Carena par. 3. tit. 6. num. 37. & 38.*

Quæritur 9. In dubio, an testes deposuerint super vno delicto tantùm, an pluribus numero, quid concludendum?

56 ℞. Depositionem fuisse tantùm super vnum, quià pluralitas actuum non præsumitur, *cap. in præsentia, de Probat. cum alijs Ciarlin.cap.107.num.72.* Pluralitas enim po-
57 nenda non est sine necessitate, inquit *Scotus in 1.dist. 2. q. 7 Vers. Ad secundum ibi: Secundo non præsumitur*, maximè cum agatur de crimine, quod non præsumitur, *Castropal.cit.p.15.§.4 num.6.* Præsumitur verò posita locorum, & temporum diuersitate, *ex Farinac. q.64. num.317.*

Quæritur 10. An duobus Testibus singularibus nullam patientibus exceptionem probetur plenè delictum successiuè perpetratum? E. g. celebratio Missæ, ordinatio sacra, concio facta populo &c. Copula visa successiuè per foramen à pluribus &c.

58 ℞. Affirmatiuè, quia delicta, quæ de sui naturâ fiunt successiuè, in eodem loco, & tempore quoq; dicuntur, tempus enim est duratio successiua, cui coexistit delictum, quod successiuè fit; vnde hìc non datur exceptio singularitatis, quæ tempus, nec locum diuersificet, vnde testes sic probantes dicuntur contestes, *Farinac. q.64. num.90. & 91. Rodriq.tom.2.q.9. art.5. Possent. sing. 261. num.5. Castropal. p.15. §.4 num.9.11. Carena par.3. tit.6. num.31.* De probatione Missæ celebratæ à non sacerdote plura dixi Sect.22. q.17.à num.33.

Quæritur 11. An solicitatio probetur Testibus singularibus?

59 ℞. Affirmatiuè, vt decreuit Gregorius XV. de qua re latiùs egi sect. 25.q.56.n.190.

Quæritur 12. An per Testes singulares probetur aliquid in genere, quod non probatur in specie? seu quod est idem in specie, & non in indiuiduo loquendo logicè?

60 ℞. Negatiuè, quia vniuersale in se non datur, sed semper est in suis inferioribus, quod nemo negat, si habet notitiã vniuersalis; ergo vno probato, & alterũ ex necessariâ cõsequẽtia ergo probata Hæresi luteranâ, ostensa est in tali indiuiduo luteranizante, cum de necessitate, si ipsa est in rerum naturâ, existat in prænominato subiecto. Ita *Simancb. de catol. inst. tit.64. num.70. Royas par.2. num.142. Pegna par. 3. com. 121. cum alijs Salelles lib.2.cap.2.num.123.* contra Albertinum, & alios, quorum opinionem Salelles vocat ridiculam, & sine fundamento. Sed honestius est dicere, illos non percepisse naturam vniuersalis. De hoc argumento plura dixi cap. 19. in Praxi num. 53. & seq.

Quæritur 13. An tempus, & locus quandoq; sint de substantiâ delicti? Farinac. q. 64.num.72 dicit singularitatem Testium induci ex diuersitate locorum, & temporum, atq; tunc nihil probare, ex cap. Nihilominus 3.q.9. Sed id intelligitur, ut dixi hìc sub n.3. respectu singularitatis obstatiuæ; tamen sub num. 80. ait, vlteriùs induci singularitatẽ, & tolli fidem, esto tempus, & locus non sint de substantiâ actus, quando ex eis diuersitas facti inducitur.

℞. In duobus casibus tempus, & locus 61 esse de substantiâ actus, & delicti. *Primò*, si delictum coarctatur tempore, & loco, tunc enim singularitas nihil probat, quia impossibile est, quòd vnicum numero delictum sit factum in diuersis locis, & temporibus. Hinc est, quòd in causis S.Officij delicta reiterabilia non inducantur articulatione loci, & temporis, cum hæ circunstantiæ sint extrinsecæ. *Secundò*, tempus, & locus pertinent ad delictum operis seruilis, transgressio enim diei festiui coniungitur necessariò tali tempori, quo prohibentur opera seruilia, & quandoq; etiam locus, nam hìc Parmæ prohibetur opus seruile in festo S. Hilarii 13. Ianuarij, non Regij. *Tertiò*, homicidium sacrilegum habet adiunctum locum Ecclesiæ, in quo commissum fuit. In his ergo tribus casibus delicta tempore, & loco, seu loco tantùm specificantur, adeò quòd interposita singularitas nihil probat ad pœnam. De qua re latiùs dixi cit. cap.19. in Praxi num.71. & seq.

SECTIO LXVI.

De Teste Vario, Contrario, Vacillante, & Dubio.

SVMMARIVM.

1 *Diuersitas dictorum hìc spectatur in vno tantùm.*

2 *Testis Varius sibi aduersatur indirectè*

directè, contrarius directè.
3 *Nullus illorum probat.*
4 *Statur primo dicto in omnibus, solùm in causis Fidei secundo.*
5 *Sibi in vno contrarius, & in omnibus.*
6 *Varius secundum plus, & minus probat.*
7 *Testis se corrigere potest etiam ex interuallo.*
8 *Torquetur extra S. Officium pro firmitate primi dicti.*
9 *De pluribus Testibus inter se contrarijs.*
10 *Diuersitas dicendi non nocet, si res est eadem.*
11 *Essentialia quænam sint in delicto.*
12 *In Contrarijs credendum affirmatiuis.*
13 *Affirmatiua cognitio melior negatiuâ.*
14 *Magis credendum duobus affirmantibus, quàm mille negantibus.*
15 *Magis credendum fauentibus Fidei, quam Reo.*
16 *Causa Fidei est fauorabilior.*
17 *Causa pijssima.*
18 *Concordia in causis profanis apud Legistas non admittitur, vtique apud Canonistas.*
19 *Finis concordiæ est ad euitandum periurium, & ad probandum.*
20 *Concordati non tantùm probant, quantùm contestes.*
21 *Aliquid tamen probant.*
22 *Testis vacillans sibi est inconstans & deponit cum timore, quod non facit varians.*
23 *Testis dubius idem ac obscurus, incertus, cuius dictum aliquando habet plures sensus.*
24 *Testis est narrare factum, non illud iudicare.*
25 *Verbum* Credo *nihil probat.*
26 *Testis ab alio vocatus negans quod alter dixit, perimit dictum alterius, & suum, & sic nihil probant.*
27 *Concedens præsentiam, sed negans audisse Blasphemiam non perimit stante hac concordiâ.*

DE teste vario, contrario, vacillante, seu dubio hìc agendum est. Dico in singlari de Teste, quia huiusmodi diuersitas considerari potest in eodem Teste, vel inter plures Testes inter se comparatos, in hoc secundo sensu actum est in præcedenti Sectione, hìc agendum est de diuersitate dictorum eiusdem Testis. 1

Quæritur 1. An idem sit Testem variare vel contrariare sibi in suis dictis?

℞. Est hæc differentia, quòd Testis *varius* sibi contradicit indirectè in substantiali negotio; *contrarius* verò, qui directè, & formaliter sibi contradicit. Exemplum varij testis sit. Paulus deponit de mutuo centum aureorum, deinde deponit in alio examine de centum argenteis eiusdem mutui, licet non neget absolutè mutuum, indirectè, tamen illud negat, variando monetam, non enim idem mutuum numero est, nisi dicatur ex promiscuis pecunijs creatum. Deponit primò in S. Officio sortilegium ex sacris rebus confectum, secundò autem dicit, illud sortilegium factum esse ex sanguine menstruo cuiusdam viduæ, per secundum dictum destruit indirectè primum, cum menstruum non sit quid sacrum. Exemplum contrarij testis sit hoc. Primò deponit homicidium factum esse à Petro, postea id negat. Vel quòd occidit eum in plateâ, & deinde, quod Petrus eadem hora erat in alio loco valdè remoto. Item, quod blasphemauit, & postea quòd non blasphemauit, sed quod verba iniuriosa dicebat suo patri. In primis exemplis remanet actus ex parte, in secundis tota substantia actus destruitur, sustinetur aliquid in primis, totum in secundis destruitur. *Ita Baldus relatus à Farinac.q.66.num.* 2. qui tamen in sequentibus numeris vsq. ad decimum, explicat vtrunq. varijs modis, sed discrimen Baldi valde mihi placet, quia tollit confussionem. 2

Quæritur 2. An testis sibi varius, & contrarius aliquid probet?

℞. Nihil probat, quia per vnum dictum destruit aliud, & sic sibi demit Fidem destructione prioris dicti per posteriorem. *Ita Farinac.q.66.num.*13. *Sousa lib.* 2. *cap.* 6 §. 7 *num.*54. *Carena par.* 3 *tit.* 6. *num.* 58 *Ego cap.*22 *in Praxi num.* 4. *Salelles lib.* 2. *cap.*2. *num.*126. Intellige, si variatio sit in substantialibus, vt in exemplis allatis; transfert enim variatio delictum ab vna specie ad aliam, & sic nulla probatur. Variatio etiam temporis, seu loci est substantialis, quando arti- 3

articulantur in delicto non reiterabili quando verò variatio est in accidentalibus non tollit fidem, cum accidentalia non opponantur substantialibus.

Quæritur 3. Cuinam dicto standum sit à Iudice, priorine, an posteriori?

4 ℞. Extra causas S. Officij, statur primo dicto in Torturà firmato siue sit fauore Rei, siue, Fisci, *ex Innoc. in cap. præterea, de testibus*, *Abbats in cap. Veniens 2. eodem*, *Clarus q. 53. vers. Sed quid*, *Decius cons. 174. num. 7.* *Carena par. 3. tit. 6. num 60. vers. Et verè*. In S. autem Officio statur secundo, si hoc fit in fauorem Fidei, & quia in primo dicto negauit Hæresim contra se, & contra alios, vt colligitur *ex cap. Accusatus 8. §. Licet, de Haret. in 6. vbi Barbosa citat Doctores Farinac. q. 188. num. 87. Pegna par. 3. com. 114. Diana par. 4. tract. 7. resol. 22. Carena num. 60.* Intellige, si ex manifestis indicijs apparet, Testem non leuitate animi, nec corruptione pecuniæ, sed zelo Fidei dictum suum velle corrigere, quod ei conceditur etiam ex interuallo temporis. Et hæc omnia clara sunt in textu.

Quæritur 4. An sibi contrarius in vno, in reliquis eiusdem causæ probet?

5 ℞. Negatiuè, quia iuramentum acceptum vti quid indiuiduè spectatum aut totum est verum, aut totum falsum, pro quo facit illud Iacobi, qui in vno peccauit, factus est omnium Reus. Ita *Capolla cons. 1. num. 2. Ruin. lib. 5. cons. 58. num. 10. Caphalus lib. 1. cons. 65. num. 52. cum alijs Farinac. q. 66. num. 19.*

Quæritur 5. An Testis sibi varius secundum plus, & minus probet?

6 ℞. Sic, quia plus continet in se minus, *l. in eo 111. ff. de reg. iur. & Reg. 35. in 6.* & versantur circa idem corpus, ergo illud probant in genere positiuo, & sub eadem specie, non ergo hìc est contrarietas. *Grammat. cons. 50. num. 30. Corneus lib. 3 cons. 27 num. 2. Farinac. q. 66. num. 37.* exemplificantes in confinibus assignatis modo paucioribus, modo pluribus. Assigna tu in primo examine tria sortilegia, & in secundo quatuor, primis enim tribus quartum adiungis, vel contra, si primo assignasti quatuor, & in secundo tria tantùm, negas tunc quartum, non tamen tunc destruis primum dictum in totum, sed tantùm aufers vnum ex quatuor Sortilegijs, & tuum dictum corrigis.

Quæritur 6. An Testis varius se corrigere possit, & quando, & quomodo? Suppono concordiam habere pro obiecto dicta testium obscura, nam si sunt clara, non habet locum in eis interpretatio, vt docent omnes.

7 ℞. Potest se corrigere, sed incontinenti, antequam scilicet dimittatur à Iudice, expresse *cap. Præterea 7. de Testib. cog. bis verbis: Quorum testimonia, si quandoq. non studiosè, sed in proferendo errauerint, & se incontinenti correxerint, reprobari non debent; secus autem erit, si correctioni sua interposuerint interuallum.* Potest etiam Testis ex interuallo se corrigere, sed tunc debet causam correctionis afferre, & probare, quod facere non tenetur, qui incontinenti se corrigit, sufficit enim illi allegare causam e.g. obliuionem, quam probare non tenetur. Ita *Couar. lib. 2. Variar cap. 13. num. 8. vers. Caterum, Farinac. q. 66. num. 245.*

Post publicationem assertationum non admittitur correctio, quia Testis præsumitur locutus cum parte, & dicturus falsum, *ex cap. per suas de Testib. Farinac. q. 66. num. 254.* Ex correctione infertur aliqualis diminutio Fidei in Teste, ac proinde correctio est quædam exceptio, quæ tamen non repellit Testem, *sub num. 250. ad 253.* Prædicta procedunt etiam in causis S. Officij, nam de correctione fit mentio in præcitato *cap. accusatus 8 §. Licet, de Haret in 6.*

Quæritur 7. An Testis se corrigens torquendus sit?

℞. In causis profanis torquendus est, vt possit firmari magis, in quo dicto velit permanere, *Farinac. q. 66. num. 98. Guaz. Defens. 19 cap. 2. num. 2.* In causis verò S. Officij non torquetur, in eo enim § *Licet, cap. 8. de Haret. in 6.* nulla fit mentio de Torturà, & satis firmatur secũ sũ dictũ cum alijs circunstantijs, de quibus *in eo §. Licet, & dixi hìc sub num 4.* Confirmatur, quia inhabiles non torquentur, *sect 61. num. 21.* 8

Quæritur 8 De Testibus relatiuè varijs, & contrarijs inter se?

℞. Testes relatiuè contrarij idem sunt, quod Testes singulares, qui sunt, vt dictum est præced. sectione, triplicis generis; Alij inter se obstatiui, & simpliciter contrarij, qui appellantur diuersificatiui probantes iuxta ibidem dicta sub q. 4. Alij varij, seu cumulatiui probantes, iuxta dicta ibidem sub q. 6. Prædictis addo modicam contrarietatem, dic melius, variationem in accessorijs non minuere de Fide; vtique in substantialibus, in quibus non modica contrarietas, sed magna apparet, Farinac. q. 65. num. 35. Si varietas apparet in narratiuà facti, Testes non sunt contrarij propriè, quando concordant in substantià facti, quia diuersitas dicendi non nocet, si res est eadem, *cap. nihil 7 de verb. sign. Sperellus dec. 81. num 53. Sousa lib. 2. cap. 16. Farinac. q. 65. num. 29.* Essentialia autem in delicto, sunt omnia, quæ includuntur in iuramento, & formà articulatà & ea, super quibus Testis fuit productus, & id omne, quod fuit in suis terminis articulatum, & capitulatum, in his enim variatio Fidem tollit, & nihil probatur. *Farinac. q. 65. num. 18.* Diuersitas rationum non infrin- 9 10 11

git

git dicta Testium, quando tendunt ad eundem finem eiusdem causæ, idem enim pluribus argumentis probari potest, *Sousa lib. 2. cap. 6. num. 17. Farinac. num. 30. & 31.*

12 Quando duo Testes sunt concordes inter se in omnibus, & alij duo illis omnino contrarij; eo in casu, credendum affirmatiuis,
13 non negatiuis, quia aliquid meliùs noscitur affirmando, quàm negando, *Sperellus dec. 178. num. 22.* Vnde magis creditur duobus af-
14 firmantibus, quàm mille negantibus, *ex eodem num. 21. & Farinac. q. 65. num. 200. ad 203.* De his plura dixi cap. 32. in Praxi.

In S. autem officio credendum est ijs, qui
15 respondent fauore Fidei, non fauore Rei, quia magis credendum est deponentibus pro causà fauorabili, qualis est causa Fidei, quàm non fauorabili, *Farinac. q. 65. num. 188. & 189.* Vbi causæ fauorabiles sunt dos, liber-
16 tas, matrimonium, & causa pia, & licet ibi non faciat mentionem de causa Fidei, nihilominus de eà idem dicendum est, quia pręe
17 alijs est fauorabilior, & causa pijssima.

Quæritur 9. An dicta varia, seu contraria, tàm vnius, quàm plurium Testium ad inuicem sint concordanda?

18 ℞. Concordia in causis criminalibus non admittitur in foro seculari nisi fauore Rei, quia in dubijs fauendum est Reo potius, quàm actori, *l. 168. ff. de reg. iur. & Reg. 11. in 6.* In S. Officio non admittitur concordia, quando est præiudicialis causis S. Officij, fauorabilis verò Reo, iuxta mox dicta in præcedenti quæstione. Finis autem concordiæ referri potest ad tria, primò, vt euitetur periurium, secundò vt magis probent, tertiò, quod sequitur ex secundò, vt vni parti fa-
19 ueatur magis, quàm alteri. Primum omnes concedunt *cum Farinac. q. 65. à num. 37. ad 76.* & omnis interpretatio facienda est etiam per verborum impropriationem præcisè ad euitandum periurium, vt docet *Farinac. in præcitatis numeris, vt ego dixi cap. 21. in Praxi.*

Secundum, & tertium negant Legistæ, & concedunt Canonistę cum multis alijs etiam Legistis, Farinac. sub num. 78. dicit, esse communiorem Legistarum negantium concordiam in causis criminalibus in ordine ad probationem.

Sed quoniam in sententià Canonistarum concordia fit etiam ad probandum; duo dubia sunt, primum est, an Testes ad concordiam reducti tantum probent, quantum probassent, si deposuissent concorditer? Alterum est, an ratione concordiæ plus probent, quàm non probarent, si non fuissent concordati?

20 Primo respondetur, non tantum probant quantum illi, qui de se sunt concordes, quia de se non sunt contestes, sed tales facti ab alio, nempe à Iudice, qui suà interpretatione eorum dicta concordauit; fiunt ergo contestes ab extrinseco, ita quòd se habent Testes per eam concordiam, sicut legitimati, qui nati non sunt legitimi. Plenè ergo non probant, sed cum eà exceptione concordiæ. Ita *Pegna, & Cantera apud Carenam par. 3. tit. 6. num. 54.*

Secundo, concordia aliquid operatur, 21 nam auget probationem, quam sine illa non augeret, neq. enim sine aliquà vtilitate admittitur, sed cum fructu eius in fauorem cuius concordia fit. Ita *Farinac. q. 65. num. 79. Sousa lib. 2. cap. 6. num. 19. Carena num. 55.*

Quæritur 10. De Teste vacillante?

℞. Ille Testis dicitur vacillans, qui in 22 dicendo testimonium, non est sibi satis constans, titubans modo negando, modo affirmando circa idem; profert ergo suum testimonium cum timore, & dubitatione. Farinac. q. 65. num. 10. & 11. Et nihil probant, cum eius dictum non sit firmum, & stabile, ex eodem num. 14. Differt à vario in eo, quod varius sine timore, & dubitatione deponit, vacillans verò cum dubitatione, & timore.

Quæritur 11. De Teste dubio?

℞. Testis ille dicitur dubius, cuius dic- 23 tum est obscurum, incertum, vel habens plures sensus. Qui nihil probat, quia ex l. fin. C. de Probat. Testimonia debent esse certa, & luce clariora, & ita docent omnes *cum Farin q. 68. initio*, Peyrinus *in suo* Formul *V. Testis cap. 3. num. 9. de S. Iuliano cap. 5. Aduert. 16.*

Ex hoc responso inferuntur sequentia dicta Testium nihil probare. *Res aliter se habere* Farinac. num. 4. *Possunt esse circiter decem, aut duodecim.* Sub num. 4. *Forte, forsitan*, sub num. 9. *Primà fronte*, sub num. 10. *Non recordor*, sub num. 12. *Nescio* nihil ponit in esse, sub n. 13. *Ni fallor* sub n. 14. *Seu*, *vel* non probant, nisi referantur ad eundem effectum, vt cum clauà, aut gladio, sub num. 19. *Circa* non probat, quando quęritur certum quid numero, pondere, vel mensurà, sub num. 20. & 21. *Plus, aut minus*, vt mox dixi, sub num. 22. ad 24. Verbum *Videor* non probat in rebus corporeis, sub num. 25. ad 30. *Meo videri*, nihil probat, sub num. 27. *Dubito* non probat, sub num 28. *Meo iudicio res est ita*, non probat, quia Testis non est iudicare, sed referre sim- 24 pliciter factum, sub num. 32. & 33. *Secundum conscientiam meam*, sub num. 35. *Teneo rem ita se habere*, non probat ex Mario Anton. lib. 3. resol. 1. num. 39. Ego tamen puto probare, quia illa verba adduntur facto narrato; sunt enim illius confirmatiua *Poterat esse, potest esse &c.* non probant de necesse, sed tantùm de possibili, quod non facit ad rem, quia obiectũ probationis est aliquid fac-

tum

ſum, non factibile. Idem Mar. Anton. lib. 1. reſol. 46. num. 6.

25 Sub Teſte dubio comprehenditur deponens per verbum *Credo* etiam cum adiunctis vt, *Bene credo, pro certo credo; Firmiter credo*. Farinac. q. 68. num. 66. ad 69. Prædictis ſimilia ſunt hæc: *Mihi perſuadeo, Imaginor, puto &c.* Per huiuſmodi depoſitiones nihil probatur, de *communi Farin. num.* 62. vbi ait, ſic deponentem nec mereri nomen Teſtis; Vide alios *apud Barb. ad cap. Quoties 5. de Teſtibus*, ita quòd nec preſumptionem facit, quamuis dicat ſe pro certo credere, niſi cauſam ſuæ credulitatis adducat, *Pariſ. lib. 3. conſ. 67. num. 91. Mantica dec. 30. num. 1. Gratian. cap. 150. num. 30.* Præfatus Barboſa ibidem refert tredecim limitationes, in quibus teſtimonium de credulitate probat. Dixi de hoc cap. 27. in Praxi.

Quæritur 12. De Teſte nominante alium in conteſtem. Caſus eſt talis. Ego depoſui Titium fuiſſe occiſum à Seio, præſente Mæuio, is examinatus negat ſe fuiſſe præſentem. Item, audiui illum blaſphemare, & nomino Petrum præſentem fuiſſe, dum blaſphemabat. Quæritur ergo cuinam ex iſtis credendum ſit? an verò neutri eorum?

26 ℞. Per negatiuam depoſitionem ſecundi Teſtis redditur ſuſpectus de falſo prior Teſtis ac proinde neuter probat factum, ſuper quo fuerunt examinati; ratio eſt, quia ſunt Teſtes obſtatiui; vnus enim directè negat, quod alter affirmat, ex dictis ſect. 65. num. 13. Et ita de primo caſu docent *Bald. in cap. Cum cauſam, de Teſtib num. 1. Gramat conſil crimin. 26. num. 21. Decius conſ. 133 num. 3 & 5. quos pro ſe citat Rota apud* Farinac *dec crim. 337. num. 5. & Carenam par. 3 tit 6. num. 42. Giurbam conſ. 37. num. 26.* Loquuntur ipſi in causâ matrimonij.

Procedit, quòd nemini creditur, ſi ſunt dignitate pares, *Giurba conſ. 23. num. 13. Guaz. Defenſ. 19 cap. 3. num* 2. quia par non agit in parem. Item nulli creditur, ſi nominatus à duobus, perſiſtit in negatiuâ tortus, *ex eodem Giurba num. 9.* ob eandem rationem, quia tortus æquiualet duobus. In caſu verò, in quo diſpar eſt vtriuſq. conditio credendum illi, cuius conditio eſt melior, quia maior in virtute præualet minori, & fortior ſuperat minus fortem, ex eiſdem.

27 In ſecundo caſu de Blaſphemiâ, *Farinac. q. 65. num. 274. ex eo Carena num.* 44. dicunt nihil probare, & eſſe ſuſpectum de falſitate, nec poſſe concordari, niſi ſecundus dicat, fui quidem preſens, ſed non aduerti, an Blaſphemauerit, & tunc ſaluatur dictum primi Teſtis; dicere enim non audiui, licet fuerim in loco, non negat Blaſphemiam depoſitam à primo teſte, ſed ſolùm, quod ad aures eius non venit ſonum Blaſphemiæ articulatum. Demum, ſi negat blaſphemaſſe, præſumptio eſt contra ipſum, quod velit fauere Reo contra cauſam Fidei; qui enim primò denuntiauit præſumitur id feciſſe ex obligatione, & exoneratione ſuæ conſcientiæ, ac proinde dixiſſe verum, cui non poteſt præiudicare negatiua Teſtis citati, qui non ſponte comparuit ad denuntiandum, ſicut fecit primus, ergo non preſumitur dicere verum, ſed velle defendere denuntiatum, dum neglexit eius denuntiationem.

SECTIO LXVII.

De Teſte ex Auditu proprio, vel alieno.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis ex auditu proprio, qui audiuit immediatè delictum.*

2 *Teſtis ocularis, qui proprijs oculis vidit delictum fieri, Auricularis, qui propijs auribus audiuit fieri delictum, cui erat præſens; & Teſtis de auditu alieno delicti, cui non erat præſens.*

3 *Nomine* Teſtis ex auditu *venit ex auditu alieno.*

4 *Teſtes de viſu, & auditu proprio plenè, & conſtanter probant.*

5 *Delictum viſibile oculari Teſte, non auriculari probatur.*

6 *Præſentia formalis neceſſaria eſt in Teſtibus ocularibus, & auricularibus.*

7 *Teſtator debet videri à Teſte.*

8 *Copula non probatur per Teſtes cortinatos, qui ſcilicet non viderunt factum.*

9 *Teſtis ex audito alieno non probat, cum ſit facilè exterminabilis.*

10 *Plures probant cum adminiculis nominantes auctores, qui de ſe ſciunt.*

11 *Si auctores nominati viuunt, ipſi debent citari, & probare.*

12 *Teſtes informati aliam Fidem non*

habent, quàm auctorum.

13 Testes ex auditu alieno eorum, qui solùm ab alijs audierunt, nihil probant.

1 Testis ex auditu dicitur dupliciter; de auditu proprio, qui scilicet proprijs auribus audiuit immediatè delictum, quod voce, & sono committitur, vt Blasphemià, hæresis, Iniuria, &c. appellatur Testis auricularius. Testis verò de auditu alieno est ille, qui delictum non audiuit proprijs auribus, nec oculis suis vidit, sed solùm audiuit mediantibus aliorum vocibus, qui narrant delictum à se vel auditum, vel visum proprijs potentijs; si verò testificatur ex auditu alieno illius, qui & ipse solùm audiuit ab alijs, & non per se, dicitur testis de auditu auditus. Vide Farinac.q.69. à num. 146.

2 Primò, tripliciter accipi Testem ex actione sensibili, primus dicitur Testis ocularis, qui scilicet proprijs oculis vidit fieri delictum cui erat præsens. Testis auricularis, qui scilicet proprijs auribus audiuit delictum auribus perceptibile, cui erat præsens. Testis demum ex auditu alieno, qui scilicet ab alio audiuit delictum, quod ipsemet immediatè non vidit, nec audiuit, quia erat absens.

Quæritur 1. Quid veniat nomine Testis ex auditu, tacito auditu proprio, vel alieno?

3 ℞. Doctores loquentes de Teste ex auditu, nihil aliud addentes, intelliguntur de Teste de auditu alieno. Farinac. q 69 num. 147. Ratio est, quia Testis propriè acceptus appellatur solùm ille, qui deponit de propriâ scientiâ sui visus, vel auditus; Testis autem cum illo addito, quod dicit improprietatem, & imperfectionem, non potest congruenter intelligi de auditu proprio, sed tantùm de alieno.

Quæritur 2. Quid efficiant Testes de visu, & auditu proprio?

4 ℞. Producunt Testimonium verum, constans, & firmum, cum proueniat ex propriâ scientiâ testificantis, qui vidit immediatè delictum perpetrari, vel illud audiuit auribus proportionatum. Istius generis Testes appellati oculares, vel auriculares plenè probant, nisi patiantur aliquam exceptionem. Ita omnes cum *Farinac.q 69 num.* 148. *Carena par.*3 *tit.6.num.*8 *De Bictis q.* 49 *num.* 29 *de Angelis cap* 14. *num.* 25. *de S. Iuliano cap.*5. *Aduert.* 7.

Quæritur 3. An solo auditu proprio probari possit delictum visibile?

5 ℞. Negatiuè, quia probatio debet esse vniuoca, vt probet; quia æquiuoca nihil operatur, hæc autem non est vniuoca, cum non sit ocularis iuxta exigentiam sui obiecti perceptibilis per oculos, ergo non probat. Testimonium ergo de visu necessarium est in his, quæ oculis videntur, sicut de auditu, cum probandum est aliquid pendens ab auribus. *Farinac q.69.num.*157.

Quæritur 4. An præsentia personæ tàm in audiendo, quàm videndo necessaria sit, vt firmiter Testis proferat suum testimonium Pono casum. Audiui Petrum Blasphemantem, sed eum non vidi, cognoui tamen eum à voce; non vidi, quia vel erat de nocte, vel intermediabat cortina, vel tenuis paries, &c. Idem de clamore, & vociferatione.

℞. Vt probatio nullam patiatur exceptionem, necessarium est, quòd Testis suis oculis videat loquentem, vel clamantem, aliter patitur exceptionem personæ non visæ; adeo quòd, nec ad Torturam probat, cum ad hanc requiratur Testis nullam patiens exceptionem, Farinac. q. 69. num. 168. Perfecta ergo probatio resultat in similibus casibus ex mixtione vtriusq. potentiæ. 6

Infertur hinc primò, Testem, qui non videt ægrotum disponentem suum testamentum, esto illum cognoscat, non probare *l. Si non speciali 9. C. de testam.* requirens præsentiam immediatam personæ testatoris visi à Testibus audientibus proferre verba institutionis, *Farinac. num.* 185. Secundò, per Testes cortinatos sine adminiculis, & famâ, non probatur copula, nec ad pœnam etiam extraordinariam, nec ad impediendum Matrimonium; patiuntur enim hanc exceptionem, quia non viderunt visibile, nec proinde Testes oculares dici possunt respectu obiecti proportionati, *Farinac. q.66.num.*197. *ad* 215. 7 8

Quæritur 5. de Teste de auditu alieno an probet?

℞. Non probat, quia est fragilis, suspectus, & facilè exterminabilis, *ex allatis à Farinac.q.69. num.* 100. Si plures sint Testes aliam non patientes exceptionem, nominantes auctorem, vel auctores, qui viderunt, vel audierunt delictum, quique sint bonæ famæ, cum alijs adminiculis, probant simul coniuncti, duo quidem ad torturam, & tres, vel quatuor ad pœnam tantùm extraordinariam in ijs, quæ sunt difficilis probationis. *Farinac.q.69 num* 44. 48. *&* 75. *ad* 92. vbi si sunt viui, citandi sunt, quia ipsi debent deponere; & si isti repelluntur ob aliquem defectum, à fortiori, qui audiuerunt illos, quia Testis de auditu alieno aliam fidem non habet, nisi ab auctore, à quo audiuit; testatur enim per alienam scientiam, *ex Borella Carena par.*3 *tit.*6. *num.*15. 9 10 11 12

Quæritur 6. Quid dicendum de Testibus ex auditu alienorum, qui & ipsi audierunt ab alijs, numquid probant?

℞. Nihil omnino probant, quia in nullo nominatorum aliquis inuenitur, qui delictum sciat ex propriâ scientiâ, in qua consistit 13

radix

radix veritatis, in tantùm enim valet Testimonium ex auditu alieno, in quantum alienus certò scit delictum, quia illud immediatè vidit, vel audiuit proprijs auribus, non debent ergo inutiliter multiplicari auditus in infinitum.

SECTIO LXVIII.

De Testibus Negatiuis.

SVMMARIVM.

1 *Negatio est malignantis naturæ.*

2 *Testis negatiuus negat factum per depositionem Vagam, vel Coarctatam.*

3 *Coarctatio debet esse proportionata delicto.*

4 *Vaga non probat.*

5 *Negatiua triplex, Iuris, Facti, & Qualitatis.*

6 *Coarctata probat.*

7 *Coarctatio nimis dilatata arguit suspicionem falsitatis.*

8 *Testis negatiuus debet reddere rationem suæ negatiuæ, aliter non probat.*

9 *Per affirmatiuam infertur negatiua.*

10 *In paritate Testium pugnantium ad inuicem creditur negatiuis, contra affirmatiuos.*

11 *Creditur affirmatiuis contra negatiuos in vagâ, non in coarctatâ.*

1 PRo intelligentia Testis negatiui præmitto, quòd negatio etsi nihil sit, tamen est talis Naturæ malignantis, vt destruat quidquid exprimit, & ideo plus tollit negatio, quàm ponat affirmatio, *Glos. V. A suspensis, cap. cum dilectus* 8. *de consuet.* Consequenter negatio plus negat, quàm affirmatio affirmet, *Tusebus lit. N. concl.* 26. *Mar. Anton lib.* 1. *resol.* 20. *num.* 7. Ideo affirmatio est minus efficax, quàm sit negatio, *Sanchez lib.* 3. *disp.* 32. *num.* 1. §. *Si vero.* Negatio, & affirmatio reducuntur ad vnum commune genus, dum versantur circa idem obiectum Lazar. q. 2. de Blasph. num. 2. Negatio præterea rem dubiam facit, *ex allegatis à Barbosa Axiom.* 158. Vbi id explicat, & ego cap. 31. in Praxi.

Quæritur 1. Quid sit Testis negatiuus?

℞. Testis negatiuus est ille, qui probat 2 Reum querelatum non commisisse tale delictum, & in hac probatione proceditur dupliciter; per depositionem scilicet Vagam, vel Coarctatam. Negatiua autem depositio Vaga est illa, quæ non cadit sub sensum, quia non coarctatur loco, tempore, nec aliâ qualitate, & ideo appellatur vaga, pura, & simplex. Negatiua verò coarctata est illa, quæ cadit sub sensum, quia restringitur loco, tempore, vel aliâ circunstantiâ, seu qualitate, per quod clarè excludatur delictum. E.g. Petrus est quærelatus, quòd occiderit Paulum in plateà prope Fontanam, vel quod blasphemauerit ibidem hora 14. diei. Volens defendere querelatum probare debet, Petrum per totam illam horam, & paulo ante, & post non fuisse in loco, & tempore prædictis, sed longe designando locum alium, in quo erat, eo tempore, quo occisus fuit, & quo latior est absentia à loco, eo probatio est firmior, & certior. De vtraq; negatiuâ *Farinac. q* 65. *num.* 221. *& seq. Carena* 3 *par.* 3 *tit.* 6. *num.* 63.

Quæritur 2. An vtraque negatiua depositio tàm Vaga, quàm coarctata probet?

℞. Vaga nihil probat, tum quia non ca- 4 dit sub sensum visus, nec auditus; Tum quia negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, cap *Accusator* 2 6. *q* 5. *cap. quoniam* 11. *de Probat. cap. Super hoc, de renunt cap. Bonæ memoria de elect.* vbi Glos. *V. Per rerum naturam* idest, secundum cursum causarum, assignat tres negatiuas, Iuris, Facti, & qualitatis. Facti autem diuidit in simplicem; quam vocauimus Vagam, & Con- 5 iunctam, quam appellauimus Coarctatam. Citati textus, quòd negatiua non probat, intelligendi sunt de Vagâ, quæ nihil probat. Ita *Farinac. q* 65. *num.* 221. *Carena num* 63. *Barbosa ad dictum cap. de elect. num.* 14.

Coarctata verò probat, quia fundatur in 6 aliquo positiuo, ex quo sequitur probatio, & cum huius generis depositio, vt probet, esse restricta debeat ad locum, & tempus; oportet, quòd Testis remoueat sensum ab actu idest asserendo, tali die, hora, & loco, de quibus in querela. Petrum non percussisse, non blasphemasse N. quia si hæc perpetrasset, ego vidissem, seu audissem, quia cum eo semper permansi eodem tempore, & loco, & nihil vidi, nihil audiui de his, super quæ fuit querelatus, & id est remouere actum à sensu; dicendo, quod non potest esse, quod percusserit, vel blasphemauerit, quia ipsum vidissem, aut audiuissem. Et ita per hanc circunstantiã, natam, & articulatam, & perfectissimam responsionem certò probat innocentiam querelati de communi omnium sententiâ *cum Alexandro lib.* 4. *cons.* 43.

num 5. *Decio conſ.* 94.*num*. 5. *Mantica dec.* 350 *num*.7.*Farinac dec*.573.*par* 1. *Recent. Barboſa ad cap.* 3.*loco* 5 *de Probat num*. 4. *Farinac.q.* 65.*num*. 222. *Carena num*. 65. *De Angelis cap*. 21. *num*.44.

Quæritur 3. An coarctatio temporis, ſeu potius dilatatio temporis ad annum, vel ad menſem etiam ſit ſuſpecta de falſitate?

7 ℞. Sic, quia non eſt proportionata delicto, nam delicta aliqua quaſi in momento fiunt, vt Blaſphemiæ, Iniuriæ, Exploſio ſclopi &c. alia tractum temporis petunt, vt rixæ, digladationes, &c. Teſtis ergo hæc probaturus, abſentiam querelati probare debet proportionaliter, tempus magis reſtringendo reſpectu primorum delictorum, quam ſecundi generis, vt proportio locum habeat, & vt legitima, & rationabilis habeatur; aliter Teſtis pro ſuſpecto falſitatis habetur, & nullo proinde modo probat. *Farin.q.*65 *n*.227.

Quæritur 4. An Teſtis negatiuus debeat reddere rationem ſuæ negatiuæ etiam non interogatus.

℞. Sic, quia alias negatiua eſſet potius
8 ſimplex, & vaga, non enim ſufficit dicere, non occidit, non blaſphemauit, ſed addere rationem, ſcilicet, quia eram præſens, & non audiui eum blaſphemare, & ſi blaſphemaſſet, non potuiſſem non audire illum. *Farinac.q.*65.*num*.230.

Quæritur 5. An ex affirmatiua probetur negatiua?

℞. Sic, nam ex eà infertur, quia in eà ex
9 neceſſitate coniunctionis continetur. Patet in his exemplis. Petrus eſt mortuus, ergo non amplius viuit. Petrus manſit Romæ per totam Quadrageſimam, ergo tunc non erat Tibure. Facit Regula Ariſt. Propter quod vnumquodq. tale, & illud magis, & Legiſtarum, quòd magis credendum eſt affirmantibus, quam negantibus, quia negatiuæ creditur propter affirmatiuam. *Farinac. q.* 65.*num*.200.& 215.*Barb.ad cap*.23. *de elect. num*. 16.

Quæritur 6. Quid reſoluendum in caſu quo duo affirmant Titium blaſphemaſſe hæreticaliter, & alij duo negant blaſphemaſſe? Caſus ſupponit ex vtraq. parte coarctationem, quod blaſphemauerit tali hora, tali loco; & ſimiliter, quòd alij duo negent blaſphemaſſe coarctando ſuam depoſitionem, quod non poteſt eſſe, quod blaſphemauerit, quia eum audiuiſſent blaſphemare, dum cum eo ſemper manſerant illo tempore.

10 ℞. Credendum eſt negatiuis contra affirmatiuos, quia probatio negatiua coarctata eſt amplior, & firmior, quam affirmatiua; nam negatiua in ſuà depoſitiuà expreſsè probat duo; nimirum, non blaſphemaſſe, quia eum non audiuit, & fuiſſe cum eo toto illo tempore, quo querelatur blaſphemaſſe, & ſic probat negationem delicti, & ſui præſentiam, coniungendo affirmationem cum negatione. Affirmatiui verò Teſtes probant ſolùm actum poſitiuum Blaſphemiæ expreſſè, & implicitè ſuam preſentiam. Ita *Bouadilla apud Carenam num*.67. *Farinac. q.* 65. *num*. 224. Vbi, quod Teſtes ex vtraq. parte debent eſſe pares. Itaque hic non erit verum quòd credendum eſt magis affirmantibus, quam negantibus, *vt dixi praced.ſect.* 66. 11
num.14. Illud enim procedit, quando Teſtes affirmatiui contrariantur negatiuis vagis, *Farinac.num*.221.non autem negatiuis coarctatis, quibus credendum eſt contra affirmatiuos, *ex eodem ſub num*.222.

SECTIO LXIX.

De Teſte Nocturno.

SVMMARIVM.

1 *Nox dicitur à nocendo oculis, qui per eam impediuntur à ſuo videndi officio.*

2 *Teſtis nocturnus probat, ſi Luna lucet tempore aſſerti criminis.*

3 *Non ſufficit ipſe ſolus ad torturam.*

4 *Multo minus ad pænam, niſi ſint plures cum adminiculis.*

5 *Crepuſculum lumen dubium ſpectat magis ad noctem, quam ad diem.*

6 *Quot horis Luna in nocte luceat.*

7 *Quot horis Nox ſit longa in ſingulis Menſibus.*

8 *Crepuſculum matutinum quandonam incipiat.*

NOx dicitur à nocendo; impedit enim ne oculi ſuo fungantur officio videndi, ad quod deſtinati ſunt. Eſt autem nox ex Cicer. 2.de Naturà Deorum, ipſa umbra Soli officiens, quæ noctem facit. Nox ergo eſt vmbra, & priuatio lucis. 1

Quæritur 1. Quid ſit Teſtis nocturnus, & qualem faciat probationem?

℞. Teſtis nocturnus eſt ille, qui in Iudicio 2
deponit delictum, quod vidit, vel audiuit de nocte factum; dicens de nocte eſſe factum, deſignando horam noctis, quo delictum accidit, vt ex determinatione horæ colligatur qualiter probet. Nam vt probatio valeat, debet

debet Luna lucere horâ, quâ delictum fuit commissum, & si Luna non lucet, saltem adsit lumen aliquod, perquod Testes videant, & cognoscant personam delinquentem, contra quam à se cognitam possint deponere, si enim deponant in obscuro sunt suspecti de falso, *Farinac. q. 62. num. 39.* Nisi sint ita vicini personæ delinquenti, vt eam cognoscant ratione personæ; & facti, *ex num. 42. & 43.* Sui dicti rationem reddere debent, scilicet, quia Luna lucebat, vel lumen aderat candelæ, *sub num. 37. & 38.* immo, & ignis tormentarij de sclopo, *Carena par. 3. tit. 6. num. 26.* Admittitur quilibet Testis etiam inhabilis, quia gesta nocturno tempore sunt difficilioris probationis, sed cum suâ exceptione, *Farinac. q. 62. num. 33. ad 36.*

Quæritur 2. An Testis nocturnus nullam patiens exceptionem, nisi de nocturnâ depositione sufficiat ad Torturam?

3 ℞. Vnus sine adminiculis non probat ad Torturam, cum hanc patiatur exceptionem, quæ per adminiculum sanatur, *Farinac. q. 62. num. 40. 46. & 48* Duo verò ad Torturam probant, quia faciunt semiplenam probationem, & tollunt exceptionem.

Quæritur 3. Quot sufficiant ad pœnam extraordinariam, & Ordinariam?

4 ℞. Ad extraordinariam sufficiunt tres nocturni Testes nullam aliam patientes exceptionem, & quatuor ad pœnam Ordinariam, probatur id ex dictis sect. 61. à num. 31.

Quæritur 4. An delictum commissum in Crepusculo vespertino, vel matutino dicatur factum de die, an de nocte?

5 ℞. Dicitur factum de nocte, quia crepusculum, est lux dubia, ergo lux noctis, non diei, cum huius sit clara, crepusculum autem vespertinum incipit statim post occasum solis vsq; ad semihoram noctis; Crepusculum verò matutinum incipit ab aurora per semi horam vsq; ad ortum solis. Ita *ex Bursato vol. 3. cons. 219 num. 2. Bertaz. cons. crim. 378 Scanarola lib. 3 de Visitat. carcerat. cap. 12 num. 14.* Qui cum eodem Bertaz. dicit, crepuscula respectu Testium se tenere ex parte noctis, dum lux illa non est ita clara, vt exigit notitia ipsius delinquentis. Si verò agatur de pœnâ dandâ delinquenti de nocte, eo in casu crepuscula censeri possunt extrema diei, non noctis ad euitandam talem pœnam.

6 Quoniam Testes nocturni hanc patiantur exceptionem obscuritatis nocturnæ, vt testis nocturnus probare valeat adducendo rationem sui dicti, quia Luna lucebat eà horâ, quâ commissum fuit delictum, opus est referre regulam ad cognoscendum quibus horis Luna de nocte luceat, & Iudex sciat, an Testis iustè loquatur.

Notum est apud omnes, quod Luna est dierum 29. & aliquid amplius, vt Iudex sciat, quando Luna lucet, ne decipiatur à Testibus; lunationes eius vsq; ad decimam quartam inclusiuè multiplicantur per quatuor, & quot vicibus in numero multiplicato intrat numerus quinarius, tot horis lucet Luna de nocte, & vnitates, quæ supersunt indicant minuta horæ, nempe, vnaqueq; vnitas supra quinarium continet duodecim minuta, & sic regulatur lumen Lunæ, incipiendo numerare horas ab occasu solis, hoc modo.

Primâ die Luna non lucet nobis, quia in hac non potest intrare numerus quinarius, sicut in sequentibus diebus, in quibus proinde lucet.

Secundâ die ab occasu solis Luna lucet vnâ horâ, & triginta sex minutis, quia binarius quadruplicatus facit octo, in quo intrat semel quinarius, & tres vnitates, quæ faciunt 36. minuta. Sic discurre in sequentibus.

Tertiâ die lucet duabus horis, & viginti quatuor minutis.

Quartâ die lucet tribus horis, & duodecim minutis.

Quintâ die lucet quatuor horis.

Sextâ die lucet quinq; horis, & quadraginta octo minutis.

Septimâ die lucet quinq; horis, & triginta sex minutis.

Octauâ die lucet sex horis, & vigintiquatuor minutis.

Nonâ die lucet septem horis, & duodecim minutis.

Decimâ die lucet octo horis.

Vndecimâ die lucet octo horis, & quadraginta octo minutis.

Duodecimâ die lucet nouem horis, & triginta sex minutis.

Decimatertiâ die lucet decem horis, & triginta quatuor minutis.

Decimaquartâ die lucet vndecim horis, & duodecim minutis.

Decimaquintâ die lucet plenilunium per totam noctem.

A' Lunâ verò decimasextâ vsq; ad finem eius sequens regula retrograda est seruanda, non amplius hi dies Lunæ multiplicantur per quater, sed solum vnitates per quater multiplicantur excluso die 16. numerando per retrocessum ab ortu Solis per horas matutinas, sicut per horas vespertinas progrediebatur post occasum Solis in crescentibus Lunationibus.

Decimasextâ die Luna lucet vndecim horis cum duodecim minutis. Nam ex datâ regula; ex hac die exclusâ vsq; ad trigesimam inclusiuè sunt quatuordecim vnitates, quæ quater ductæ faciunt quinquagintasex, in quo quinarius vndecim vicibus intrat, cum vnica vnitate, ac proinde ea nocte Luna

na lucet vndecim horas, & duodecim minutis.

Decimà septimà die Luna lucet horas decem, & minuta trigintaquatuor.

Decimà octauà die Luna lucet horas nouem, & minuta triginta sex.

Decimà nonà die Luna lucet horas octo, & quadraginta octo minuta.

Vigesimà die Luna lucet horas octo.

Vigesimà primà die Luna lucet horas septem, & duodecim minuta.

Vigesimà secundà die Luna lucet horas sex, minuta viginti quatuor.

Vigesimà tertià die Luna lucet horas quinq; minuta triginta sex.

Vigesimà quartà die Luna lucet horas quinq; minuta quadraginta octo.

Vigesimà quintà die Luna lucet horas quatuor.

Vigesimà sextà die Luna lucet horas tres, & minuta duodecim.

Vigesimà septimà die Luna lucet horas duas, & viginti quatuor minuta.

Vigesimà octauà die Luna lucet horam vnam, & minuta triginta sex.

Vigesimà nonà caret luce, sicut primus eius dies, quia ipsa intermediat inter Solem, & nostrum aspectum, ac proinde à nobis videri non potest. Sed expeditiùs est seruare aliam regulam infra sub num. 9.

7 Quoniam autem horæ lucentis Lunæ de nocte à Lunà decimà sextà vsq; ad finem eius, numerantur matutinæ ab ortu Solis retrocedendo versus horas vespertinas, necessarium est scire, quot horis constet nox in singulis mensibus. Huius autem regula assignatur singulis mensibus hoc modo.

A' primo Ianuarij vsq; ad decimumseptimum eiusdem mensis nox est horarum quindecim; à die decima octaua eiusdem vsq; ad nouem Februarij nox est horarum quatuordecim.

A' decimo Februarij vsq; ad primum Martij nox est horarum tresdecim.

A' secundo Martij vsq; ad eius diem decimum octauum nox est duodecim horarum.

A' decimo nono Martij vsq. ad septimum Aprilis nox est horarum vndecim.

Ab octauo Aprilis vsq. ad vigesimum octauum eiusdem nox est horarum decem.

A' vigesimo nono Aprilis vsq. ad vigesimum secundum Maij nox est horarum nouem.

A' vigesimo tertio Maij vsq. ad decimum nonum Iunij nox est horarum octo.

A vigesimo Iunij vsq. ad decimum quartum Iulij nox est horarum octo, nam propter solstitium replicatur.

A decimo quinto Iulij vsq. ad decimum quartum Augusti nox est horarum nouem.

A decimo quinto Augusti vsq. ad tertium Septembris nox est horarum decem.

A quarto Septembris ad vigesimum primum eiusdem nox est horarum vndecim.

A vigesimo secundo Septembris vsque ad vndecimum Octobris nox est horarum duodecim, propter æquinoctium.

A duodecimo Octobris vsq. ad diem eius vltimum nox est horarum tresdecim.

A primo Nouembris vsq. ad septimum Decembris nox est horarum quatuordecim.

Ab octauo Decembris vsq. ad finem nox est horarum quindecim, & propter solstitium replicatur in Ianuario.

Circa crepusculum aliquid dicendum, de 8
crepusculo vespertino notum est illud coniungi cum Sole occidente, sicut est coniunctum matutinum cum oriente difficultas sola est in principiando, nam vespertinum incipit semper hora vigesimà quartà, matutinum autem variat, vt mox patebit.

Mense Ianuario die 3. principiat hora 13. minutis 28.
Die 9. horà 13. minutis 23.
Die 15. horà 13. minutis 14.
Die 21. horà 13. minutis 3.
Die 26. horà 12. minutis 52.
Februario. Die 1. horà 12. minutis 38.
Die 7. horà 12. minutis 23.
Die 13. horà 12. minutis 8
Die 19. horà 11. minutis 51.
Die 25. horà 11. minutis 33.
Martio. Die 3. horà 11. minutis 16.
Die 9. horà 10. minutis 56.
Die 15. horà 10. minutis 37.
Die 21. horà 10. minutis 16.
Die 27. hora. 9. minutis 55.
Aprili. Die 3. horà 9. minutis 35.
Die 9. hora 9. minutis 13.
Die 15. horà 8. minutis 52.
Die 21. horà 8. minutis 31.
Die 27. horà 8. minutis 9.
Maio. Die 3. horà 7. minutis 49.
Die 9. horà 7. minutis 28.
Die 15. horà 7. minutis 6.
Die 21. horà 6. minutis 49.
Die 27. horà 6. minutis 31.
Iunio. Die 3. horà 6. minutis 15.
Die 9. horà 5. minutis 5.
Die 15. horà 5. minutis 58.
Die 21. horà 5. minutis 55.
Die 27. horà 5. minutis 58.
Iulio. Die 5. hora 6. minutis 5.
Die 11. horà 6. minutis 15.
Die 17. horà 6. minutis 31.
Die 24. horà 6. minutis 49.
Die 30. horà 7. minutis 6.
Augusto. Die 5. horà 7. minutis 28.
Die 11. horà 7. minutis 49.
Die 18. horà 8. minutis 9.
Die 24. horà 8. minutis 31.
Die 30. horà 8. minutis 52.
Septembre. Die 5. horà 9. minutis 13.
Die 11. horà 9. minutis 35.

Die

Die 18. horà 9. minutis 55.
Die 24. horà 10. minutis 16.
Die 30. horà 10. minutis 37.
Octobris. Die 6. horà 10. minutis 56.
Die 12. horà 11. minutis 16.
Die 18. horà 11. minutis 33.
Die 24. horà 11. minutis 51.
Die 30. horà 12. minutis 8.
Nouembri. Die 5. horà 12. minutis 23.
Die 11. horà 12. minutis 23.
Die 17. horà 12. minutis 52.
Die 23. horà 13. minutis 3.
Die 29. horà 13. minutis 14.
Decembri. Die 5. horà 13. minutis 23.
Die 11. horà 13. minutis 28.
Die 17. horà 13. minutis 32.
Die 22. horà 13. minutis 33.
Die 28. horà 13. minutis 32.

9 Expeditior est sequens regula volentibus scire quot horis de nocte nobis Luna luceat post solis occasum in horis vespertinis, & matutinis vsque mane.

Prima die luna non lucet.

Secunda die à sero vsq. ad horam lucet, & non vlterius.

Tertia die lucet per duas horas.

Quarta die per tres horas cũ 22. minutis.

Quinta die per quatuor horas.

Sexta die per quinq. horas, cũ 8. minutis.

Septima die per quinq. horas, cum 56. minutis.

Octaua per sex horas, cum minutis 24.

Nona die per septẽ horas, cũ 12. minutis.

Decima die per octo horas.

Vndecima per octo horas, cum 48. minutis.

Duodecima per nouem horas, cum 5. minutis.

Tertiadecima per decem horas, cum 34. minutis.

Quartadecima per vndecim horas, cum 48. minutis.

Decimaquinta est Plenilunium lucens per totam noctem.

Nota, quod lux Lunæ in prænumeratis diebus vsq. ad Plenilunium appellatur Vespertina, quia incipit nobis lucere in Vesperis, deinceps verò lux dicitur matutina, quia non amplius lucet in Vesperis, sed post horam noctis incipit lucere vsq. ad matutinum, cum sol oritur.

Decimasexta die incipit lucere post primam noctis horam.

Decimaseptima à secunda noctis hora, non est opus notare minutos, quia tota nocte lucet.

Decimaoctaua à tertia noctis hora.

Decimanona à quarta noctis hora.

Vigesima à quinta noctis hora.

Vigesimaprima à quinta noctis hora.

Vigesimasecunda a sexta noctis hora.

Vigesimatertia a septima noctis hora.

Vigesimaquarta ab octaua noctis hora.

Vigesimaquinta ab octaua noctis hora.

Vigesimasexta a nona noctis hora.

Vigesimaseptima a decima noctis hora.

Vigesimaoctaua ab vndecima noctis hora.

Vigesimanona caret luce nobis.

Nota causam, propter quam duplicantur quinq. horas, & octo crescente, & decrescente luna, nimirum quia tunc moratur in Epiciclis tardiùs, & anomalicè in illis se mouens, in aliis verò diebus motum habet regulatum.

SECTIO LXX.

De Teste Falso, & Corrupto.

SVMMARIVM.

1 *Testis falsus offendit Deum, Reum & se.*
2 *Testis falsus nihil probat in Iudicio.*
3 *Iuramentum falsum inficit totam causam.*
4 *Offendens in vno omnium factus est Reus.*
5 *Non probat, nec ad inquirendum.*
6 *Torturà periurium non purgatur, nec infamia.*
7 *Probatur condemnatus de falsitate, vt repellatur.*
8 *Est infamis falsus Testis.*
9 *Probat solum in S. Officio.*
10 *In eadem solùm causà, sed quomodo?*
11 *Pœnis exilij, fustigationis, & triremium subijcitur.*
12 *Testis corruptus, qui pretio, vel minis dicit falsum.*
13 *Nihil probat.*
14 *Pœnis prefatis sub num. 11. subijcitur.*
15 *Testis recipit expensas sui itineris, & operarum omissarum.*

Testis falsus offendit Deum, proximum & propriam animam; ideo omni Iure repellitur a testimonio feredo. De hoc crimine Falsitatis plura Farinac. q. 67. sub initium. 1

Quæ-

Quæritur 1. An Testis falsus probet aliquid in Iudicio?

2 ℞. Nihil probat, quia veritate caret, adeo quòd in eadem causâ in vnico articulo Testis probatus falsus, pro tali habetur in omnibus articulis eiusdem causæ iuxta illud Ia-
3 cobi 2. 10. *Quicunq. totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium Reus.* De quo Reg. 9. in 6. Quod suadetur etiam ex indiuisibilitate Iuramenti violati, cuius periurium inficit omnem veritatem in eadem causà. Et id confirmatur, quia in alijs causis nihil probat, cum habeatur pro
4 falsario, *cap. Si quis conuictus* 7. 22. *q.* 5. *Farinac. q* 67. *num* 59. *de Bictis q.* 48 *initio, Miranda q.* 17. *num.* 291. *Sousa lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. A fortiori in causà in qua primò falsum deposuit. Et ita docent omnes *cum Claro q.* 53 *num.* 8. *Miranda num.* 295. *Guazin. Defens.* 28. *cap.* 13. *num.* 15. *ad* 17. *Riccio par.* 2. *resol.* 216. *num.* 2. *Farinac. num.* 111.

Quæritur 2. An saltem probet, si non ad Torturam, nec ad pœnam; ad minus ad inquirendum?

5 ℞. Ad nihil, quia in omnibus Fide caret, *Farinac. q.* 56. *num* 188. *&* 189. nec deponit contra alium falsarium, quia falsitas non potest producere effectum Veritatis, cum sibi inuicem aduersentur, & in nullo conuenire possint. *Innoc. in cap.* 1. *de confess. Farinac num.* 60.

Quærtur 3. An vitium Periurij Torturà purgetur, & tollatur?

6 ℞. Negatiuè, quia per Torturam non purgatur infamia eius effectus; multo minus periurium ipsum illi intrinsecum. *Farinac. cit. num.* 193 *Ciarlin. cap.* 181 *num.* 44. Immo nec emendatus admittitur; expressè *cap. Quicunq.* 18. 6. *q.* 1. *cap. Testimonium* 54. *de testibus hic* Barbosa *citat Doctores Farinac. num* 203. *&* 204.

Quæritur 4. An, vt expellatur à Testimonio, necessarium sit, quod sit conuictus, vel confessus, & condemnatus de Periurio?

7 ℞. Affirmatiuè, & hoc probare debet pars aduersa, vt colligitur *ex cap. Ex parte* 7. *de Testibus, & cap. Testimonium* 54. *eod.*

Quæritur 5. An sit infamis?

8 ℞. Sic, *cap. Infames* 17. 6. *q.* 1. *cap. Constituimus* 9. 3 *q.* 5. *cap. Si quis* 7. 22. *q.* 5. *Glos.* V. *periurij cap Querelam* 10. *de iureiur.*

Quæritur 6. An saltem in causis pijs, & difficilis probationis, atq. in S. Officio admittantur Testes falsi?

9 ℞. Non admitti, nisi in causis S. Officij in fauorem tamen Fidei. In causà ergo pià non admittitur, quia causa pia cum totà suà pietate efficere non potest, vt falsus Testis coniunctam habeat veritatem; quia ex diametro opponitur Veritati, *Fabr. q.* 67. *num.* 61. Neque in casibus exceptis, quia semper, & in quocunq. casu præsumitur contra falsarium, *sub num.* 196.

Solùm in causis Hæresis admittitur Testis falsus in eadem causà, dum vult se corrigere in fauorem Fidei, & non aliter, non ex leuitate animi, aut ex fomite odij, iuxta quod dixi *Sect.* 66. *num.* 4. *Farinac. q.* 56. *num.* 203. *&* 204. *Barb. super cap. Accusatus* §. *Licet, de haresi in* 6. *Sousa lib.* 2. *cap.* 9.

Quæritur 7. Quibus pœnis in S. Officio puniatur Testis falsus?

℞. Punitur exilio, fustigatione, & triremibus, iuxta qualitatem damni illati, & conditionem personæ. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 16. *Carena par.* 3. *tit.* 6. *num.* 76. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 184. His pœnis subijciuntur, qui in Iudicio falsum deponunt malitiosè hoc est scienter, *Farin. cons.* 44. *num.* 22. Alia dixi cap. 34. in Praxi, *Castropal. disp* 8. *p.* 15. § 6. 11

Quæritur 8. Quid sit Testis corruptus, & an probet?

℞. Testis corruptus ille dicitur, qui à corrumpente subornatur, promissione, pecunia, vel aliâ re, metu, minis, aut precibus ad dicendum falsum. Corruptionis ergo finis est falsitas contra Reum. Talis autem Testis probatus subornatus nihil probat, quia falsarius præsumitur, & interessatus; interesse autem excæcat mentem, vt nesciat discernere verum à falso. *cap.* 1. *de Testib. ibi* Barbosa *num.* 2. *Farinac. q.* 67. *num.* 236. *D. Thomas* 2 2. *q.* 71. *art.* 4. *D. Aug. relatus cap. Non sane* 15. 14 *q.* 5. ijsdem pœnis subijcitur, quæ dantur simpliciter falsis Testibus, vt dicunt citati sub. q. 7. Immo acriùs sunt puniendi, propter interesse. 12 13 14

Testis autem non dicitur corruptus recipiens pro suis expensis itineris, seu pro operis omissis. Farinac. *q.* 67. *num.* 236. *Sousa lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 22. *de Bictis q.* 48. *num.* 10. 15

SECTIO LXXI.

De Ratione Reddendà per Testes.

SVMMARIVM.

1 *Scire est rem per causam cognoscere.*
2 *Testis reddere tenetur rationem sui dicti.*
3 *In* 13. *casibus. In alijs quinque non.*
4 *Credendum magis reddentibus rationem*

tionem ſui dicti.

5 *Rationem reddit per ſenſum delicto proportionatum.*

6 *Vicinitas non eſt ratio probandi dictum.*

1 EST ſententia apud omnes certa, quòd ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, Teſtis ergo tunc dicitur ſcire, cum reddit rationem ſui dicti coram Iudice. Dixi latè cap.38. in Praxi.

Quæritur 1. An in omnibus depoſitionibus criminalibus Teſtis debeat reddere rationem ſui dicti?

2 ℞. In tredecim caſibus tenetur rationem reddere etiam non petitam aliter nihil probatur ex eius dicto, *l. Solam* 3. *C. de teſtib. Farinac.q.*70.*num.*14. Caſus recenſeo. *Primus* ſit in S. Officio, *Alex. lib.* 1. *conſ.* 15. *num* 6.*Simancb. de Catol.inſt.tit.*51.*in Rubr de Probat.num.*6. *Maſcard. concl.* 855. *num.* 12.*&* 13. *Secundus* eſt cum Teſtes deponunt ſuper famâ ſiue bonâ, ſiue malâ, *Farinac. q.* 70. *num.* 48. *ad* 50. *Tertius*, deponentes ſuper notario, *ſub num.*52. *Quartus*, deponentes ſuper conſuetudine, *ſub num.* 54. *&* 55. *Quintus*, ſuper amentiâ, & furore, *ſub num.* 59. *Sextus*, ſuper delictis carnis, *ſub num.* 60.*Septimus*, in probanda amicitia, vel inimicitiâ, *ſub num.*61. *Octauus*, in probanda diligentiâ, vel negligentia, *ſub num.* 68. *Nonus*, in probanda iracundia, *ſub num.*69. *Decimus*, in probando, quòd quis ſit vagabundus, *ſub num.* 77. *Vndecimus*, in comparatione litterarum, *ſub num.* 79. *Duodecimus*, ſuper vi illata alicui, *ſub num.* 81. *Demum* in probatione doli, *ſub num.* 89.

In his ergo caſibus reddenda eſt ratio ſui dicti, etiamſi non petatur; aliter probatio nullius eſt momenti, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ergo ſi cauſam ſui dicti non exprimit Iudici, certè non dicitur ſcire. Et cum ſupradicti caſus ſint potius Iuris, quàm facti, & percipiantur magis Iudicio Intellectus, quàm corporeo ſenſu; ideo Iudex per rationem magis informatur.

Quæritur 2. An in aliquibus caſibus valeat dictum nulla ratione allata?

3 ℞. Affirmatiuè, in ijs, ſcilicet, quæ ſunt facti, & ſenſu corporeo percipiuntur, ſi tamen Teſtis interrogatur de cauſa ſcientiæ, debet illam reddere. Ita omnes *cum Farin. q.*70.*num.*91.*&* 93. Ita quòd omiſſa ratione, tunc nihil probatur, ex eodem num. 4. & locis citatis. *Primus caſus* eſt, in quo valet dictum ſine ratione non petita eius Teſtis, qui ſuum dictum habet adminiculatum, *ſub num.* 95. *Secundus*, ſi ſemel eam reddidit, non amplius reddere tenetur, quia entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate, *ſub num.*97.*Tertius*, in defenſione Rei inquiſiti, *ſub num.* 101. *Quartus*, in deponentibus ſuper ſuâ peritia, habent enim præſumptionem pro ſe, ſi periti ſint electi à Iudice, *ſub num.* 102.*ad* 105. *Quintus*, in deponentibus ſuper delicto cadente in ſenſu corporeo, *ſub num.* 106. *& ſeq.*

Quæritur 3. An ſit magis credendum Teſtibus dicentibus rationem, quàm eam non dicentibus?

℞. Sic, quia dictum magis firmatur, illiq; robur adijcitur. *Farinac. q.* 70. *num.* 19. *de Dictis q.*90.*num.* 5. 4

Quæritur 4. Per quem ſenſum Teſtis reddit rationem ſui dicti?

℞. Per illum ſenſum, qui habet proportionem cum delicto. Quare in delictis, quorum corpus eſt viſibile, reddenda eſt ratio per ſenſum *Viſus*, & non per ſenſum *Auditus*, quia non eſt proportio inter vnum, & alterum. In delictis verò, quæ ſolo auditu percipiuntur, vt hæreſis, Blaſphemia &c. ratio redditur per ſenſum auditus. *Farinac. q.*70.*num.* 127. *&* 128. 5

Quæritur 5. An per vicinos probetur Hæreſis?

℞. Negatiuè maximè in genere, cum enim ore proferatur, tranſit in momento. Probatur vero eiuſdem ſuſpicio ex aliquo facto cadente in cognitionem vicini, vt ſi deponat vicinum comediſſe carnes in diebus prohibitis. *Farin.q.*70.*num.*178. Ratio ergo vicinitatis non poteſt eſſe cauſa dicti, quod per vicinitatem probetur tamquam per cauſam. Ita *ex Farinac. num.* 185. *Souſa lib.*2. *cap.*6.*num.*77.*Carena par.*3.*tit.* 6. *num.*82. 6

SECTIO LXXII.

An Teſtes parte non citatâ probent.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes parte non citatâ nihil probant.*

2 *Examinati in Iudicio ſummario non probant in plenario.*

3 *Teſtes pro S. Officio probant parte non citatâ.*

4 *Non citatur Reus.*

5 *Danda copia proceſſus volenti ſe defendere.*

6 *Repetendi ſunt Teſtes, niſi Reus renuntiet.*

Qqq 7 *Teſ-*

7 *Testium depositio firmatur confessione Rei.*
8 *Reus opponens inducit Testes ad repetitionem.*
9 *Lis non contestatur in repetitione Testium.*
10 *Quomodo fiat repetitio Testium.*
11 *Confrontatio non habet locum in S. Officio.*
12 *Testes quandoq; publicantur Reo.*
13 *Testes in S. Officio semper recipi possunt.*
14 *Testes examinantur sine citatione Rei contumacis.*
15 *Contumax condemnatus gaudet priuilegio comparendi infra annum.*
16 *In mortuo Teste impossibilis repetitio.*
17 *In notorijs probant sine citatione.*
18 *Testes regulares probant sine citatione.*
19 *Testis tempore mortis sanus mente probat.*

MVlta alia de Testibus essent dicenda, sed quoniam hanc de Testibus materiam in vniuersum non trado, sed solùm in ordine ad Sanctum Officium, ideo pauca subijciam in ordine ad illud, vt Consultores occasione acceptâ sibi prouidere possint pro responsione casuum occurrentium.

Quæritur igitur primò. An testes examinati, parte non citatâ probent?

1 ℞. Testes examinati, parte non citatâ nihil probare, *cap.2. cap.Veniens 38. de Testib. cap. Quoniam 5. Vt lite non cont. cap. Qualiter 24. §.* Debet igitur esse præsens is, contra quem facienda est inquisitio, *de accusat.* Idest debet esse præsens querelatus ad videndum iurare Testes, aliàs acta in Iudicio, vt aiunt, summario non faciunt fidem in
2 plenario, *Farinac. in Fragm. crimin. par. 1. lit. A. num 24.* Ita quòd nec probant ad Torturam, *cap.2. de testib. ibi*: Nullius momenti, *Farinac q.72. num.94 & seq.* In sequentibus casibus non est necessaria citatio partis, sed Testes recepti probant.

3 Primus est in causis S. Officij, in quibus de plano proceditur, sola veritate inspecta, & Testes non sunt manifestandi Reo, vt accideret, si coram Reo deberent iurare super veritate dicendâ, *cap. Statutum 20 de haret. in 6.* Vbi, quòd proceditur de plano, & nomina Testium non publicentur. Et ita docent *Farinac. q.72. num.115.* cum limitatione sub num. 116. si denuntiatus est potens; 4
sed dic tu absolutè non citari, quia denuntiatus siue citatus, siue non, potest bene se defendere repetitione Testium, vt mox dicam. *Royas sing. 196. num. 6. Cantera in quaest. crimin. cap. 2. de probat. per testes q. 1. num 46. Diana par. 4. tract. 8. resol. 115. Castelles lib. 2 cap. 2. num. 235. Dal Bene dub. 198. sect. 10. Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 8. p. 15. §. 3. num 3.* Contra nonnullos, sed non probant intentum, cum sit contra præfatum cap. 20. de hæret. in 6.

Quæritur 2. An in S. Officio sic examinati parte non citatâ probent plenè etiam ad condemnationem, sine repetitione Testium, instante, vel non instante denuntiato?

℞. Si Reus examinatus fatetur suum delictum, cessat difficultas, si persistit in negatiuâ, & velit se defendere, danda est illi copia processus sine Testium nominibus, si non probat se innocentem, aut renuntiat defensionibus sibi exhibitis, tamquam conuictus per illos testes condemnandus est; si nihil aliud obstat, nisi exceptio citationis non factæ, repetendi præterea sunt Testes, si Reus id exigat, adhuc occultis illi remanentibus Testibus. Ratio est, quia S. Officium hoc speciale habet priuilegium examinandi Testes parte non citatâ, ergo debet aliquid operari fauore huius Tribunalis, nimirum, vt Testes probent, sicut si pars fuisset citata. 5 6

Neque hoc priuilegium sic amplè acceptum præiudicat Reo, ex quo is potest instare pro suâ defensione, vt Testes repetantur, in quo casu magis ipsorum fides firmatur, ne vlteriùs aliud illis opponere possit; sequitur ergo ex his Testes examinatos ab initio parte non citatâ plenè probare, quantum est ex parte suâ; *Ita Castropal. cit. num. 3. Vers Difficultas est, ex eo Dal Bene cit. sect. 10 & 11. licet non citetur ab eo Royas sing. 196. Mascard. in Præfat. q. 5. num. 41. Farinac. q. 188. num. 24.* Dicentes valere depositionem Testium parte non citatâ. 7

Mihi non placet limitatio, *Royas citat Deciani lib. 5. cap. 35. num. 15. & aliorum apud Farinac. q 72 num. 116. & Castropalaum num. 4.* cum quo sentio valere dicta Testium, licet non sit potens denuntiatus, si non citetur, sufficit enim, quod Reus opponat, si quid habet in contrarium. Ita *Siman. de catol. instit. tit. 64. de testib. num. 15. Lucerna Inquis. V. Tortura num. 51.* Et ex his patet, esse Testes repetendos, quandocunq; denuntiatus in suo examine instat pro repetitione Testium, non quia non probent incitati, sed quia Reus habet Ius se defendendi, vnde si succumbat, depositiones Testium magis firmantur in nullo corruptæ, quia omninò veræ erant. Probatio ergo delicti perficitur, quandocunq; à denuntiato non infirmatur. 8

Quæ-

Quæritur 3. Quomodo facienda est repetitio Testium? Legendæne sunt depositiones primæ illis? An verò cogantur respondere non habità earum lectione?

9 ℞. Non sunt relegendæ, sed Testes debent respondere, ac si primò interrogarentur, nisi longum tempus mediauerit inter primam depositionem, & secundam. Primum suadetur, quia si responsio secunda est conformis primæ, magis stabilitur veritas, *Simanch in Enchir. tit. 35. in Rubr. de Testib. num.* 10. *Royas sing.* 206. *Farinac. q.* 188. *n.* 35. *ex illis Castropal. num.* 5. Secundum de longo tempore, quod sit illis legenda prima depositio, suadet obliuio, quæ facilè occurrere potest, *Farinac q* 64. *num* 41. *&* 55 *Royas sing* 206. *Castropal. num* 5. *Ego cap.* 33. *in Sacro Tribu. num.* 26. Est quoq; in potestate Iudicis admittere in Testibus relatiuam depositionem, *ex præcitatis cum Scaccia lib.* 1. *de Iudic cap.* 86. *num* 48 *Ego ibidem Carena par.* 3. *tit.* 7. *num.* 41. *Dal Bene dub.* 198 *sect.* 11.

Quæritur 4. An in repetitione huiusmodi contestanda sit lis inter Testes, & denuntiatum?

10 ℞. Negatiuè, quia nõ habet locũ in causis Fidei, in quibus Reo non notificantur nomina Testium, ex cap. 20. de hæret. in 6. contestatio autem litis fit inter Reum, & Actorem, qui in S. Officio est ipse Testis. Ita *Lucerna Inquis. V. Litis contest Diana par.* 4 *tract* 8 *resol* 115. *Carena par.* 3. *tit.* 7. *num.* 45. *Farinac. q.* 185. *num.* 17. *& q.* 188. *num.* 15.

Quæritur 5. An confrontatio Testium cum Reo locum habeat in S. Officio?

11 ℞. Negatiuè, eo quòd nomina Testium nunquam publicantur ex cap. *Statuta* 20. *de Haret in* 6. sine quorum publicatione non contingit confrontatio. Ita *Scaccia lib.* 1. *de iudic cap.* 87 *num.* 19 *Diana par.* 4 *tract.* 8. *resol.* 63. *Carena par.* 3. *tit.* 7. *num* 50 *Castropal num.* 8.

Quæritur 6. An aliquando possint Testes publicari Reo?

12 ℞. Affirmatiuè, primò quando ex publicatione non sequitur graue damnum, nam in textu illius cap. 20. sic disponitur: *Cessante periculo supradicto, accusatorum, & Testium nomine, prout fit in alijs Iudicijs publicentur*. Si non timetur graue damni periculum, potest fieri publicatio Testium. Ita docent *Paris lib.* 4 *cons* 1. *num.* 164. *Villag. de heret prauit. q.* 14. *Simanch in Praxi heres cap.* 35. *num* 13 *Direct. p.* 3. *q* 76. *Pegna com.* 125 *Farin. q.* 188. *n.* 11. *cum illis Barb. ad hoc cap.* 20. *num.* 9 *&* 10. Secundò, si adsit aliqua suspicio, quòd Testes malignentur contra denuntiatum, Reo Testes sunt manifestandi, ut possit se defendere, si enim Testes publicantur fauore Fidei, ut magis firmetur, & eluceat veritas, quare, & fauore Rei nõ sunt publicandi, quando Testes sunt suspecti de malignitate contra Reum; Ecclesia enim est cultrix Iustitiæ, ideo admittit publicationem Testium fauore Rei, quando timet de iniustitià.

Quæritur 7. An Testes etiam post publicationem de nouo comparentes recipi possint fauore Fidei?

℞. Affirmatiuè, quia nemo prohibetur pluribus medijs se defendere. Ita *Domin. in cap. Vt officium §. Verum, eod num.* 7. *Felin. in cap. Fraternitatis, de testibus num.* 10. *Simanch. de Catol. instit. cap.* 64. *num.* 50. *Royas sing.* 203. *ex illis Barb. ad cap. fin. de heret. in* 6. *num.* 12. 13

Secundus casus, in quo non est necessaria citatio Rei, sed Testes examinati probant, est, quando Reus contumax, & absens non comparet, tunc enim Testes examinati probant, & non sunt repetendi, quia contumax non auditur. Expressè *cap.* 2. *de Testib. cap. Quoniam* 5. *Vt lite non contestata*. Si tamen comparet ante Sententiam auditur, *cum alijs Farinac. q* 72. *à num* 100. 14

Quæritur 8. An Reus Sancti Officij condemnatus in contumaciam gaudeat priuilegio probandi suam innocentiam infra annum?

℞. Gaudet infra annum se præsentando, numerandum à die Sententiæ Contumacialis, vt dixi *sect* 54. *num.* 11. 15

Tertius casus est in Teste mortuo, cuius depositiones probant, debent enim aliquid operari, cum repetitio Testis mortui facta sit impossibilis. *Farinac. q.* 72. *à num.* 129. *ad* 133. *Carena num.* 47. 16

Quartus; Testes parte non citatà probant in notorijs, Farinac. q. 76. num. 125. Item probant ad capturam; aliter si Rei essent citandi, omnes fugerent, *q.* 72. *num.* 134. Item probant, quando Reus vult habere illos pro repetitis; huic enim fauori renuntiare potest, si vult. *Farin. q* 72 *num.* 149. *& seq. Carena par.* 3. *tit.* 7. *num* 33. Nihilominus Reus renuntiationem factam reuocare potest, si à parte nondum acceptata est, *Farin q.* 151. *Carena num.* 35. 17

Apud Regulares Testes probant, parte nullatenus citatà, *cap. Qualiter* 24 *fine de Accusat.* Vt dixi etiam cap. 40. num. 12. vbi num. 13. Citationem Rei ad videndum iurare testes esse apicem Iuris; Fides enim Testium non pendet à citatione Rei, immò Reus vellet potius mendacium, quàm fidelem Testem contra se, ideo talis citatio aliquibus videtur ridicula. 18

Quæritur 9. An Testis in articulo Mortis deponens probet?

℞. Affirmatiuè, duobus concurrentibus; quòd sit mente sanus, & quod clarè, & articulatè loquatur. Probatur, quia potest Testamen- 19

ftamentum condere, ergo & testificari; sunt enim hi duo actus mentis rectè loquentis. Confirmatur, quia in eo statu morti proximo nullus præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *cap. Sanctimus* 26.1.*q*.7. *cap. Significasti* 14. *de homic.* Farin.*q*.80.*num*.107.

SECTIO LXXIII.

De Citatione Reorum.

SVMMARIVM.

1 *Citatio est legitima vocatio Querelati coram Iudice ad respondendum.*
2 *Alia verbalis scripto, vel ore facta; alia realis per capturam.*
3 *Citatio verbalis est de substantialibus Iudicij iure etiam diuino.*
4 *Prima pars Iudicij ex parte Rei.*
5 *Tres citationes, vel vna illis aquiualens contra contumacem.*
6 *Licet alij tres distinctas requirant.*
7 *Quinq; numerantur de substantiâ citationis.*
8 *Nuntio credendum in suo Officio.*
9 *Causa, seu delictum non exprimitur in citatione.*
10 *Citatio quibus in locis fiat.*
11 *Diem citationis melius est apponere.*
12 *Feriato die non tenetur comparere.*
13 *Citatio mox lacerata non afficit citatum.*
14 *Semiplenam probationem requirit citatio.*
15 *Ignobilis fit, qui Deum contemnit.*
16 *Citatio necessaria in declaratione pœnæ incursa.*
17 *Sub pœnis committitur citatio.*
18 *Comparitio non fit per Procuratorem in criminalibus.*
19 *Condemnandus citandus est.*
20 *Citatus ab Inquisitore, & Episcopo eadem horâ, accedere potest ad vnum eorum.*
21 *Delegatus Papæ est maior Ordinario, quia non potest ab hoc impediri.*
22 *Episcopus maior in hoc officio Inquisitore.*
23 *Extra territorium nullus citatur.*
24 *Citatio est actus Iurisdictionis contentiosa.*

ABsoluto Processu informatiuo, quem vocant offensiuum, citatur de mandato Iudicis denuntiatus, vt respondeat ad ea, quæ contra ipsum obijciuntur in processu informatiuo, in quo debet constare saltem semiplenè de delicto, vt si illud neget, possit subijci Torturæ. Hìc ergo agendum est de citatione.

Quæritur autem primò, quid sit, & quotuplex citatio?

℞. Ad primum, quòd citatio est legitima vocatio personæ querelatæ de mandato Iudicis facta per Nuntium, vt compareat coram Iudice ad respondendum in Iudicio super his, quæ in actis processus leguntur. Ita Carena *par*. 3. *tit*. 2. *num*.1. *Sousa*.*lib*.2. *cap*.27.*Salelles lib*.2.*cap*.4.*num*.1. 1

℞. Ad secundum, Citationem esse duplicem. Verbalis consistens in verbis, vel scriptis, quibus denuntiatus vocatur à Iudice ad respondendum super ijs, de quibus est interrogandus. Realis consistens in actuali apprehensione, & capturà Rei factà per executores de mandato Iudicis. *l. Neque* 21 *ff. de in ius voc.* De hac in sequenti sect. de priori hic est agendum. 2

Quæritur 2. An citatio verbalis sit de substantialibus Iudicij?

℞. Est de substantialibus Iudicij non solùm iure positiuo, *clem.Sape*, *de verb.signif.* Sed etiam Iure naturali diuino, Genes. 3. 9. *Vocauitq. Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Nuntius fuit Deus, & Iudex. In nullo ergo Iudicio omitti potest hæc citatio, quia à Deo præscribitur tamquam primum substantiale Iudicij, *unde in Instit. de pœna temere litig.* dicitur prima pars Iudicij ex parte Rei, adeo quòd à nullo Iudice omitti potest, nec in S. Officio, cuius Iudices tenentur omninò ad substantialia Iudicij. 3 4

Quæritur 3. An verbalis citatio debeat esse vna, an multiplex?

℞. Contra contumacem non comparentem debent esse tres temporis interuallo factæ *ex l. Consentaneum* 8. *& seq. Auth.* C. *Quomodo, & quando iudex*. Farinac. *q*. 11. *num*.38. Etiam in causis fidei, vt dicunt Carena *par* 3.*tit*.1.*num*.12.*&* 13. *Diana par*.4. *tract*.8.*resol*.42. Consuetudo obtinuit, quod vnica sufficiat æquiualens tribus spatio triginta dierum, pro vnaquaq. assignato decendio, & non comparens postmodum condem- 5 6

demnatur, de quà testantur *Scaccia lib. 1. de Iudic. cap. 43. num. 10. Guazin. Defens.* 10. *cap. 1. num.* 12. Etiam in cautis fidei, *Innoc. in cap. Ad petitionem, de accusat. num.* 3. *Idem Scaccia cit. Farinac. q.* 185. *num.* 158. Salelles *lib. 2. cap. 4. num.* 30. requirit trinam in casu quo conuictus de Hæresi, condemnandus est. Ego hic nullam video differentiam, si enim vna tot dierum sufficit æquiualens tribus, frustra aliæ numericè multiplicantur; habet Reus priuilegium quamuis contumax comparendi infra annum, vt suam probet Innocentiam, vt dixi præced. sect. 72. num. 15. ergo videtur vna tribus æquiualens esto sit conuictus, cum nõ obstet huic priuilegio, sto nihilominus praxi, vt dixi cap. 32. q. 4. in S. Tribun.

Quæritur 4. Quenam sint de substantia citationis?

7 ℞. Sunt sequentia Primum, Subscriptio Iudicis. *Roland. vol. 1. cons. 90. num. 32. Pacianus lib. 2. de probat. cap. 48. num. 69. cum alijs Guaz. Defens. 10. cap. 2. num.* 2. Secundum, nomen querelantis siue Fisci loco accusatoris, *Clarus q. 33. Vers. sed certe, idem Guaz. num.* 5. Tertium, nomen Rei citati ad comparendum coram Iudice, cum cognomine, loco, & patriâ, ad tollendam æquiuocationem, *Guaz. num.* 4. Quartum, executio citationis dandæ in manibus Rei, vel in domo eius dimissa, & consignata personis de illius familiâ, vel etiam solis verbis, si citatio careat scripturâ, notificata Reo, vel habitantibus cum eo, si non reperitur in domo. *Vide Guaz. num.* 7. Demum quinto citatio perficitur relatione facta Iudici per Nuntium, seu curreriurn. Ibidem. Ista quinq. sunt de substantiâ, & essentiâ citationis, itaut si vnum ex dictis deficit, nulla est citatio. Ita Farinac. *q.* 11. *num.* 37. *de Dictis q. 78 initio Ghisler. de Iudice regul cap. 20. num. 9. Guaz. Defens. 10. cap. 1. num.* 1.

8 Nuntio autem credendum est, quamuis enim sit vilis persona, tamen ratione Officij Fides indubitata ei adhibetur, in sententia omnium, cum præsumatur, secum rectè, & fideliter gessisse Officium, vt dixi *sect.* 28. *num.* 123. *sect.* 59. *num.* 98. iurat enim in S. Officio circa relationem debite factam, facta enim relatione huiusmodi legitimâ cum iuramento, sine dubio creditur illi, *ex allatis à Guazino defens.* 10. *cap.* 5. *num.* 5. *&* 12. *Barbosa ad cap. cum dilecti 6 de Dolo num.* 4. multis alijs de more citatis, Carena in terminis nostris *par. 3. tit. 1. num.* 17. *Ego cap. 32. q. 6. in S. Trib.*

Queritur 5. An in citatione exprimenda sit causa, quæ mouit Iudicem ad vocandum Reum coram suo Tribunali?

9 ℞. Non est exprimenda in terminis, sed sufficit exprimere, vt compareat ad respondendum super oportunis interrogationibus, sicut in citationibus Testium scribitur, vt compareant ad informandam Curiam. Si citatus est contumax citatur in S. Officio cum hac clausula: *Responsurus de fide comparens* ad formam cap. cum contumacia 7. de hæret. in 6. Et ita docent *Simanch. de catol. instit. tit. 44. num. 12. Pegna par. 2. com. 12. Diana par. 4 tract. 8. resol. 42. Carena par. 3. tit. 1. num. 7. &* 8.

Quæritur 6. Ad quem locum mittitur citatio nolentis comparere?

℞. Citatio fit in primis domi habitationis illius, qui citatur, *ex cap. causam 3. de dolo.* Vel ad domum sui Procuratoris, vt ibidem dicitur, citatis Doctoribus à Barbosâ. Demum vel ad valuas Ecclesiæ cap fin. eod. maximè si est ecclesiasticus, vel ad alia loca publica, vbi Rei solent citari. Ita *Guazin. Defens.* 10 *cap. 2. num. 7. &* 30. *Carena par. 3. tit. 1. num. 14. ad 16.* 10

Quæritur 7. An dies citationis apponendus sit tamquam aliquid citationis substantiale?

℞. Sunt contrariæ opiniones valdè probabiles. Æquior est, quod apponatur dies vt constet de spatio temporis, quo indigere potest Reus, ne fiat contumax, & certè si non apponatur dies à parte ante, sed tantum dies terminans tempus comparitionis, accidere poterit, quod eodem die citetur, & debeat comparere, quod omnino est irrationabile. Vide Guaz. Defens. 10. cap. 2. citantem Doctores pro vtraq. parte. 11

Quæritur 8. An citatus die feriato teneatur comparere?

℞. Negatiuè, quia tunc citatio est nulla cum cæteris actibus factis diebus feriatis, & sic practicatur, quòd dies feriati non numerentur inter vtiles. *Guazin. Defens. 10. cap. 2. num. 12. & cap. 3. num. 8 & 9.* Cum autem dies feriati dicantur de apicibus Iuris, ad quos non tenentur Iudices S. Officij, nec regulares, ideo ab istis Rei citari poterunt etiam diebus feriatis. 12

Quæritur 9. An citatio affixa loco, vbi per breue tempus patet, mox lacerata afficiat citatum?

℞. Non afficit citatum, cum habeatur pro non affixâ. Ita *ex Afin. in sua Praxi* §. 8. *cap. 1. Guaz. Defens. 10. cap. 3. num.* 11. Ideo ad euitandum hoc inconueniens, solent Inquisitores adiungere hæc verba: *Non amoueatur sub pœna Excommunicationis,* quæ sunt comminatoria. 13

Quæritur 10. Quid requiratur ex parte Processus informatiui, vt quis citari possit?

℞. Saltem semiplena probatio, vt si neget delictum, Torturâ ad eius confessionem cogi possit, aliter citatio est inutilis, & iniuriosa ipsi citato. Ita *Pitigian. in subst. 1. cap.* 14

*cap.*1.*Farinac q.* 1.*num.*48. *de Bictis q.* 78. *num.*2. In causis S. Officij, *Genuens cap.* 68. *Carena par.* 3. *tit.* 2. *num.* 24. *Diana par.* 4.
15 *tract.*8.*resol.*11.*Salelles lib.*2 *cap.*4 *num.* 43. Limitant, nisi persona carceranda sit valdè nobilis, & bonæ famæ, tunc enim maiora requiruntur, *Royas part.* 2.*num.* 22. *Sousa lib.*2.*cap.*26. *num.*11. *Farinac.q.* 181 *num.*7. *apud Carenam num.* 25. Sed nobilis dici non potest, qui perpetrat delicta labefactantia Fidem catolicam, ait enim Deus 1.Reg.cap. 2. 30. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.*

Quæritur 11. An citatio necessaria sit in declarando aliquem incidisse in aliquam Censuram?

16 ℞. Affirmatiuè, quia monitus potest adducere aliquam rationem, per quam excusetur à pœnà. Ita *Couar.in cap. Alma mater* §.9.*num.*5.*fine*, *Glos.V. confitteris Clem.* 3. *de censib. Riccius part.* 4. *decis.* 869. *Barb.in citata Clem num.* 5. *de Bictis q.*78. *num.*6. *Baronius Siculus de citat. in Addit. ad quæst.* 17.

Quæritur 12. An quis citari possit sub pœnis?

17 ℞. Sic, quia citatus cogi potest ad obediendum, ergo sub pœnà aliquà, quæ illum disponat ad obediendum; pœna potest esse carcerationis, exilij, banni &c. Ita *Clarus q.*31.*num.*26.*de Bictis q.*78.*num.* 7.

Quæritur 13. An citatus possit comparere per Procuratorem?

18 ℞. Non, quia talis comparitio est omnino personalis, quæ per tertium expediri non potest, cum requirat propriam scientiam eius, qui citatur. Ita *Addent. ad consil.* 85.*Farinacium*, *Guazin. Defens.*10. *cap.* 1.*num.*9.

Quæritur 14. An Reus condemnandus citandus sit ad audiendum sibi legendam Sententiam?

91 ℞. Citatur, vt expressè dicitur *in Clem. sæpè de verb. signific. de Bictis quæst.* 156. *num.* 33. Immo & illi intimanda, vt eam exequatur, nisi audierit eam legere, vt fit in S. Officio; de hac intimatione *Guazin. cap.* 35. *citat Doctores cap.*10.

Quæritur 15. Citatus eadem horà coram Inquisitore, & Episcopo, cuinam obedire teneatur?

20 ℞. Datur ei optio ad comparendum coram quo voluerit in eadem causà S. Officij, vt colligitur *ex cap. per hoc de Hæret. in* 6. vbi dicitur, quòd possunt Episcopus, & Inquisitor communiter, vel diuisim inquirere citare, capere, incarcerare &c. Ergo citatus potest accedere ad illum Iudicem ex prædictis, qui sibi magis placuerit. Ita *Castropal.par.*1.*tract.*4.*disp*.8. *p.* 13.*num.*4. Ratio est, quia vterq. ex æquo habet potestatem citandi, ergo citatus liber est in obediendo, itaut non possit magis cogi ab vno, quàm ab alio; in hoc ergo par est vtriusq. Iudicis potestas citandi, cum ergo par non agat in parem, alter alterius citationem infringere non potest, ergo cum citatus obedire debeat, eius erit dirimere æqualitatem per electionem vnius Iudicis, alio relicto.

Quòd si Episcopus citat suum subditum circa aliam causam, quàm S. Officij, & Inquisitor eadem horà eundem citat in causà Fidei, certum est, quòd præualet præceptum Inquisitoris citationi Episcopi, eo quòd causà S. Officij maioris est ponderis, & momenti, quàm sit causa Iurisdictionis Episcopalis. Et sic intelligendi sunt citati à Carena super q.1. Cardinalis Guidonis Fulcodij num. 15. ex cap. Sane, de offic. deleg. ibi: *Vnde in illa causa superior est*. Delegatus ergo à Papa est maior ordinario, quatenus ille ab hoc impediri non potest in functione suæ delegationis, sed non facit allegatus textus pro Inquisitore contra Episcopum, dum agitur de aliqua causà Fidei; ambo enim concurrunt iuxta, quod dixi supra; notum enim est, quòd quando ambo sedent pro tribunali, partem dexteram tenet Episcopus, & quia eius dignitas id exigit, & quia est antiquior non solùm in dignitate, sed etiam in Officio S. Inquisitionis. 21 22

Quæritur 16. An Inquisitor possit denuntiatum citare etiam realiter extra suum territorium?

℞. Non potest, nisi de licentia Episcopi, seu Inquisitoris illius loci, ad quem confugit denuntiatus, quia citatio est actus Iurisdictionis contentiosus in criminalibus, *Bartol. in l. Si pluribus ff. de legat.* 1. *Abbas in cap. Super quæstionum* § *verum*, *de offic. deleg. num.*1.*Oldrad consi*88. *Feder. de senis cons.* 16.*num.* 13. *Genuens. cap.* 69.*num.*15. Confirmatur, quia singuli Inquisitores habent inter se propria territoria limitibus terminata, neq. enim iustum est alterius perturbare territorium, cum vnicuiq; propria Iurisdictio sit seruanda, ne ordo in regimine confundatur *cap. Peruenit* 36. 11. *q.* 1. 23 24

SECTIO LXXIV.

De Capturà, & Carceratione.

SVMMARIVM.

1 *Citare realiter est personam carcerare.*

2 *Ad iustam capturam tria requiruntur.*

3 *Mandatum Iudicis.*

4 *Car-*

4 *Carcer priuatus non datur.*
5 *Alienum subditum nemo capere potest.*
6 Tu quis es, qui iudicas seruum alienum.
7 *Deprehensus in fragranti crimine capitur.*
8 *Captura fit solùm de suis subditis in suo territorio.*
9 *Facta in loco priuilegiato est nulla.*
10 *Capturam debent præcedere legitima Indicia.*
11 *Consistentia in semiplena probatione.*
12 *Nobilis, seu vir bonæ famæ ex prædictis carceratur.*
13 *Probatio semiplena ad carcerandum triplex est.*
14 *Consultorum consilio non vtitur Inquisitor ad incarcerandum.*
15 *Fugam timens statim mandat carcerationem.*
16 *Festiuo die carceratur.*
17 *Carcerare non est opus seruile.*
18 *Fuga species libertatis sub num. 16.*
19 *Nullus locus est exemptus pro captura.*
20 *Extra territorium nullus capitur.*
21 *Licentia Iudicis loci, vbi moratur fugitiuus.*
22 *Inquisitor licet à Papa delegatus limitatam habet Iurisdictionem pro eo territorio, cui præest.*
23 *Appellatio non datur à capturà, nec à carcere.*
24 *Carcer pœnalis tantùm infamat.*
25 *Fugere non licet nisi à carcere iniusto.*
26 *Fractores carcerum sunt Rei Bullæ* Si de protegendis.
27 *Fugitiuus non dicitur conuictus, nec confessus, nec relapsus.*
28 *Pœna omnis est inuoluntaria.*
29 *Fuga est Indicium ad torturam.*
30 *Fractores carcerum sunt Rei Bullæ:* Si de protegendis.

ABsoluto tractatu de citatione verbali, 1
agendum est de reali, quæ nihil aliud
est, quàm captura denuntiati; realiter enim
citare, est personam capere, *l. Neque 22. ff.*
de in ius voc. Et quoniam ad capturam se-
quitur carceratio, tamquam effectus à suâ
causâ, consequens est, vt de vtroque aga-
tur.

Quæritur 1. Quæ requirantur ad iustam,
& validam capturam, & carcerationem?

℟. Tria sunt necessaria. *Primò*, quòd 2
fiat de mandato Iudicis contra suum subdi-
tum. *Secundò*, quòd fiat in proprio territo-
rio Iudicis, non in loco priuilegiato, nec ex-
tra proprium territorium. *Tertiò*, quòd fiat
ex causâ legitimâ, probatis legitimis Indi-
cijs.

Primum, quòd fiat de mandato Iudicis, 3
probatur, quia captura est actus dependens
à Iurisdictione, vt dixi *præced. sect. num.* 24.
cap. Vt famæ 35. *de sent. excom.* Priuatus er-
go non potest carcerare, quia caret Iuris-
dictione, & si hoc faciat, acriter punitur, *Fa-
rinac. q.* 27. *num* 9. *&* 10. Capitur tamen ab 4
Executoribus repertus in fragranti crimine,
quia habent mandatum tacitum, & virtuale
Iudicis, ad quem captus statim deducitur.
Ita *Gomez.* 3. *Variar. cap.* 9 *num.* 3. *Farinac.*
q. 21. *num.* 140 *dixi Resol.* 135. *q.* 10. Dixi
contra suum subditum, quia alienum nemo
capere potest, quia nemo alienum iudicat,
Paulus ad Roman. 14. *Tu quis es, qui iudi* 5
cas seruum alienum. Scotus in 4. dist. 19. 6
num. 4. Vers. Secundo. Vnde Biruarij Iu-
dicis secularis non possunt capere ecclesiasti-
cos in fragranti etiam crimine repertos, nisi
habeant expressam licentiam à Superiore 7
ecclesiastico, probaui Resol. 135. num. 26.

Secundum, quòd captura fiat de suis sub- 8
ditis in proprio tantùm territorio, & non
extra, probatur *ex l. Extra territorium, ff.*
de iurisdict. & cap. 2. *de const.* Vnde facta in 9
Ecclesiâ, in Monasterio de mandato Iudi-
cis secularis, iniusta est, & inualida, *l. Præ-
senti C. de his. Qui ad Eccles. confug. cap. Si-
cut antiquitus* 17. *q.* 4. *cap. De raptoribus* 36.
q. 1. *cap. Inter alia, de immun.*

Tertium, quòd debeant præcedere legi- 10
tima Indicia in actis redacta, hoc est, semi-
plena probatio delicti, probatur, quia Iu-
dex in actum examinis exire non potest, ni-
si aliqualem habeat notitiam delicti, vt si
illud neget, vt solet accidere, possit Reum
torquere, vt ab eius ore eruat veritatem,
semiplena ergo probatio delicti facit exire
in actum potestatem Iudicis. Ita omnes
cum *Farinac. q.* 27. *num.* 112. *Pitigianus in* 3. 11
subst. cap. 1. *fol.* 157. *Genuens. cap.* 27 *num* 4.
Clarus q. 28. in terminis nostris, *Carena par.*
3. *tit.* 2. *num* 24. *alijs citatis*, Cantera *cap.* 1.
de probat. de indic. ad torturam num. 60 *Ge-
nuens. cap.* 68. *num.* 1. *Vers. Cum carceratio*,

Diana

Diana par. 4. tract. 8. resol. 11.

Quæritur 2. An persona bonæ famæ, & nobilis capi possit, sicut capiuntur aliæ cum solâ semiplenâ probatione.

12 R. Affirmatiuè, tum quia posita semiplena probatione non est amplius talis, qualis existimabatur, valdè enim grauatur eius opinio apud Iudicem; itaut amiserit bonam famam, *ex cap. 4. de accusat.* ergo capi potest, non obstante eius nobilitate, quæ est depressa. Tum quia, qui offendit Deum in causis Fidei fit ignobilis, vt dicitur I. Reg. cap. 2. num. 30. verba retuli sect. 73. num. 15.

Contrarium docent, *Royas par. 2. num. 12. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 11. Farinac. q. 181. num. 7.* Requirentes maiora Indicia, *cum Carenâ par. 3. tit. 2. num. 25.* Sousa citat Farinacium, apud quem loco citato non inuenio, quod refert. Royas de hac re nihil ad propositum.

Quæritur 3. In quo consistat dicta probatio semiplena, virtute cuius mandari possit captura?

13 R. Semiplena probatio consistit. *Primò* in vno Teste oculari, qui proprijs oculis delinquentem perpetrare delictum vidit, quique debet esse maior omni exceptione. *Secundò* in vno Teste auriculari, qui pariter maior omni exceptione audiuit personam sibi notam committere delictum, quod ore contingit fieri. *Tertiò*, si Testis ex illis deest, requiritur aliquid Indicium indubitatum, & proximum per duos Testes integros probatum. Vide Farinac. q. 185. num. 7. referentem Doctores, qui tamen non ita explicitè loquuntur.

Quæritur 4. An Inquisitor vti debeat etiam consilio Consultorum in ordine ad carcerationem?

14 R. Negatiuè, quia id expressè non præcipitur in Iure, nam *in cap. Vt commissi de Haret. in 6. & cap. fin. eod.* nihil speciale de capturâ, sed solùm, quod adhibeant Consultores in ordine ad Sententiam. Et ita docent *Pegna par. 3. com. 17. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 16. Diana p. 4. tract. 7. resol. 38. ex illis Salelles lib. 2. cap. 7. num. 97.* Esto id liceret, non tamen expedit, quia ut plurimùm periculum est in morâ, solent enim malefactores fugere, vt mox dicam.

Quæritur 5. An factâ denuntiatione, sine aliâ informatione Inquisitor timens fugam denuntiati, possit dare foras mandatum capturæ?

15 R. Sic probatâ suspicione, & timore fugæ, quæ facile credenda est, quia malefactores valdè timent vexationem Carceris, ideo præsumptio fugæ in eis supponitur; fu-

16 ga enim est species libertatis, *l. Quis sit fugitiuus 17. ff. de Ædil. edicto §. Idem ait.* Et ita docent *apud Carenâ par. 3. tit. 2. num. 21. Farinac. q. 27. num. 130. Sousa lib. 2 cap 26. num. 6. Clarus q. 28. Vers. Scias autem, Salelles lib. 2. cap. 7. num. 32.*

Quæritur 6. An malefactor possit carcerari die festo.

R. Quolibet die licet carceratio, quia id 17
non est opus seruile, sed executiuum iusti mandati Iudicis. Nec obstat, *l. Nemo 3.* 18
C. de Episcopi audientia, vbi dicitur, quòd carcerati relaxantur circa festum Paschæ. Intellige, si eorum causæ sunt expeditæ. Immò pro veritate eruenda torqueri etiam possunt in illis diebus, ex Tiraq. Barb. ad hanc legem num. 11. Ergo à fortiori carcerari possunt.

Quæritur 7. An Inquisitor in locis exemptis, & Ecclesijs possit capere denuntiatos suo Tribunali.

R. Affirmatiuè, quia respectu Tribunalis 19
S. Fidei, nullus locus habet priuilegium immunitatis, & Bulla Gregoriana loquitur solùm in ordine ad Iudices laicos. Ita *Farinac. cap. 13. de immun. num. 167. & 175. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 28. & 29. Diana par. 1. tract. 1. resol. 38.*

Quæritur 8. An extra territorium suum possit mandare capturam?

R. Negatiuè, siuè deliquerit in proprio, 20
siuè in alieno territorio, quia hæc Iurisdictio carcerandi, quæ est cōtentiosa, cohæret loco, & personis, ita ut extra territorium non se extendat. Ita omnes *cum Curtio iun. cons. 41. num. 9. Paris. vol 4 cons. 16. num. 21. Papon. cons. 5. num. 37. Baldus in l. fin. C. Vbi, & apud quos.* Quia Ius dicenti extra territorium impunè paretur, *cap. Statutum 11. §. Cum verò, de Rescr. cap. 2. de const. in 6.* In nostris terminis *Pegna par. 3. com. 32. Vers. Si venturus est, ego cap. 66. in Praxi num. 35.*
Ideò Inquisitor Parmæ e. g. suum subditum 21
fugitiuum debet petere ab Inquisitore Cremonensi, vbi reperitur; vel ab Episcopo, vel à Iudice laico, & singuli debent remittere fugitiuum cautè, nec id recusare possunt, quia agitur de causis Fidei, cui omnes obedire debent.

Scaccia, Simanchas, Diana *par. 4. tract. 8. resol. 7. Carena par. 3. tit. 2. num. 28.* docent Inquisitorem propriâ auctoritate sibi à Papa delegata posse capere suos subditos in S. Officio denuntiatos etiam extra proprium territorium. Probant, & quia omnes subsunt Papæ, & quia Hæreticus vbiq; offendit diuinam maiestatem. Sed hæ rationes nullius sunt momenti. Esto enim Papa sit totius mundi iustus Iudex, ac proinde totus mundus sit eius territorium; non inde tamen sequitur, quòd ab eo delegatus habeat Iurisdictionem extensam per vniuersum orbem, sed tantùm in loco, vbi eam exercere debet.
Ad aliud dico, Hæreticum offendit Deum 22
in eo tantùm loco, vbi scandalum dat.

Quæ-

Quæritur 9. An à capturâ, & carceratione detur appellatio.

33 ℞. Negatiuè, quia aliàs nullus carceraretur, & Iustitiæ exercitium ægrotaret. *Carena par. 3. tit. 2. num. 31.*

Quæritur 10. An carcer infamet carceratum?

34 ℞. Carcer ad custodiam, seu pro Torturà non infamat, sed tantùm datus in pœnam, *Ghislerius de iudice regular. cap. 8. num. 23. & cap. 18 fine*; & apertè colligitur ex cap. Super 8. de Pœnis, iunctâ Glos. V. Non incurrit ibi: *Nisi præcesserit Sententia*, quæ talem scilicet infert pœnam, & *ex allatis à Farinac. q. 56. num. 181.* vbi dicit, procedere in carcerato pro crimine, quod infamiæ notam irrogat. Carceratio ergo de se non infamat, sed Sententia criminis subsequens, *ex allatis à Barb. ad cap. In nomine 2. de Testib. num. 7.* Et ita intelligendi sunt omnes alij citati à Fagnano ad cap. Super eo 1. l. 2. de appellat. num. vbi citat Castrensem in l. 4. §. Condemnatum, vbi num. 3. dicit, ex carceratione inferri quandam iniuriam, nulla mentione factâ de infamiâ, Carceratio ergo de per se non infamat, neq; enim id in terminis istis aliquo Iure est expressum.

Quæritur 11. An carcerato licitum sit fugere?

35 ℞. Si iniustè carceratus sit, iustè fugit, quia vnicuiq; licet se eximere ab iniquâ vexatione. Et in hoc omnes conueniunt. Iustè verò carceratus fugere non potest, quia obedire tenetur. De hac re latiùs dixi cap. 54. q. 17. & cap. 66. in Praxi q. 14. vbi citaui Melsium cap. 4. de Pœnis q. 11. contra nonnullos fugam dicentes licere, quorum argumentis ibi satisfeci.

In S. Officio res est clara, quòd non licet fugere à iusto carcere siue ad custodiam, siue ad pœnam dato, quod supponunt citati à Carena par. 2. tit. 17. à num. 69. Puniuntur pœnis arbitrariis, & quidem acrius, qui fregerunt. *Antonius Gomez. 3. Var. cap. 9. de capturâ reorum, num. 11. Vers. Sed certè, Farinac. q. 30. num. 8. & 25. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 32.*

Quæritur 12. An fractores carcerum sint Rei Bullæ: *Si de protegendis*?

26 ℞. Negatiuè, non obstantibus illis verbis: *Quiq; carcerem, aut aliam custodiam effregerit, vinctumq; extraxerit, seu emiserit.* Quæ clarè referuntur ad extrahentem, & emittentem carceratum. Ita *Carena par. 2. tit. 17 num. 76 Vers. In contrarium*, contra *Farinac. q. 193. num. 138. Vers. Et rursus.*

Quæritur 13. An fugitiuus è carcere habeatur pro conuicto, & confesso, ac proinde sit condemnandus, vt formalis Hæreticus, vel pro relapso?

27 ℞. Nihil horum incurrit, quia fuga ea inferre non potest, siquidem nihil commune cum Hæresi habet; præsumitur enim fugisse propter tædium carceris, cum sit mala mansio, ut notum est. Ita omnes, *Pegna par. 3. com 35. Farinac. q. 193. num. 138. Sousa lib. 2. cap. 26. num. 37. Carena par. 2. tit. 17. n. 72. Alberghinus cap. 33. num. 5. Salelles lib. 2. cap. 7. num. 136.*

Prædictis videtur obstare Diana *par. 4. tract. 7 resol. 14. Vers. Notandum, vbi cum Rimin. lib. 2. cons 36 num. 13. Menoch. lib. 1. cons. 82. num. 107. Treuisano lib. 2. decis. 36. num. 2.* hoc argumento, non implens pœnitentiam est valde suspectus de Hæresi, quia præcedens conuersio non videtur vera, sed falsa, & vocant eam suspicionem vehementem signum euidens approbationis erroris, ac proinde ut relapsus puniendus; sed fugiens è carcere non implet pœnitentiam datam illi in pœnam, ergo fugitiuus pro relapso est habendus.

℞. Esto aliqualis sit suspicio, nempè leuis, ut dixi *sect. 7. num. 27. & 28. & sect. 14. num. 20. & 25.* vbi, & quandoq; vehemens, nihilominus loquendo de pœnis tantùm afflictiuis præsumitur fuga potius causata ex tædio sustinendi pœnam, quàm quòd conuersio arguenda sit ficta, omnis autem pœna dicitur inuoluntaria *ex D. Thoma l. 2. q. 87. art. 2.* Non ergo approbat errorem, sed tædium carceris fugit. 28

Quæritur 14. An fugiens è carcere antè examen, ex hoc tamquam indicio torqueri possit reuersus, si neget crimen?

℞. Affirmatiuè; est enim fuga Indicium sufficiens ad Torturam, *Farinac q. 30. num. 85. Sousa cum alijs lib. 2 cap. 26 num. 34.* 29

Quæritur 15. An effractores carcerum S. Officij siue apud Inquisitorem, siue apud Episcopum, si in suis detinet Reum in causâ Fidei incurrant pœnas Bullæ: *Si de protegendis*

℞. Effractores, & alij quouis modo cooperantes ad fugam carceratorum sunt Rei Bullæ præfatæ, id enim expressè ibidem dicitur. *Farinac. q. 193. num. 138. Vers. Et rursus.* 30

SECTIO LXXV.

De Confessione Reorum.

SVMMARIVM.

1 *Confessio proprij oris contra se verior est.*

2 *Superat omne genus probationum.*

3 *Confessus habetur pro condemnato, & indicato.*

4 *Confessio est manifestatio proprij delicti coram Iudice.*

5 *Iudex qui suos subditos, & non alienos iudicat.*

6 Tu quis es, qui iudicas seruum alienum.

7 Qui iudicat me Dominus est.

8 *Subditus habitatione, vel delicto.*

9 *Iudex extra territoriũ non iudicat.*

10 *Confessio legitima nouem conditionibus constat.*

11 *Confessio nulla, si non constat de corpore delicti.*

12 *Falsa ex parte, in totum falsa.*

13 *Confessio fit etiam coram Notario de mandato Iudicis.*

14 *Dubiè respondens torquetur.*

15 *Confessio delicti incidentis, dẽ quo nihil in processu non nocet.*

16 *Sententia debet esse conformis libello.*

17 *Querela numeratur inter essentialia Iudicij.*

18 *Confessio facta coram incompetente Iudice nõ nocet edocto de errore.*

19 *Reuocatio confessionis prodest, probato errore.*

20 *Sedere pro tribunali est apex Iuris.*

21 *Dubius de legitimà interrogatione adhuc tenetur respõdere veritatẽ.*

22 *Præsumptio de bono vsu Officij stat pro Iudice.*

23 *Suggestiua responsio nullius momenti est.*

24 *Qualitas reiecta à subiecto quomodo se habeat in ordine ad pœnam.*

REi carcerantur, vt Iudex opportunè possit illos examinare, & venire in cognitionem ex eorum confessione, an sint Rei illius delicti, de quo denuntiati fuerunt; conuincuntur ergo Rei vel per Testes legitimos, vel per eorum confessionem, quæ est optime probatio, nulla enim verior, nec
1 melior datur confessio contra se, quàm proprij oris, *l. Generaliter* 13. *C. de non num. pec. cap. per tuas* 10. *de probat.* talis enim confes-
2 sio superat omne genus probationum, *Surd. dec.* 326. *num.* 28. *Honded. cons.* 15. *num.* 22. *Leoncillus dec.* 84. *num.* 8. Vnde confessus in Iure habetur pro condemnato, & iudicato, & hinc est, quòd à proprià confessione 3
nemo precedere potest, & contra eum fit executio, *l. vn. C. de confessis.*

Quæritur 1. Quid, & quotuplex sit confessio criminalis?

℞. Confessio est manifestatio proprij de- 4
licti, quæ fit duobus modis, extraiudicialiter, & in Iudicio coram Iudice legitimo, & competenti, in quo sensu hìc potissimùm est agendum. Est autem Confessio hæc iudicialis nuncupata, manifestatio proprij delicti facta coram legitimo Iudice, in loco suæ Iurisdictionis, redacta in scriptis per Notarium. Legitimus iudex est ille, qui iudicat suos subditos, & non alienos, Rom. 4. 4. 5
Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Ad Corinth. 1. cap. 4. 4 4. *Qui iudicat me, Domi-* 6
nus est. Qui enim iudicat, necesse est, quòd habeat dominium Iurisdictionis in perso- 7
nam, quam iudicat, ac proinde quòd sit illi subdita, quis autem dicitur subditus in criminalibus duobus modis; vel ratione domicilij, & habitationis; vel ratione delicti perpetrati extra in territorio, in quo non habitat, & tamen ratione delicti incipit esse 8
subditus, *cap. fin. de foro comp.* Quis ergo sortitur Forum illius loci, in quo deliquit, licet ibi nullum habeat domicilium, *Clarus q.* 28. *&* 85. *Couar. practic. cap.* 11. *num.* 3. *Duenas Reg.* 378. *Gratian. cap.* 181. *num.* 28. *Farinac. q.* 7.

Dixi, *in loco suæ Iurisdictionis*, quia 9
extra proprium territorium, sine licentià proprij illius domini, nulliter exercetur Iurisdictio contentiosa, *l. Omnes* 2. *ff. de officio Proconsul.* Dixi *Sect.* 74. *num.* 20.

Quæritur 2. Vt confessus condemnari possit, qualis debeat esse eius confessio?

℞. Requiruntur in eà nouem conditio- 10
nes. *Prima*, quòd confessio clarè sit facta. *Secunda*, sit spontanea. *Tertia*, quòd sit scienter facta. *Quarta*, quòd confessus faciat illam contra se. *Quinta*, quòd confitens sit maior. *Sexta*, quod fiat coram Iudice competente. *Septima*, quòd natura confessioni non repugnet. *Octaua*, quòd nec Iuri repugnet. *Nona*, quòd non velit eam reuocare probando contrarium. *Glos.* V. *confessus cap.* 1. 2. *q.* 1. *Farinac. q.* 81. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2 *num.* 37.

Quæritur 3. An valeat confessio, si non constat de corpore delicti?

℞. Non valet respectu eorum delicto- 11
rum, quæ relinquunt corpus delicti, vt vulneratio, cadauer, fractio, deturpatio &c. *Farinac. q.* 2. *num.* 7. *&* 8. In alijs valet, quia impossibile est in illis corpus demonstrare, cum eo careant; vt patet in multis delictis S. Officij, quæ carent corpore, vt Hæresis, pactum

pactum cum Dæmone, solicitatio in confessione &c. *Farinac. num.* 25. & 26. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 6. & 7. De corpore delicti dixi sect. 43.

Quæritur 4. An confessio ex parte falsa, sit in totum falsa?

12 ℞. Sic, quia vna pars alias vitiat; siquidem spectatur per modum vnius, & indiuisibiliter; ergo aut tota falsa, aut tota vera; falsitas autem ex singulis defectibus infertur, & veritas ex integrâ causâ, succumbit ergo veritas. *Farinac. q.* 81. *num.* 22. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 5.

Quæritur 5. An, vt confessio valeat, de necessitate sit facienda coram Iudice?

13 ℞. Negatiuè, quia potest id committere Notario. Ita *Farinac q.* 81. *num.* 45. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 14. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 51.

Quæritur 6. Quid agendum, quando Reus confessionem facit æquiuocè, nolendo se declarare?

14 ℞. Torquendus est, vt cogatur clarè respondere, partes enim Iudicis sunt, ne iudicium reddatur nullum ex eius negligentiâ, *ex cap. indicantem* 11. 30. *q.* 5 *cap. causam. de iudic.* Ita Bossius, *de confes. num.* 34. *Menoch. lib.* 1. *q.* 89. *num.* 42. *de Præsumpt.*

Quæritur 7. An confessio facta de delicto, de quo nihil in Processu informatiuo noceat confitenti?

15 ℞. Talis confessio de delicto, quod nullam habet connexionem cum delicto principali, non nocet quòad pœnam nec extraordinariam, quia nullus potest condemnari nisi præcedat aliquod Indicium super delictum confessum. *Bart. in l.* 1. §. *Si publico ff. de adulter. num.* 20. *Abbas in cap.* 1. *de except. num.* 14. *ibid. Felin. num.* 10 *Decius num.* 4. & 7. *cum illis Barb. ad dictum cap. num* 4. *versic. vnde.* Nec obstat, quòd in hoc eodem capite Testis exceptione conuictus repellatur, quia super delicto non fuit punitus. Opponunt etiam *cap. Ecce* 24. *q.* 3. & *cap.* 2. *de confessis*, vbi puniuntur. Sed interpretantur puniri, quia supponunt institutum Iudicium contra sic confessum, vt notat ibidem *Barbosa Farinac. q.* 81. *num.* 272. dicit, quòd talis confessio potest illi præiudicare in Iudicio, quia talis confessio sufficit ad Torturam, vbi Farinacius citat Doctores, qui tamen dicit, puniri posse pœnâ extraordinariâ, sed reuera id sustineri non potest, quia in tali casu Sententia non est conformis libello, *l. cum quidam* 17. *C. de fideicom. liber. l. vt fundus* 15. *ff. communi diuidundo* Et

16 debet conformari petitioni, vel accusationi factæ in libello, & secundum hos pœna statui, *l. si præses* 32. *ff. de Pœnis.*

Carena de hac re agit breuiter, sed in contrarium, *par.* 3. *tit.* 8. *à num.* 24. & *num.* 29. & 30. dicta de confessione incidenti non habere locum in S. Officio, in quo puniuntur etiam pœnâ ordinariâ, quia Inquisitores procedunt in suis causis, in incidentibus, & connexis summariè, & sine formâ, & figurâ iudicij. Sed etiam in hoc Sancto Officio 17
locum habent prædicta; nam inter essentialia, quæ etiam ab Inquisitoribus seruanda sunt, numeratur querela, quam antiqui appellarunt libellum, de quo supra iuribus citatis; non enim est de apicibus iuris, qui omitti possunt, Aretinus cap. 4. de primo necessario ad iudicium, *Pegna par.* 3. *com.* 104. *Ghisberius cap.* 11. *num.* 6. Nec his obstat; quod dicitur *in clem. sæpe, de verb. signif.* de libello, qui numeratur inter apices iuris, ac proinde non exigendus ab Inquisitoribus, qui de plano, & summariè procedunt, quia libellus continet plures solemnitates, quarum potissima est inscriptio subeundi pœnam talionis, si accusator non probat delictum. *Dixi cap.* 2. *in praxi num.* 23. & 3. necessaria ergo est querela, vt eâ probatâ possit iudex punire querelatum.

Quæritur 8. Quid operetur confessio facta coram iudice incompetente?

18 ℞. Nihil operatur ad condemnationem, sed facit tantùm indicium ad Torturam. Primum expressè statuitur *in cap. At si clerici, de iudic.* illis verbis: *Sicut enim sententia à non Iudice lata non tenet ita nec facta confessio coram ipso.* Procedit siue Iudex sit incompetens ratione personæ, siue ratione causæ, *ex allegatis à Farin. q.* 81. *num.* 203. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 36. Procedit quoq. licet confessionem ratificauerit, *sub. num* 189. Secundum probatur, quia talis confessio habet magnam veritatis similitudinem, cum sit proprij oris, ergo sufficit ad Torturam, *Farinac. q* 81. *num.* 206. Intellige primò, si non fuit reuocata coram Iudice incompetente, *sub num.* 215. reuocatio verò coram Iudice competente, non prodest, *sub num* 216. Intellige secundò, si emanauit ex præcedentibus Indicijs, *sub num.* 217. Intellige tertio, si agitur criminaliter, non autem ciuiliter, *sub num.* 218.

De confessione extraiudiciali actum est sect. 59. à num. 35. ad 41. & cap. 34. in S. Tribun. q. 16. num. 19. cap. 71. in Praxi.

Quæritur 9. An reuocatio confessionis prosit Reo?

19 ℞. Quatuor modis reuocatur. Primò, incontinenti, antequam scilicet constitutus recedat à Iudice; prodest in eo, quòd non potest condemnari, licet non doceat de errore. Ita *Royas par.* 2. *num.* 260. *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 16. §. 1. *num.* 3. *Sousa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 55. Secundò, reuocatur etiam post recessum à conspectu Iudicis, & edocto de errore non nocet ad pœnam, *ex prædictis cum Carena par.* 3. *tit.* 8. *num.* 53. Tertiò, reuocatur facta

in Torturâ, vi tormentorum allegatâ pro causâ, nullo existente errore. *Farinac. q.* 81. *num.* 346. *Sousa cit. num.* 55. *Castropal. cit.* Vt ergo in his tribus casibus reuocatio prosit debet Reus probare duo, errorem, & causam erroris, quod bene probatur, allegando metum à Iudice, vel ab alio extrinseco allatum. Item si multum tempus præcessit, in quo obliuio præsumi potest, *Farin. q.* 81. *num.* 344. *ex eo Castropal. num.* 3. Quartò demum reuocatur confessio, sed errore non probato; talis reuocatio nihil prodest, quia inutilis est, & inefficax in nullo infirmans ipsam primam Confessionem, quæ remanet in primo robore, ac proinde Reus condemnari potest in pœnam ordinariam. Ita *Farinac. q.* 188. *num.* 75. *ex eo Castropal. num.* 4.

Quæritur 10. An confessio, & Sententia lata ab Inquisitore non sedente pro tribunali, sed perambulante, valeat?

20 ℞. Vtique, quia sedere in tribunali est de apicibus Iuris, *ex clem. Sape de verb. sign.* quem seruare non tenetur Iudex Fidei, *cap. Statuta, de haret. in* 6. Ita *Carena par.* 3. *tit.* 8. *num.* 59. Qui verò non habent facultatem procedendi summariè, si non sedent, nulliter agunt, *Farinac. q.* 81. *num.* 50.

Quæritur 11. An Reus constitutus coram Iudice dubitans de legitimâ interrogatione, teneatur nihilominus respondere pro veritate, & non possit æquiuocare?

21 ℞. Tenetur respondere pro veritate, & non potest æquiuocare, quia Iudex possidet suum Ius, & libertatem interrogandi. Confirmatur, quia præsumptio Iuris stat pro Iudice, quòd iustè suum Officium exer-
22 ceat, cap. *In præsentia* 6. *de renuntiat. cap. cum inter* 13. *cap. sicut nobis* 16. *de sent. & re iud.* Ita Sanchez Abulensis disp. 43. num. 28. reijciens aliorum opinionem, contra quos egi cap. 34. q. 4. in Sacro Tribun. vbi sub q. 5. reprobaui opinionem dicentium, Reum legitimè interrogatum non teneri respondere veritatem, quando agitur de pœna mortis, & sic posse æquiuocare.

Quæritur 12. An confessio emanata ab interrogatione suggestiua noceat reo?

23 ℞. Negatiuè, quia pro nihilo habetur, ac si non fuisset data, quia Iudex non potest decipere constitutum modis exquisitis, quos Iura reprobant, expiscando veritatem. Prohibetur *l.* 1. *§. Qui quæstionem ff de quæst.* Est communis *apud Farinac. q.* 83. *num.* 84. *De Bictis q.* 80. Plures modos suggestiuæ interrogationis retuli cap. 78. in Praxi, illuc remitto Lectorem, quia Consultoribus talis casus occurrere non potest, dum illis non datur copia Processus, sed illius Summarium; præterquam quòd puto non accidere hoc in S. Officio, cuius Iudices sunt etiam pro Reo, ne grauetur vltra, quod non est grauandus.

Quæritur 13. De confessione qualificata an eâ non obstante adhuc sit puniendus pœnâ ordinariâ? Ratio negatiua est, quia qualitas diminuit de pœnâ, ergo extraordinariâ pœnâ est puniendus. Dixi in cap. 70. Praxis, hic solùm tangam quæstionem pro S. Officio, iuxta quod dixi in sacro Tribunali cap. 34. q. 10. In delictis S. Officij duo spectantur, ipsum delictum, & eius Hæresis Suspicio; Reus, vel conuictus, vel confessus de delicto, solet negare secundum, scilicet, se non habuisse Intentionem hæreticalem, hæc intentio praua vocatur qualitas, quam negat à delicto; hanc Reus partim Torturâ, partim Abiuratione purgat.

℞. Igitur sic expediri, quòd punitur non pœnis ordinarijs, quæ debentur Hæretico, 24
cum iam purgauerit Hæresis suspicionem, sed pœnis extraordinarijs conuenientibus delicto, quò ad hoc reiectâ qualitate. In casu verò, quo qualitas à Reo negata probatur ab esse fundatâ ratione super verisimilitudine ex communiter accidentibus, non punitur, nisi extraordinariè; aliter non probatâ verisimilitudine plectitur pœnâ ordinariâ, Carena par. 3. tit. 8. num. 7. ex Cantera refert quemdam reconciliatum ex genere Maurorum, qui transierat ad illos, punitum fuisse pœnâ ordinariâ Relapsorum, non obstante, quòd diceret, apud eos fuisse ob famem, quia hæc qualitas est valdè inuerisimilis à communiter accidentibus, ac proinde falsa non potest illi prodesse.

SECTIO LXXVI.

De Torturâ Reorum.

SVMMARIVM.

1 *Tortura est species probationis inducta in eius subsidium.*

2 *Sine semiplena probatione non deuenitur ad Torturam.*

3 *Contingit tribus modis Teste ex visu, Teste de auditu proprio, & Indicijs.*

4 *Testis vnicum patiens defectum cum adminiculo sufficit.*

5 *Testis defectuosus cum Torturâ.*

6 *Duo inhabiles, si plures non patiuntur defectus.*

7 *Item dictum duorum sociorum, alium non patientes defectum.*

8 *Duo Indicia remota.*

Fama

9 *Fama cum adminiculis.*
10 *Fuga cum adminiculo post denuntiationem.*
11 *Confessio clara extraiudicialis.*
12 *Contumax condemnatus.*
13 *Minoris 20. annis dictum non facit Indicium ad Torturam.*
14 *Assertio vulnerati non sufficit.*
15 *Inimicitia capitalis cum adminiculo sufficit.*
16 *Minæ cum tribus concurrentibus.*
17 *Res inuenta in domo.*
18 *Mendacium si sit super substantiale.*
19 *Vnicà fœmina licet honesta non indiciat ad Torturam vtique duæ.*
20 *Impuberes in nullo casu possunt torqueri.*
21 *Puberes vtique, sed mitiùs.*
22 *Priuilegiati torquentur in causà vtriusque criminis læsæ Maiestatis.*
23 *Pueri non coguntur iurare.*
24 *Septuagenarij non torquentur.*
25 *Nec prægnantes, & lactantes.*
26 *Infirmi, valetudinarij.*
27 *Mutus simul & surdus.*
28 *Energumenus.*
29 *Nec in dignitate constituti nisi in crimine.*
30 *Nemo torquetur, nisi constet de corpore appellat.*
31 *Conuictus non torquetur.*
32 *Si torquetur, vt non possit appellare, adhuc delicti.*
33 *L. 2. c.* Quorum appellatio *explicatur.*
34 *Protestatio* Citra præiudicium probatorum *non releuat.*
35 *Obstinatus, fingens se stultum, vel furiosum torquetur.*
36 *Stultus in culpà fit sapiens in pœna.*
37 Castigasti me, & eruditus sum.
38 *Copia processus datur torturando.*
39 *Appellatio à Tortura datur.*
40 *Decretum Torturæ fit ab vtroque Iudice.*
41 *Tortus post 24. horas citatur ad ratificandam Confessionem.*
42 *Decretum Torturæ fit contra minorem sine Curatore.*
43 *Tortura datur neganti prauam Intentionem.*
44 *Et nihilominus abiurat.*
45 *Clausula* Citra præiudicium probatorum *superuacanea.*
46 *Tortura euacuat semiplenam probationem.*
47 *Tortura cum Abiuratione purgat Reum à suspicione Hæresis.*
48 *Datur Tortura Reo in caput complicum.*
49 *Decretum Pij* V. *de Reis torquendis pro vlteriori veritate.*
50 *Torquetur Reus confessus, siue non confessus super complicibus.*
51 *Casus omissus relinquitur dispositioni Iuris communis.*
52 *Hæresis quandoq; habet socios, quandoq; non, ac proinde non communiter.*
53 *Ex complicibus timidior primum torquetur.*
54 *Indicia noua inducunt nouam Torturam.*
55 *Pluribus vicibus quis torquetur.*
56 *De internallo inter eas vices.*
57 *Horam non excedit Tortura.*
58 *Funis in S. Officio est in vsu.*
59 *Torturæ quantitas regulatur ex qualitate Rei, & Indiciorum.*
60 *In dubio non datur Tortura.*
61 *In opinione probabili datur.*
62 *Non infamat de se.*
63 *Tortura destruit Indicia, & probationes.*

MAlefactores solent negare delicta, maximè, quando non sunt conuicti, ne ergo eorum delicta remaneant impunita, inuenta fuit Tortura, per quam vi tormentorum coguntur fateri veritatem, vnde Tortura appellatur species probationis, & in eius subsidium datur, vt dixi sect. 45. num. 49. & cum nullus torqueatur, nisi delictum sit semiplenè probatum, ideo confessio in Tortura facta cum debitis requisitis complet 1
pro-

probationem semiplenam, & facit esse plenam, vt inde sequi possit condemnatio ad poenam, vt dixi eadem sect. 45. num. 50. Si fatetur.

Quæritur 1. An Iudex sine Indicijs præcedentibus deuenire possit ad tormenta contra negantem delictum? De indicijs dixi *sect.* 59.

2 ℞. Negatiuè, est enim axioma vtriusq; Iuris, *l.* 1. *C de quæstion. & cap.* 9. *de Regul. iuris*, quòd non est incipiendum à tormentis cum id sit res dubia, & fragilis, quæ sæpe cogit Reum dicere, quod nec imaginatus est; ideo debent præcedere talia Indicia, quæ faciant semiplenam probationem delicti, vt Iudex certò sibi persuadeat constitutum negare veritatem, ac proinde posse illum subijci tormentis. Prædictis nullus contradicit, sed omnes dicunt, Iudicem non posse Reum torquere nisi legitimis præcedentibus Indicijs, de qua re latè, *Farinac. q* 37. *per totam*, *Franciscus Pitigianus Ordinis Minorum de Obseruantia*, *de tertio subst. cap.* 6. *fol.* 197. *Thomas à Iesu Carmelita Excalceatus de Regular. Visitat. tract.* 3. *cap.* 13. *num* 2. *Franciscus de S. Iuliano ordinis Discalceat. S. Trinitatis Captiuorum in suo Tribunali Regular. cap.* 8. *Aduert.* 3. §. 1. *Octauianus Spatharius ordinis Minorum de obseruantia in suâ aureâ Methodo de modo corrigiendi Regul. tract.* 9 *cap.* 20 *num.* 3.

Quæritur 2. In quo consistant legitima Indicia, quibus probatis Iudex potest Reum subijcere tormentis, vt illum cogat dicere veritatem?

3 ℞. Communis est opinio, quòd semiplena probatio sufficiat ad Torturam, contingit autem tribus modis, de quibus dixi sect. 74. num. 13. nempe in dicto vnius testis maioris omni exceptione, de quo dixi sect. 59. num. 8. 9. & 12. siue sit de visu, siue de auditu proprio, ibidem, seu in Indicio proximo, & indubitato per duos Testes omni exceptione maiores probatum, vt dixi ibidem sub eodem num. 12. De vnico teste *Farinac. q.* 36. *num.* 224. *& q.* 37. *num.* 58.

4 Prædictis adde primò, vnicus Testis vnum tantum patiens defectum, cum adminiculis sufficit ad Torturam, *Farinac. q.* 37. *num.* 56. *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 30. *num.* 5 *Ego in Praxi cap.* 78. *num.* 23. Vbi quod sufficit vnum indicium, quia per illud tollitur de-
5 fectus. Secundò, Testis vnicum patiens defectum cum solâ Torturâ, sine aliquo adminiculo inducit Torturam. Ita *Baiardus ad Clarum q.* 21. *num.* 15. *Menoch. lib.* 1. *de præsumpt. q.* 89. *num.* 6. *ex illis Diana par.* 4.
6 *tract.* 6. *resol.* 6. *vers. vnde è contra*. Tertiò, duo inhabiles sufficiunt ad Torturam, quia ex coniunctione constituunt vnum habilem modo plures non patiantur defectus. Ita *Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 15. §. 4. *num.* 1. *Farinac. q.* 188. *num.* 8. *Ianuarius Neapol. resol.* 47. *de casib. reseruat. num.* 28. *Vericellus tract.* 8 *q.* 44. *num.* 59. *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 11. *Vers. Nota* 4. *& tract.* 8. *resol.* 57. *vers. Dico* 4. Quartò, dictum duo- 7
rum Sociorum alium non patientium defectum inducit Torturam, vniti enim semiplenam faciunt probationem. Ita *Clarus q.* 21. *Becanus de iust. q.* 10. *num.* 10. *Castropal. cit. num.* 1. *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 37. *Ciarlin. cap.* 10. *num.* 120. Quintò, duo indicia remota sufficiunt 8
ad Torturam, vniuntur enim ad semiplenam probationem. *Bossius de indic. num.* 71. *Miranda de ordine iudic. q.* 26. *art.* 4. *concl.* 4 *Guazin. Defens.* 30. *cap.* 4 *num.* 12. *ex illis* Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 4. Sextò, fama 9
sola sine adminiculis insufficiens est ad Torturam, *Farinac. q.* 47. *num.* 17. *Giurba cons.* 43. *num.* 18. *&* 19. *Ciarlin. cap.* 10. *num.* 130. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2 *num.* 106. Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 13. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 64. *Dal Bene Dub.* 190. *sect.* 10. *num.* 16 *ad* 19. De probatione famæ dixi *sect.* 6. *à num.* 112. *ad* 120. *& sect.* 59. *à num.* 12. *ad.* 56.

De Famâ vehementi; non sufficere solam ad Torturam dixi cap. 52. num. 18. nisi sit legitimè probata, quod rarò contingit, vt alijs citatis notat Carena cit. 76. ideo illi adiunguntur adminicula. De regulis probandi famam. *Farinac. q.* 47. *à num.* 208. Adminicula sunt, fuga Rei, inimicitia, Testes minus idonei, dictum denuntiatoris, minæ, mala fama in specie, cum malâ in genere, *Farinac. q.* 47. *num.* 17. *ad* 22. *Carena num.* 74. vnum autem ex prædictis sufficit, quia tollit inhabilitatem.

Septimò, Fuga sine adminiculo est insuf- 10
ficiens, cum sit indicium remotum, *Farinac. q.* 48. *num.* 34. *Ego cap.* 54 *num.* 5. *in Praxi*, *& cap.* 35. *in sacro Tribun. q.* 23. *num.* 25. intellige, siue ante querelam, siue post fiat fuga, *ex eodem* Farinac. *num.* 34. *Giurba cons.* 13. *num.* 20. Nihilominus nonnulli, quos pro se citat *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 14. dicunt, solam fugam ante querelam sufficere ad Torturam, quia fuga tunc aliud non arguit, quàm delictum à fugiente perpetratum; nisi ipse probet, ex aliâ causâ recessisse, post verò querelam fuga arguit incommodum, quod carceratus patitur in ergastulo, & ita vt hæc fuga faciat indicium ad Torturam, requirit aliquod adminiculum & hæc non minus probabilis opinio, quàm sit præcedens, quam docui eo cap. 54. Dal Bene Dub. 192. sect. 11. Petit. 11. Obseruo, hunc virum valde doctum nimis abundare in discursu. Fuga sola è carcere sufficit *Sousa lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 34. *ex* Farinac. *q.* 30. *num.* 85. Octauò, confessio extraiudicialis facta 11
sine ioco, & de delicto specificato, sine iactantia facit indicium ad Torturam, *Simancas*

chas in Enchir.tit.56.num.14. Farinac.q. 37. num.47.Diana par.1.tract.6.resol.12.Carena par.3.tit.10.num.58. Nec reuocatio prodest, quia omnes reuocarent, & sic eluderent iudicium, *Farinac.q. 82. num. 28. Miranda q. 26.art.7 concl. 1. & Diana cit.* Nonò, contumax condemnatus facit indicium ad Torturam, nisi suam probet innocentiam: *Giurba cons. 13. num. 22. & 24. Carena par.3.tit. 10.num.117.* Decimò dictum minoris viginti annis non facit Indicium ad Torturam ex hac exceptione; duo autem minores euacuant exceptionem, *ex Cantera, Diana par. 4.tract 6. resol. 25. Carena num. 103.* Vndecimò, assertio vulnerati non est sufficiens, quia in propriâ causâ reddit se suspectum, *Clarus q.21.num.14. Honded. cons. 102.num. 6.* Duodecimò, inimicitia capitalis cum adminiculo facit Indicium ad Torturam, de se sola enim est Indicium remotum, *Farinac. q.89.num.102.Giurba cons. 13 num.7. Carena par.3.tit. 10 num 89. Miranda q. 26.num. 125.Pitigian.subst 2.cap.7. vers. Sexto.* Decimotertiò, minæ prolatæ contra aliquem sufficiunt, tribus concurrentibus; primò, quod minans sit potens, & solitus exequi minas; secundò, quòd paulo post secutum sit delictum; Tertiò, quod id totum sit probatum per contestes idoneos, *Clarus q 21. num.25.Giurba cons.91. num. 34. Farinac. consil.102 num 44. Miranda q.26 num.131. Carena num.96.* Decimoquartò, res inuenta in domo facit Indicium ad Torturam, vt si apud eum inuenta est cædula Sortilegij, dixi sect.34.num.63. de furto, *Clarus q. 21. num.30.* de mortuo *Miranda q.26.num.174.* Decimoquintò, mendacium solum sufficit, si sit circa substantiam delicti, *Giurba cons. 87 num. 11. Diana par.4. tract. 6. resol 15.* Decimosextò, dictum vnius fœminæ solicitatæ quantumuis honestæ non facit ad Torturam; obstat enim exceptio sexus, nisi adminiculetur, dixi sect.25.q 51.num. 182. Duæ verò honestæ sine adminiculis sufficiunt, ibidem q. 52. num. 185. Vide alia ibidem.

12
13
14
15
16
17
18
19

Quæritur 3. Quinam possint, & non possint torqueri?

20 ℞. Ex negatiuâ infertur positiua, ideo primò torqueri non potest, qui nondum excessit decimum quartum annum, etiam in causa læsæ Maiestatis non solùm humanæ sed nec diuinæ. Ita l. De minore 10. ff. de quæstion. Sic docent *Simanchas de Catol. instit tit.65. num. 45. Pegna par.3. com. 110. vers. Minores verò, Miranda q. 26. art. 13. concl.7.cum alijs Diana par. 4. tract. 6.resol. 29.Gomez.tom.3.Variar.cap. 13.num. 3.vers. quod tamen.* Ratio est, quia minores decimoquarto anno exponere Torturæ probabile est periculum de eorum vitâ, neq.enim ex priuilegio sunt immunes, sed ex conditione ætatis; nullus enim Iudex ex quacunq. causâ potest exponere minusculam ætatem euidenti periculo Mortis. Immo maiores quatuordecim annorum mitius torquendi sunt, & leuiter, *Farinac.q. 41.num.21.* 21

Contrarium, quòd minores quatuordecim annorum possint torqueri, docent *Farinac.q, 41.num.102. & 103.* in crimine Hæresis, *Castropal part. 1. tract 8. p. 9. num.14. Carena par. 3 tit. 10. num. 140. Farinac.q. 185. num. 125. Dal Bene Dub. 192. sect.27. num.7.* Probant ex cit. lege, cuius sunt verba hæc: *De minore quatuordecim annis quæstio habenda non est, sed omnes omninò in Maiestatis crimine, si ad Testimonium prouocantur, cum res exigit, torqueantur.* Omnes subijcit, etiam minores eâ ætate, vt euidenter probant illæ duæ dictiones *Omninò* quæ nullam patitur exceptionem, *Barb. Dict. hac 240. num. 13. & 17.* & dictio *Sed,* quæ præcedentibus aduersatur, *ex eodem Barb. Dict. 360.*

℞. Præfata verba referri tantùm ad priuilegiatos, quibus in vtroque aufertur priuilegium, non autem ad minores 14. quia non dicuntur priuilegiati, sed incapaces talis tormenti, quo eorum vita periclitari potest. Illæ autem dictiones *Omninò*, & *Sed* confirmant dispositionem respectu priuilegiatorum. Deinde Impuberes cogi non possunt ad iurandum, cap. Pueri 15. 22. q. 5. Nec torquentur in S. Officio, esto recipererentur in Testes, cum nec adulti licet inhabiles torquentur, sect. 61. num. 21. Ad nihil ergo deseruiunt. 22 23

Senes septuagenarij non torquentur, vt communiter docent allegati à *Guazino defens.30 cap.12 initio. Carena par 3. tit. 10. num 142. Dal Bene Dub. 192. sect.27. in §. Aduertenda.* Quia eorum ætas videtur si non, æquè periculosa, vt est vita impuberum, parum distat ab eodem periculo. 24

Mulieres pregnantes, & lactantes vsq; ad quadragesimum diem expletum non sunt torquendæ, pregnantes quidem propter periculum proprium, & fætus; lactantes propter morbum parturitionis, & periculum amittendi lac. *Farinac. q.41.num.62.82.& 84. Guaz. Defens.30. cap.14. Carena par.3. tit.10. num.144. Diana par.4. tit.6. resol.29. Vers. Notandum.* Procedit, licet non nutriant suos filios, quos alijs nutriendos tradant, quia adhuc viget morbus parturitionis, *Farinac. num 80. Guaz cap.15.* 25

Infirmi, & valetudinarii non torquentur, & similes patientes aliquem corporis defectum. *Guaz.cap.16.Diana cit. Vers. Et tandem.* 26

Mutus, & Surdus non torquetur, quia ab eo veritas expressa haberi non potest, & sic frustra torqueretur. *Farinac. q.41. num.88. & 91. Guaz. cap. 13.* 27

Ener-

28 Energumenus non est torquendus, *ex Ruginello Practicar. quaest. cap. 38. Carena par. 3. tit. 10. num. 146.* ob periculum, ne suffocetur à Diabolo; dic tu, ne decipiatur Iudex respondente Diabolo, & non Reo torto; vel sustentando Reum, ne sentiat tormenta.

29 In dignitate constituti non torquentur, ut Cardinalis, Episcopus, Magistratus, Gubernator, Abbas, Generalis, &c. Sed consuetudo est in contrarium, *Farin. q. 41. num. 92. Guaz. Defens. 30. cap. 17.* Isti priuilegiati ratione dignitatis in causis criminis lęsę vtriusq; Maiestatis torquentur, vt dixi supra num. 20. non autem alij incapaces, vel aliter exempti ratione personæ ob periculum vitæ. *Farinac. q. 41. num.* 103. *Guaz. cap. 28. num* 4.

Quæritur 4. An non constante de corpore delicti relinquentis post se illud, possit torqueri?

30 ℞. Non, quia sine probatione corporis delicti Indicia legitima præcedere non possunt, ex sect. 43. Ita docent omnes *Clarus q 64. Vers Debet autem, Farinac. q. 38. num. 7 Carena par. 3. tit. 10. num. 156. Guaz. Defens. 30 cap. 4. num. 2.*

Quæritur 5. An conuictus possit torqueri?

31 ℞. Iudex hoc debet esse contentus, ut possit condemnare Reum, cum sit conuictus, Tortura enim adhibetur in subsidium, cum scilicet probatio non est plena. Ita *Farinac. q. 38. num. 4. qui q 40. num. pariter 4.* ait, eum Iudicem esse fatuum, qui Reum iam conuictum torquet, si enim sustinet tormenta, Iudicem subsanat, dum pœnas euadit. *Salelles lib. 4 cap. 7. num. 74.*

32 Sed quid aget dum in hoc casu solius conuictionis, ne appellet à sententià? Remedium est hoc, torturandus est, si sit spes, quod confiteatur delictum, in hoc casu non potest appellare, si Iudex protestatur illi se Torturæ illum subijcere, ne possit appellare, si delictum fateatur, *Farinac. q 40 num. 9.*
33 *ex Baldo in l. 1. C. de iuram. calumn. num. 9.* Sed in sum. l. 2. C. Quorum appellat, lego contrarium, nam ut quis non possit appella-
34 re requiritur, quòd sit conuictus, & spontè confessus, & si quid eorum defecerit, appellatio admittitur; confessus verò formidine pœnæ appellat. Et textus videtur id clarè dicere, his verbis: *Et ipse, qui condemnatus est, aut minimè voce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus contra se aliquid dixerit, prouocandi licentiam ei non denegari.* Vnde ea protestatio non videtur subsistere, cum sit contra hoc Ius, neq; enim impedit, quod venit ex dispositione Legis, *l. Et si quis, §. Plerique ff de relig. & sumpt. fun. l. Alimenta C. de negot. gest. Gratian. cap. 244. num. 37.* & protestatio in præiudicium tertij non valet, *ex allegatis à Ciarlin. cap. 106. num. 36.* Contrarium dixi cap. 35. num. 54.

Quæritur 6. An nolens respondere, vel fingens se stultum, vel furiosum possit torqueri.

℞. Sic, quia nolens respondere æquipa- 35
ratur neganti delictum semiprobatum, qui torquetur pro eruenda veritate, *Farinac. q. 37. num. 176. Diana par. 4. tract. 6. resol. 34.* Stultus, quoq. & furiosus qui se amentes fingunt, torquentur, vt de amente fiat sa-
piens ad respondendum super veritate, nam 36
stultus in culpà, fit sapiens in pœnà *cap. qui*
ea 10. dist. 38. Ierem. 31. *Castigasti me, & 37*
eruditus sum, scilicet ad respondendam veritatem.

Quæritur 7. An danda sit copia Indiciorum torturando?

℞. Sic, sine nominibus Testium, quia 38
cum agatur de damno irreparabili, æquitas suadet, vt Reus sciat, sitne dignus torturà. Ita *Simanch. in Enchir. tit. 52. num 8 Diana par 4. tract. 6. resol 28. qui in Addit secund. finali Vers. Ad quartum* ex communi Theologorum & Iuris peritorum doctrinà ait, copiam Indiciorum dandam esse petentibus, & non petentibus, doctis, & indoctis, quia est species defensionis Iure Naturæ omnibus indifferenter concessa, cum sunt condemnandi, immo & torturandi, cum alijs *Farin q 39. num. 90. Miranda q. 26. num. 220. Carena par. 3. tit. 10. num. 159. Ego cap. 35. num. 42. in S. Tribun. Dal Bene Dub. 192. sect. 30.*

Quæritur 8. An in S. Officio detur appellatio à Torturà?

℞. Datur in omnibus casibus Officij ab 39
interlocutorià, cuiusmodi est à Torturà, quia grauamen hoc tolli non potest per appellationem à definitiuà, Glos. V. *Ipso iure Clem. 1. de hæret. cum alijs* Farinac. 9. 185. *num.* 235. *Diana. par. 4. tract. 6 resol.* 20. Si sit friuola, & calumniosa non admittitur sed proceditur ad tormenta. A definitiua in Hæresi formali non conceditur *ex citatis à Farinac. num. 227. Barb. hic num. 22.*

Quæritur 9. An ad decretum, & Torturam concurrant Episcopus, & Inquisitor simul?

℞. Sic, *ex Clem. 1. de hæret. §. Propter,* 40
Farin. q. 186. num. 67. Diana resol. 17. Barb. hic num. 6.

Quæritur 10. Quid agendum per Iudicem, vt confessio facta in tormentis valeat?

℞. Iudex post spatium viginti quatuor 41
horarum debet Reum inducere ad ratificationem suæ Confessionis, extra locum, & tempus torturæ. *Glos. V. Aliquid in l. 2. C. quorum appellat.* Et ita docent omnes *cum Farin. q 185. num. 150. Diana par. 4. tract. 6. resol. 22. Carena par. 3. tit. 10. num. 174. & 175.*

175. Idem seruandum est, si prope locum tormentorum confessus, cum dicatur confessus metu tormentorum, *ex citatis à Carena num.* 176.

Quæritur 11. An detur curator minori torturando?

42 ℞. Datur in conclusione decreti, non autem in actu Torturæ. *Diana par. 6. tract. 6. resol.* 31. Contra *Dal Bene Dub.* 192. *sect.* 31. cuius præsentiam requirit in vtroq; casu. Sed audio consuetudinem esse in contrarium in vtroq. casu, quia coniudices non minus diligunt Iustitiam pro Reo, quàm pro alijs; melius enim scit Iudex, qui perfectam habet cognitionem, delictum esse semiplene probatum, & esse habilem ad tormenta, habito respectu ad ætatem, nam post pubertatem non ita rigorosè sunt torquendi, sicut ille, qui est maior viginti annis.

Quæritur 12. An sicut Reo neganti delictum datur Tortura ad eruendam ab eo veritatem, ita quoq; danda sit super intentione prauà, quam negat, esto fateatur perpetrasse delictum, quod infert prauam Intentionem contra Fidem?

43 ℞. Probato plene delicto, Reus negans se habuisse prauam Intentionem, torquendus est, quia ex quadam legali necessitate Reus præsumitur illam habuisse perpetrando delictum spectans ad S. Officium, de qua Iudex non potest alià vià se certificare, nisi mediante Torturà. Est communis Ita *Simanch de catol. inst. tit. 65. de tormentis num* 52. *Pegna par.* 3 *com.* 110. *Vers. ad hæc Farinac q* 179 *num* 57 *Carena par.* 2. *tract.* 1. *num.* 103 *Delrius lib* 5 *sect.* 15. *Vers. Dico* 3. *Pegna com* 67. *Diana par* 4 *tract* 6. *resol.* 32. *vers. Et ideo. Genuens cap.* 68. *num.* 8. *Dal Bene Dub.* 192. *sect.* 32. *num.* 3. Qui dicunt,

44 quòd quamuis tortus neget prauam Intentionem, non ideo tamen purgat præsumptionem Hæresis, sed cogitur abiurare de vehementi, si ex circunstantijs iudicatus fuit vehementer suspectus de Hæresi, nam suspectus de leui non subijcitur Torturæ, vt probaui sect. 16. num. 23. subijcitur ergo tantum vehementer suspectus, vt probaui eadem sect. 16. num. 39.

Quæritur 13. An in Decreto Torturæ exprimenda sit hæc clausula. *Absq. præiudicio probatorum*, tam respectu negati delicti, quam negatæ Intentionis prauæ?

45 ℞. Hæc clausula apposita in Decreto Torturæ respectu vtriusq. est frustratoria. Respectu delicti, quia iam Iudex certus est, ergo vlterius certiorari non oportet, Reg. 31. in 6. & quia protestatio est contraria facto, ac proinde non releuat protestantem, & alijs rationibus probatur adductis sub quæst. 5. Ea ergo clausula *Citra præiudicium probatorum*, non prodest Fisco, *vt ex Giurba cons.* 43. *num* 9. *notat Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 180. *Vers. neq obstat*, vbi antecedenter dicit, quòd illata Tortura debet aliquid operari fauore Rei torti, vt scilicet non puniatur pœnà ordinarià, sed tantùm extraordinarià, *ex Farinac. q.* 40 *num.* 11. *Giurba dicto cons.* 43 *num* 30. *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol* 33 *Guaz Defens.* 30 *cap.* 40 *num.* 2. *vers. Sed modernus. Salelles lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 92.

Intellige, si tortus erat conuictus; si verò non erat conuictus, sed delictum erat tantùm semiplenè probatum sustinendo rigorosam Torturam, euacuat huiusmodi probationem, ac proinde absoluendus est ab hac imputatione, non tamen simpliciter, sed tantùm limitatè quò ad hactenus deducta, remanente querelà in habitu, cum præcepto se præsentandi, præmissa Fideiussione, quandocunque vocatus fuerit, ita *Clarus q.* 64. *num.* 37 *ibi Baiard num.* 126. *&* 127. *Farinac q.* 4 *num.* 25 *ex illis Guazin Defens.* 30. *cap.* 40. *num.* 11. De euacuatione, & purgatione Indiciorum, & probationum semiplenarum docent *Boer. dec.* 163. *num.* 14. *Clar cit. num.* 37 *Farinac. cons.* 10. *num.* 18. *cons.* 25. *num* 45. *Guazin. num.* 1. *Ego in Praxi cap.* 78 *num.* 86 *ad* 90 *& cap.* 35. *in S. Tribun num* 64. *Miranda q.* 26. *num.* 64. 46

Super intentione prauà negata danda est Tortura, vt probaui q. 12. Sine illa clausula, quia nihil operatur nec pro Fisco, nec pro reo aut contra ipsum, quia esto Torturam sustineat, non tamen vincit in totum suspicionem Hæresis, cum non soleat dari rigorosè vnde Tortura simul cum Abiuratione eam purgat, remanente delicto in robore suæ probationis, respectu cuius Reus condemnatur ad pœnam illi proportionatam, iuxta dicta præcedenti quæstione, & ex his patet; cum non sit confessus prauam Intentionem, nec super ea conuictus; torquendus nihilominus est, vt de eà certificari possit Iudex, cum præsumatur in hoc Foro, clausulam illam exprimere, esse superuacaneam, ex quo Tortura non datur super aliquid probatum, nec conuictum, semiplena enim probatio, quam exigit Tortura, non probat, nec conuincit denuntiatum. 47

Quæritur 14. An danda sit Tortura Reo super complicibus illorum delictorum, quæ cum socijs committi possunt?

℞. Danda est, si semiplenè constet habuisse socios; ratio, cur danda sit super complicibus in caput alienum, ea est, quia ex ea probatione censetur esse fautor Hæresis, ergo interrogandus, & torturandus, vt reuelet complices. Ita *Simanch. de Catol. inst. tit.* 43. *num.* 27. *cum alijs Farin. q.* 185. *num.* 133. *Castropal. par.* 1. *tract* 4. *disp.* 8. *p.* 9. *num.* 19. *Diana par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 27. Qui fine, dicit, Torturam debere esse modera- 48

tam, vnius scilicet semihoræ, *ex Guazino defens.30. cap. 9. num.* 3. multis citatis *cum Farinac.q.37.num.*174.*& q.* 40.*num.* 27.*& cons.* 10.*num.* 21.

Difficultas est, an vt possit torqueri super complicibus, necessarium sit, quòd sit conuictus, & confessus super delicto? Id enim videtur insinuare Pius V. in suo Decreto his
49 verbis: *Decreuit, omnes, & quoscunq. Reos conuictos, & confessos de Haresi, pro vlteriori veritate habendâ, & super complicibus fore torquendos arbitrio dominorum Iudicum.* Royas par.2.de Hæret.num.315. asserit: qui de se confessus est, in caput alienum non torquetur ergo decretum non sumitur copulatiuè, *& Carena par.* 2.*tit.* 1.*num.* 116. vtens disiunctiua, *Farin.q.* 185.*num.* 135. impugnans Royas, esse torquendum siue confessus, siuè non; quia multi reperiuntur, qui se manifestant occultantes Socios.

50 Communior est sententia, conuictus de Hæresi siue confiteatur, siue non, torquendum esse, quia non attenditur illa copulatiua sed quod sit conuictus de Hæresi, & quòd semiplenè constet de complicibus, quos negat habere socios. Quicquid dicat Dal Bene Dub. 192.sect.29. num. 4. Decretum Pij V. loqui sine hac limitatione semiplenæ probationis necessariæ ad torquendum Reum in caput Sociorum, ac proinde torqueri sine vllo Indicio complicum, & reddit rationes, quia crimen Heresis communiter non consueuit committi sine complicibus, *ex Locato V. Hareticus num.* 45. Nam Pius V. solùm decreuit torquendum Hæreticum in caput complicum; circa Indicia nihil disposuit, sed id reliquit dispositioni Iuris communis; casus enim omissus relinquitur dispositioni Iuris, *l. Si extraneus 6. ff. de condict. causâ datâ*, in nouâ enim dispositione regulatur
51 secundum Ius antiquum, *l. Si verò*, §. *De viro ff solut. matrim.* Etiamsi in casu omisso esset maior ratio disponendi, vt docent *Oldrad cons.* 142. *& Papponius cons.* 65. *num.*
52 25. Nec verum est, quòd Hæresis communiter committatur cum socijs, quia immò id rarò accidit; timent enim, ne denuntientur; ideo occultè Hæresim concipiunt sine socijs vt plurimùm.

Quæritur 15, Quis ex indicitatis complicibus primò est torquendus?

53 ℟. Qui timidior, vilior, & debilior, ab hoc enim veritas magis spectanda est *Ex allegatis à Diana par.* 4. *tract.6. resol.* 26. *Salelles lib.4. cap.* 7.*num.* 123.

Quæritur 16. An superuenientibus nouis Indicijs Reus iterum torqueri possit?

54 ℟. Sic, si sunt diuersi generis, aliàs quis torqueretur bis intuitu eiusdem Indicij, quòd iniustum est, & sufficientia de se ad inferendam Torturam, quia non possunt coniungi cum præteritis iam sublatis per Torturam. Ita *Pegna par.3.com.39. Farin. q.*38.*num.*79. *Glarus q.* 64. *num.* 45. *Carena par.3.tit* 10. *num.* 148. *Diana cit. resol.* 16. *Giurba cons.* 50. *num.* 42. *Guaz. Defens.* 30. *cap.*23 *num.*8.

Quæritur 16. An,& quomodo quis possit pluribus vicibus torqueri?

℟. Existens negatiuus in primâ Torturâ 55
secundò torquetur, quando in primâ delictum confessum reuocauit extra Torturam, nam prior confessio est sufficiens Indicium ad secundam; & si vtraq. vice rigorosè tortus fuit, non vlterius torquetur, quia Indicia prioris confessionis per sufferentiam secundæ Torturæ satis sunt purgata. Ita *Cantera cap.2. de Probat.per testes q.* 1.*num.* 67.*Pegna par.3 com.* 39. *Locatus V.Tortura, num.*18 *Far.n q.* 38.*num.*105. *& q.*185.*num.* 124 *cum alijs Diana par.4 tract. 6.resol.*24. *Dal Bene sect.* 28. *num.* 5. *Salelles lib.* 4. *cap.* 7.*num.*163.*&* 182.de tribus vicibus.

Quæritur 17. Quantum interuallum debet esse inter vnam, & alteram Torturam?

℟. Tres ad minus dies interualere debent 56
inter vnam, & alteram Torturam. Ita *ex Delrio lib.5.in 2.Append. q.*31.*&* 32.*Carena par.3.tit.* 10.*num.* 154. exclusis meo Iudicio extremis, quia dies terminantes non includuntur in re terminata, cum sint extra illam. Massinius *in Arsenali fol.* 156. *ait*, stilum in S.Officio esse, vt Tortura repetatur sequenti, spatio vnius semi horæ post ratificationem, quæ fit exactò viginti quatuor horarum spatio.

Quæritur 18 Per quantum tempus Reus maneat suspensus in tormentis?

℟. Non durat ad summum nisi per 57
horam, & rigorosa vocatur, & aliquid minus, Iudices enim non debent esse carnifices. Ita *Farinac.q.*38. *num.* 54. *Carena par.* 3.*tit.*10.*num.*171. *Sousa lib.* 2. *cap.* 39.*num.* 25. *Miranda q.* 26.*num.*265.

Quæritur 19. Quo genere tormenti vtitur S. Officium?

℟. Fune torturatur iuxta *l. Nullus C. ad* 58
leg. Iul. Maiest. Si Reus vrgetur pluribus Indicijs tribus ictibus funis concutiter. Ita *Sousa lib.* 2.*cap.* 39 *num.* 25. *Diana par.* 4. *tract.*6 *num.*35 *Dal Bene sect.*35.

Quæritur 20. An omnium Reorum æqualis sit Tortura?

℟. Quantitas Torturæ regulatur, & 59
mensuratur à conditione personæ, & à pondere Inditiorum; Iuuenis magis torquetur, quàm Senex, & qui grauatur vrgentibus Indicijs, magis torquetur, quàm qui non tantùm ab illis vrgetur. Ita *Clarus q.* 64. *num.*30.*Farinac.q.*38.*num.*33. *ex illis Sousa lib.*2.*cap.*39.*num.* 30.

Quæritur 21. An in dubio danda sit Tortura Reo?

℟. Non

60 ℞. Non, quia in dubio fauendum est Reo ex Reg. 11. in 6. vbi dicitur, quod in pari causa absoluitur Reus, intellige â Tortura, & condemnatione, quia nihil censetur probatum contra ipsum. Ita *Caballus casu* 200. *num.* 145. *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 24. *Ego controu.* 39. *q.* 33. *quæ in impressione Lugdun. est* 139. *Resol.*

Quæritur 22. An concurrentibus duabus opinionibus probabili, & probabiliore, Iudex vti possit minus probabili ad torquendum Reum, relictâ probabiliore fauorabili Reo, vt non torqueatur?

61 ℞. Affirmatiuè, quia Iudex prudenter se gerit. Ita *Dianus lib.* 5. *in Append.* 2. *q.* 1. *Sanchius disp.* 44. *num.* 72. *apud Dianam par.* 4. *tract.* 6. *resol. fin.* Dixi in Sacro Tribun. cap. 35. num. 62. Cum non agatur de præiudicio actoris in S. Officio, esse amplectendam opinionem magis probabilem, quæ dicit non esse torquendum. Illos sequitur *Del. Bene Dub.* 192. *sect.* 38. *num.* 32.

62 Quæritur 23. An Tortura infamet?

℞. Negatiuè, quando datur ad eruendam veritatem, *cap. Nullam* 14. *C. Ex quibus causis infam. irrog.* De quâ latius dixi in Praxi cap. 78. num. 91. Vide ibi quamplura alia in materiâ Torturæ, & in suprad. Resol. 39. de Tortura.

Quæritur 24. An Tortura rigorosè data destruat omnia Indicia, & probationes, &

63 inculpatus sit absoluendus.

℞. Reus sustinens rigorosam Torturam absoluendus est, quia & ipsa est species probationis, & cum sit rigorosa, debet operari taliter, quòd euacuet omnes alias probationes oppositas, quæ in simplici verbo depositionis consistunt; probatio autem per Torturam est laboriosa, ac proinde debet superare quaslibet alias, quæ valde faciles sunt, & non vrgent de solo verbo, cum ergo actor probauerit quidem, sed non firmiter, ideo Reus absoluendus est, *l. Actor. C. de Probat. l. Qui accusare, C. de edendo.* Ita *Simancb. de catol. inst. tit.* 56. *Rubr. de Purgat. can. num.* 17. *Pegna par.* 3. *com.* 39. *num.* 156. *Vers. & si omnino, Farinac. q.* 185. *num.* 128. *Royas de hæret. par.* 2. *num.* 306. *ex illis Castropal. p.* 9. *num.* 18. Sed in S. Officio non est vsus rigorosæ Torturæ, ideo sustinentes Torturam, puniuntur pœnis extraordinarijs ex dictis hic q. 5. & num. 45.

SECTIO LXXVII.

De Defensione Reorum.

SUMMARIUM.

1 *Defensio est de iure Naturæ.*
2 *Quæ nec à Principe tolli potest quò ad substantiam.*
3 *Obstinato Hæretico non dantur, quia non est grauatus.*
4 *Dantur pœnitenti.*
5 *Siue conuicto, siue confesso.*
6 *Dantur semiplenè probato, ne torqueatur.*
7 *Relapso dantur defensiones.*
8 *Defensiones negantur in tribus casibus.*
9 *Offerre eas tenetur Iudex, licet non petantur.*
10 *Renuntiare potest oblatis.*
11 *Iuramentum regulatur secundum naturam actus, super quem cadit.*
12 *Defensiones dantur etiam confesso.*
13 *Licet delictum verè commiserit, petere potest.*
14 *Copiam processus in terminis dat Iudex Reo, vt se defendat.*
15 *Nomina Testium non dantur.*
16 *Aduocati partes in defendendo Reum.*
17 *Obligationes eius.*
18 *Aduocatum petenti datur.*
19 *Intellige prædicta respectu Rei pœnitentis.*
20 *Absenti non datur.*
21 *Iudex recusatur.*
22 *Processus quando nullus.*
23 *Substantialia Iudicij sunt quatuor.*
24 *Iudæus subditur pœnis, licet velit conuerti.*
25 *Præscriptio non habet locum in causis S. Officij.*
26 *Testes non potest in totum repellere.*
27 *Testibus talibus vtitur, qualib. Fiscus contrà.*

28 *Causa defensionis fauorabilior Reo quàm Fisco.*
29 *Crimen falsum non impingitur pro defensione.*
30 *Confessione suà explicatà se tueri potest.*
31 *Innocentia multis modis probatur.*
32 *Ab hæresi formali multis modis se defendit.*
33 *Ignorantia probabilis excusat à peccato etiam Hæresis.*
34 *Non verò ab articulis manifestis.*
35 *Amentia excusat ab Hæresi.*
36 *Furor quoque.*
37 *Furor præsumitur durare.*
38 *Ebrietas maxima excusat.*
39 *Magna non, sed infert pœnam extraordinariam.*
40 *Leuis verò pœnam ordinariam.*
41 *Iocosa prolatio excusat à formali Hæresi.*
42 *Ira magna excusat à pœnà ordinarià.*
43 *Proferens Hæresim dormiens excusatur.*
44 *Sicut & proferens recitatiuè.*
45 *Appellatio non conceditur Hæretico obstinato in suo errore.*
46 *Probationes generales non defendunt Reos.*
47 *Probatio generica non conuincit specificam.*

Expedito processu offensiuo vocatur Reus ad respondendum super ijs, quæ sunt probata in eo, & si negat, torquetur iuxta dicta in præcedentibus, & tandem expeditur præmissis defensionibus, si condemnandus est, ideò hic agendum de illius defensionibus, quæ sunt de Iure naturali, ut dicitur *in Clem. Pastorali 2. de sent. & re iu-*
1 *dic. Ghisler. cap.* 11. *num* 9. *Farinac. q.* 39. *num* 1. *&* 18. *Miranda q.* 21. *num.* 70. *quos citaui in Praxi cap.* 81. *vbi, & in seq. latissimè egi.* Ita quòd nec à Principe tolli potest defensio quò ad substantiam, in quantum Reus uti potest medijs ordinarijs ad tuendam suam Innocentiam.
2 Tolli verò potest quò ad modum à Lege introductum, quia ab eo est positus talis modus, *Farinac. q.* 39. *num.* 23. *ad* 29. Ac proindè nec in delictis attrocissimis tolli potest, quia atrocitas delicti non tollit, quod Natura concedit, *sub num.* 41. Etiam in crimine Hæresis, *Baldus vol.* 1. *cons.* 95. *Roland. lib.* 3. *cons.* 12. *num.* 61. *Farinac. num* 44. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 1. Qui tamen eam negant Hæretico notorio, & pertinaci volenti permanere in suà obstinatione. Cum prædictis idem *Farinac. q.* 185. *num.* 223. *ad* 3
226. *& q.* 197. *num.* 70. *Sousa lib.* 2. *cap.* 29. *nu.* 10. Sed conuertamus calamum ad quæstiones.

Quæritur 1. An defensiones dentur Hæretico pœnitenti non solùm conuicto, sed etiam confesso?

℞. Affirmatiuè, quia accidere potest, 4
quòd in suà confessione errauerit, ac proindè probando suum errorem se defendit. Ità *Farinac. q.* 39. *num.* 32. *Clarus q.* 36. *num.* 13. *Ant. Gomez.* 3. *Variar. cap.* 12. *Rubr. de Probat. delict. num.* 3. *fine cum alijs Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 5.

Quæritur 2. Quid si sit conuictus tantùm, & non confessus?

℞. Multò magis dandæ sunt; si dantur 5
confesso, quia non solùm se defendit opponendo dictis Testium, sed etiam se tuetur per sustentationem tormentorum, *Masinius par.* 4. *extremis verbis fol.* 118. *ex eo Carena par.* 3. *tit.* 9 *num.* 4.

Quæritur 3. An dandæ sint non conuicto, non confesso, sed solùm semiplenè indiciato, quando scilicet torturandus est?

℞. Affirmatiuè ex dictis præced. sect. n. 6
38. & 39. Infert enim Tortura damnum irreparabile; ideò si sentit se iniustè grauatum potest se defendere; est enim defensio propulsio iniusti grauaminis imminentis querelato, quod ab eo tollitur exceptione, hoc est, allegando ea, quæ faciunt ad infirmandum, & annullandum ea, quæ contra ipsum in processu sunt producta, tùm ex parte denuntiantis, tùm Iudicis, tùm Testium, tùm Notarij, & modi procedendi in causà. Et ita docent *Simanchas in Enchir. tit.* 35. *num.* 12. *Pegna par.* 3. *com.* 28. *Vers. Postremò. Decian. lib.* 5 *cap.* 36. *num.* 4. *Farinac. q.* 185. *num.* 212. *Sousa lib.* 2 *cap.* 29. *num.* 6.

Quæritur 4. An relapso dandæ sint defensiones?

℞. Affirmatiuè, si sit pœnitens, volens 7
probare se non esse relapsum. Ita *Direct. par.* 3. *de defens. reor. num.* 117. *ibi Pegna com.* 28. *Farin. q.* 185. *num.* 217. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 6. *Vers. Et ex his, Masinius fol.* 118. *fine. Salelles lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 145.

Quæritur 5. An in aliquo casu Iudex possit negare defensiones?

℞. In tribus casibus. Primò Hæretico 8
notorio confesso volenti permanere in sua Hæresi, quæ talis est de se, ut dixi supra num. 3. Quia talis nullum patitur grauamen

men iniquum, sed iustum, contra quod non datur defensio; ubi enim est iusta offensio, ibi reprobata est defensio, cum non sit legitima, *Bart. in l. Vt vim ff. de iust. apud Megalium* 1. 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. Secundò, quando delictum est ita notorium, ut nullâ tergiuersatione excusari possit. Tertiò, quando quis repertus fuit apertè in fragranti crimine, in quo nulla possit dari excusatio, ut in homicidio pueri, in fornicatione. Ita docent *Menoch. lib.* 1. *de arbitr. q.* 17. *num.* 15. *Decian. conf.* 18. *num.* 6 *vol.* 1. *Farinac. q.* 39. *num.* 103. *ex illis Sousa lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 8. Debet tamen constare de causâ negatarum defensionum, ne Processus iudicetur nullus. Immò securius est pro Iudice concedere illi defensiones in his duobus casibus, quia nihilominus succumbet. In re nostrâ non datur defensio non Sacerdoti celebranti, vel absoluenti, aut Sacerdoti osculanti, vel copulanti se cum pœnitente, reperto in fragranti crimine à Iudice, & Testibus. Dico à Iudice, quia potest se defendere à dictis Testium, non à Iudice.

Quæritur 6. An Iudex teneatur offerre defensiones Reo, quamuis eas non petat?

9 ℞. Sic; etiam Hæretico, pænitenti tamen, quia ex huiusmodi delictis non sunt priuati Iure naturali defendendi se, si est grauatus, *Farinac. q.* 185. *num.* 210. etiam si illas non petat, *sub num.* 211. *Carena par.* 3. *tit.* 9 *num.* 7. *Castropal. par* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 6. *num* 1. *ex l Et si non defendantur ff. de Pœnis, & in Auth. Qui semel C. Quomodo, & quando iud.*

Quæritur 7. An Reus illis sibi oblatis renuntiare possit?

10 ℞. Non potest in casu, quo agitur de pœnâ Mortis, quia membrorum suorum nemo est dominus, *cap. Si non licet* 8. 23. *q* 5. Ita *Farin. q.* 39. *à num.* 51. citatis iuribus, *Sousa lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 7. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *num.* 90. Adeò quòd si eis renuntiauit etiam cum Iuramento, potest ad eas redire; quia sicut nulla fuit renuntiatio, ita & Iuramentum cadens super illam nullum est; regulatur enim secundum naturam actus, super quem cadit, *Sanchez. lib.* 6. *disp.* 13. Ita *ex Ant.*

11 *Gomez. Farinac. q.* 39. *num.* 57. *Sousa. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 7. Procedit, si confessus est, *ex allegatis à Farinac. num.* 62. Quia videretur contradicere suæ confessioni spontè factæ petendo, vel acceptando oblatas defensiones.

Renuntiare potest in sententiâ omnium defensionibus quoad solemnitates à Iure inductas. Demum in S. Officio renuntiantes solent se remittere benignitati, & misericordiæ Iudicis, ex quo magis videntur confir-

12 mare suam confessionem de delicto. *Masinius fol.* 118. *ait*, quòd defensiones dandæ sunt Reo ante torturam, & sententiam non solùm conuicto, sed etiam confesso, & non confesso audiendo eius Aduocatum, quare expectandus est terminus datus ad se defendendum, antequam condemnetur, etiamsi renuntiauerit, remittendo se misericordiæ, quia hoc modo occurritur exceptionibus, quas Reus semper facere potest ante sententiam condemnatoriam, *Carena num.* 93.

Quæritur 8. An Reus, qui reuera commisit delictum numquid sine peccato possit petere defensiones?

℞. Affirmatiuè, si probabiliter credit, 13
Processum esse nullum, aut Testes non esse omni exceptione maiores, vel Iudicem esse sibi verè suspectum; esto enim verè sit Reus criminis, super quo fuit denuntiatus; non tamen dicitur legitimè probatum; ideò non perdit suam libertatem, quam intendit defendere defectu probationis, vel ex alio capite.

Quæritur 9. Quid Iudex præstare debet Reo acceptanti defensiones?

℞. Debet dare illi copiam Processus sup- 14
pressis regulariter nominibus Testium, & Aduocatum, qui illum defendat; & si Reus nominet Aduocatum, seu Procuratorem ei dandus est.

Primum de copiâ Processus probatur, quia sine Processu nemo potest se defendere; ergo illi necessariò dandus est, aliter defensiones non dicuntur datæ, sed negatæ. Ita *Simanch. in Enchir. tit* 35. *in Rubr. de Testib num* 12. *Pegna par.* 3 *com.* 110 *fine*, *Vers. Hoc exploratum est Farin q.* 39 *num.* 154 *& q.* 185. *num.* 212. *Castropal. tit. disp.* 8. *p.* 6. *num.* 4. Copia autem Processus ad verbum extrahenda est ex originali; nam cum non possit se defendere, opponendo defectus in personas Testium, ac proinde eius defensio se restringat ad dicta testium, ea referenda sunt in suis terminis, ut possit contra illa objicere.

Secundum de nominibus Testium non 15
exprimendis dicitur ab omnibus, quia Inquisitor, quando dat copiam Processus Consultoribus, exprimit in eâ conditiones, & defectus Testium sub fictis nominibus; non enim publicat Testium nomina Consultoribus. Nihilominus aliquando publicantur, ut dixi sect. 72. num. 12. nec timere debent Testes notificati Reos, quia Bulla *Si de protegendis* P. j V. de qua egi sect. 19. Satis rigorosa hos coercet, & deterret ab offensione.

Tertium de Aduocato docent præcitati, 16
& Carena par. 1. *tit.* 10. *& par.* 3. *tit.* 9. *num.* 8. qui debet esse zelator Fidei, non alias maculatus in S. Officio, nec de genere Hæreticorum, vir bonæ famæ, & utriusq; Iuris Doctor, versatus etiam in causis S. Officij, vt allegati docent. Vnde quandoq; assignatur etiam Consultor S. Officij, qui in eo casu non

non consulit in Congregatione; *vt ex Sousa lib. 2. cap. 3. num. 8. docet idem Carena cit. tit. 16. num. 8.*

17 Partes autem Aduocati, & Procuratoris erunt primò, quòd debent in manibus Inquisitoris iurare de Reo benè, & fideliter defendendo: Secundò debent Reum diligenter hortari; ut si verè Reus est; relinquat causam: Tertiò, in allegationibus Iuris breues esse debent, licet auaritia suadeat longiorem debere esse sermonem; vt grassiorem recipiant mercedem laborum suorum: Quartò demum; copiam Processus sibi consignatam debent restituere Inquisitori; ita *Carena cit. tit. 10. à num. 5. vsq. ad finem.* Sed numquid originale sui Consulti apud se retinere poterunt? Sic; quia nullo iure decernitur consignandum esse in S. Officio; est enim proprius labor; licet retributus, non tamen causatus à S. Officio; vnde cum illius sit verè dominus; retinere illud sibi potest: *Castropal. cit. num. 5.* ait; sufficere Aduocatum, qui Procuratoris vices supplet; immò & Inquisitores defendunt Reos, qui sunt capaces defensionis:

18 Quartum; si ipse Reus petit Aduocatum; illi dandus est; si habet supradictas conditiones enumeratas sub Vers. *Tertium*, docet ex *Pegna par. 3. com. 30. Vers. Et tandem*, *Carena eod. tit. 10. num. 3.*

19 Prædicta intellige respectu Rei Hæretici pænitentis; nam Reo impænitenti, de cuius Hæresi constat; quam pertinaciter defendit esse veritatem; nullatenus defensiones dandæ sunt; aliter ipse Inquisitor, & Aduocatus essent fautores Hæretici, quod proinde prohibetur *in cap. fin. de hæret. in 6.* quod notat *Farinac. q. 197. num. 54.* nam pænitentibus Aduocatus non est negandus, *ex eodem num. 73. Castropal. cit. num. 5. Salzil. lib. 1. Reg. 42. num. 27.*

Quæritur 10. An Aduocatus, seu Procurator dandus sit Hæretico denuntiato, sed absenti?

20 ℞. Nequaquam; debet enim quilibet Reus in causâ criminali, maximè Fidei se præsentare, & constitui in carcerem, qui vult se defendere, ita dixi *sect. 73 num. 18.* Et habetur in Bulla I. *incip. Inter cunctas §. 12. Martini V.* Et ita docent *Royas singul. 170. num. 1. cum alijs Farinac. q. 185. num. 98.* Admittitur solùm ad allegandam causam absentiæ *ex allegatis ab eodem Farin. num. 101. Sousa lib. 2. cap. 49. num. 11. Carena par. 3. tit. 11. num. 53.*

Notandum est, quòd quamplura sunt remedia, quibus Reus se potest defendere, nullus enim prohibetur uti pluribus defensionibus *ex Reg. 20. in 6.* Ideò aliquid de singulis dicendum in sequentibus quæstionibus.

Quæritur 11. An Iudex in hoc S. Officio recusari possit?

℞. Sic, primò, si est denuntianti suspectus, vt quia est illi inimicus capitalis, *cap. quod suspecti 14. q. 5. cap. Secundo 41. de appellat. ita Direct. par. 3. de Recusat. Iud. num. 120. Pegna com. 30. Farinac. q. 185. num. 230.* 21 Secundò, si est consanguineus, vel affinis querelantis; vel Testis; *ex cap. Absens 18. 3 q. 9. Spalban. tract. 10. cap. 12. num. 3. Pitigianus in 4. subst. cap. 3.* Licet non loquantur in terminis nostris, nihilominus ratio id suadet: Suspicio autem, inimicitia, & consanguinitas, seu affinitas omninò sunt probanda, aliter non dicitur se defendere.

Quæritur 12. Quomodo Reus se defendat excipiendo nullitatem Processus?

℞. Processus dicitur nullus primò defectu vnius ex quatuor substantialibus, quorum primum est querela, accusatio, seu in re nostrâ denuntiatio; secundum est depositio Testium cum iuramento, tertium citatio Rei ad respondendum; quartum sunt Rei defensiones. De quibus omnes cum *Panorm. in cap. Dilecti, de iudic. Franciscus Gerbolanus Caput. casu 5. de iudic. regul. §. 6. Pitigianus cap. 3.* Alia verò, quæ spectant ad apices Iuris, non infringunt Processum in S. Officio, si omittantur; quia Inquisitor habet priuilegium procedendi summariè, & sine strepitu iudiciali, solâ veritate inspectâ. 22 23

Secundò, nullus est; quando non constat de corpore delicti, si delictum illud relinquit post se; de quo egi *sect. 43.* Tertiò, fabricatus à Iudice recusato est ipso Iure nullus, *Marantæ par. 4. dist. 18. num. 4. fol. 180.* Vide *Guaz. Defens. 1. cap. 21.* Quartò; formatus sine iuramento Testium nullus est, *ex allegatis à Barb. super cap. Tuis, de Testib. Carena par. 3 tit 7. num. 1.* Quintò, factus à Iudice non competente non valet, *cap. At si clerici, de iudic.* Quare non potest laicus factus clericus, nec is rediens ad sæculum allegare incompetentiam Iudicis ex mutatione status, quia Iudices Fidei omnes subditos sibi habent, siue laicos, siue Clericos. Iudæus quoq. subditur S. Officio, & punitur, esto petat mutationem status; & velit baptizari, id enim facit potius, vt euadat pœnas, quàm vt Deo seruiat incarnato. Vide Clarum *q. 51. fin.* vbi quòd benignius est recipere eum magis in Filium, quàm in seruum. 24

Quæritur 13. An præscriptione, an morte denuntiantis, seu Testium Reus se possit defendere?

℞. Nemo potest se tueri præscriptione contra Hæresim, *ex cap. Sane 6. 24. q. 2.* quia Hæreticus etiam post mortem excommunicatur, & punitur. *Dixi sect. 18. num. 68. & 25. num. 80.* quòd nec denuntiatione omissâ præscribitur. In delictis autem inferentibus suspicionem admittitur præscriptio quinquennij, *ex l. 2. C. de Apostat.* nam post longum 25

gum tempus præsumitur emendatus, *ex Mascardo consl.* 600. Sed res est dubia, quia denunciatio semper obligat, ex probatis sectionibus præfatis, & emendatus adhuc est denuntiandus ex probatis sect. 18. q. 27. Mors respectu denuntiantis, seu Testium non fauet reo, quoad repetitionem Testium, quia repetitio est de apicibus Iuris, ad quos non tenetur Inquisitor, nisi in casu, quo dictum Testis esset obscurum, & dubium, *Farinac q 66. num.* 264. Deinde non est opus repetitione in casu impossibili, cum Testis mortuus non possit resurgere ad instantiam Rei; neq. est opus confrontatione in S. Officio, sect 72. num. 11.

Quæritur 14. In casu, quo alicui Reo concederetur defensio contra Testes, quomodo posset eos impugnare?

26 ℟. Non posset eos omnino reppellere à Testimonio propter eorum defectus ratione personæ, cum Testes inhabiles, exceptis capitalibus inimicis, admittantur in causis S. Officij cum suâ exceptione, & sic omnino expelli non possunt, ac proinde parum sibi prodesset exceptio inhabilitatis, de qua re satis fusè dixi sect. 61. & sequentibus.

Quæritur 15. Qualibus Testibus vti potest Reus ad se defendendum?

27 ℟. Vt planè, & plenè probent pro Reo producente eos debēt esse maiores omni exceptione, quia nō debent esse minoris credulitatis Testibus Fisci, immo maioris efficaciæ si possibile est, quia par non agit in parem, sed fortior superat minus fortem. Quare si Testes producti pro Reo nullam patiuntur difficultatem habentur pro fortioribus, quia

28 causa defensionis Rei est fauorabilior, quàm causa Fisci, *l. Fauorabiliores ff. de regul. iuris Farinac q. 62. num.* 23. Testes vero inhabiles recipiuntur pro Reo cum suis exceptionibus, sicut recipiuntur contra illum à Fisco, neq. enim in hoc casu iudicantur ad impatia, vt dixi *sect. 61. q. 6.* Vbi doctores citaui, quibus addo *Farinac. q. 62. num. 97. & 98.* qui tamen tenet contrarium *in q.* 188. *num. 81. citans Repertorium, Gondisaluum, Bossium, & Royas*; addo pro nobis *Castropal. par. 1. tract. 4. disp. 8 p. 10. num. 8. Carenā par. 3 tit. 5. num.* 82. Diana cum alijs *par. 4. tract. 8 resol. 57. Vers.* Dico 3. sequitur Gondisaluum. Meo iudicio possunt concordari in hoc, quòd Testes inhabiles admissi cum suis exceptionibus ratione personæ probant sed non plenè, vt eximantur ab omni pœnā.

29 Aduertant Aduocati, & Rei ipsi, quòd obiectum crimen tam publicum, quàm occultum probandum est, & si dubitat de probatione occulti, peccat mortaliter, & tenetur de restitutione famæ, sicut & si excipere contra de crimine falso, quod nullo modo licet; *Miranda q. 24. num.* 14 *&* 18.

Quæritur 16. Quomodo possit se tueri contra propriam confessionem?

℟. Confessio alia iudicialis, alia extraiudicialis vtraque potest defendere Reum. 30
Pro qua re vide, quæ dixi *sect. 43. à num. 15. ad 45. & sect. 75.* de confessione Reorum.

Quæritur 17. Quomodo quis probat se innocentem?

℟. Probat primò per euidentiam facti ille, qui denuntiatus de laceratione Sacræ 31
Imaginis, vel occisione hominis, ostendit Iudici saluum esse, & illæsum, & hæc est certissima probatio, *Clarus q. 52. Carena par. 3. tit. 9. num.* 9. Secundò ex confessione personæ læsæ, dicentis se non fuisse offensum à querelato; debet tamen notificare personam, quæ eum offendit. Tertiò, quando Iure constat de alio malefactore, qui seipsum inculpat. Quartò, si in executione Sententiæ accidat aliquod miraculum, vt quando Instrumentum frangitur, vel redditur inæptum, alioquin in se aptum, *Lucas de Penna l. 1 C. de desert. lib. 12. col. 7. Paris de Puteo de Sindic. V. pœna Decius in l. Fauorabiliores ff. de reg. iur. Menoch. l. 5. præsumpt.* 49 Quintò, si querelatus probat, se tali tempore fuisse in loco valde distanti à loco, vbi commissum fuit delictum, Carena num. 10. citat Doctores.

Sequentes Probationes prosunt, sed non ita, sicut præcedentes. Prima, quando querelatus statim se præsentat non fugiendo protestans se velle probare suam innocentiam, *Aleiatus resp. 453. num. 5. ex Bartolo in l. Si quis fugitiuus* §. 1. *ff. de adil edic* Secunda, si denuntiatus est, *quod non sit Purgatorium*, probet, se antecedenter sæpius fecisse celebrare multas Missas, recitauit officium defunctorum, soluit legata pro defunctis, *Simanch de catol instit tit. 17. num. 58. Masinius fol. 110. Carena num.* 13.

Quæritur 18. Quomodo quis potest se defendere ab Hæresi formali?

℟. Multis modis. Primò ex causâ ignorantiæ, quæ sicut excusat à peccato, quando est probabilis, *ex D. Thoma 1 2 q. 76. art.* 32
3 Scoto in 4. dist. 6 q. 8. Vers. Et si dicas. Nec 33
dicas, esto excuset ignorantia facti, de qua loquuntur Theologi, non tamen excusat ignorantia Iuris, *Reg. 13. de reg iur. in 6.* nam ignorantia Iuris cuiq. nocet, non facti, *l. Regula 9 ff. de iuris, & facti ignor.* Nam respondeo exceptis articulis Fidei manifestis in simbolo Apostolorum, in reliquis excusat ignorantia Iuris; omnes enim procedunt 33
à Iure diuino, vt docent omnes *super. l. Cum de indebito ff. de probat.* præsertim rusticos, milites, & minores ætate, *Farinac. in fragmentis Criminal. par. 2. V. Ignorantia num.* 27. In terminis nostris *Farinac. q. 179. num. 23. præsertim num. 33. ad 36. Carena par. 2 tit. 1. num 63 Castropal tom. 1. tract. 4. disp. 2. p. 2. Diana par. 4. tract. 7. resol. 36. Carena*

rena par.3.tit.9.num. 47.

35 Secundò defenditur ab Hæresi formali, si probatur fuisse amentem tempore, quo Hæresim protulit, quia non potest dici pertinax, & cognoscens errorem suum contra fidem; procedit, licet non sit continuò amens licet habeat lucida interualla, modo in illis non proferat Hæresim; Amentia ergo excusat, ne quis puniatur vt formaliter Hæreticus. Idem dic de furioso, quia furor est
36 species amentiæ, nam caret & ipse vsu rationis, *cap Neque furiosus 26.32.q.7. l.Si pater ff. de curat. fur.* Vnde eius facta illi non imputantur *cap. Aliquos* 5. 15. *q.* 1. Fu-
37 ror de præsenti præsumitur durare in futurum. *Paris conf.* 87. *num.* 12. *Couar. de Sponsal. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Licet quandoq. videatur sanè loqui, id tamen verum non est, nisi apparenter, *Glos V.Furore, cap.Dilectus, de Sponsal Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 43. Excusantur ergo à pœna amentes, & furiosi, si probantur delictum commisisse in actu amentiæ, seu furoris, modo probetur vera amentia, non ficta ad euitandam pœnam, *Anton Gomez. de delictis cap.*1.*num* 70. *Farinac q* 94.*num.*1.*Sousa lib.* 3.*cap.*33 *num.*3. *Carena par.*3. *tit.*9. *num.*64.
38 Prædictis comparatur ebrius, qui si in maximà ebrietate committit delictum excusatur, quia caret vsu rationis, & comparatur amenti, & furioso, *cap. omne delictum § per vinum ff de re milit* Ita ex Cantera
39 *cap.* 7. *de homic. num.* 68. *Carena num.*41. Magna vero ebrietas excusat à pœnà ordinarià, non verò ab extraordinaria *Sousa lib.* 3.*cap.*33.*num.* 1. *Menoch.de Arbitr.casu* 326. *num.*7. *Farinac.q.*93. *num.*1. & 18 *Carena*
40 *par.*3.*tit.*9.*num* 42. Ebrius verò leuiter non euadit pœnam ordinariam, ex prædictis *ibidem Carena num.* 46. Dixi de hac triplici ebrietate Sect. 45.num.34.

41 Tertiò, qui se defendit ab Hæresi formali, vt non puniatur pœnà ordinarià, si probat in eius prolatione se iocosè locutum fuisse, quales censentur nimis verbosi, & loquaces, atq. scuriles, qui proinde tales habentur in loco. Ita *Albertin. q.* 36. *num.*11. *Pegna par.*3.*com* 17 *Farinac. q.*179. *num* 40. *Carena par.*2.*tit.*1.*num.*48.

42 Quartò, qui in magnà irà protulit Hæresim, vel aliud, excusatur à pœnà ordinarià, cum non sit formaliter Hæreticus, nec sit pertinax, nec habeat perfectum tunc vsum rationis; nam communiter dicitur, quòd ira impedit animum, ne sciat cernere verum vnde mitigat pœnam, & veniam meretur, *cap.si quis iratus* 5.2 *q.*3. Ita docent *Albert. q.*36.*num.*18. *Pegna par.* 3. *com.* 17. *Farinac. q.* 179. *num.* 42. *Sousa lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2.

43 Quintò, quis se defendit à formali Hæresi, si probat verba protulisse, dum dormiret, vel semidormiret, quia tunc ratione non vtitur. *Diana par.*5.*tract.* 13 *resol.*17. *refert Hurtadum in* 2.2.*Disput.*83 *sect.* 3.§. 29. asseruisse, dormientem simulatè non esse iudicandum Hæreticum, nisi temerariè si proferat tunc Hæresim. Dico, hanc simulationem in nullo eum excusare, quia tunc habet perfectum vsum rationis, cum non impediatur à somno; nullo enim modo dormit, sed fingit purè, vt euitet pœnas.

Sextò, probans Hæresim protulisse recitatiuè, non est Reus Hæresis formalis, immo 44
nullo modo dicendus est Hæreticus, quia nihil credit contra Fidem, sed manifestat dictum ab alijs.

Quæritur 19 An Reus in causis Hæresis possit se defendere per appellationem?

℞. Reus hæreticus formalis, impænitens 45
nullo modo potest se defendere, quia iustè grauatur, vt probaui hìc sub num. 3. Ergo nec appellare, cum non sit grauatus, non appellat ergo a sententià definitiua, qui traditur curiæ sæculari, *cap. vt inquisitionis* 18. *de haret.in* 6.*vbi Barb. num.* 6. citat Doctores, cum quibus est *Farinac.q.*185.*num.*227. *Diana par.*4 *tract.* 8 *resol.* 20. & 32. *Carena par.*3.*tit.*14. Itaq. appellare non possunt Hæretici à sententià definitiuà, cum suis Fautoribus, vtique ab interlocutorià. Alijs vero non prohibetur appellatio, si verè sunt grauati.

Quæritur 20. An Testes pro Reo deponentes pro eius defensione, quod sit homo boni nominis, bonæ famæ, prosint illi?

℞. Parum prodesse, quia eorum proba- 46
tio cum sit generalis nihil operatur contra delictum speciale, quod conuincitur commisisse, nam probatio specialis semper præualet generali, Innoc. *in cap. Auditis, de* 47
*præscript. num.*4. *Farinac. q.* 65. *num.* 170. *Seraph. dec* 818. *num.* 5. Generi enim per speciem derogatur, Reg. 34. in 6.

SECTIO LXXVIII.

De Condemnatione Reorum.

SVMMARIVM.

1 *Conuictus dicitur, qui probatur Reus per duos Testes contestes maiores omni exceptione.*
2 *Sententia quid, & quotuplex.*
3 *Definitiua, quæ totum negotium absoluit, & terminat.*

4 *Con-*

4 *Contumacialis fertur in absentem non comparentem intra tempus præfixum.*

5 *Interlocutoria determinat articulos emergentes in progressu controuersiæ.*

6 *Condemnandus citatur ad audiendam Sententiam.*

7 *Errores omnes exprimuntur in Sententiâ etiam absolutoriâ.*

8 *Quomodo formetur Sententia absolutoria.*

9 *Sententia in causis S. Officij numquam transit in iudicatum.*

10 *Sententia fertur de die, nisi sit periculum in morâ.*

11 *Appellatio ab eâ non datur, si est definitiua.*

12 *Nocte agens præsumitur malè agere.*

13 *Sententia fertur etiam ab alio à Iudice designato.*

14 *Sedendo, vel stando.*

15 *Laicus præsens est sententiæ Rei tradendi brachio sæculari.*

16 *Conuictus licet non confessus condemnatur ad mortem.*

17 *Sententia fertur in conuictum, vel sponte confessum.*

18 In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur.

19 *Indicia indubitata condemnant ad pœnam ordinariam.*

20 *Pœna ordinaria à Iure statuta, extraordinaria ab homine.*

21 *Ex violentissimis Indicijs quis non punitur morte.*

ABsoluto Processu tàm informatiuo, quàm defensiuo, si Reus succumbit, conuictus, vel confessus, condemnandus est in pœnam condignam suis delictis. Ille autem dicitur legitimè conuictus, qui duobus ad
1 minus Testibus contestibus omni exceptione maioribus probatur Reus illius delicti, de quo fuit denuntiatus, *ex sect.* 59 *num.* 11 *&* 13. Sufficientibus ad inferendam pœnam ordinariam, etiam Mortis, vt patet ex dictis; in nostris quoq. terminis docent *Albert. in Repet cap. 1. de haret. in 6 q.* 16. *num.* 131. *Pegna par.* 3. *com* 120. *Vers. Horum omnium, Farinac. q.* 63. *num.* 233. *& q.* 188. *num.* 55. *cum alijs Castropal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8 *p.* 15. *§.* 5. *initio*. Quoniam autem condemnatio exercetur per Sententiam, ideo.

Quæritur 1. Quid, & quotuplex sit Sententia?

℞. Sententia est determinatio, & definitio iudicialis, controuersiæ finem imponens ex pronuntiatione Iudicis continens condemnationem, vel absolutionem. Cum ergo vna condemnet, & altera liberet, & absoluat à pœnâ, hinc fit, quòd sententia vna est condemnatoria, alia absolutoria à delicto, & pœnâ. Meliùs sic diuide in Definitiuã, contumacialem, & Interlocutoriam 2

Definitiua est illa, quæ totum negotium absoluit, & terminat, quia Reus est præsens, & sic damnatur, vel absoluitur, si contra ipsum non est probatum plenè delictum. Contumacialis verò fertur in absentem citatum, qui non comparens præfixo tempore condemnatur in pœnam suorum delictorum, qui nihilominus comparere potest ad probandam suam innocentiam infra annum, *ex allegatis sect.* 54. 11. *& sect.* 59 *num.* 71. Et si demonstrat suam innocentiam, restituitur in pristinum. Præsumitur autem lata potius in contumaciam, quàm ob delictum, *Rota par.* 1. *dec.* 450. *num.* 7. *par.* 2. *dec.* 467. *num.* 2. *&* 147. *num.* 5. *& par.* 3. *dec* 625. *num.* 2. *par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 376. *num.* 13. Contumacialis non probat delictum, *Ottobon. dec* 186 *n.* 15. Vnde nec priuat, nisi post annum, si suam innocentiam non probauit, *Seraphin. dec.* 965. *num.* 13. 3 4

Interlocutoria est illa, quæ determinat articulos emergentes in progressu causæ, *Silu V. Sententia, Iason in l Ne quidquam, §. Vbi decretum ff. de offic. Proconsul.* Decretum de Reo torturando est sententia interlocutoria. 5

Quæritur 2. An Reus siue præsens, siue absens, & contumax sit citandus ad audiendam Sententiam contra se ferendam?

℞. Affirmatiuè, vt sciat, quid facere debeat. Ita *Farinac. q.* 185. *num.* 155. *Pegna par.* 3. *com.* 40 *Carena par.* 3 *tit.* 11. *num* 22. De absente *Pegna com.* 49. *Sousa lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 5. Sine citatione Rei Sententia est nulla, *ex Clem Sape, de verb. signif. Farinac. cit. Pegna cit. com.* 40. *num.* 165. *cum alijs Castropal. disp.* 8. *p.* 5. *num.* 4 6

Quæritur 3. An in eâ exprimendi sint omnes errores, super quibus est conuictus, vel confessus reus?

℞. Sic, quia omnis sententia criminalis componitur ex delictis, & pœnâ illis conueniente, ergo in eâ vtrunq. est exprimendum, vt constituatur in suo esse. Ita *Pegna par.* 3. *com.* 40 *Sousa lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 25. *Carena par.* 3 *tit.* 11. *num.* 23. Qui cum Farin. 7

Ttt q. 185.

q. 185. num. 175. negat hanc delictorum expressionem in sententiâ absolutoriâ, qua ratione nescio, nam vt dixi cap. 37. in Sacro Tribun. q. 4. vers. primum, idem probaui etiam in hac, ob præfatam rationem, quia Sententia ex crimine componitur.

Quæritur 4. Quo tenore ferenda sit sententia absolutoria à delicto?

8 ℟. Si denuntiatus fecit constare Denuntiatorem, & Testes falsum denuntiasse, in hoc casu calumniatus absoluendus est, quòd innocens est ab eis delictis, super quibus fuit denuntiatus. Quòd si delictum defectu Testium non fuit probatum, absoluitur tantùm ab eâ instantia; potest enim accidere, quòd compareant alij Testes; ne ergo in eadem quis absoluatur vt innocens, & condemnetur vt nocens, ratio dictat, Iudicem ita procedere debere. Ita Direct. par. 3. num. 242. Pegna com. 37. Farinac. 185. num 172. Carena num. 33. Castropal p. 11. num. 9. Qui num. 8. dixerat ex Madrilianâ nullius vtilitatis esse exprimere errores in sententiâ absolutoriâ, sed potius afferre damnum, quia errorum expressio audientibus potest generare suspicionem. Huic rationi obsto, quia taciturnitas hæc potius producit suspicionem, quàm non inducit expressio errorum, quæ audientem docet; curiositas verò dat occasionem inquirendi id, quod silentio prætermissum fuit.

Quæritur 5. An sententia tàm condemnatoria, quàm absolutoria transeat in rem iudicatam?

9 ℟. Negatiuè, ex Bulla Pij V. incip. Inter multiplices 22. In vtroq. enim casu par est ratio. Et ita docent allegati à Carena num. 14. Diana par. 4. tract. 8. resol 20

Quæritur 6. An sententia possit ferri de nocte, aut die festiuo.

10 ℟. De die, nisi aliter necessitas cogat, nam nocte agens præsumitur à lege male
11 agere, Glos. V. periculo l. Furem ff. ad legem de sicar. Ita Pegna par. 3. com. 40. Farinac. q. 185. num. 165. Sententiæ autem in causis Fidei pro abiuratione publica leguntur diebus festiuis, coram populo ad terrorem omnium. Diana par. 4. tract. 8. resol. 98. Carena num. 1 [illegible]

Quæritur 7. An detur appellatio à sententia definitiuà in causis Fidei?

12 ℟. Negatiuè ex dictis sect. 77. num. 45.

Quæritur 8. An possit ferre Sententiam per alium?

13 ℟. Affirmatiuè, scilicet per Notarium, vel alium, nam in Clem. Sæpe de verb. signif. dicit sententiam proferat. non exprimit per se, ergo per se est apex Iuris, ad quem non tenetur Iudex in causis Fidei, & ita docet Castropal. p. 11. num. 7.

Quæritur 9. An ferenda sit sedendo pro Tribunali?

℟. Negatiuè, quia id est apex Iuris, ad 14
quod non tenetur Inquisitor, & id expressè dicitur his verbis: Stans, vel sedens proferat, in præfatâ Clementinâ, Carena par. 3 tit. 8. num. 59.

Quæritur 10. An ad Sententiam, per quam Hæreticus traditur curiæ seculari, debeat esse præsens Iudex laicus, cui est consignandus?

℟. Debet vocari Iudex laicus, tam- 15
quam merus executor Sententiæ latæ à coniudicibus Sancti Officij, ex cap. Excommunicamus 13. §. Damnati, de haret. vbi Barb. num 3. citat plures Doctores. Non tamen talis præsentia est de solemnitate Sententiæ, itaut eius absentia annullet Sententiam, cum eius præsentia requiratur solùm, vt certificetur de eo, quod debet facere pro executione Sententiæ, nam latâ Sententiâ statim consignatur curiæ seculari. Et ita docent Pegna par. 3. com. 48. n. 210. Vers. Ac præsente potestate Castropal. p. 11. num. 13 Carena par. 3 tit. 11. num. 32. Salelles lib. 5 cap. 1. num. 62. Quid si Iudex laicus mitteret suum Fiscalem, vel baroncellum, aut aliam personam, vt illi consignarent condemnatum, numquid satisfactum est præfato cap. Excommunicamus? Vtique; sufficit enim quòd sententia exequatur à laicis. Ergo præsentia Iudicis non est necessaria ad valorem sententiæ.

Quæritur 11. An conuictus legitimis Testibus iuxta dicta hìc sub num. 1. possit condemnari ad mortem non confessus.

℟. Affirmatiuè, sufficit enim alterum 16
ex duobus ex cap. 1. 2. q. 1. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi 17
aut conuictum, aut spontè confessum. Licet sint verba D. August. tamen habentur ab omnibus pro certo Iure, etiam diuino
Deuter. 17. 6. In ore duorum. aut trium 18
Testium peribit, qui interficitur. Nullâ facta mentione de Rei confessione. Quare de eâ curandum non est, quando conuictus est, nec torturandus vt dixi praced. sect. 76. q. 5. & num. 45. Vnde vocant fatuum Iudicem; qui potest Reum conuictum condemnare, subijcientem Reum Torturæ ad eum effectum, vt non possit appellare; exponit enim se periculo absoluendi eum, si Tortura sit rigorosa; ælidit enim depositiones Testium, dum Tortura refertur directè, & immediatè ad ipsum delictum, an illud commiserit, & sic Iudex propriam protestationem ex ea clausi. Citra praiudicium probatorum destruit, dum dubitat de veritate non solùm Rei, sed etiam Testium.

Quæ-

Quæritur 12. An condemnari possit quis vt Hæreticus conuictus per indicia indubitata? V. g. Iudæus factus Christianus vtitur cæremonijs Hæbræorum, Mahometanus factus Christianus adorat Maumetum, vel aliud Idolum. Item concionator prædicat Hæreses pro certis veritatibus &c.

19 ℟. Esse condemnandum vt talem, nisi afferat aliquam excusationem, quæ alia non potest esse, nisi quòd id fecerit ad euitandam mortem; aliter plectendus est pœnâ ordinariâ, quia factum ipsum luce clarius ipsum condemnat. Ita *Cantera quæst. criminal. cap. 2. de Probat. per testes q. 2. num. 60. Diana par. 4. tract. 8. resol. 116.*

Quæres 13. Quid sit pœna ordinaria & extraordinaria?

20 ℟. Ordinaria est illa, quæ à Lege, vel Statuto imponitur contra malefactores, & Mortis supplicium præcipuè est pœna ordinaria. Extraordinaria verò, quæ in Iure non est expressa, sed infertur arbitrio Iudicis regulato cum grauitate delicti. Nemo autem damnandus est ad Mortem etiam ex violentissimis Indicijs, & præsumptionibus quæ dicuntur Iuris de Iure, quia diuinationes sunt, non veritates, vt *ex l. Absentem*

21 *ff. de Pœnis*, docent. *Anton. Gomez tomo 3. Variar. cap. 12. num. 25. Farinac. q. 36. num. 52. q. 86. num. 56.* quos cum alijs pluribus citat *Barb. tom. 6. in prætermissis ad cap. 2. de præsumpt.* vbi refert exempla eorum, qui ex re verâ innocentes violentissimis Indicijs fuerunt traditi Morti; postmodum inuenti fuerunt, ideo vt plurimùm diuinationes sunt, scire enim occulta, vt in se sunt, solius est Dei proprium. Nec obstat, quod dixi sub num. 19. quia illi actus sunt intrinsecè hæreticales probati testibus ocularibus, duo primi actus, & tertius auricularibus; nec Reus potest afferre excusationem rationabilem, nisi metum Mortis, quæ si desit, certè est conuictus de Hæresi formali per testes oculares, & auriculares, non autem per Indicia, licet ibi cum alijs dixerim Indicia, sic impropriè dicta.

SECTIO LXXIX.
De Consultoribus S. Officij.

SVMMARIVM.

1 *Consultores de Iure sunt instituendi*
2 *Eliguntur quandoq. à Cardinalibus propositi ab Inquisitoribus.*
3 *Confirmans rem facit suam.*
4 *Eliguntur sine limitatione temporis*
5 *Gratia facta non expirat morte concedentis.*
6 *Tribus qualitatib. debēt esse ornati.*
7 *Iurisperiti nomine venit hìc etiam Theologus.*
8 *Consultorum quatuor Theologi, Canonistæ, & Legistæ.*
9 *Pater, & Filius simul consultores; non tamen votum simul dant.*
10 *Vota sunt consultiua tantùm.*
11 *Decidere est actus Iurisdictionis.*
12 *Omissio consilij non irritat acta.*
13 *Forma data habenti iam potestatē non est substantia, sed monitio.*
14 *Vocantur ad congregationem, & Abiurationem.*
15 *Impeditus non mittit suum votum.*
16 *Præcedunt se inuicem respectu ingressus.*
17 *Honorandus est magis, qui plus laborauit.*
18 *Obligantur ad secretum.*
19 *Loqui tamen possunt inter se.*
20 *Priuilegia Consultorum referuntur.*
21 *Potest esse Aduocatus.*

VSque hùc laboraui pro Consultoribus; æquum est, vt aliquid dicamus de ipsis. Eorum autem institutio procedit à Iure vt constat ex cap. *Vt commissi 17. de Hæret. in 6.* illis verbis: *Aduocandi quoq. prout expedierit periti quilibet, vt vobis assistant, & in huiusmodi ferendis Sententijs præbeant Consilium opportunum. Ac eis quòd super his vobis humiliter pareant in virtute obedientiæ iniungendum.* De eisdem sermo habetur in cap. fin. his verbis: *Nihilominus siue Episc. siue Inquisitores processerint, aliquib. alijs personis prouidis & honestis, Iurisq. peritis, quas ad hoc vocari, & eis per totum Processum, super quo deliberandum est, seriosè manifestari, ac integraliter explicari, & de ipsorum consilio ad sententiam &c.* Super his formabo sequentes quæstiones cum suis responsionibus. 1

Quæritur 1. A quibus eliguntur Consultores?

℟. Quamuis ex allatis verbis dicti cap. fin. Id munus spectet ad Episcopum, & Inquisitorē; tamen consuetudo obtinuit multis in locis, de qua hìc Parmæ de me testor electo à solo Inquisitore tunc nōmine Thoma Petrobello de Camurano S. T. Lectore, die 24. Octobris 1637. Mediolani, & Cremonæ Inquisitores nominant, & Cardinales eligunt, & confirmant, ac proinde ab Inquisitoribus remoueri non possunt sine beneplacito electorum; confirmans enim rem facit suam, *l. 1. C. de vet. iur. enucl. cap. Si Apostolica 22. de præbend. in 6.* Testis est *Carena par. 1. tit. 8. num. 3. 4. & 5.* 2 3

Quæritur 2. An sint perpetui, ita quòd amotis eligentibus morte, vel ex aliâ causâ vlteriùs durent?

4 ℟. Sunt perpetui; creantur enim sine temporis limitatione, cum de Iure sint eligendi; eorum officium non expirat morte eligentis, est enim gratia facta, quæ non ex-

5 pirat morte concedentis, *cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. de officio deleg.* A solo autem eorum creatore reuocari possunt; res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. de Regul. Dixi in Sacro Tribunali de ipsis cap. 38. q. 2.

Quæritur 3. Qualibus qualitatibus debent esse ornati Consultores eligendi?

6 R. Tres conditiones *ex cap. fin. cit. Prima* est honestas personæ, quæ scilicet sit zelator Fidei; ac proinde quòd nunquam fuerit in S. Officio indiciata, irreprehensibilis, bonæ famæ, & morum. *Secunda*, quod sit prudens, ne eius Consilium sit indiscretum; prudentia enim est recta ratio agibilium, ac proinde cum res huius generis aliter se habere possint, diligenter præmeditandum est, vt bonum votum detur. *Tertia*, quòd sit Iuris peritus, non dicit *Doctor*, quia sufficit scientia, sine hoc gradu, qui supponit

7 doctrinam. Nomine autem *Iuris periti* in cap. fin. & *Peritos quoslibet* in priori cap. venit doctus scientijs tùm Theologiæ, tùm Iuris canon. tū Iuris ciuilis. Ex Consultorib. enim quatuor ex Theologis, tot ex Canonistis, & Legistis assumuntur in cōsulendo in causis S. Officij, vt probata praxis seruat. De quibus

8 *Car. par. 1. tit. 8. n. 10.* Ratio huius diuersitatis ea est, quia occurrunt ferè semper dubia varia, modo ad Theologiam spectantia, modo ad Ius canonicum, & ciuile pertinentia; ideo adhibentur periti in singulis; magis enim creditur professori vnius Virtutis, quam alteri, qui in ea non est versatus, *l. Septimo 12. ff. de Statu hom.* Arnaldus Albert. *de agnosc. catol. instit.* Ioannes Alberghinus ex nostris in suo Manuali Qualificatorum, erat enim Panormi Qualificator *cap. 14. num. 2.*

Quæritur 4. An Pater, & Filius eodem tempore possint esse simul consultores?

9 ℟. Quamuis id nullibi prohibeatur; tamen non expedit; nec licet, & si admittantur, non tamen vocantur ambo ad eandem Congregationem, vt notat *Carena cit. num. 32.* ex ordine S. Congr. de qua re latius dixi in Sacro Tribun. *cap. 38. q. 4.* vbi, quòd non est inconueniens, quòd duo Religiosi eiusdem Ordinis sint ambo Consultores, quia Religiosi vt plurimùm in actibus Virtutis ad inuicem pugnant.

Quæritur 5. An eorum vota sint non solùm consultiua, sed etiam decisiua?

10 ℟. Sunt solùm consultiua, vt colligitur ex allegatis capitibus, in quibus decernitur, quòd consilium dent, nihil dicendo de decisione, cum hæc spectet ad coniudices, qui solùm Iurisdictionem habent, decidere enim est actus Iurisdictionis, qua cōsultores carent. Est communis apud *Pegnam par. 3. com. 127.* 11 *Bariola in Aphorismis V. Vota Consultorum, Diana par. 4. tract. 8 resol. 38. ex illis Carena par. 1. tit 8. num. 52. Salelles lib. 1. cap. 6. num. 19. & seq.*

Quæritur 6. An esto vota sint consultiua teneantur Inquisitores requirere consilium Consultorum, & sequi, aliter eorum acta sint inualida irrequisitis Consultoribus?

℟. Tenentur consilium petere, non tamen illud sequi, *cap. cum olim, 7. de arbitr.* 12 Et si non petatur; omissio non infringit, nec annullat acta per Iudices, quia non est de forma, cum illis à lege sit datum habentibus potestatem agendi, nam consilium tunc est de forma essentiali, cum datur simul cum potestate agendi, *Glos. V. Reperierint. Clem. Vn. de offic. deleg. Silu. V. Consilium num. 2. & 5.* 13 *Item Glos. V. Nullatenus, Clem. de sequestr.* dicens, actum non vitiari, quando omittitur forma à Iure præscripta habenti iam potestatem, *Rodriq. tom. 2. q. 35. art. 2. Angelus v. Consilium num. 3.* Et ita docet *ex Diana par. 4 tract. 7. resol fin. vers. vtrum Carena par. 1. tit. 8 num. 55.*

Castropalaus *par. 1. tract. 4. disp. 8 p. 11. num 4.* dicit, omissionem Consilij inducere nullitatem, cum illud sit de formà, nam *in cap. 18. & fin.* præcipitur, vt vocent Consultores; nec illa verba *Prout expedierit* inquit ille, restringuntur ad solam definitiuam sententiam, sed ad totam causam. Sed reuera eius ratio non vrget, cum de formà negotij non sit consilium, sed solùm monitio ad rectiùs agendum. Et illa clausula *Prout expedierit* propriè refertur ad consilium, quod requirere debent, quando putauerint expedire, non est ergo de formà; pro qua re vide etiam Salelles *lib. 1. cap. 6. à num. 18. ad 26.*

Quæritur 7. In quibus casibus, & articulis vocandi sint Consultores?

℟. Expedito Processu informatiuo, & 14 etiam Reo examinato hic Parmæ transmittitur illis copia Processus, qui ab illis diligenter consideratur, & propositis dubijs ex Processu emergentibus respondent. Vocantur quoq. ad Sententiam, & Abiurationem, vt dicitur. Ita *Pegna par. 3. com. 17. Carena par. 3. tit. 11. num. 13. Sousa lib. 2 cap. 26. num. 16. Diana par. 4. tract. 7. resol. 38. Salelles lib. 2 cap. 7. num. 97.* Asserentes non esse necessarium petere consilium pro capturà contra nonnullos.

Quæritur 8. An ægrotus, vel aliter impeditus possit, vel debeat transmittere suum votum ad Congregationem?

℟. Non tenetur, quia acta Congrega- 15 tionis

sibnis cuiuslibet debent expediri per omnes capitulariter, & in vnum congregatos. Quisq. autem votum suum proferre potest memoriter, vel legendo; sic ego facio hoc posteriori modo, magis enim legens explicat suum conceptum, quàm qui ore memoriter profert.

Quæritur 9. Qualis ordo sit seruandus in precedendo, & consulendo?

16 ℞. Hìc Parmæ attenditur tempus ingressus, & id est conforme Iuri communi *cap. 54. de reg. iur. in 6.* ratio enim dictat, vt ille
17 magis honoretur, qui plus alijs laborauit, dicitur enim, *l. Nemo, C. de offic. maior. offic.* Ille gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteire. Attenditur ergo antianitas temporis, reiectâ quauis dignitate, aut alia qualitate. Ad dexteram sedent Theologi, ad Sinistram Doctores vtriusq. Iuris. Dominicanus semper præcedit omnes, quia licet plures successiuè ingrediantur, tamen ingressi se habent per modum vnius aborigine S. Officij *Carena par. 1. tit. 8. num. 13 ex Gratiano cap. 845. num. 45.* refert, Romæ Consultores præcedere inter se in Congregatione S. Officij eo modò, quo præcedunt extra, nam Præceptor S. Spiritus in Capellà Papæ præcedit Generalem Dominicanum, ac proinde inter eos idem seruandum est in Congregatione S. Officij, in qua ambo sunt consultores. Rem hanc fusè tractat Felix Contelorius Theologus, & Iurisconsultus Aduocatus in Romanà Curià, fauore Generalis Dominicani. De Præcedentià Tractatum habeo impressum Parmæ, & Lugduni tom. 4.

Quæritur 10. Qualis obligatio indicitur Consultoribus de silentio seruando in caufis S. Officij?

18 ℞. In cap. fin. datur facultas Inquisitoribus, & Episcopis indicendi silentium Consultoribus, his verbis: *Permittimus, quòd Episcopi, vel Inquisitores secretum possint indicere illis, quibus, vt præmissum est processum huiusmodi explicabunt, & in eos, si arcana consilij seu Processus sibi sub secreto ab eisdem Episcopis, vel Inquisitoribus patefacta præter eorum licentiam alijs patefecerint, excommunicationis sententiam, quam ex secreti violatione ipso facto incurrant, si eis expedire videbitur, promulgare.* Glos. V. Promulgare sic dicit: *Vbi ergo non fiet talis promulgatio, licet indicatur secretum, reuelans excommunicatus non esset.* Quod idem colligitur ex casu Vers. *Sed ponamus.* Mihi tamen talis glossatio videtur contraria textui ibi: *ipso facto incurrant* si secretum indicant Consultoribus, nam patefacto secreto statim incurritur ab illis Excommunicatio, quando imposita fuit ipso Iure incurrenda, & verbum *promulgare* refertur ad eius declarationem, & tunc incipit esse reseruata promulgatori. Vide *Carenam par. 1. tit. 1. num. 60.* referens Doctores asserentes, Consultores inter se de ijs, quæ in congregatione pertractarunt, posse loqui quia amplius 19
non sunt secreta respectu illorum, alijs autem nihil patefacere possunt. Item factà abiuratione publica, res de secreta sit publica, & sic secretum quoad hoc euanuit cum sua obligatione. Addo, quòd ante Congregationem Consultores inter se discurrere possunt circa consilium dandum in Congregatione. De his agit etiam Lupus Bergomensis in Edictum S. *Officij lib. 2. Dist. 1. art. 2. Diffic. 2. Vers. verum, fol. 2. & fol. 27. Dist. 3. Art. 1. & Diffic. 1. vers. Idem resoluitur.* Obseruo demum in eo *cap. fin. de haret. in 6.* nullam fieri mentionem de Iuramento, sed de sola Excommunicatione.

Quæritur 11. De priuilegijs Consultorum?

℞. Plura habent priuilegia. Primò ex 20
Bulla Vrbani IV. extensâ in Directorio *fol. 119. Vers. Sortis*, morientibus in prosecutione sui officij in causâ S. Officij indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur. *Secundò* ex Masinio fol. 11. Consultores lucrantur Indulgentiam plenariam in quolibet actu spectante ad causas Fidei ex concil. Lateranensi sub Innoc. III. *& ex Paulo V. in eius Breui dato 29. Iulij 1611. Tertiò*, In ijs, quæ spectant ad S. Officium, Consultores à nullo possunt impediri etiam suo Superiore, ne accedant ad Congregationem, ad Abiurationem &c. Et si religiosus Consultor est non solùm necessarius, sed etiam tantùm vtilis non potest remoueri à suo Superiore à loco, resistente Inquisitore, si tamen allegetur causa, non debet obstare Inquisitor, cui non desunt desiderantes tale officium. *Quartò*, habent priuilegium deferendi arma, vt dicit *Pegna par. 3 com. 105 Vers. Rursus.* Sed arma Consultorum sunt libri. Et in Bulla incip. *Exigit* extensa in *Direct. fol. 63.* conceduntur arma familiaribus S. Officij qui scilicet sunt de familià quò ad exercitia seruilia ibi: *Extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continuè.* Consultores autem non sunt huius familiæ, quia non laborant seruiliter, sed tantùm intellectualiter, nihilominus ex vsu gestant arma. Nullo tamen modo licet Regularibus. *Quintò*, Canonici, & alij, dum sunt in Congregatione S. Officij, lucrantur distributiones, quæ solis interessentibus dantur, exclusis absentibus etiam causa infirmitatis. Ita responsum fuit pro Canonicis Cremonensibus *sub die 2. Ianuarij 1614. & die 17. Ianuarij 1619. Carena par. 1. tit. 8. num. 67.*

Quæritur 12. An Consultor, idem de Qualificatore, possit esse Aduocatus Rei

in

in S. Officio?

21 ℞. Affirmatiuè hoc de Consultore sect. 77. q. 9. Vers. Tertium. Et idem dici potest de Qualificatore; intellige si Doctor sit etiam utriusq; Iuris, quia officium Aduocatus talem gradum exigit.

SECTIO LXXX.

De Qualificatoribus S. Officij.

SVMMARIVM.

1 *Qualificator speculatur præscindendo à Reo, Consultor ab eo non præscindit.*

2 *Theologi solùm qualificant.*

3 *Inquisitores Dominicani, & Franciscani sunt Theologi.*

4 *Eliguntur sicut Consultores.*

5 *Eisdem qualitatibus debent esse ornati.*

6 *Maior est Consultor, quàm Qualificator non. Datur ei præceptum de secreto, nisi sit simul Consultor.*

7 *Gaudet priuilegijs Consultorum.*

1 Reliquum est, vt opus nostrum absoluamus cum Qualificatoribus, quorum munus valdè differt ab officio Consultorum, nam isti consulunt in causa speciali huius, vel illius Rei, an sit Hæreticus, vel solùm suspectus ex tali dicto, vel facto; Qualificator verò propositiones sibi propositas considerat, an sint hæreticæ, suspectæ de fide, temerariæ, an scandalosæ &c. præscindendo à personâ, quæ eas protulit, si ergo speculatiuo modo procedit, vt ita loquar, Consultor verò practico modo. Ita *Salelles lib. 3. cap. 3. num. 21. ad 24.*

Quæritur 1. Vbi non distinguuntur Congregationes Consultorum, & Qualificatorum, ad quos spectat qualificare.

2 ℞. Ad Theologos tantùm cum Inquisitore, quia inuestigatio huius generis pendet à principijs Theologicis, ita *Royas par. 1. de hæret. num. 204. & num. 384. Delrius lib. 5. sect. 15. Axiom. 1.* Qui dicit, Inquisitores Theologos non cognoscere, an dictum, vel factum sapiat Hæresim, vel non, sed id spectare ad Theologos Qualificatores. Freitas verò melius dicit etiam ad Inquisitorem Theologum id spectare, *apud Dianam par. 4. tract. 8. resol. 84. Carena p. 1. tract. 8. num. 35.* dicit Consultores Theologos qualificare Propositiones cum Inquisitore Theologo, & hoc seruatur, vbi Inquisitores sunt Theologi apud Dominicanos, & Franciscanos, 3 qui semper sunt Theologi. In Hispaniis quia Inquisitores vt plurimùm sunt tantùm Iurisconsulti, ideo apud illos Congregationes aliæ sunt Consultorum, aliæ Qualificatorum. De quibus Salelles lib. 1. cap. 5. Reg. 39.

Quæritur 2. A quibus instituendi sint isti Qualificatores, & quibus qualitatibus debeant esse prædití?

℞. Eliguntur ab ipsis Inquisitoribus, & 4 debent habere easdem qualitates, quibus prædití sunt Consultores, iuxta dicta præced. sect. Omnes tamen debent esse Theologi graduati, vel professores eiusdem scientiæ Theologicæ. Quòd si idem sit etiam Iurisconsultus, non prohibetur assumi ad hoc munus, quia vnus gradus virtutis alium non excludit.

Quæritur 3. Quis horum maior Consultor, an Qualificator?

℞. Consultor, quia ab officio Qualifica- 5 toris ascenditur ad gradum Consultoris. Confirmatur, quia Consultor Theologus consulit, & qualificat, ergo amplioris honoris dignus est. Ita docet *Salelles lib. 1. cap. 5. num. 11.*

Quæritur 4. An qualificatoribus detur iuramentum, vel sub censurà obligentur ad secretum.

℞. Negatiuè, quia cum casus speculatiuè 6 proponatur præscindendo à personâ, quæ illius est auctor, nulli præiudicatur, licèt enim dicere, hæc propositio est hæretica, sapit Hæresim, est scandalosa &c. Nihilominus si proponuntur cum nomine Auctoris, non licet manifestare, quod in Congregatione conclusum fuit. Consultores verò, qui & officium Qualificatoris agunt, in nostris partibus adstringuntur obligationi secreti.

Quæritur 5. An gaudeant priuilegijs Consultorum?

℞. Affirmatiuè, laborant enim pro Fide, 7 & dicuntur familiares Inquisitoris, qui habet familiam armatam.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium.

Primus numerus indicat Sectionem; Secundus quandoque multiplex numerum marginalem.

Anima

Vvv. Chyro-

copula cum recitatione sacra superstitiosa cart. 272 n. 5.
Crux quæcunque siue signum crucis sunt res sacræ. sess. 29. n. 29.

D

Dæmonis operationes variæ, et etiam seminales in creaturas. [illegible]

Dubius in fide. 2. 19.
Dubium de se [illegible] malo [illegible] 2. 19.

E

Hære-

Iacob

I

Ira

q. 185. *num.* 175. negat hanc delictorum expressionem in sententiâ absolutoriâ, qua ratione nescio, nam vt dixi *cap* 37. *in Sacro Tribun. q.* 4. *vers. primum*, idem probaui etiam in hac, ob præfatam rationem, quia Sententia ex crimine componitur.

Quæritur 4. Quo tenore ferenda sit sententia absolutoria à delicto?

8 ℞. Si denuntiatus fecit constare Denuntiatorem, & Testes falsum denuntiasse, in hoc casu calumniatus absoluendus est, quòd innocens est ab eis delictis, super quibus fuit denuntiatus. Quòd si delictum defectu Testium non fuit probatum, absoluitur tantùm ab eâ instantia; potest enim accidere, quòd compareant alij Testes; ne ergo in eadem quis absoluatur vt innocens, & condemnetur vt nocens, ratio dictat, Iudicem ita procedere debere. Ita *Direct. par.* 3. *num.* 242. *Pegna com.* 37. *Farinac.* 185. *num* 172. *Carena num.* 33. *Castropal p.* 11. *num.* 9. Qui num. 8. dixerat ex Madilianâ nullius vtilitatis esse exprimere errores in sententiâ absolutoriâ, sed potius afferre damnum, quia errorum expressio audientibus potest generare suspicionem. Huic rationi obsto, quia taciturnitas hæc potius producit suspicionem, quàm non inducit expressio errorum, quæ audientem docet; curiositas verò dat occasionem inquirendi id, quod silentio prætermissum fuit.

Quæritur 5. An sententia tàm condemnatoria, quàm absolutoria transeat in rem iudicatam?

9 ℞. Negatiuè, ex Bulla Pij V. incip. *Inter multiplices* 22. In vtroq. enim casu par est ratio. Et ita docent allegati à *Carena num.* 14. *Diana par.* 4. *tract* 8. *resol* 20

Quæritur 6. An sententia possit ferri de nocte, aut die festiuo.

10 ℞. De die, nisi aliter necessitas cogat, nam nocte agens præsumitur à lege male

11 agere, *Glos. V. periculo l. Furem ff. ad legem de sicar.* Ita *Pegna par.* 3. *com.* 40. *Farinac. q.* 185. *num.* 165. Sententiæ autem in causis Fidei pro abiuratione publica leguntur diebus festiuis, coram populo ad terrorem omnium. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 98. *Carena num* 11.

Quæritur 7. An detur appellatio à sententia definitiuâ in causis Fidei?

12 ℞. Negatiuè ex dictis sect. 77. num. 45.

Quæritur 8. An possit ferre Sententiam per alium?

13 ℞. Affirmatiuè, scilicet per Notarium, vel alium, nam in Clem. *Sæpe* de verb. signif. dicit *sententiam proferat.* non exprimit *per se*, ergo *per se* est apex Iuris, ad quem non tenetur Iudex in causis Fidei, & ita docet *Castropal. p.* 11. *num.* 7.

Quæritur 9. An ferenda sit sedendo pro Tribunali?

℞. Negatiuè, quia id est apex Iuris, ad quod non tenetur Inquisitor, & id expressè dicitur his verbis: *Stans, vel sedens proferat*, in præfatâ Clementinâ, *Carena par.* 3 *tit.* 8. *num.* 59. 14

Quæritur 10. An ad Sententiam, per quam Hæreticus traditur curiæ seculari, debeat esse præsens Iudex laicus, cui est consignandus?

℞. Debet vocari Iudex laicus, tamquam merus executor Sententiæ latæ à conjudicibus Sancti Officij, *ex cap. Excommunicamus* 13. §. *Damnati, de haret. vbi Barb. num* 3. citat plures Doctores. Non tamen talis præsentia est de solemnitate Sententiæ, itaut eius absentia annullet Sententiam, cum eius præsentia requiratur solùm, vt certificetur de eo, quod debet facere pro executione Sententiæ, nam latâ Sententiâ statim consignatur curiæ seculari. Et ita docent *Pegna par.* 3. *com.* 48. *n.* 210. *Vers Ac præsente potestate Castropal. p.* 11. *num.* 13 *Carena par.* 3 *tit.* 11. *num.* 32. *Salelles lib.* 5 *cap.* 1. *num.* 62. Quid si Iudex laicus mitteret suum Fiscalem, vel baroncellum, aut aliam personam, vt illi consignarent condemnatum, numquid satisfactum est præfato cap. Excommunicamus? Vtique; sufficit enim quòd sententia exequatur à laicis. Ergo præsentia Iudicis non est necessaria ad valorem sententiæ. 15

Quæritur 11. An conuictus legitimis Testibus iuxta dicta hic sub num. 1. possit condemnari ad mortem non confessus.

℞. Affirmatiuè, sufficit enim alterum ex duobus ex cap. 1. 2. q. 1. *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut spontè confessum.* Licet sint verba D. August. tamen habentur ab omnibus pro certo Iure, etiam diuino Deuter. 17. 6. *In ore duorum aut trium Testium peribit, qui interficietur.* Nullâ facta mentione de Rei confessione. Quare de eâ curandum non est, quando conuictus est, nec torturandus *vt dixi praced. sect.* 76. *q.* 5. *& num.* 45 Vnde vocant fatuum Iudicem; qui potest Reum conuictum condemnare, subijcientem Reum Torturæ ad eum effectum, vt non possit appellare; exponit enim se periculo absoluendi eum, si Tortura sit rigorosa; ælidit enim depositiones Testium, dum Tortura refertur directè, & immediatè ad ipsum delictum, an illud commiserit, & sic Iudex propriam protestationem ex ea clausula *Citra praiudicium probatorum* destruit, dum dubitat de veritate non solùm Rei, sed etiam Testium. 16 17 18

Quæ-

Quæritur 12. An condemnari possit quis vt Hæreticus conuictus per indicia indubitata? V.g. Iudæus factus Christianus vtitur cæremonijs Hæbreorum, Mahometanus factus Christianus adorat Maumetum, vel aliud Idolum. Item concionator prædicat Hæreses pro certis veritatibus &c.

39 ℞. Esse condemnandum vt talem, nisi afferat aliquam excusationem, quæ alia non potest esse, nisi quòd id fecerit ad euitandam mortem; aliter plectendus est pœnà ordinarià, quia factum ipsum luce clarius ipsum condemnat. Ita *Cantera quæst. criminicap. 2. de Probat. per testes q. 1. num. 60. Diana par. 4. tract. 8. resol. 116.*

Quæres 13. Quid sit pœna ordinaria & extraordinaria?

50 ℞. Ordinaria est illa, quæ à Lege, vel Statuto imponitur contra malefactores, & Mortis supplicium præcipuè est pœna ordinaria. Extraordinaria verò, quæ in Iure non est expressa, sed infertur arbitrio Iudicis regulato cum grauitate delicti. Nemo autem damnandus est ad Mortem etiam ex violentissimis Indicijs, & præsumptionibus quæ dicuntur Iuris de Iure, quia diuinationes sunt, non veritates, vt ex *l. Absentem*

51 *ff. de Pœnis*, docent. *Anton. Gomez tomo 3. Variar. cap. 12. num. 25. Farinac. q. 36. num. 52. q. 86. num. 56.* quos cum alijs pluribus citat *Barb. tom. 6. in prætermissis ad cap. 2. de præsumpt.* vbi refert exempla eorum, qui ex re verà innocentes violentissimis Indicijs fuerunt traditi Morti; postmodum inuenti fuerunt, ideo vt plurimùm diuinationes sunt, scire enim occulta, vt in se sunt, solius est Dei proprium. Nec obstat, quod dixi sub num. 19. quia illi actus sunt intrinsecè hæreticales probati testibus ocularibus, duo primi actus, & tertius auricularibus; nec Reus potest afferre excusationem rationabilem, nisi metum Mortis, quæ si desit, certè est conuictus de Hæresi formali per testes oculares, & auriculares, non autem per Indicia, licet ibi cum alijs dixerim Indicia, sic impropriè dicta.

SECTIO LXXIX.
De Consultoribus S. Officij.

SVMMARIVM.

1 *Consultores de Iure sunt instituendi*
2 *Eliguntur quandoq; à Cardinalibus propositi ab Inquisitoribus.*
3 *Confirmans rem facit suam.*
4 *Eliguntur sine limitatione temporis*
5 *Gratia facta non expirat morte concedentis.*
6 *Tribus qualitatib. debēt esse ornati.*
7 *Iurisperiti nomine venit hic etiam Theologus.*
8 *Consultorum quatuor Theologi, Canonistæ, & Legistæ.*
9 *Pater, & Filius simul consultores; non tamen votum simul dant.*
10 *Vota sunt consultiua tantùm.*
11 *Decidere est actus Iurisdictionis.*
12 *Omissio consilij non irritat acta.*
13 *Forma data habenti iam potestatē non est substantia, sed monitio.*
14 *Vocantur ad congregationem, & Abiurationem.*
15 *Impeditus non mittit suum votum.*
16 *Præcedunt se inuicem respectu ingressus.*
17 *Honorandus est magis, qui plus laborauit.*
18 *Obligantur ad secretum.*
19 *Loqui tamen possunt inter se.*
20 *Priuilegia Consultorum referuntur.*
21 *Potest esse Aduocatus.*

Vsque hùc laboraui pro Consultoribus; æquum est, vt aliquid dicamus de ipsis. Eorum autem institutio procedit à Iure 1 vt constat ex cap. *Vt commissi 17. de Hæret. in 6.* illis verbis: *Aduocandi quoq; prout expedierit periti quilibet, vt vobis assistant, & in huiusmodi ferendis Sententijs præbeant Consilium opportunum. Ac eis quòd super his vobis humiliter pareant in virtute obedientiæ iniungendum.* De eisdem sermo habetur in cap. fin. his verbis: *Nihilominus siue Episcopus siue Inquisitores processerint, aliquib. alijs personis prouidis & honestis, Iurisq; peritis, quas ad hoc vocari, & eis per totum* Processum, *super quo deliberandum est, seriosè manifestari, ac integraliter explicari, & de ipsorum consilio ad sententiam &c.* Super his formabo sequentes quæstiones cum suis responsionibus.

Quæritur 1. A quibus eliguntur Consultores?

℞. Quamuis ex allatis verbis dicti cap. 2 fin. Id munus spectet ad Episcopum, & Inquisitorē; tamen consuetudo obtinuit multis in locis, de qua hîc Parmæ de me testor electo à solo Inquisitore tunc nómine Thoma Petrobello de Camurano S.T. Lectore, die 24. Octobris 1637. Mediolani, & Cremonæ Inquisitores nominant, & Cardinales eligunt, & confirmant, ac proinde ab Inquisitoribus remoueri non possunt sine beneplacito electorum; confirmans enim rem facit suam, *l. 1. C. de vet. iur. emul. cap.* Si *Apostolica 22. de præbend. in 6.* Testis est *Carena par. 1. tit. 8. num. 3. 4. & 5.* 3

Quæritur 2. An sint perpetui, ita quòd amotis eligentibus morte, vel ex aliâ causâ vlteriùs durent?

4 ℞. Sunt perpetui; creantur enim sine temporis limitatione, cum de Iure sint eligendi; eorum officium non expirat morte eligentis, est enim gratia facta, quæ non ex-
5 pirat morte concedentis, *cap. Relatum* 19. *cap. Gratum* 20. *de officio deleg.* A solo autem eorum creatore reuocari possunt; res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. de Regul. Dixi in Sacro Tribunali de ipsis cap. 38. q. 2.

Quæritur 3. Qualibus qualitatibus debent esse ornati Consultores eligendi?

6 R. Tres conditiones *ex cap. fin. cit. Prima* est honestas personæ, quæ scilicet sit zelator Fidei; ac proinde quòd nunquam fuerit in S. Officio indiciata, irreprehensibilis, bonæ famæ, & morum. *Secunda*, quod sit prudens, ne eius Consilium sit indiscretum; prudentia enim est recta ratio agibilium, ac proinde cum res huius generis aliter se habere possint, diligenter præmeditandum est, vt bonum votum detur. *Tertia*, quòd sit Iuris peritus, non dicit *Doctor*, quia sufficit scientia, sine hoc gradu, qui supponit
7 doctrinam. Nomine autem *Iuris periti* in cap. fin. & *Peritos quoslibet* in priori cap. venit doctus scientijs tùm Theologiæ, tùm Iuris canon. tû Iuris ciuilis. Ex Consultorib. enim quatuor ex Theologis, tot ex Canonistis, & Legistis assumuntur in cõsulendo in causis S. Officij, vt probata praxis seruat. De quibus
8 *Car. par. 1. tit. 8. n. 10.* Ratio huius diuersitatis ea est, quia occurrunt ferè semper dubia varia, modo ad Theologiam spectantia, modo ad Ius canonicum, & ciuile pertinentia; ideo adhibentur periti in singulis; magis enim creditur professori vnius Virtutis, quam alteri, qui in ea non est versatus, *l. Septimo* 12. *ff. de Statu hom.* Arnaldus Albert. *de agnosc catol instit.* Ioannes Alberghinus ex nostris in suo Manuali Qualificatorum, erat enim Panormi Qualificator *cap. 14. num. 2.*

Quæritur 4. An Pater, & Filius eodem tempore possint esse simul consultores?

9 ℞. Quamuis id nullibi prohibeatur; tamen non expedit; nec licet, & si admittantur, non tamen vocantur ambo ad eandem Congregationem, vt notat *Carena cit. num.* 32. ex ordine S. Congr. de qua latiùs dixi in Sacro Tribun. *cap. 38. q. 4.* vbi, quòd non est inconueniens, quòd duo Religiosi eiusdem Ordinis sint ambo Consultores, quia Religiosi vt plurimùm in actibus Virtutis ad inuicem pugnant.

Quæritur 5. An eorum vota sint non solùm consultiua, sed etiam decisiua?

10 ℞. Sunt solùm consultiua, vt colligitur ex allegatis capitibus, in quibus decernitur, quòd consilium dent, nihil dicendo de decisione, cum hæc spectet ad coniudices, qui solùm Iurisdictionem habent, decidere enim est actus Iurisdictionis, qua cõsultores carent
Est communis apud *Pegnam par. 3. com. 127.* 11
Bariola in Aphorismis V. Vota Consultorum, Diana par. 4. tract. 8 resol. 38. ex illis Carena par. 1. tit 8. num. 52. Salelles lib. 1. cap. 6. num. 19. & seq.

Quæritur 6. An ešto vota sint consultiua teneantur Inquisitores requirere consilium Consultorum, & sequi, aliter eorum acta sint inualida irrequisitis Consultoribus?

℞. Tenentur consilium petere, non tamen illud sequi, *cap. cum olim, 7. de arbitr.* 12
Et si non petatur; omissio non infringit, nec annullat acta per Iudices, quia non est de forma, cum illis à lege sit datum habentibus potestatem agendi, nam consilium tunc est de forma essentiali, cum datur simul cum potestate agendi, *Glos. V. Reperiuerint. Clem.* 13
Vn. de offic. deleg. Silu. V. Consilium num. 2. & 5. Item Glos. V. Nullatenus, Clem. de sequestr. dicens, actum non vitiari, quando omittitur forma à Iure præscripta habenti iam potestatem, *Rodriq. tom. 2. q. 35. art 2. Angelus v. Consilium num. 3.* Et ita docet *ex Diana par. 4 tract. 7. resol fin. vers. verum Carena par. 1. tit. 8 num. 55.*

Castropalaus *par. 1. tract. 4. disp. 8 p. 11. num 4.* dicit, omissionem Consilij inducere nullitatem, cum illud sit de formâ, nam *in cap. 18. & fin.* præcipitur, vt vocent Consultores; nec illa verba *Prout expedierit* inquit ille, restringuntur ad solam definitiuam sententiam, sed ad totam causam. Sed reuera eius ratio non vrget, cum de formâ negotij non sit consilium; sed solùm monitio ad rectiùs agendum. Et illa clausula *Prout expedierit* propriè refertur ad consilium, quod requirere debent, quando putauerint expedire, non est ergo de formâ; pro qua re vide etiam Salelles *lib. 1. cap. 6. à num. 18. ad 26.*

Quæritur 7. In quibus casibus, & articulis vocandi sint Consultores?

℞. Expedito Processu informatiuo, & etiam Reo examinato hic Parmæ transmittitur illis copia Processus, qui ab illis diligenter consideratur, & propositis dubijs ex Processu emergentibus respondent. Vocantur quoq. ad Sententiam, & Abiurationem, vt dicitur. Ita *Pegna par. 3. com. 27. Carena par. 3. tit. 11. num. 13. Sousa lib. 2 cap. 26. num. 16. Diana par. 4. tract. 7. resol. 38. Salelles lib. 2 cap. 7. num. 97.* Asserentes non esse necessarium petere consilium pro capturâ contra nonnullos. 14

Quæritur 8. An ægrotus, vel aliter impeditus possit, vel debeat transmittere suum votum ad Congregationem?

℞. Non tenetur, quia acta Congregationis 15

ibnis cuiuslibet debent expediri per omnes capitulariter, & in vnum congregatos. Quisq. autem votum suum proferre potest memoriter, vel legendo; sic ego facio hoc posteriori modo, magis enim legens explicat suum conceptum, quàm qui ore memoriter profert.

Quæritur 9. Qualis ordo sit seruandus in præcedendo, & consulendo?

16 ℞. Hic Parmæ attenditur tempus ingressus, & id est conforme Iuri communi *cap. 54. de reg. iur. in 6.* ratio enim dictat, vt ille
17 magis honoretur, qui plus alijs laborauit, dicitur enim, *l. Nemo, C. de offic. maior. offic.* Ille gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteire. Attenditur ergo antianitas temporis, reiectâ quauis dignitate, aut alia qualitate. Ad dexteram sedent Theologi, ad Sinistram Doctores vtriusq. Iuris. Dominicanus semper præcedit omnes, quia licet plures successiuè ingrediantur, tamen ingressi se habent per modum vnius ab origine S. Officij *Carena par. 1. tit. 8. num. 13 ex Gratiano cap. 845. num. 45.* refert, Romæ Consultores præcedere inter se in Congregatione S. Officij eo modò, quo præcedunt extra, nam Præceptor S. Spiritus in Capellâ Papæ præcedit Generalem Dominicanum, ac proinde inter eos idem seruandum est in Congregatione S. Officij, in qua ambo sunt consultores. Rem hanc fusè tractat Felix Contelorius Theologus, & Iurisconsultus Aduocatus in Romanâ Curiâ, fauore Generalis Dominicani. De Præcedentiâ Tractatum habeo impressum Parmæ, & Lugduni tom. 4.

Quæritur 10. Qualis obligatio indicitur Consultoribus de silentio seruando in causis S. Officij?

18 ℞. In cap. fin. datur facultas Inquisitoribus, & Episcopis indicendi silentium Consultoribus, his verbis: *Permittimus, quòd Episcopus, vel Inquisitores secretum possint indicere ilis, quibus, vt præmissum est processum huiusmodi explicabunt, & in eos, si arcana consilij, seu Processus sibi sub secreto ab eisdem Episcopo, vel Inquisitoribus patefacta præter eorum licentiam alijs patefecerint, excommunicationis sententiam, quam ex secreti violatione ipso facto incurrant, si eis expedire videbitur, promulgare.* Glos. V. Promulgare ibi dicit: *Vbi ergo non fiet talis promulgatio, licet indicatur secretum, reuelans excommunicatus non esset.* Quod idem colligitur ex casu Vers. *Sed ponamus.* Mihi tamen talis glossatio videtur contraria textui ibi: *ipso facto incurrant* si secretum indicant Consultoribus, nam patefacto secreto statim incurritur ab illis Excommunicatio, quando imposita fuit ipso Iure incurrenda, & verbum *promulgare* refertur ad eius declarationem, & tunc incipit esse reseruata promulgatori. Vide *Carenam par. 1. tit. 1. num. 60.* referens Doctores asserentes, Consultores inter se de ijs, quæ in congregatione pertractarunt, posse loqui quia amplius 19
non sunt secreta respectu illorum, alijs autem nihil patefacere possunt. Item factâ abiuratione publica, res de secreta fit publica, & sic secretum quoad hoc euanuit cum sua obligatione. Addo, quòd ante Congregationem Consultores inter se discurrere possunt circa consilium dandum in Congregatione. De his agit etiam Lupus Bergomensis in Edictum S. *Officij lib. 2. Dist. 1. art. 2. Diffic. 2. Vers. verum, fol. 2. & fol. 27. Dist. 3. Art. 1. & Diffic. 1. vers. Idem resoluitur.* Obseruo demum in eo *cap. fin. de haret. in 6.* nullam fieri mentionem de Iuramento, sed de sola Excommunicatione.

Quæritur 11. De priuilegijs Consultorum?

℞. Plura habent priuilegia. Primò ex 20
Bulla Vrbani IV. extensâ in Directorio *fol. 119. Vers. Socijs*, morientibus in prosecutione sui officij in causâ S. Officij indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur. *Secundò* ex Masinio fol. 11. Consultores lucrantur Indulgentiam plenariam in quolibet actu spectante ad causas Fidei ex concil. Lateranensi sub Innoc. III. *& ex Paulo V. in eius Breui dato 29. Iulij 1611. Tertiò*, In ijs, quæ spectant ad S. Officium, Consultores à nullo possunt impediri etiam suo Superiore, ne accedant ad Congregationem, ad Abiurationem &c. Et si religiosus Consultor est non solùm necessarius, sed etiam tantùm vtilis non potest remoueri à suo Superiore à loco, resistente Inquisitore, si tamen allegetur causa, non debet obstare Inquisitor, cui non desunt desiderantes tale officium. *Quartò*, habent priuilegium deferendi armi, vt dicit *Pegna par. 3. com. 105 Vers. Rursus.* Sed arma Consultorum sunt libri. Et in Bulla incip. *Exigit* extensa in *Direct fol. 63.* conceduntur arma familiaribus S. Officij qui scilicet sunt de familiâ quò ad exercitia seruilia ibi: *Extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continuè.* Consultores autem non sunt huius familiæ, quia non laborant seruiliter, sed tantùm intellectualiter, nihilominus ex vsu gestant arma. Nullo tamen modo licet Regularibus. *Quintò*, Canonici, & alij, dum sunt in Congregatione S. Officij, lucrantur distributiones, quæ solis interessentibus dantur, exclusis absentibus etiam causa infirmitatis. Ita responsum fuit pro Canonicis Cremonensibus *sub die 2. Ianuarij 1614. & die 17. Ianuarij 1619. Carena par. 1. tit. 8. num. 67.*

Quæritur 12. An Consultor, idem de Qualificatore, possit esse Aduocatus Rei in

in S. Officio?

21 ℞. Affirmatiuè hoc de Consultore sect. 77. q. 9. Vers. Tertium. Et idem dici potest de Qualificatore; intellige si Doctor sit etiam utriusq; Iuris, quia officium Aduocatus talem gradum exigit.

SECTIO LXXX.

De Qualificatoribus S. Officij.

SVMMARIVM.

1 *Qualificator speculatur praescindendo à Reo, Consultor ab eo non praescindit.*
2 *Theologi solùm qualificant.*
3 *Inquisitores Dominicani, & Franciscani sunt Theologi.*
4 *Eliguntur sicut Consultores.*
5 *Eisdem qualitatibus debent esse ornati.*
6 *Maior est Consultor, quàm Qualificator non. Datur ei praeceptum de secreto, nisi sit simul Consultor.*
7 *Gaudet priuilegijs Consultorum.*

1 Reliquum est, vt opus nostrum absoluamus cum Qualificatoribus, quorum munus valdè differt ab officio Consultorum, nam isti consulunt in causa speciali huius, vel illius Rei, an sit Haereticus, vel solùm suspectus ex tali dicto, vel facto; Qualificator verò propositiones sibi propositas considerat, an sint haereticae, suspectae de fide, temerariae, an scandalosae &c. praescindendo à personà, quae eas protulit, si ergo speculatiuo modo procedit, vt ita loquar, Consultor verò practico modo. Ita *Salelles lib. 3. cap. 3. num. 21. ad 24.*

Quaeritur 1. Vbi non distinguuntur Congregationes Consultorum, & Qualificatorum, ad quos spectat qualificare.

2 ℞. Ad Theologos tantùm cùm Inquisitore, quia inuestigatio huius generis pendet à principijs Theologicis, ita *Royas par. 1. de haeret. num. 204. & num. 384. Delrius lib. 5. sect. 15. Axiom. 1.* Qui dicit, Inquisitores Theologos non cognoscere, an dictum, vel factum sapiat Haeresim, vel non, sed id spectare ad Theologos Qualificatores. Freitas verò melius dicit etiam ad Inquisitorem Theologum id spectare, *apud Dianam par. 4. tract. 8. resol. 84. Carena p. 1. tract. 8. num. 35.* dicit Consultores Theologos qualificare Propositiones cum Inquisitore Theologo, & hoc seruatur, vbi Inquisitores sunt Theologi apud Dominicanos, & Franciscanos, 3
qui semper sunt Theologi. In Hispanijs quia Inquisitores vt plurimùm sunt tantùm Iurisconsulti, ideo apud illos Congregationes aliae sunt Consultorum, aliae Qualificatorum. De quibus Salelles lib. 1. cap. 5. Reg. 39.

Quaeritur 2. A quibus instituendi sint isti Qualificatores, & quibus qualitatibus debeant esse praediti?

℞. Eliguntur ab ipsis Inquisitoribus, & 4
debent habere easdem qualitates, quibus praediti sunt Consultores, iuxta dicta praeced. sect. Omnes tamen debent esse Theologi graduati, vel professores eiusdem scientiae Theologicae. Quòd si idem sit etiam Iurisconsultus, non prohibetur assumi ad hoc munus, quia vnus gradus virtutis alium non excludit.

Quaeritur 3. Quis horum maior Consultor, an Qualificator?

℞. Consultor, quia ab officio Qualificatoris ascenditur ad gradum Consultoris. 5
Confirmatur, quia Consultor Theologus consulit, & qualificat, ergo amplioris honoris dignus est. Ita docet *Salelles lib. 1. cap. 5. num. 11.*

Quaeritur 4. An qualificatoribus detur iuramentum, vel sub censurà obligentur ad secretum.

℞. Negatiuè, quia cum casus speculatiuè 6
proponatur praescindendo à personà, quae illius est auctor, nulli praeiudicatur, licèt enim dicere, haec propositio est haeretica, sapit Haeresim, est scandalosa &c. Nihilominus si proponuntur cum nomine Auctoris, non licet manifestare, quod in Congregatione conclusum fuit. Consultores verò, qui & officium Qualificatoris agunt, in nostris partibus adstringuntur obligationi secreti.

Quaeritur 5. An gaudeant priuilegijs Consultorum?

℞. Affirmatiuè, laborant enim pro Fide, 7
& dicuntur familiares Inquisitoris, qui habet familiam armatam.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium.

Primus numerus indicat Sectionem; Secundus quandoque multiplex numerum marginalem.

A

Anima

Bulla

Comedere [illegible]

Con[illegible] probandum c. 443. n. 30.
Consuetudo quale indicium ad crimen probandum. c. 444. n. 34.
Consuetudinarius in blasphemando quis sit c. art. 350. n. 3[illegible].

D

Copula cum recitatione sacra an superstitiosa cart. 272 n. 5.
Crux quæcumque, siue signum crucis sunt res sacra. fol. 29. n. 29.

Dæmonis operationes variæ, et etiam seminales in creaturas...

E

Hære-

Habi-

Iacob

I

Ira

Inuocatio dæmonis etiam sine cultu ... n. 20.

Indicium mali ... 59. n. 36 ...
Infamia ... vid. Diffamatus ...
Impatientia an excuset blasphemos, 35. n. ...

Iuramentum generaliter præstitum videtur in quolibet articulo repetitum. Iuramentum per pudibunda Christi an hereticum ... 290. n. 5...

L

Lubri-
Libri retentio arguit eius usum. cart: 279. n. 26.

Liber qui sit. An differat ab uno, uel altero folio: cart: 395. n. 9.

Loquaces an ... 77. 41.

Q

Car. 7. n. 34. car. 431. su: sen. per totam.

Propositio iocosa hæresis. Vid. sup. in Indice verb. iocosa prolatio.

Quæstor. [illegible] diplom. [illegible] falso et ut [illegible] hebreus conuersus ad Fidem. Vid. Nicol. in Flosc. [illegible]: in sum. verb. quæstor. [illegible] et ut [illegible] S. Officij, modo ne [illegible] editis nouissime [illegible]. et extat apud aurram Inquisitionem [illegible] in [illegible] die [illegible] Nov. 22. 1707.

Sub-

FINIS.

DISCVRSVS
SVPER
CONCVRSVM,
ET EXAMEN CLERICORVM
AD
BENEFICIA VACANTIA,

Ad mentem Sacrosancti Concilij Tridentini
Cap. 18. sessionis 24. Bullæ 33. Pij V.

PER REVERENDISS. PATR.

F. FRANCISCVM
BORDONVM
PARMENSEM

Tertij Ordinis S. Francisci Professorem Iuris Canonici

ad publicam Lucem
productus.

PARMÆ, M. DC. XCIII.

Typis Ioseph ab Oleo, & Hyppoliti Rosati.

SVPERIORVM CONSENSV.

F. Franciſcus Hieronimus Fontius à Maſſa Tudertina S. T. D. Fratrum Tertij Ordinis S. Franciſci Regularis, Generalis, & Seruus. Opus inſcriptum *Diſcurſus ſuper concurſum, & examen Clericorum ad beneficia vacantia &c.* R. P. Magiſtri F. Franciſci Bordoni eiuſdem noſtri Ordinis allumni, recognitum in ordine ad impreſſionem, vt in vtilitatem publicam exeat, concedimus, quantum noſtra intereſt. Datum Parmæ die 8. Ianuarij 1668.

F. Franciſcus Hieronimus Generalis.

Approbatio.

Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Franciſci Bordoni Parmenſis
Tertij Ordinis Sancti Franciſci,
Verè Seraphici Patris Sapientiſſimi Filij,
Veri ſuæ Matris olim prudentiſſimi Patris,
Patriæ Decoris, Canoniſtarum Iubaris,
Etſi iam inuidæ Mortis falce reciſi
Suis tamen ſtudioſis in laboribus iugiter renaſcentis
Opus,
Cuius titulus
Diſcurſus ſuper concurſum, & examen Clericorum
ad beneficia vacantia &c.
Cui in lucem edendo, licet præmortui,
In ipſo tamen perenniter victuri
Ex commiſſione
Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Inquiſitoris
Attentè legi, accuratè perlegi.
In eo
Nihil, quod piorum aures offendere poſſit,
offendi.
Omnia Sac. Trid. Concilio conſona inſpexi.
Cuncta peroptanda
Super concurſum, & examen ad beneficia vacantia
Clara, ac breui methodo
Aduerti.
Quare
Vt tanti Viri in hoc opere poſthumo
Pariter Memoria viuat
Dignum, quod Typis mandetur,
Ac publicam in lucem prodeat, vt Epiſcopis, Examinatoribus,
Necnon Examinandis pro concurſu ad Beneſitia vacantia proſit,
Quantum mea intereſt, ſummopere adiudico.

Ego F. Hortenſius Maria de Moris Carmelita Congregationis Mantuæ Definitor, Sac. Theologiæ Magiſter, necnon Sanctiſſimæ Inquiſitionis Parmæ Conſultor.

Attenta ſupradicta atteſtatione
IMPRIMATVR.
Frater Ioannes Carolus Falconi Inquiſitor Generalis Sancti Officij Parmæ.
IMPRIMATVR.
Iulius dalla Roſa Vicarius Generalis.
Vidit Nicellus Præſes Cameræ.

INDEX CAPITVM

Huius Tractatus super concursum, & examen Clericorum ad Beneficia vacantia.



CAPVT PRIMVM DE EDICTO IN CONCVRSV

Ad Beneficia Vacantia.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius constituatur ab Episcopo Ecclesiæ vacanti.*
2 *Edictum proponatur intra decem dies à Scientia vacationis.*
3 *Descripti examinentur per tres ad minus coram Episcopo, vel Vicario.*
4 *Examinatores sex proponantur singulis annis in Synodo diæcesana.*
5 *Tres ex illis eligat Episcopus qui cum eo perficiant examen.*
6 *Sint Magistri, aut Doctores, seu Licentiati, Clerici seculares, vel regulares, Iurent se executuros fideliter officium suum.*
7 *Ne quicquam ante, nec post examen recipiant sub vitio Simoniæ.*
8 *Renuntient idoneos repertos.*
9 *Ex his Episcopus magis idoneum, cui det Ecclesiam, & non alij, eligat.*
10 *Episcopus instituat digniorem sibi presentatum à patrono iurispatronatus ecclesiastici.*
11 *Si ab alio institutio est facienda, tunc Episcopus eligat digniorem presentandum à patrono institutori.*
12 *In iure patronatu Laicali sufficit præsentare vnum ex approbatis.*
13 *Tantùm vni ex approbatis in dictis casibus detur Ecclesia.*
14 *Appellatio deuolutiua non negatur, sed tantum suspensiua.*
15 *Vicarius potest examinari, & obtinere Ecclesiam. Decretum irritans.*
16 *Forma præscripta præter examen non seruatur in exiguis, vel in discordijs.*
17 *Forma supradicta in Prouincialibus Synodis variari potest.*
18 *Summarium totius capitis Tridentini.*
19 *Concursus est conuocatio clericorum ad examen.*
20 *Episcopus, & Abbas habens ius congregandi Synodum, si actu aliàs congregauit & in eo deputauit examinatores potest proponere edictum concursus.*
21 *Abbas habens Synodum cum examinatoribus in eo nominatis potest edicere.*
22 *Guastallæ oppidum subditur in hoc Episcopo Parmensi.*
23 *Commendatarius habens Synodum edicit.*
24 *Episcopus edicit, si collator sit extraneus, etiam alter Episcopus.*
25 *Edictum, & examen sunt actus iudiciales.*
26 *Episcopus infra decendium proponit edictum.*
27 *Vltra 20. dies illud non prorogat ex Bulla Pij V.*
28 *Tempus id numeratur a die scientiæ excluso.*
29 *Dies termini non computantur in termino.*
30 *Tempus 20. dierum prorogari non potest.*
31 *Admittuntur tamen vltra id tempus probantes legitimum impedimentum.*
32 *Si vnicus tantum appareat, & probetur, illi confertur beneficium.*
33 *Tempus abbreuiari potest.*
34 *Contrarium ex contrario infertur.*
35 *Edictum affigitur sine lectione ad valuas Catedralis, & Ecclesiæ vacantis.*
36 *Edictum est de substantia concursus.*
37 *Prorogatum vltra 20. dies in totum est nullum.*
38 *Tridentinum, & Bulla Pij V. habens*

decretum irritans.

39 *Episcopo iure ordinario competit potestas proponendi concursum.*

40 *Forma substantia est expressa cum tempore.*

41 *Et quando habet adiectum decretum irritans.*

42 *Forma in dubio præsumitur substantialis.*

43 *Edictum est de forma substantiali concursus.*

44 *Clausula in fine posita refertur ad singula præcedentia.*

45 *Simonia est aliquid recipere in examine.*

46 *Deputatio Vicarij non est pars concursus.*

47 *Concursus componitur ex edicto, examine, & huius relatione.*

48 *Vtile per inutile non vitiatur, nisi habeat adiunctum decretum irritans.*

49 *Forma est de genere indiuisibilium sicut sunt numeri.*

50 *Admittitur post lapsum temporis contradictor ad examen si fuit impeditus.*

51 *Tempus non currit legitimè impedito.*

52 *Episcopus victnior est manutenendus in possessione Concursus.*

53 *Forma non seruata nihil fit, cum Trident. & Bulla habeant decretum irritant.*

54 *Edictum carens die nullum est.*

55 *In Synodo Prouinciali variari potest forma examinis.*

56 *Edictum nouum proponitur omnibus reprobatis.*

57 *Examen non potest euitari, licet quandoq. omittatur concursus.*

58 *Impedimentum non præstat, quod de iure non præstat impedimentum.*

59 *Electus, & prouisus statim moriens fauet sine concursu vni ex approbatis.*

60 *Statim moriens non videtur fuisse.*

DE concursu Clericorum ad beneficia vacantia verba facturus, qui præmissas Vicarij constitutiõe componitur ex Edicto conuocatorio Clericorum ad examen, & examine faciendo per examinatores Synodales ad minus tres coram Episcopo, seu eius Vicario Generali; duxi esse necessarium præmittere *cap.* 18. *sess.* 24. Tridentini tenoris sequentis.

1 Expedit maxime animarum saluti à dignis, atq. idoneis Parochis gubernari. Id vt diligentius, ac rectius perficiatur, Statuit S. Synodus, vt cum Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum, siue plures administretur; etiam in Ecclesijs patrimonialibus, seu Receptiuis nuncupatis, in quibus consueuit Episcopus, vni, vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocunq. contigerit; etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia reseruata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter etiam vigore indulti, seu priuilegij in fauorem S. R. E. Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum, debeat Episcopus statim habita notitia, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur.

Porro Episcopus, & qui iuspatronatus habet intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum idoneos aliquot clericos ad regendum Ecclesiam coram deputatis Examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam alijs, qui aliquos ad id aptos nouerint eorum nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo Prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire per edictum publicum vocentur, qui volent examinari. 2

Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, siue eo impedito ab eius Vicario Generali, atq. ab alijs Examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. 3

Examinatores autem singulis annis in diæcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. 4

Adueniente autem vacatione cuiuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeq. succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis sex eligat. 5

Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; iurentq. omnes ad Sancta Dei Euangelia, se quacunq. humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caueantq. ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alij dantes incurrant, à qua absolui nequeant, 6 7

nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocunq. etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Prouinciali, si opus fuerit, rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.

8 Peracto deinde examine, renuntientur quotcumq. ab his idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, & doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam oportunis.

9 Exhisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atq. illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

10 Si vero Iuspatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur.

11 Cum verò institutio ab alio, quam Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat.

12 Quod si iuspatronatus Laicorum fuerit, debeat, qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

13 In omnibusq. supradictis casibus, non cuiquam alteri, quam vni ex prædictis examinatis & ab Examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam, de Ecclesia prouideatur.

14 Nec prædictorum Examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, vlla deuolutio, aut appellatio etiam ad sedem Apostolicam, seu eiusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, aut Patriarchas, interposita impediat, aut suspendat.

15 Alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputauit, vel forsan postea deputabit ab eius Ecclesiæ custodia, & administratione non amoueatur, donec vel eidem, vel alteri, qui probatus, & electus fuerit, vt supra, sit prouisum. Alias prouisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, priuilegijs, præuentionibus, affectionibus, nouis prouisionibus, indultis concessis quibuscunq. Vniuersitatibus, etiam ad certam summam, & alijs impedimentis quibuscunque.

16 Si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, vt totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere; aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile grauiores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, priuatum aliud examen, cæteris tamen, vt supra, seruatis adhibere.

Licebit etiam Synodo Prouinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendaue esse censuerit, prouidere. 17

Summarium huius capitis est hoc. Cuicunque Ecclesiæ Parochiali Episcopus dat Vicarium, quousque ei vacanti prouideatur de Rectore, *sub num.* 1. Qui Episcopus intra decendium à vacatione debet publicare suo edicto concursum, vt deferibantur qui volunt examinari, prius ab eo inquirendi de vita, ætate, & moribus, *sub num.* 2. Examinandi postmodum coram Episcopo à tribus ad minus Examinatoribus synodalibus, quorum votis paribus, vel singularibus Episcopus accedere potest, *sub num.* 3. Sex Examinatores ad minus singulis annis eligantur in synodo diæcesana, *sub num.* 4. Eos variet Episcopus in vacatione Ecclesiæ, *sub num.* 5. Omnes ecclesiastici docti, etiam non graduati possunt eligi in Examinatores, *sub num.* 6. Examinatores aliquid recipientes, & dantes sunt Simoniaci, cum amissione beneficiorum, & inhabilitantur ad ea, *sub num.* 7. Debent renuntiare Episcopo quos habiles, & idoneos inuenerint, *sub num.* 8. Episcopus eligat magis idoneum, & ei conferat beneficium, *sub num.* 9. Approbatus pro iurepatronatus à patrono præsentetur à patrono Episcopo, vt ei conferat beneficium, *sub num.* 10. Si verò conferendum sit ab alio, Episcopus tunc eligat digniorem ex approbatis, *sub num.* 11. Admittatur verò solum idoneus in iurepatronatus laicorum, *sub num.* 12. Non nisi approbatis conferuntur beneficia, *sub num.* 13. Appellatio tantum deuolutiua permittitur à relatione Examinatorum, *sub num.* 14. Quæ proinde non potest impedire executionem prouisionis Ecclesiæ, alias omnia secuta sunt attentata, *sub num.* 15. Si beneficium est exiguum, vel de rixis dubitatur non seruatur hæc forma, præter examen, *sub num.* 16. Demum in Synodo Prouinciali examinationis forma supradicta alterari potest, *sub num.* 17. Pro cuius intelligentia nonnullæ quæstiones proponendæ resoluendæ sunt. 18

Quæres igitur primo, quid sit concursus.

℞. Concursus est conuocatio Clericorum iudicialiter facta descriptorum in actis super eorum vita, natalibus, & moribus, in ordine ad eorum examen coram Episcopo, seu Vicario Generali faciendum per 19

Examinatores ad minus tres synodales ad effectum prouidendi Ecclesiæ vacanti de Rectore. Hæc definitio colligitur ex serie capitis 18. Sess. 24. Tridentini extenso hic, & restricto in Summario.

Quæres 2. Ad quem spectat facere, & publicare edictum Ecclesiarum vacantium?

20 ℞. Non solum Episcopus, sed etiam Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem; & ius congregandi synodum, & eam cum effectu congregasse, & in illa examinatores elegisse, possunt facere, & publicare edictum pro examine ad formam huius capitis. De Episcopo nulla est difficultas, cum expresse nominetur ibidem *sub num.* 2. Quo nomine venit etiam quilibet Abbas habens prædicta requisita, nam in tantum Episcopus id facere potest in quantum habet iurisdictionem super populum sibi commissum, tam ecclesiasticum, quam secularem, pro cuius gubernatione congregare potest Synodum, & de facto congregauit aliquando cum immediata subiect one Sedi Apostolicæ. Ita omnes cum *Riccio part. 4. resol. 76. Paris. de Resign. lib. 8. q. 9. num.* 58. *Tambur. de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 9 *q.* 20. *num.* 1 *&* 2. *Barb. ad hoc cap. num.* 45. *& de Parocho part.* 1. *cap.* 2. *num.* 38. Vbi nonnullas refert declarationes Sacræ Congregationis. Quid capitulum Sede vacante. Vide cap. 3. q. 9.

Quæres 3. An Abbas, vel alius Prælatus habens ius conferendi beneficium possit facere, & publicare edictum ad concursum?

21 ℞. Negatiuè ex hoc, si non habet ius celebrandi synodum, nec aliquando illud celebrauit ex mox dictis, sed id spectat ad Episcopum, in cuius diæcesi est Abbas, vt respondit S. Congregatio Episcopo Parmensi 1630. 17. Augusti, in cuius diæcesi

22 est Oppidum Guastallæ Nullius, vt refert Barb. ad hoc cap. 18. Tridentini, de Offic. Parochi part. 1. cap. 2. num. 39. his verbis: *Vt si pro concursu, qui in vacationibus Parochialium fieri solet coram Episcopo viciniori occasione pestis ciuitas illius sit bannita, & aditus præclusus ad eundem ordinarium viciniorem, facultas daretur inferiori prorogandi tempus concurrentium, & quod interim prouideretur de œconomis, & Vicarijs idoneis.*

Quæres 4. An Commendatarius Abbatiæ possit proponere edictum, & facere concursum?

23 ℞. Posse, si habet ius celebrandi Synodum, & eligendi in eo Examinatores Synodales, iuxta dicta sub q. 2. Ita *Garz. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 136. *Tambur. tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 20. *num.* 1. *ex illis Barbosa hic num.* 46. *Ioan. Franc. Leo in foro Thesauri Eccles. par.* 2. *cap.* 3. *num.* 53. Certum ergo est ex dictis, nullum Abbatem, nullum Prælatum, esto habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & Nullius, sit posse instituere concursum, & examinare, nisi possit celebrare, & celebrauerit Synodum cum electione Examinatorum, & in hoc omnes conueniunt ex citatis Doctoribus.

Quæres 5. A quonam proponendum est Edictum, & faciendum examen, quando beneficium est in diæcesi e. g. Parmensi, & beneficij collatio facienda est ab Episcopo Burgensi, vel Regiensi?

℞. A' solo Episcopo Parmensi, in cuius 24
ciuitate, vel diæcesi situm est beneficium, & electio de digniori transmittenda est ad Episcopum collatorem, qui beneficium conferat. Primum patet, quia cum edictum, & examen sint actus iudiciales, expediendi sunt ab Episcopo, qui sub sua iurisdictione habet Ecclesiam vacantem. Ita *Gonzal. ad* 25
Reg. 8 *Cancell. Glos.* 10. *num.* 31. *ex eo Barbosa ad hoc cap. num.* 52. *&* 65. *de Parocho par.* 1. *cap.* 2. *num.* 41. *& Allegat.* 60. *num.* 44. Secundum suadetur, quia collator cum explorationem non fecerit de vita, & moribus examinandorum, nec interfuerit examini, ratio dictat, vt debeat stare electioni Episcopi proponentis edictum, qui & cognouit digniorem vti suum Subditum.

Quæres 6. Intra quod tempus affigendum sit edictum concursus, & in quo loco?

℞. Episcopus habet tempus affigendi edi- 26
ctum intra viginti dies numerandos exclusiuè à die scientiæ obitus Rectoris, & vlterius illud prorogare non potest, vnde si nullus compareat, potest prouidere de idoneo Clerico Ecclesiæ; & si edictum claudat intra decendium, & vnicus Clericus compareat repertus idoneus debet illi conferre beneficium, ita quod primum edictum non tenetur prorogare vltra propositum decendium; & hoc tempus decendij potest limitare, modo hoc tempus non sit ita breuius, vt sit insufficiens ad notitiam Clericorum, qui desiderant concurrere. Edictum autem affigendum est ad valuas Catedralis, & Ecclesiæ vacantis.

Prima pars, de viginti diebus intra quos 27
affigendum est edictum, patet ex Tridentino, & Bulla Pij V. incip. In Conferendis 33. sub § 6. Tridentinum inquit: Intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum. Tempus aliud ab Episcopo præfigendum à Tridentino relictum indeterminatum à Pio V. determinatur his verbis: Prohibentes etiam eisdem Ordinarijs, nè tempus decem dierum eisdem Ordinarijs, & Patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis examinatoribus vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Clarè ergo patet tempus edicti Claudi intra viginti dies, & non posse vlte-

vlterius prorogari. Ita omnes *Massobr. Requis. 2. dub. 9. Garz. p. 9. cap. 2. num. 51. Barb. de Parocho part. 1. cap. 2. num. 40. Alleg. 60 num. 45. & ad hoc cap. num. 56. Ioan. Franc. de Leone in suo Thesauro fori Eccles. par. 2. cap. 3. num. 29. Ioannes Carolus Antonellus de Regim. Eccl. Episcop. lib. 3. cap. 5. num. 8. Castropal. p. 2. tract. 13. disp. 3. p. 2. §. 1. num. 6. Vers. Hæc per edictum. Illuminatus Moronus Resp. 97. num. 12.*

28 Secunda pars, quod id tempus numerandum sit à die scientiæ, non obitus ignorati, deducitur ab illis verbis: Habita notitia vacationis Ecclesiæ, quæ habentur sub num. 3. supra initio huius capitis, & docent omnes supra allegati. Dixi exclusiuè à die scientiæ, ita quod dies numerandi sunt incohando à sequenti die quia dies termini non computantur in termino, *l. Vbi*
29 *102. ff. de regul. iur. Gratian. Reg. 133. Duenas reg. 196. Tusch. v. Dies concl. 409.* Et licet *in cap. Statutum 3. de Prabend. in 6.* dicatur, quod si Papa beneficia vacantia in curia sua non conferat infra mensem à die vacationis, illi ad quos collatio pertinebat, poterunt illa conferre, ac proinde textus præscribat tempus illius mensis esse numerandum à die vacationis, non à notitia vacationis, non tamen sequitur in nostro casu dies proponendi Edictum, esse numerandos à die vacationis, cum textus Concilij satis clarus sit supra relatus. Itaque in numeratione non est includendus dies vacationis, nec dies scientiæ, vt expresse docet etiam *Glos. V. Numerandum dicti cap. 3. de Prabend.* quod procedit non solum respectu collationis præfatæ, sed etiam respectu edicti affigendi, dictio enim Apponitur exclusiuè, vt communiter docent ferè omnes apud Barbosam Dict. hac num. 5.

30 Tertia pars, quod edictum vltra 20. dies non possit prorogari, etiamsi vnicus solum compareat Clericus ad examen, patet ex illo verbo Prohibentes Pij V. qui Concilij tempus datum sine termino determinauit, non debet ergo vlterius prorogare edictum, sed Clerico examinato, & idoneo reperto conferre beneficium. Ita omnes *cum Garz. num. 218. Vgol. de potest. Episc. cap. 50. §. 10. num 4. Barbosa ad Concil. num. 68. & 76. Alleg. 60. num. 51. Castropal. num. 8. Moron., num. 13. de Leone num. 55. Antonellus num. 13.* Quod si descripti sint impediti, & legitimam excusationem produxerint co-
31 ram Episcopo expectandi sunt ad examen, alias non, cum enim iam edocti sint de præfixo die examinis, si non comparent, censentur renunciasse examini. De dicta expectatione *Massobr. Requis. 2. dub. 9. Garz. par. 9. cap. 2. num 50. Barb. ad Concil. num. 68. de Leone num. 55. & 56. Quarenta V. Benef. Paroch. collat. Vers. Deniq; quæritur, Antonel. num. 13.* Immo si intra tempus præfixum nullus compareat, pote-
rit prouidere de Clerico idoneo reperto per 32
suos Examinatores Synodales ad se vocatione edicto, quia non tenetur ad nouum edictum, cum egerit quicquid illi imposuit Tridentinum, & id colligitur ex Tridentino hisce extremis verbis: Aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, faciles grauiores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum Consilio, ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, priuatum aliud examen, cæteris tamen, vt supra seruatis adhibere. Si nullus comparet, signum est, quod timet discordias, rixas, & tumultus, ideo in hoc potest Episcopus sine alio edicto seruata forma examinis per Synodales tres prouidere Ecclesiæ vacanti. Hac forma omissa .i. Edicto, si post illius publicationem examinati nonnulli fuerunt, & omnes reprobati fuerunt, & occasione appellationis interpositæ timeantur dissidia, & tumultus potest Episcopus alium Clericum priuatim vocare, & exponere solum examini, & conferre illi beneficium, si repertus sit idoneus talis enim appellatio non impedit prouisionem Ecclesiæ cum sit tantum deuolutiua, & non prosit ad consequendum beneficium, *Castropal. par. 2. tract. 13. disp. 3. p. 2. § 6. num. 6. & 7.* De collatione beneficij Parochialis in hoc casu sine concursu, Barb. ad hoc cap. citat Doctores num. 70.

Quarta pars, quod decendium possit ab- 33
breuiari, probatur, quia sicut potest prorogari de decendio in decendium, vt patet ex parte prima, ita & abbreuiari, contrarium enim ex contrario infertur, *Cap. Hospitio-* 34
lum 16. dist. 32. & contrariorum eadem est disciplina, *Arist. 1. Topic & lib. 4. Ethic. cap. 1. Instit. De ijs qui sunt sui, vel al. & l. 1. ff. tit. eod.* Et ita docet *Castropal p. 2. §. 1. num. 6. Vers. Hæc per edictum, ex eo Moronus Resp. 97. num. 15.*

Quinta pars de affixione ad valuas Ca- 35
tedralis, & Ecclesiæ vacantis, habetur per *Moronum resp. 97. num. 8.* in quibus locis debet manere fixum per illud decendium *Barb. ad Concil. num. 55 & Allegat. 60. num. 45.* Intellige, quantum est ex parte officialium Episcopi, si enim laceretur, nihil hoc operatur contra concursum, nec prouisionem Ecclesiæ, aliorum enim malitia, & infirmitas nocere non debet actibus legitimis. Non est opus illud legere, sed sufficit affigere, per quod manifestatur, & notificatur legentibus. Ita *Massobr. Requis. 2. dub. 7. Garz. part. 9. cap. 2. num. 42. & 4. Barb. ad Concil. num. 55. & Alleg. 60. num. 45.*

Quæres

Quæres 7. An edictum sit de substantia, & natura concursus, itaut gesta sine præmisso edicto nullius sint roboris,& momenti?

36 ℞ Stando in rigore iuris Tridentini sufficit nominatio examinandorum sine edicto formali, quod relinquitur arbitrio Episcopi, vt claris verbis exprimitur ibidem, quæ verba sunt hæc: Et si Episcopo, aut Synodo Prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum publicum vocentur, qui volent examinari. Sufficit ergo verbalis vocatio, dum edictalis est arbitraria Episcopo. Et ita docent *Nauar.consil.* 4. *de Prabend.Vgolin. de Officio Episc.cap.*50. §.4.*num* 3 *Garz. part.* 9.*cap.* 2.*num* 36 *quos pro se citat Castrop. p.* 2. §.1. *num.*6.*Moron.Resp.*97.*num.*9.

Contraria opinio, quæ practicatur, est communior, quam sequitur *Barb. ad Tridentinum num. 66. & Allegat.* 60. *num.* 43. *citans Doctores*, quæ magis mihi placet ad praxim ad euitandas fraudes,& personarum acceptionem, vocarentur enim amici, alijs relictis,& præterea ignoraretur decendium currentis concursus.

Quæres 8. An edictum sit vitiosum,& nullū,quando prorogatur vltra dies vigint.?

37 ℞ Est nullum, quia caret debita forma, quæ constituitur ex diebus viginti intra & non vltra, est enim certum, quod res sine sua forma existere non potest, cum ab ea recipiat esse non solùm in naturalibus, sed etiam in moralibus, ex allegatis à Barb. Axiom. 100. Illud autem edictum de viginti, seu de decendio est formam continens substantialem non excedentem numerum vicenarium, cum ex ea pendeat valor actuum subsequentium, vt dicitur in Tridentino ibi: Aliàs prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam fac-
38 tæ subreptitiæ esse censeantur. Et in Bulla Pij V. in qua tempus edictu prohibetur differri vltra viginti dies, in fine apponitur decretum irritans his verbis: Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus.

Quare sicut effectus validus arguit causam, à qua dependet, fuisse validam; ita è contra effectus nullus arguit causam fuisse nullam; sed prouisio & institutio facta secundum formam Tridentini, seu Pij V. respectu edicti vti valida arguit formam edicti esse iustam, & validam, ergo facta institutio, seu prouisio contra formam prædictam arguit nullitatem formæ non seruatæ in numero vicenarium excedente. Ita *Garzias part.*9.*cap.*2.*num.*49.*Barb.Allegat.* 60 *num* 45. *ex Seraph. decis.* 1148. *num.* 4. *Loter.lib.* 2.*quæst.* 31.*num.* 41.

Contrarium tenet *Castropal. p.* 2. §. 1. *num.* 9. *Vers. Cæterum*, nimirum valere edictum in se, & eius prorogationem. Probat quia competit Episcopo iure ordinario 39
proponere edictum, & vocare ad examen, sed modus præscriptus, quo debet vti habens iam facultatem, non tollit facultatem, sed designat vsum, vt probauit de legib. *disp.*2.*p.*9. Ergo Tridentinum designando tempus edicti non abstulit facultatem in Episcopo. Confirmat, quia verbo *Prohibentes* Pius V. non adiunxit verbum *Annullantes*, vel *Irritantes*. Nec obstat Tridentinum.& Pius annullantes prouisiones factas contra formam, nam esse edictum indebite extensum non tollit formam ibidem in prouisionibus præscriptam; hæc enim solum est vt fiant prouisiones præcedente edicto, seu Episcopi nominatione. Quod autem edictum indebite extendat, non ad formam prouisionis pertinet sicuti non pertinet ad formam prouisionis, quod examinatores Synodales occasione examinis aliquid recipiant contra prohibitionem ibidem factam, vel quod Episcopus vacante Ecclesia Vicarium non designauerit. Addit *Garziam num.*206. censere, opponentem se post terminum edict., antequam examen peractum sit, esse legitimum oppositorem,ergo signum est edicti prorogatione oppositione non vitiari. Ita Castropalaus, pro cuius comprobatione addi potest illud commune axioma, quod vtile non vitiatur per inutile, ac proinde valere edictum vsq. ad diem vigesimum inclusiue.

Contra, quia in sententia omnium certum est, formam substantialem induci per 40
præfixionem temporis, *Iason consil.* 191. *num.* 6. *Farinac. in fragm. vers. Forma*, & *Tuscus eod. V. ex illis Riccius part.*3.*dec.*68. *Barb. Axiom.* 100 *num. vers. Quarto Sanch. lib.*5.*cap.*4 *num.*32.*alijs citatis*. Item etiam formæ adijcitur decretum irritans, *Sanch.* 41
*lib.*3.*disp.*17.*num.*4.*Rota part.* 2. *decis.* 225. *num.* 5. *Sperellus decis.* 161. *vbi plures citat num.* 13. Notum autem est præfatam formam consistere in tempore, & illi esse adiectum decretum irritans, ergo est substantialis, ergo non seruata per adiectionem dierum nulla est, & quæ ex ea dependent; & ita id verum est, vt etiam in dubio, quod hinc abest, forma præsumatur substantialis, idem Sperellus *decis.*162. *num.*38. *alijs cita-* 42
tis, Barb. dicto Axiom. 100.*n.* 1. fine Nec à prædictis recedit ipse *Castropal. part.* 1. *tract.*3.*disp.*2.*spuncto* 9. *num.* 2. *ibi quoties lex dicit, hoc esse seruandum pro forma*, quia tunc forma est substantia, & num. 9. ait in dubio præsumi substantialem; in Tridentino autem dicuntur prouisiones factæ esse subreptitiæ, si sint factæ Præter supradictam formam, ergo ibi nomen formæ sumitur in famosiori significato. Et ex his patet ad rationes Castropalai,

Ad

43 Ad eius ergo argumentum respondetur, esto iure ordinario Episcopus proponat edictum, tempus tamen præscriptum à Tridentino modus non est, sed forma substantialis, ex cuius non obseruatione deficit potestas in agente, quia tollitur quotiescunq. ei adiungitur decretum irritans, esto potestas competat iure ordinario, vt multis citatis docet *Rota par. 4. tom. 3. dec. 574. num. 53.*

Ad confirmationem patet Pium V. addidisse decretum irritans his verbis: Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit irritum decernimus. Verbo igitur Prohibentes adiunxit decretum, licet in eadem clausula non exprimatur, sed in fine Bullæ, clausula enim in fine posita refertur ad omnia præcedentia, ac si in illis
44 fuisset expressa, *l. Plures 30. ff. de reb. dub. cap. Inquisitioni 71. de appellat. & cap. Secundo 41. eod. Rodriq. tom. 1. q. 21. art. 10. fine Sanch. lib. 6. disp. 22. num. 19. Vers. Ad confirmationem*. Decretum ergo afficit etiam Edictum, vt nullum sit, quando non est conforme Bullæ Pij V. Edictum ergo pertinet ad formam prouisionis in eo, quod prouisio dicitur attentata si edictum caret sua forma vicenarij vltra prorogatum.

45 Quod addit de prohibitione facta examinatoribus non recipiendi, quicquam pro examine, falsum est, non pertinere ad formam, cum ibidem hæc prohibitio duobus decretis solidetur, primo illo communi, ibi: præter supradictam formam, deinde ibidem vbi exprimitur prohibitio Simoniæ, iuxta quod dico infra *cap. 4. q. 16.*

46 Quod præterea ait, quod deputatio Vicarij non pertineat ad formam prouisionis, id verum est, quia prouisio Vicarij respicit bonum commune Parochianorum, qui sine ministro esse non possunt; cætera vero vt edictum, concursus, examen, & electio approbati referuntur ad Clericos aspirantes ad beneficium, cum ergo finis Vicarij, & Clericorum sit diuersus, non bene infertur prouisionem Vicarij esse de forma prouisionis beneficij, sicut cætera prædicta.

47 Quatuor ergo sunt de forma prouisionis beneficij, edictum concursus, examen cum approbatione factum coram Episcopo, & examinatoribus Synodalibus, & demum electio vnius ex approbatis dignioris respectu beneficij Parochialis liberi, aut Patronalis ecclesiastici, nam laicale, seu mixtum requirit vnum approbatum dignum tamen, vt patet ex Tridentino. Et infra dicetur latius suis locis.

Nec obstat, quod ex Garz. refert, posse quem se opponere post terminum edicti, nondum peracto examine vt dicam. q. seq. ex hoc enim non potest inferri licitam esse prorogationem edicti, quia oppositio non dependet ab edicto, nec edictum ab ea recipit suum valorem, cum ea non pertineat ad concursum, cum possit perfici sine oppositione examen.

Demum illud axioma: Vtile per inutile non vitiatur Reg. 37. in 6. Non habet locum quando inducitur aliquid pro forma, *Castellinus de elect. cap. 4. num. 17. Glos. V. aliquid cap. Pura 17. 3. q. 10. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 21. num. 130. Barb. ad cap. 42. de elect. num. 15. Vers. Nec etiam*, occasione trium Scrutatorum, quorum numerus excedi non potest, quoniam cum is numerus sit de forma substantiali, non cadit diuisio, nec auctio, & excessus, forma enim est indiuisibilis, *ex allegatis à Barb. Axiom. 100. num. 14.* vnde *Arist. 8. Metaph. tex. 10. & cum eo Scotus in 1. dist. 17. q. 5. Vers. Quinto*, dicunt, formas esse sicut numeros, qui sunt indiuisibiles. Quare ad rem nostram, vnus, vel alter dies adiunctus edicto concursus ipsum concursum, & edictum vitiat. 48 49

Quæres 9. An admitti possit contradictor elapso edicti termino?

℞ Affirmatiue, quando post elapsum tempus petens describi, & examinari cum alijs, probat se fuisse legitime impeditum intra tempus currentis edicti dummodo res sit integra idest, nondum cæptũ examen est enim illud commune axioma, quod tempus non currit legitime impedito, *cap. quam sit 6. cap. commiss. 35. de elect. in 6. cap. Licet. 3. de suppiend. negl. cap. quia diuersitatem 6. de concess. præbend. Quar. V. Benefic. resign. in addit. vers. Tertio*. Et in nostris terminis Rota quam extendit *Barb. part. 1. de Parocho cap. 2. num. 44. vbi num. 45.* refert Responsum Sacræ Congr. sub die 7. Iulij 1625. non esse audiendum, qui potuit infra terminum deferre nomen suum, & *Allegat. 60. num. 46. Riccius part. 3. resol. 522. Gonzal. glos. 9. §. 1. num. 115. Antonel. lib. 3. cap. 5. num. 9. Castropal. p. 2. §. 2. num. 2.* Interest enim Ecclesiæ, vt plures concurrant ad examen; nec Tridentinum id prohibet, sed solum dicit, quod transacto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur, non prohibendo descriptionem post lapsum tempus, sed solum post cæptum examen, vt insinuat Rota, & Sacra Congregatio supracitata. 50 51

Quæres 10. An Episcopus vicinior manutenendus sit in possessione concursus ad beneficia vacantia dum Abbas prætendit id facere vt habens iura Episcopalia?

℞ Affirmatiue, vt respondit S. Congr. sub die 2. Decembris 1628. his verbis: Censuit Episcopum Forosempronienſem vti viciniorem manutenendum esse in sua quasi possessione concursus instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium della Rauignana, Iuris præeligendi magis idoneos 52

ex

ex approbatis in eisdem Concursibus, donec Abbas Classensis legitime probauerit habere ius Congregandi Synodum, aliasque coegisse, & in ea examinatores ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini *cap.* 18. *sess.* 24. deputasse. Referente *Barb. cap.* 2. *de Parocho num.* 29.

Quæres 11. An non seruata Tridentini forma dicto cap. 18. inde secuta sint nulla, & irrita?

53 ℞ Nulla sunt, vt ibidem expresse dicitur his verbis: Prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeātur. Et in Bulla Pij V. incip. in conferendis 33. idem statuitur his verbis: Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, & attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane. Et ita docent omnes *cum Fusco de Visitat. lib.* 2. *cap.* 5. *nu.* 10. *Paris lib.* 8. *de Resign. q* 9. *num.* 83. *Garz. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 102. *cum his Barb. Alleg.* 60. *num.* 13. Forma autem consistit in edicto publicando, in examine faciendo coram Episcopo, vel eius Vicario per examinatores tres Synodales.

Quæres 12 Si edictum careat die certo suæ affixionis numquid valeat?

54 ℞ Negatiue, quia defectu diei ignoratur an fuerit propositum ad formam Tridentini requirentis, vt intra decendium à die scientiæ vacationis Ecclesiæ; vnde & præsumitur dies relictus in fraudem eorum qui potuissent subscribere, & concurrere. Ita *Massobr. Requis.* 3. *dub.* 10. *Antonel. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 11.

Quæres 13 An supradicta forma examinis possit variari in Synodo?

55 ℞ Negatiue, sed solum in Synodo Prouinciali, vt extremis verbis Tridentinum concedit, quæ sunt hæc: Licebit etiam Synodo Prouinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendaue esse censuerit, prouidere. Quare Edictum manere debet in suo robore, sicut & deputatio Vicarij.

Quæres 14 Quid agendum, quando omnes descripti in examine sunt reprobati, numquid potest Episcopus nouum proponere edictum, & denuo examinare? De hoc enim dubitatur, quia vt dictum fuit sub q. 8. edictum non potest prorogari vltra viginti dies.

56 ℞ Nouum edictum Episcopus non solum proponere potest, sed debet, hoc enim non est antiquum prorogare, sed nouum proponere ex necessitate, vt per concursum ineuitabilem prouideatur Ecclesiæ vacanti ad formam Concilij. Confirmatur id, quia quando nullus comparuit, vel qui comparauerunt virtute primi Edicti, sed noluerunt se subijcere examini, potest Episcopus alterum proponere edictum & si nullus compareat, potest tunc Parochia conferri sine concursu, vt docent *Massobrius Requis.* 3. *dub.* 9 *Filiuc. tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 152. *Garz. cap.* 2. *num.* 218. *apud Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 51. *ad Concilium num.* 70. Non tamen omitti examen, licet intermit-
tatur concursus, in quo nullus vult subire 57
examen, vt dicitur in Tridentino prope finem, vt notaui cap. 5. q. 19. In casu autem nostro idem est ac si nullus comparuisset, vt vere nullus comparuit idoneus, non entis enim nullæ sunt passiones, nec qualitates, *Arist.* 1. *Physic. tex.* 34. *l. Seia ff. de tutor. & curat.* Non fieri, & non sortiri effectum idem sunt, *l.* 1. § *Nihil, ff. de inoffic. testam.* Cum ergo examen nullum fuerit per reprobationem, non potest impedire propositionem noui Edicti, quia quod nullum est nul-
lum producit effectum *l* 4 § *Condemnatum*, 58
ff. de sent. & re iudic. non enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *Reg* 52. *in* 6.

Quæres 15 An proponendum sit nouum edictum de concursu, quando electus statim ante, vel post Collationem beneficij moritur, si adsunt alij examinati approbati in illo priori concursu?

℞ Non est faciendus nouus concursus, 59
nec examen, sed Episcopus eligere debet vnum ex iam approbatis in eodem illo concursu, quia singuli habent ius indifferenter ad electionem, quod determinat Episcopus electione vnius ex approbatis superstitibus. Confirmatur, quia ille ob mortem repentinam habetur ac si non fuisset electus, moriens e.g. intra triduum, siquidem non videtur fuisse, qui non durauit Gloss. V. quasi nunquam esset, cap. 3. de Regul. iur. in 6: Quia ille mox natus sine nomine quasi nunquam esset, de vita decessit. Facit illud Iob cap. 10. 19. Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. Vnde puer habitu regulari indutus infra triduum illum deponens habetur ac si illum nunquam in-
duisset, cap. Ad nostram 8. de Regular. Et 60
transiens ad locum, à quo statim discedit, habetur ac si in illo loco non fuisset, iurib. citatis *Sanch. lib.* 3. *disp.* 18. *num.* 6. *Vers. Quarto.* Ex his infertur, nec talem electum, & prouisum breui morientem haberi pro non prouiso, ergo cum non videatur facta Electio, nec prouisio, quæ nihil profuit, concursus non est absolutus ac proinde in vno ex alijs approbatis perficiendus, & consumandus est.

CAPVT,

CAPVT SECVNDVM

De qualitatibus admittendorum ad concursum.

SVMMARIVM.

1 *Liberum est omnibus Clericis dignis concurrere ad Beneficia vacantia.*
2 *Describendi sunt, qui volunt se subÿcere examini.*
3 *Edictum est probibitorium.*
4 *Edictum de testibus est probibitorium.*
5 *Edictum de matrimonio est probibitorium.*
6 *Digni solum, & literati admittuntur ad concursum.*
7 *Istis enim tantum conferenda sunt beneficia.*
8 *Dignus, qui ætate, maturitate, scientia, & moribus replendet.*
9 *Irregularis repellitur à Concursu.*
10 *Probibitus ab aliquo, interdicitur etiam à medÿs, quibus peruenitur ad illud.*
11 *Illegitimus non admittitur.*
12 *Querelatus, seu denuntiatus non admittitur.*
13 *Componens cum fisco non admittitur.*
14 *Curatus potest concurrere.*
15 *Bonum bono non contrariatur.*
16 *Dispensatus monoculus admittitur.*
17 *Vicarius iam deputatus concurrit ad eandem Ecclesiam.*
18 *Consanguinei, affines, & familiares Episcopi, & resignantis non admittuntur.*
19 *Episcopus familiarem suum post triennium ordinat, cum beneficio.*
20 *Examinator consanguineus examinandi non vocatur.*
21 *Iudex sententiæ priuationis beneficÿ, cum alijs concurrentibus in ea causa, & propinquis admitti non potest.*
22 *Laicus nullo modo admittitur.*
23 *Qualitas attenditur, de tempore concursus.*
24 *Qualitas iuncta verbo intelligitur tempore verbi.*
25 *Nondum Sacerdos non admittitur, si necessaria sit hæc qualitas ad beneficium.*
26 *Nondum attingens 25. annos non admittitur.*
27 *Nondum Sacerdos excedens 25. annos admittitur.*
28 *Ex diuersis non fit illatio.*
29 *Capax beneficÿ.*
30 *Clerici Regulares, nec Militares admittuntur.*
31 *Comparens elapso edicto, probato impedimento admittitur.*
32 *Numerus ad Concursum limitari non potest.*
33 *Examinandi sunt omnes descripti.*
34 *Vicarius etiam Generalis.*
35 *Reprobatus non admittitur infra annum ad alium concursum.*
36 *Doctus quis de repente non fit, sed multum tempus requiritur.*
37 *Scientia non præsumitur, sed ignorantia.*
38 *Resignare intendens beneficium, ad quod petit concurrere non est admittendus.*

SAcrum Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 18. pro hoc capite statuit hæc: Porro Episcopus, & qui Iuspatronatus habet intra decem dies idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputatis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam alijs, qui aliquos ad id aptos nouerint eorum nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ætate moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Qui ergo desiderant concurrere ad Beneficium vacantis Ecclesiæ, quæ per concursum confertur, debent in primis esse idonei, & descripti in actis curiæ Episcopalis intra decendium, vel ad plus intra vicendium numerandum à die publicationis Edicti excluso, iuxta dicta in præcedenti capite. Solum autem idonei, & habiles ad curam animarum describendi sunt, pro cuius intelligentia videndum est in sequentibus quæstionibus quinam sint idonei ac proinde describendi ad Concursum. 1

Quæres 1 An Edictum de descriptione, & nominatione eorum, qui volunt se subijcere examini in Concursu ad Beneficia vacantia sit prohibitorium?

℞ Affirmatiue, nam illud Edictum est prohibitorium, in quo regulariter omnis admittitur, qui non prohibetur; omnia enim illa intelliguntur concessa, quæ non sunt expresse prohibita, *Glos. V. Non inuenitur, cap. 2. de translat. Episcop.* Sed omnis Clericus non prohibitus admittitur ad examen, vt dicitur ibi: Liberum sit tamen etiam alijs, ergo edictum hoc est prohibitorium. Tale est Edictum de testib. *l. 1. ff. de testib. Glos. V. Idonei cap. 1. de testibus.* Item Edictum de Matrimonio, *cap cum apud 23. de Sponsal. Glos. V. Baptizauit cap. fin. de cognat. spir.* Omnes ergo Clerici, qui non prohibentur, admitti possunt ad Concursum. 2 3 4 5

Quæres 2 An non solum digni, & idonei, sed etiam non digni admitti possint?

℞ Quamuis quisq. Clericus præsumatur idoneus, nisi contrarium probetur, *cap. Dudum de præsumpt. l. Non omnes §. A Barbaris ff. de remiss.* probatus tamen non idoneus, dum caret hac qualitate admitti non 6

debet ad concursum, cum ordinetur ad Beneficij adeptionem si reperiatur aptus ad regendam Ecclesiam; Beneficia enim non dantur, nisi dignis, & benemeritis, *cap.*
7 *cum adeo 17. de Rescr. cap. Causam 8. cap. Nihil 44. de elect. cap. Graue 29. de Prabend. cap. 15. cui, 19. eod. in 6.* Dicitur enim in citato cap. 44. Nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis Officiat, quam quod indigni assumantur ad regimen animarum. Et in hoc nullus contradicit, indigni autē sunt nō solum Scandalosi, sed etiam ignorantes. Alia iura, & Sanctos Patres refert Barbosa
8 de Parocho part. 1. cap. 2. sub initium; vbi quod idoneus dicitur ille, qui ætatis maturitate, literarum scientia, & morum grauitate, & prudentia præditus est, *ex cap. cum in cunctis 7. de elect.* Debet ergo persona describenda his qualitatibus esse dotata; indignus verò Beneficio censetur omnis irregularis, carens ætate, illegitimus, morum probitas, corporis defectus, & scientiæ, & alia impedimenta, quæ personam faciunt indignam.

Quæres 3 An irregularis sit describendus?

9 ℞ Negatiue, quia describendus debet esse aptus ad Concursum Beneficij, & eius obtentionem, si approbabitur; sed irregularis non est capax Beneficij siue curati, siue simplicis, *ex cap. 2. de cler. pugn. in duello, & Trident. sess. 14. cap. 7. Bonac. de irregul. q. 1. p. 4. num. 6. Castropal. de cens. disp. 5. p. 5. num. 5.* Nec dicas, aliud est prohiberi a Beneficio, aliud ab examine; siquidem quandocunq. prohibetur aliquid, interdicta censentur ea omnia, per quæ ad il-
10 lud principale peruenitur, *l. Oratio 16. ff. de nupt. Glos. V. ex eo quod, cap. Praterea 5. de offic. deleg. cap. 4. de const. iuncta glos. V. Vnde omnia mala*, sed per examen approbatus potest peruenire ad Beneficium, ergo si irregularis prohibetur à Beneficio, interdicitur etiam ab examine.

Quæres 4 An illegitimus admittatur ad Concursum?

11 ℞ Negatiue, quia reppelitur à Beneficio, *cap. Innotuit 20. de elect. cap. pen. & vlt. de filijs Presbiter. & eodem tit. in 6.* siue sit illegitimus ex concubinatu inter solutos, siue ex damnato coitu, aut sacrilego, quouis enim ex his modis illicitis natus repellitur à Beneficijs quibuscunq. ergo & a Concursu, per quem peruenitur ad Beneficium. Vide *Castropal. de cens. disp. 4. p. 1. §. 1. Bonac. q. 2. de irregul. p. 3.*

Quæres 5 An Inquisitus, seu denuntiatus, seu querelatus, & accusatus possit admitti?

12 ℞ Negatiue, quia accusatus, seu denuntiatus interim non potest promoueri, *cap. Omnipotens 4. de accusat.* Vbi Abbas, quod sufficit hoc tantum, cum sit diffamatus, & positus in mala opinione, *Calder. cons. 9. de probat.* & sit indignus, *Ventriglia tom. 2. annot. V. §. 2. num. 64.* Ergo nec concurrere, quod est dispositio ad promotionem, quicquid dicat *Fagn. part. 2. ad cap. eam se de Ætate* posse admitti num. 19. quia est in facultate eum non admittere. Siquidem adhuc dicitur disponi, & potest dari casus, quod ipse solus approbetur, si alij sint ignorantes.

Quæres 6 An admittendus sit, qui se composuit cum fisco?

℞ Negatiue, quia indignus est ob delictum, quod confessus fuit, vt constat ex 13
compositione cum fisco, vnde cum repellatur à Beneficio *ex Lotero lib. 2. q. 31. num. 151. Rota in Ripana Paroch. 23. Iunij 1608. Ventriglia cit. num. 65.* excluditur etiam à Concursu.

Quæres 7 An actu Curatus admitti possit ad Concursum?

℞ Affirmatiue, quia patet, illum esse 14
idoneum, & nullo iure repellitur, neq. enim Beneficium obtentum reddit illum inhabilem ad aliud, bonum enim bono non aduersatur. Ita *Barb. ad Trident. cap. 18. sess.* 15
24. num. 60. & de Parocho cap. 2. num. 48. Moronus Resp 97. num. 19. Castropal. disp. 4. p. 1. §. 2. num. 3. Contrarium tenet Megalius *cons. 99. num. 4.* sed contra ipsum vrgent præmissa ab eo, quibus adæquate non respondet.

Quæres 8. An monoculus admitti possit?

℞. Sic, si dispensatus iam sit ab hoc cor- 16
poris defectu, cum enim dispensatio tollat hunc defectum, quo ad moralitatem, non amplius impeditur ab irregularitate, ac proinde dignus est, vt admittatur. Ita *Barb. ad Tridentinum n. 62.* refert Hieronymus Nicolius Romanus Ordinis Eremitarum *S. Aug. par. 2. lib. 3 tit. V. Responsum S. Congr. datum 16. Martij 1619. vers. item carens.*

Quæres 9. An Vicarius constitutus in Ecclesia vacante admitti possit ad illius Concursum cum cæteris Clericis?

℞. Affirmatiuè, & quia est idoneus, ex 17
quo deputatus fuit ad illius Regimen; & quia nullo iure repellitur ab examine, & Beneficio, cuius curam habet tamquam Vicarius. Immo Tridentinum dicto cap. 18. id supponit his verbis satis claris: Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputauit, vel forsan postea deputabit, ab eius Ecclesiæ custodia, & administratione non amoueatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, vt supra sit prouisum. Et ita docet *Castropal. disp. 3. p. 2. §. 1. num. 5. quem sequitur Moronus Resp. 97. num. 6.* Contra Garziam *part. 9. cap. 2. num. 25. & 34.* asserentem, non posse illi Beneficium conferri, si

ri, si post electionem de eo factam, percipiat fructus, & administret in Beneficio, ante confirmationem, fundantem se *in cap. Auaritiæ de elect. in 6.* vbi nullus electus potest ante confirmationem administrare Beneficium. Ego hic dico, citatum cap. non tangere casum nostrum, nam in eo capite prohibetur administratio illis, qui post electionem, procurant sibi tamquam procuratoribus, seu œconomis administrationem, vt patet illis verbis: Non licet se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis administrationis Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tamquam procuratoribus, seu œconomis committi procurant. Vicarius autem de quo in Tridentino, non procurauit administrationem post electionem de se factam, cum eam antea haberet, ergo illud caput non comprehendit nostrum casum. Deinde prosequitur administrationem titulo Vicarij, non titulo Rectoris, ergo dicti capitis transgressor non est. Vide Castropal. alijs modis interpretantem dictum caput.

Quæres 10 An admitti, & describi possint consanguinei, vel familiares tam Episcopi, seu Vicarij, aut resignantis, quam examinatorum?

18 ℞ Non possunt admitti consanguinei, nec affines, neq. familiares tam Episcopi, seu alterius collatoris, quam resignantis, ex Bulla Pij V. incip. *Quanta Ecclesiæ* 58. §. 5. & 6. alias irritum quicquid attentatum fuerit tam contra dantes, quam recipientes. Ita *Garz. part. 9. cap. 2. num. 211. ex eo Barb.*
19 *ad Trident. num. 24.* Extra hunc articulum Episcopus suo familiari non subdito potest conferre beneficium, si per triennium secum commoratus fuerit quem, si sit laicus, poterit ordinare, cui tamen statim debet conferre Beneficium, ex cap. 9. sess. 23. Vnde Tridentinum videtur solum loqui de familiaribus laicis, qui si volunt Clericari debent mansisse cum Episcopo in loco per triennium, & statim debet illis conferre Beneficium, vt decenter ex illius fructibus viuere possint. Quare Episcopus nullo triennio expectato poterit admittere ad concursum suum familiarem Clericum alias capacem, quia nullibi prohibetur, quod forensis repellatur à beneficijs.

20 Examinator vero consanguineus, seu affinis eius qui petit admitti ad concursum, vocandus non est ad examen, quia ob carnalitatem videtur suspectus.

Quæres 11 An admitti possit ad concursum iudex sententiæ, qui priuauit Beneficio Clericum? & si non potest, saltem admittantur eius propinqui, affines, aut familiares, seu interesse habentes in causa?

21 ℞ Negatiue, & quicquid attentatum fuerit, omnino irritum est Pius V. Bulla incip. Cupientes 14. §. 1. illis verbis: Quoscunq. iudices etiam S.R.E. Cardinales &c. Nepotes, & consanquineos, affines, procuratores, solicitatores, ac domesticos, vel familiares, cuiuscunq. status &c. Cum ergo talia beneficia per priuationem vacantia à prædictis impetrari non possint, nec admitti ad examen poterunt, ex illo communi axiomate, quod prohibito vno, ea omnia prohibentur, per quæ ad illud peruenire potest, ex allatis supra sub q. 3.

Quæres 12 An admitti possit ad examen Laicus, qui cras recipiet ordines?

℞ Negatiue, quia sicut non potest conferri Beneficium etiam simplex nisi Clerico in actu existenti, & in habitu, & tonsura incedenti ex Sixto V. Bulla incip. Cum Sacrosanctum 92. §. 2. Trident. sess. 23. cap. 6. Ita neq. admitti ad examen, quod ordinatur ad collationem, Laicus enim sicut incapax est Beneficij, ita & admissionis ad examen. Nec obstat, si quis dicat inter descriptionem, & examen mediare tempus, in quo medio ordinari potest, & sic accedere cum qualitate Clericatus ad examen. Respondeo enim id non prodesse, quia habilitas attenditur de tempore concursus, & non solum tempore examinis, *Gregor. XV. decis. 527. num. 3. & 5. cum alijs* apud Gratiam Contrium Ferrariensem *in suis Discep. Forens. lib. 1. dec. 134. num. 1. Rota par. 11. dec. 231. num. 2.* Id deducitur ex Tridentino eadem *sess. 24. cap. 18. ibi*: Vt possit postea de cuiuslibet ætate moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio, Certum id argumentum est requisita hæc debere inesse dum registrantur in actis in ordine ad examen; qualitas enim iuncta verbo intelligitur secundum tempus verb. *l. in delictis 4. §. Si damnum ff. de noxal. act. Rota part. 4. tom. 1. dec. 645. num. 5. vide infra cap. 9. q. 10.* 22 23 24

Quæres 13 An nondum Sacerdos admitti possit ad concursum Beneficij Curati, vel alterius non curati requirentis Sacerdotium in sui Collatione?

℞ Non potest admitti, dum caret qualitate requisita, ad cuius comprobationem faciunt mox dicta. Quod si talis qualitas non exprimatur in fundatione Beneficij, poterit nondum Sacerdos admitti ad concursum, si habeat alia requisita, ratio est, quia nondum Sacerdos promoueri potest ad Beneficium Curatum, expresse *cap. Licet 14. de elect. in 6.* ergo & facere se scribi ad concursum, à quo initiatur dispositio promotionis. Obtento autem Beneficio debet initiari Sacerdotio infra annum numerandum à tempore regiminis sibi commissi, vt dicitur eo capite, aliter elapso anno sine alia monitione est priuatus Beneficio, Barb. de Paroc. part. 1. cap. 5. sub init. n. 25 26

Quæres 14 An qui nondum attigit 25. annum suæ ætatis admitti possit ad Concursum?

27 ℞ Non, deducitur ex eodem cap. 18. cuius verba ad hoc retuli *q.*12.ibi: De cuiuslibet ætate. Quia cum nemo possit promoueri ad Beneficium Curatum, nisi prius attigerit annum 25. ex dicto *cap. Licet canon* 14. *de elect.*§. *Inferiora*, *Nauar. cap.* 25.*nu.* 116 *Barb.de* Parocho *part.*1. *cap.* 2. *num.*6. Adeo quod nec Episcopus dispensare potest, cum potestatem non habeat dispensandi contra decreta Concilij Generalis, *idem de officio Episcopi Alleg.* 33. *num.* 35. Ita neq. potest adscribi ad concursum, qui ordinatur ad promotionem Beneficij. Nec dicas, admittitur nondum Sacerdos, ex probatis præcedenti quæstione, ergo & nondum attingens 25. annos, modo infra annum possit ordinari Sacerdos. Quia non licet inferre ex diuersis, *l. Papinianus* 21 *ff. de minor.* ex quo nihil commune habent.

28 (line beginning "tigerit annum 25")

29 (line beginning "licet inferre")

Quæres 15 An Clerici Regulares, etiam militares admitti possint ad Concursum.

30 ℞ Negatiue, quia sicut repelluntur à promotione, ita & ab admissione ad Concursum, per quem disponitur quis ad promotionem. Ita *Garz.part* 7. *cap.* 10. *num.*39. *apud Barbos.in cap.*18 *num.*61. *& in Decis. Apost.V.Concursus num.* 12.

Quæres 16 An comparens elapso tempore edicti sit admittendus?

31 ℞ Sic, si probet legitimum impedimentum toto tempore edicti vigens, & res sit integra, idest, nondum sit inchoatum examen, vt dixi præced. cap. sub quæst. 9. ad quam rem tto lectorem.

Quæres 17 An Episcopus possit limitare numerum describendorum ad Concursum?

32 ℞ Negatiue, cum Tridentinum id liberum relinquat omnibus volentibus concurrere, his verbis: Liberum sit tamen etiam alijs, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre. Non enim licita est personarum acceptio in iudicijs, *cap Nouit* 13. *de iudic. Reg.* 12. *in* 6. opponitur enim Iustitiæ distributiuæ *S.Thomas* 2.2.*q.*63.*art.* 1.*ad* 3. Et ita docet *Riccius par.* 4. *dec.* 31. *apud Barb.hic num.*63 *& de Parocho par.*1. *cap.*2. *num.* 47. *& Allegat.* 60. *num.* 51. Descriptio ergo & Examen comparentium legitimo tempore non possunt reijci, si sunt idonei, prætextu limitationis numeri, cum hæc ratio nullius sit momenti, vt quæ aduersatur Tridentino ex textu allato.

Quæres 18 An omnes descripti sint examinandi? Vel eorum aliquis reijci possit sine examine?

33 ℞ Sunt examinandi, vt expresse dicitur in Tridentino his verbis: Omnes, qui descripti fuerint examinentur, nullus ergo excludi potest. Ita *Barb.Allegat.* 60. *num.*47. *&* 51.*Seraphin decis.*1148.*num.*5. *& de Parocho cap.*2. *num.*46. *Castropal. p.*2.§.2.*nu.* 1.*Moron. Resp.*97. *num.*17.

Quæres 19 An Vicarius Episcopi volens subire Concursum debeat describi & vocari ad examen, sicut alij?

℞ Affirmatiue, quia nullus excipitur, 34 dicit enim Tridentinum: Omnes, qui descripti fuerint examinentur Vniuersalis enim nullum excipit. Ita docent *Sbrozzius de offic.Vicarij lib.*2.188. *Filliuc.tract.* 41.*num* 439.*Massobr. Requis* 2. *dub.* 5 *apud Barb.cap.* 2. *de Parocho num.* 136. *Gonzal. Glos* 4.*num.*92. *Paris.lib.* 8. *q.* 9. *a num.* 83.

Quæres 20 An reprobatus possit se facere scribi in alio Concursu diu illo a Priori, dum refertur ad Ecclesiam Vacantem?

℞ Reprobatus non admittitur in alio 35 Concorsu infra annum contingente, quia habilitas scientiæ non est habitus innatus, sed tractu temporis multo labore aquiritur, *ex allegatis à Rota part.* 10 *dec.* 23. *num.*8. 36 *& dec.* 348 *num.* 17. nemo enim repente fit bonus, & doctus; immo nullus præsumitur doctus, & sciens, cum id sit quid facti, sed ignorans, hac enim qualitate natura omnes creat, *l verius* 21.*ff. de probat cap.* 37 *Præsumitur* 47.*de Regul.iur. in* 6. *Farinac. cons.* 56.*num.* 16. Cum ergo constet ex reprobatione esse ignorantem, & carere habilitate non est admittendus intra annum ad alium Concursum *vide Merlin. dec.* 159. *num.* 10. Quid autem dicendum sit in causa appellationis, dicam cum de appellatione agam.

Quæres 21 Admittendus ne sit qui habet intentionem resignandi Beneficium, ad quod vult Concurrere?

℞ Negatiue, quia talis concursus est potius mercaturæ, quam velle Ecclesiæ seruire. Ita *cap. commissa* 35. §. *Cæterum, de elect.in* 6.*vgolin. de Episcopo par.* 2. *cap.* 50. §.6.*num.*5. quos pro se citat Ioannes Franciscus de Ponduti Sanlegerij *lib.* 1. *Quæst. & Resol Canon.& ciuil.cap.*59.*num.*9. 38

CAPVT TERTIVM

De Præsidente Examini Concurentium.

SVMMARIVM.

1 *Præsidens examinis est Episcopus, vel Vicarius Generalis.*

2 *Debet esse electus, & confirmatus non necessario Consecratus.*

3 *Hæc tria successiue perficiunt Episcopum.*

4 *Potestas in eo iurisdictionis realis est proinde*

proinde delegabilis.
5 *Consecrationis vero non, infra trimestre recipienda.*
6 *Confirmatus exercet, ex quæ sunt administrationis.*
7 *Sub nomine Episcopi veniunt Abbates habentes Synodum.*
8 *Vicarius solum Generalis assistit examini.*
9 *Qui cum Episcopo facit vnum Tribunal.*
10 *Simul ambo assistere possunt examini.*
11 *Faciunt vnum auditorium cum examinatoribus.*
12 *Vicarius præsidet examini, licet Episcopus non sit impeditus.*
13 *Præsidentia hic non est delegabilis.*
14 *Cum sit de forma non supplenda per tertium.*
15 *Delegatio supponit necessitatem.*
16 *Capitulum venit nomine Episcopi.*
17 *Cum hic eius potestas sit ordinaria, in quam succedit Capitulum.*
18 *Exercenda per Vicarium Capitularem.*
19 *Vicarius Capitularis non confert Beneficia.*
20 *Præfigit Vicarium Ecclesia vacanti.*
21 *Limitare non potest numerum concurrentium.*
22 *Præsidens non habet votum decisiuum.*
23 *Sed tantum accessiuum.*
24 *Examinati quinam pares, vel singulares in votis.*
25 *Approbatus dicitur habens maiorem partem votorum.*
26 *Vox vnius vox nullius.*
27 *Approbatus reprobatus.*
28 *Testibus negatiuis quandoq. magis creditur, quam affirmatiuis.*
29 *Negatio est malignantis natura, plus tollit, quam ponat affirmatio.*
30 *Episcopus accedit votis paribus, & singularibus, approbando, vel reprobando.*
31 *Non in simpliciter reprobatis.*
32 *Par non agit in parem.*

1 IN hoc capite agendum est de illis, qui præesse debent examini faciendo pro illis, qui descripti sunt in actis concursus ad Beneficia vacantia, ad formam Tridentini eo cap. 18. sess. 24. cuius verba sunt hæc: Examinentur ab Episcopo, siue eo impedito, ab eius Vicario Generali. Pro cuius intelligentia proponuntur sequentes quæstiones cum suis resolutionibus.

Quæres 1. An Episcopus tantum Electus
2 tus nondum confirmatus, nec consecratus possit præesse examini? Tria perficiunt Episcopum successiue, electio, confirmatio, & consecratio, quibus hoc hordine, & gradatim absoluitur, & perficitur in suo gradu, nam electione aquirit nudam dignitatem, confirmatione vestitur potestate iurisdictionis, per quam administrat, & exercet ea, quæ spectant ad hanc potestatem, vt iudicare, censurare, instituere, conferre Beneficia, & huius generis, quæ cum sint potestatis ordinariæ delegare potest, *Glos. v. Iurisdictionis cap. Aqua 9. de consecr. Eccles.* demum consecratione aquirit potestatem ordinis Episcopalis, per quam potest con- 3
ferre ordines, consecrare Calices, Campanas, Crisma, & alia facere, quæ requirunt Consecrationem, & hæc potestas cum sit personalis delegari non potest, sicut præcedens, quæ est realis, ex eadem Glossa. Certum autem est, quod Episcopus ante confirmationem nihil agere potest, cum careat Iurisdictione, quam per confirmationem aquirit, *cap. Nosti 9. cap. Transmissam 15. cap. Qualiter 17. de elect. cap. Auaritiæ 5. eod. in 6. Barbosa de Officio Episc. tit. 1. cap. 4. num. 7.* Consecrationem autem quærere debet infra trimestre à confirmatione numerandum, cap. quod sicut 28. §. 5
Super eo, de elect. Barb. seq. cap. 5. initio. Ex his.

℞ Episcopum, nisi sit prius confirma- 6
tus, nihil horum, quæ spectant ad concursum, facere posse, cum careat iurisdictione, quæ necessaria est ad proponendum edictum, & ad assistendum examini concurrentium ad Beneficium vacans; sicut enim ante confirmationem non potest conferre Beneficium ex supradictis, ita neq. Clericos promouere ad concursum illius.

Quæres 2. An sub nomine Episcopi veniant quidam Abbates habentes iurisdictionem Episcopalem, ac proinde possint proponere Edictum, & præesse examini, & examinare concurrentes?

℞ Affirmatiue prædicta præstare, si ha- 7
beant ius celebrandi Synodum, & eam celebrauerint cum deputatione examinatorum Synodalium vt probaui *cap. 1. q. 2. 3. & 4.*

Quæres 3. Qualis Vicarius possit assistere examini?

℞ Solus Vicarius Generalis, vt Clare 8
exprimitur in textu, vnde cum excludatur quilibet alius, consequenter est exclusus Vicarius Monialium, Vicarius Foraneus, & quilibet alius Episcopi Officialis, dum caret illa Generalis qualitate. Et in hoc nulla est difficultas.

Quæres 4. An in hoc casu Concursus quo ad Edictum, & examen Episcopus, & Vicarius Generalis faciant vnum Tribunal, siue agant simul, siue vnus sine alio?

℞ In hac quoq. causa ambo facere vnum 9
Tribunal, sicut in alijs causis; vt colligitur ex cap. 2. de consuet. in 6. ibi: cum sit idem auditorium vtriusq. cap. Romana 3. de appellat. in 6. illis verbis: Vnum & idem consistorium, siue auditorium sit censendum, ab

ab ipsis Officialibus, non ad dictos suffraganeos, ne ab eisdem ad se ipsos interponi appellatio videatur, sed de iure ad Remensem est Curiam appellandum. A Vicario igitur Generali non appellatur neq. iudicialiter, neq; extraiudicialiter ad Episcopum, ne appellatio dicatur eiusdem ad se ipsum, reputantur ergo ambo idem numero Officialis, ita quòd factum ab vno censetur factum ab alio, idcirco Concursus edictus ab vno censetur ab alio propositus, & præsidentia Examinis ab vno censetur esse alterius. De appellatione dicam infra suo loco.

Quæres 5. An Episcopus, & Vicarius Generalis simul præsidere possint in Examine, & examinare?

10 ℞ Affirmatiue, quia id non prohibetur in Tridentino, & cum ambo sint Iudices Ordinarij ratione vnius Auditorij, ex dictis in præcedenti quæstione, & simultas non tollat id, sequitur simul illos exequi posse hoc Officium; nec disiunctiua ibi: Ab Episcopo, siue ab eius Vicario tollit hanc simultatem, sed solum indicat sufficere vnum ex illis ad hanc præsidentiam. Et ita Responsum fuisse refert *Nicolius par. 2. lib. 3. tit. V. de Prabend. num. 14. vers. Item*. Neuter tamen illorum habet votum, nisi Examinatorum vota sint paria, vt ibidem subdit.

Quæres 6. An alter eorum, vel ambo simul præsidentes cum examinatoribus faciat vnum Tribunal, Consistorium, seu Auditorium?

11 ℞ Vtique, sunt enim vnum corpus ad eundem finem ordinatum audientes ea, quæ sunt examinis, & licet Episcopus vel Vicarius non dent suum votum approbatiuum, sed tantum accessiuum, & non reprobatiuum vt faciunt examinatores, non ideo ex hac diuersitate infertur distinctum auditorium vnius ab alijs, cum vnitas auditorij specificetur ab examine ordinato ad prouisionem Ecclesiæ vacantis; sicut nec ex diuersitate interrogationum, quæ fiunt ab Episcopo, & examinatoribus diuidunt auditorium, cum ergo examen non diuisim, sed tantum vnitim, & Capitulariter fieri debeat, necessario sequitur vnum esse Tribunal, & auditorium in hac examinis causa. Et hoc patet quoq. infra *cap. 4. q. 19. num 68*.

Quæres 7. An Episcopo omni impedimento carente, præsidere examini possit Vicarius? Videtur obstare Tridentinum, illis verbis Examinentur ab Episcopo, siue eo impedito ab eius Vicario Generali.

12 ℞ Potest, & ea omnia facere, quæ Episcopus, si præesset. Nec obstat Tridentinum quia solum exprimit, quod solet accidere neq. enim ea verba accipienda sunt sub conditione, sed sub modo tantum importantia conuenientiam, secundum quam Episcopus admonetur, vt frequentius intersit examini, cum id illi magis incumbat, cum sit Pastor, quam suo Vicario Generali. Ita *Massobr. Requis. 3. dub. 3. Garz. par. 9. cap. 2. num. 119. cum illis Barb. de Parocho cap. 2. num. 53. & hic num. 77 & Allegat. 60. num. 41. Castropal. p. 2. §. 1. num. 1.*

Quæres 8. An hæc præsidentia sit delegabilis ab Episcopo saltem, si non à Vicario?

℞ Non est delegabilis esto sit in illis po- 13
testas ordinaria, ratio est, quia hæc præsi-
dentia est de forma examinis, vt probaui
cap. 1. q. 11. quę per æquipollens suppleri non
potest, *Glos. V. Transponentes cap. Cum di-* 14
lecta de Rescr. cum alijs Barb. Axiom. 100.
num. 5. Confirmatur quia ordinarius non
delegat, nisi cum necessitatem habet, *cap.
Inter cætera 15. de Offic. ordin.* In casu autem 15
nostro nunquam habet necessitatem, dum
Concilium eo impedito statuit Vicarium
præsidere examini.

Quæres 9. An nomine Episcopi veniat Capitulum Sede Vacante, qui possit per suum Vicarium Capitularem proponere Edictum, & Concursum facere præsidendo examini, sicut faciebat Episcopus?

℞ Affirmatiue, quia succedit in potesta- 16
tem ordinariam Episcopi, dum Sedes Va-
cat, quod certum est *ex allegatis à Quaran-* 17
*ta V. Capitulum Sede Vacante. Diana part.
8. tract. 4. resol.* 1. Potestas autem proponen- 18
di edictum, & examinandi competit Epis-
copo iure ordinario, vt notum est, ergo eo
mortuo Capitulo, exercenda per Vicarium
Capitularem. Ita *Castropal. p. 2. § 1. num.
1. citans Garz. part. 9. cap. 2 num. 7. Barb.
cap. 2. num.* 70.

Dices, non potest conferre Beneficia, 19
Quaranta V. *eod q* 9. ergo neque propone-
re Edictum, & examinare concurrentes ad
illud. Negatur consequentia, quia ex pro-
batis *cap. 1. q.* 5. debet Episcopus, in cuius 20
Diœcesi est Beneficium, præstare hæc om-
nia, quamuis collatio ad alium spectet ergo
& ad Vicarium Capitularem, esto Beneficium conferre non possit. Confirmatur, quia potest præfigere Vicarium Ecclesiæ Vacanti, *cap. Cum vos, de Officio ordinarij* ex citatis à Diana *part. 8. tract. 4. resol. 25. Vers. Nota tamen* Ergo & reliqua facere, quę spectant ad Concursum, cum de his omnibus fiat mentio in Tridentino.

Quæres 10. An Episcopus possit limitare Concursum ad certas personas?

℞ Negatiue cap. præced. q. 17. 21

Quæres 11. An Episcopus, Vicarius Generalis, seu Capitularis habeant votum decisiuum in examine?

℞ Non, quia votum dare, quod impor- 22
tat decisionem, solum examinatoribus,
competit ex Tridentino. Ita *Massobr. Re-
quis. 4. dub. 5. apud Barb. cap. 2. num. 92. &*
hic

bic num. 115. *Viuian. de Iurepatr. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 43.

Quæres 12. Quomodo Episcopus, & Vicarius etiam Capitularis possint accedere ad vota ab Examinatoribus data?

23 ℞ Certum est, Episcopum, seu Vicarium accedere posse, vt dicitur in textu his verbis: Examinentur ab Episcopo, seu ab eius Vicario Generali, atque ab alijs examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Dubitatur vero de modo accedendi propter ea verba: Quorum votis, si pares, aut singulares fuerint. Quidnam importet paritas, vel singularitas ad effectum accedendi votis datis ab examinatoribus.

24 Examinati dicuntur pares in votis, quando eorum plures habent æqualia vota, quod accidit primo, quando plures examinati habent duo, aut tria vota, existentibus examinatoribus tribus, non enim possunt esse minus tribus. Secundo quando plures habent tria, vel quatuor vota, existentibus quatuor, vel quinq. examinatoribus. Tertio, quando plures examinati habent quatuor, aut quinq. aut sex vota, existentibus quinq. aut sex examinatoribus, & sic proportionaliter proceditur, quamuis putem examinatores non solere excedere numerum Senarium, & vt plurimum non excedunt numerum ternarium, & hic Parmæ est in praxi ternarius numerus, & non augetur.

E contra, examinati dicuntur singulares in votis, cum vota sunt disparia, vt si vnus habet duo vota, alter tres, aut quatuor, aut quinque, aut sex, disparitas ergo votorum producit singularitatem in examinatis, quorum vnus excedit alterum in suffragio fauorabili.

25 Notandum autem est, quod in prædictis approbatio infertur ex maiori parte votorum, nam dicto maioris partis statur, *l. Diem* 32. §. *Si plures ff. de recept. arbitr.* quod enim maior pars efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, *l. quod* 19. *ff. ad municip. & de incolis.* Refertur enim ad vniuersos, quod fit per maiorem partem publice, *l.* 120. *ff. de regul. iur.* Et à maiori parte factum intelligitur à toto Capitulo peractum, *cap.* 1. 2. *&* 3. *dist.* 65. *cap.* 1. *de ijs, quæ fiunt à maiori part.* Quare cum examinatores non possint esse minus tribus, si coram his examinatus reprobatur ab omnibus sine dubio pro tali habendus est immo & reprobatus quoq. censetur si vnicum habeat votum, quia non facit maiorem partem, nec facere

26 potest, quia vox vnius vox nullius, *l. Iusiurandi* 8. *ff. de testib. cap. veniens* 10. *de testib. ibidem Glos. v. Testimonium*, alia iura refert. In his ergo duobus casibus examinatus dicitur reprobatus non solum si examen factum fuit coram tribus, sed etiam alijs pluribus similiter reprobantibus siue negatiue, siue positiue.

Datur quidem tertius modus reprobationis, idest, non approbationis, nec reprobationis, vt cum duobus, vel tribus examinatoribus refragantur, alijs examinatoribus duobus, vel tribus suffragantibus, nam refragantes mortificant vota suffragantium, adeo quod si præsidens examinis Episcopus scilicet, seu Vicarius non accedant, remaneant refragati reprobati in totum, nam negatiui nocent affirmatiuis, maxime cum testimonium fundatur in dicto interrogati male respondentis, esto enim, quod magis credendum sit testibus affirmatiuis, quam negatiuis, id tamen non est vniuersaliter verum, & fallit iuxta quod dixi Resol. 101. à num. 145. ad 151. Vbi probaui, magis esse credendum negantibus, quam affirmantibus, quando negatiua est concludenter probata, negatio enim est malignantis naturæ, & plus negat, quam affirmatio affirmet, vnde plus tollit, quam ponat affirmatio, *Tusch. lit. N. concl.* 26. *Marius Anton. lib.* 1. *resol.* 20. *Surd. dec.* 243. *Sanch. lib.* 3. *disp.* 32. *num.* 1. §. *Si vero.* 27 28 29

Reliquum est, vt concludamus, an Episcopus, seu Vicarius accedere possit non solum approbatis, sed etiam reprobatis? De approbatis, quibus fauere potest, si vult, nulla est difficultas, quæ restringitur ad reprobatos.

Dicendum ergo est, quod non possit accedere reprobatis primo, & secundo modo, Tum quia accessus esset illicitus, & peccaminosus, quia indignos faceret dignos sine vlla eorum qualitate aquisita, quæ eos facere posset idoneos, cum nihil det Episcopus nisi denominationem extrinsecam. Tum quia indigno fauendum non est cum præiudicio aliorum, qui per approbationem ius aliquod aquisierunt, indigni nullum. Tum quia accessus supponit existentiam, cuius in fauorem accedit, sed nihil fauorabile producit reprobatio, ergo ei nihil accedere potest tamquam accidens subiecto. 30

Circa approbationem reprobatam in paritate duorum votorum, aut trium votorum, si examinatores sunt vltra tres, nempe quatuor, aut sex diuisi inter se, & contrarij, dicendum est, Episcopum, seu eius Vicarium pro suo arbitrio accedere posse mortificatis approbando, vel reprobando, dando enim pillulam albam, & fauorabilem vni examinato ex mortificatis, litem decidit ad fauorem illius, & exclusionem alterius, vel e contra; examinatores ergo ad inuicem ex æquo contrarij litem ponunt, quam decidere non possunt, 31

quia

32 quia par in parem non agit, *l.ille* 13. §. *Tempestiuum ff. ad sen. Trebell. l. Nam Magistratus* 4. *ff. de arbitr. cap. Innotuit* 20. *de elect.* Ideo Episcopus hanc litem dirimore debet accedendo pro suo libito fauendo vni contra alterum, vel vtrique, cum à Concilio habeat arbitrium suffragandi, vel refragandi accessus enim non importat magis fauorem, quam disfauorem, sed est indifferens, sicut libertatem regulatam habent examinatores suffragandi, vel refragandi, ita & Episcopus, cum accedat eorum votis, quæcunque illa sint.

Sed quid dicendum, quando quis habet omnia vota fauorabilia sibi, numquid Episcopus potest accedere in fauorem eius, cui deest vnum votum? Item si vnus tantum examinatorum reportauit omnia vota, & reliquis paribus in votis, quibus tamen deest vnum votum, vt parificentur cum illo, qui omnia reportauit, accedere possit?

Garzias part. 9. *cap.* 2. *num.* 88. *apud Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 88. affirmat, quia data in cæteris paritate potest gratificari, cui vult, citatis Lambertino, & duabus decisionibus Rotæ. Dic tu id verum esse, quando nullum examinatorum habuit omnia vota, & non aliter, nam si vnicus omnia habuit vota, & non cæteri, videtur fieri præiudicium, & iniuria, cum in literatura, & scientia illi, qui illos excedit, comparentur, nullatenus comparandi, cum pateat excessus vnius contra alios, quem non potest tollere Episcopus suo voto accedendo. Nec dicas id obstare. Tridentino, quod relinquit arbitrium Episcopo accedendi examinatis paribus & singularibus, vt per suum votum tribuat fauorem vni contra alium, & tamen non præiudicat alteri, aliter accessus semper esset præiudicialis, quod tamen falsum est, dum illum Tridentinum concedit. Respondetur enim Tridentinum admittere accessum in quolibet casu, in quo nulli eorum ad quos Episcopus accedit, collata fuerunt omnia vota, accessus enim arguit defectum respectu omnium, quem Episcopus suo voto supplex pro vno tantum, vnicum enim habet votum, & sic vni fauendo, alijs non facit iniuriam, cum & ipsi vti defectuosi non possint conqueri cum Episcopo, qui non tenetur, nec potest vnico voto omnibus complacere. Quare cum hæc ratio defectus non reperiatur in illo, qui habuit omnia vota, æquum non est vt huic comparentur cum illius præiudicio, hic enim solus habet ius ad electionem, & alij nequaquam, ex defectu voti, non conuenit ergo Episcopo suo voto illi præiudicare. Vnde ad rationem dubitandi, & prædictis decisionibus responderi potest locum habere, quando omnes examinati non sunt completi omnibus votis, dum singulis deficit ad minus vnum votum, valens Episcopus accedere vni illorum.

Quando Episcopus vult accedere suum votum simul cum examinatoribus Capitulariter congregatis dare debet. Ita *Massobr. Requis.* 4. *dub.* 4. *Garz. par.* 9. *cap* 2. *num.* 109. *cum illis Hurtadus tract.* 12. *cap.* 1. *resol.* 13. *num.* 215. *Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 87. *citans Garz. sub num.* 58. *& Massobr. sub dub.* 2. Aliter votum datum est vitiosum, Hurtadus loco citato. De accessu Episcopi tangit aliquid *Paris. lib.* 8. *q.* 9. *num.* 106. Vbi refert formulam Edicti. *Barb. ad Trident. num.* 81. Ioannes Baptista Parolettus in sua Aurea Clericali Palestra *part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 3. *condit.* 5. *lit. H. fol.* 142. Vbi late de hac re. *Castropal. p.* 2. §. 4. *num.* 6. alijs ibi citatis.

CAPVT QVARTVM

De Electione Examinatorum Synodalium.

SVMMARIVM.

1 *Refertur textus Tridentini cap.* 18. *sess.* 24.
2 *Examinatores debent esse Clerici.*
3 *Vox* Alij *transfert eandem qualitatem in præcedentes.*
4 *Examinatio est actus spiritualis.*
5 *Notatus infamia non eligitur.*
6 *Examinatoratus est dignitas, & gradus honorificus.*
7 *Magister eligitur ad hoc officium.*
8 *Magisterium non dat, sed supponit scientiam.*
9 *Ignorans iniuriam facit Catedræ.*
10 *Pius V. reuocauit licentias doctorandi extra vniuersitatem* 12.
11 *Doctorati postmodum à Palatinis ex nouis priuilegijs admittuntur.*
12 *Non tamen ad Episcopatum, qui debent esse promoti in vniuersitate.*
13 *Pius V. reuocat præterita priuilegia, non sequentia* 9.
14 *Doctores iuris Canonici examinatores.*
15 *Theologia Moralis in his potissimum spectatur.*
16 *Licentiati quoq. admittuntur.*
17 Clerici *nomine veniunt à Tonsura ad Præsbiteratum in fauorabilibus.*
18 *Sacerdotes solum esse eligendos rationabile est.*
19 *Quando non adsunt graduati alij docti eliguntur.*
20 *Regentes, Lectores, seu Bacchalaurei in Theologia eliguntur.*
21 *Laicus nullus eligibilis est.*
22 *Potestas cumulatiua supponit in vtrisque*

que habilitatem.
23 *Laicus inhabilis ad negotia ecclesiastica.*
24 *Officialis ignotus pro tempore non eligitur sed tantum notus tempore electionis.*
25 *Vota incerta nullius sunt roboris.*
26 *Electio ad minus debet esse sex examinatorum.*
27 *Numerus certus requisitus ad agendum non potest omitti.*
28 *Examinatores proponuntur ab Episcopo, & à Synodo approbantur.*
29 *Synodus autem ad hoc pracise non est formalis, nec iuuat.*
30 *Approbatio fieri potest voce, vel secreto, sufficit medietas votorum.*
31 *Vsque ad viginti examinatores eligi possunt.*
32 *Approbatio in omnibus requirit excessum maioris partis saltem in vno.*
33 Qui Synodo satisfaciant *idest complaceant.*
34 *Toto à Capitulo dicitur peractum, quod fit à maiori parte.*
35 *Sufficit medietas votorum, quando nullus contra dicit.*
36 *Electi durant quousq. fiat noua Synodus.*
37 *Concilium supponit singulis annis celebrari Synodum.*
38 *Superstites proponuntur sequenti anno in Synodo.*
39 *Adiunguntur alijs superstitibus.*
40 *Singulis annis supponitur celebratio Synodi.*
41 *Ab anno ad annum accipitur ciuiliter.*
42 *Examinatores tres Episcopus successiue immediate adhibere potest.*
43 *Extra Synodum non possunt eligi.*
44 *Delegari non potest examinatio.*
45 *Cum sit obligatio personalis non realis.*
46 *Examinator ab Episcopo vocatus potest se excusare.*
47 *Non potest recusari à concurentibus.*
48 *Non enim examinandi citantur, sed libere accedunt.*
49 *Examinator suspectus non vocatur.*
50 *Iuramentum est de forma substantiali examinatoris.*
51 *Excommunicatio lata sine scriptis, & expressione causa valet.*
52 *Examinator tribus perficitur electione, approbatione, & iuramento.*
53 *Tridentinum habet decretum irritans.*
54 Præter supradictam formam *quid comprehendat.*
55 *Forus internus non discrepat ab externo, vbi non est prasumptio falsitatis.*
56 *Iuramentum non factum a iudicibus, & notarijs non inficit eorum acta.*
57 *Simonia inficit examen priuat dantem, & recipientem beneficijs.*
58 *Inficit omnes actus in beneficialibus.*
59 *Examinatus rite, & approbatus habet ius ad Beneficium.*
60 *Simoniacus non perdit officium examinandi in alio concursu.*
61 *Perdit Beneficia inhabilis ad alia.*
62 *Non tamen tenetur renuntiare ante sententiam.*
63 *Simonia non excludit paruitatem materia.*
64 *Stipendium est assignabile examinatoribus.*
65 *Examinatores Synodales non sunt necessarij pro examine ad Confessiones, & ordines.*
66 *Simoniaci in his sunt recipientes aliquod sed pœnas non incurrunt.*
67 *Examinator cum Episcopo iudex ordinarius.*
68 *Ordinarius, qui a lege datur.*
69 *Adiunctus à lege Ordinario, ordinarius est, ab homine vero delegatus.*
70 *Distributiones non lucrantur examinatores.*

DE qualitatibus Examinatorum Synodalium acturus, opere pretium est præponere, quæ de illis decreuit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 18. cuius verba sunt, quæ sequuntur.

1 Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Adueniente autem Vacatione cuiuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis sex eligat. Sint vero hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico: Vel alij Clerici, seu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Iurentq. omnes ad Sancta Dei Euangelia, se quacunq. humana affectione postposita fideliter munus executuros. Caueantq. ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, Alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alij dantes incurrant, à qua absolui nequeant, nisi dimissis Beneficijs, quæ quomodocunq. etiam antea obtinebát, & ad alia in posterum inhabiles reddantur; & de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Prouinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, à qua si quid contra Officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint.

Quinque partes continet hoc decretum de Examinatoribus. *Prima*, quod eligantur sex ad minus approbandi in Synodo.

Secunda, quod Episcopus tres ex illis eligat, qui cum eo examen perficiant. *Tertia*, quod sint Magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, seu iure Canonico, Clerici Seculares, vel Regulares. *Quarta*, quod iurent fideliter exercendi munus suum. *Quinta*, prohibentur recipere aliquid ante, & post examen. Explicantur in sequentibus quæstionibus.

Quæres 1. Quales debeant esse examinatores eligendi in Synodo?

℞. Debent esse Clerici docti, nulla notati infamia, Magistri, vel Doctores, aut licentiati in Theologia, vel Iure Canonico, siue sint Seculares, siue Regulares. Vt expresse dicitur in 3. parte huius decreti.

2 Prima pars, quod debeant esse Clerici, probatur ex ipso textu, ibi: *vel alij Clerici* illud enim pronomen *alij* significat præcedenter expressos similes esse in qualitate se-
3 quentibus, *l. fin. §. cui dubia ff. de vino tritico &c. Ruinus lib. 2. cons.* 181. *num.* 2. Et trãsfert eandem qualitatem in præcedentes, *Glos. V. Alios cap.* 1. *de prabend. in* 6. *& in cap. Deni, ue dist.* 26. *Panorm. in cap. Sacris, de sepult. num.* 2 *ex illis Pasqual. Const.* 3. *q.* 206. *fine*. Non enim decet Laicos iudicare & approbare Clericos ad Ecclesias, is enim est actus Spiritualis, cuius ille est incapax, cum prohibeantur Laici tractare negotia Ecclesiastica, *cap. Decernimus* 2. *de iudic.*

4 Secunda pars, quod non sit notatus aliqua infamia, probatur ex Reg. Infamibus portę non pateant dignitatum 87. de Regul. iur. examinatoratus enim est dignitas, &
5 gradus valde honorificus. Confirmatur, quia sicut infames non admittuntur ad examen passiuum, ex probatis præced. capite 2. ita nec examinatores ad examen actiuum, relatiua enim non iudicantur ad imparia. Et ita respondit S. Congreg. in vna Visionensi 13. Nouembris 1627. apud Barb. de Parocho *cap.* 2. *num.* 66. exemplificando in Simoniaco, & Adultero.

6 Tertia pars, quod sint Magistri, habetur expresse in textu, cuius vocabuli significatio nota est, tum ex gradu, & laurea, quæ scientiam non dat, sed supponit, & vbi non est Doctrina, Magister appellatur secundum
7 nomen, non secundum rem, vnde *in cap. Miserum* 3 *dist.* 61. dicitur, non fiat Magister, qui nonquam fuit discipulus, idest, qui non didicit scientiam pertinentẽ ad magisterium, ignorantes enim Catedræ iniuriam
8 faciunt, *cap. Multi* 12. *dist.* 40. Et difficultas esse potest, an hi Magistri debeant esse Laureati in vniuersitate, an vero sufficiat, si sint promoti ad hunc gradum ab aliquo habente priuilegium doctorandi, seu Magistrandi? Videtur necessarium, quod sint promoti in Aliqua Vniuersitate, vt colligitur *ex sess.* 22. *cap.* 2. Vbi Magistri, & Doctores, atq. Licentiati dicuntur in aliqua Vniuersitate. Immo promoti ex Priuilegio alicui priuato concesso, nullo gaudent Priuilegio cum Pius V. in sua incip. *Quamuis* 60. §. 3. reuo- 9
cauerit Priuilegia Doctorandi concessa Comitibus Palatinis & alijs ibi: Quo ad dignitates, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, nulla gradus prærogatiua frui, & gaudere posse, vel debere. Ergo promoti ad Magisterium extra Vniuersitatem non possunt eligi in examinatores, siue sint Clerici seculares, siue regulares.

Dicendum nihilominus est, Magistros, & 10
Doctores promotos à Comitibus Palatinis, vel alijs, qui postmodum obtinuerunt priuilegium Doctorandi, posse eligi in Examinatores, tum quia textus Concilij in hoc capite 18. *sess.* 24. non requirit promotionem Vniuersitatis. Tum quia etiam non promoti, modo docti sint, ad id munus eligi possunt, iuxta quod dicam infra, à fortiori qualitercunq. promoti. Quare non obstant in contrarium adducta.

Nam ad *cap.* 2. *sess.* 22. promotio requiri- 11
tur in Vniuersitate respectu Episcoporum, de quibus solum ibi sermo est, in cæteris locis Tridentini, *vt sess.* 23. *cap.* 18 *sess.* 24. *cap.* 8. 12. *&* 16. fit mentio de Magistris vel Doctoribus, & Licentiatis, a quo autem, ne verbum quidem, ideo eorum promotio libera manet. Præfata Bulla Pij V. nostris 12
temporibus non facit ad rem, & quia reuocat Priuilegia retro annum 1568. concessa; & quia nostris temporibus nullus ex illis Magistris viuit, qui possit eligi in examinatorem, & si quis viueret, aliud cogitaret. De his Doctoribus Priuilegiatis vide Gratianum Disceptat. 186. Meipsum Resol. 29. à num. 104. & in Theatro præced. q. 195. de Doctoribus Bullatis.

Quarta pars, quod eligendi in examina- 13
tores debeant esse, vel Doctores, exprimitur in textu, vnde pari passu in hac re currunt Doctor, & Magister, vnde quod dictum est de Magistro locũ habet etiam in Doctore, nam pro eodem accipiuntur, differentes solum respectu subiecti graduati, nam Magister dicitur, secundum loquendi vsum de regularibus Clericis, Doctor verò de Clericis secularibus. Debent autem ambo esse promoti ille in Sacra Theologia, iste in Sacris Canonibus, vel ambo in Theologia morali, quod magis facit ad rem, valde docti, cum ad hos pertineat cognitio casuum conscientiæ, quorum cognitionem 14
debent habere examinandi ad Ecclesias Parochiales.

Quinta pars, quod saltem sint licentiati 15
in Theologia, vel iure canonico, requiritur expresse in Tridentino, adeo quod Magister, & Doctor, sicut & licentiatus debent esse docti in his duabus scientijs, & non in iure

iure Ciuili, cuius cognitio non est necessaria ad gubernandam Ecclesiam, licet sit valde vtilis tam examinatoribus, quam examinatis.

Quæres 2. Quis veniat nomine Clerici ex verbis Tridentini, ibi: *Vel alij Clerici*, qui scilicet possunt eligi in examinatores? An necessario debeant esse Sacerdotes?

16 ℞. Quamuis Tridentinum nomen *Clerici* non restringat, dum ex proprio eius significato comprehendit etiam Tonsuratum, & quemlibet initiatum minoribus, vel maioribus Ordinibus, in fauorabilibus, vt omnes cum barbosa hac appellat. 51. ac proinde non neget electionem ad id munus alicuius ex Clericis cuiuscunque Ordinis, rationabile tamen est, quod solùm Sacerdotes docti eligantur, cum debeant agere cum
17 Sacerdotibus, dum istos examinare debeant in ordine ad curam animarum.

Quæres 3. An non Magister, non Doctor, non Licentiatus eligi possit in examinatorem Synodalem?

18 ℞. Quando in loco non extant aliqui ex prædictis graduati, in hoc casu, eliguntur Clerici docti tum seculares, tum regulares; & si numerus graduatorum non sufficit, illis adiunguntur carentes illis, gradibus, qui cum graduatis habent vota æqualis valoris, & efficaciæ, sicut aliorum. Ita respondit S. Congr. in vna Sauon. 19. Februarij 1628. & in alia Turritana sub die 10. Martij 1629. cuius verba refert *Barb. de Parocho cap. 2. num.* 74 *&* 7. Et ita docent *Vgolin. de Offic. Episcopi cap.* 50. *§.* 5. *num.* 1. *Homob. de Statib. vitæ hum par.* 1. *cap.* 13. *vers. In his ergo*, *Masobr. Requis.* 11. *dub.* 2. *num.* 17. *apud Barb. ad Concilium num.* 103. *&* 104. Alia responsa refert *Fagn ad cap. Inter cæteras, de rescr. num.* 54. *& num.* 55. dicit ex Felino Doctorem non doctum, non esse in rerum natura, ac proinde eligendos Clericos doctos relicto Doctore ignaro.

Quæres 4. An gradus Regentiæ, Lectoratus, seu Baccalaureatus in Theologia faciant regulares eligibiles in examinatores Synodales?

19 ℞. Affirmatiuè, nam hi gradus æquipollent Magistris, seu Licentiatis in Theologia, in quibusdam enim religionibus Magisterium non est in vsu, vel prohibitum, vnde eius loco succedunt præfati gradus illis æquipollentes. Confirmatur quia hi gradus fortiores sunt, quam gradus Licentiati, cum ad hos perueniant honorati per examen magis rigorosum, dum ordinantur ad legendum actu, hi enim gradus non dantur nisi legentibus, Licentiatus vero non habet hoc onus, sed per licentiam demonstratur habilis, & idoneus ad recipiendum Magisterium, & lauream Doctoratus. Hoc insinuat Hurtadus *par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 5. *num.* 64.

Quæres 5. An laicus magnus Doctor non solum nomine, sed etiam re versatissimus in iure Canonico, & Theologia etiam morali possit eligi in examinatorem? Affirmat Hurtadus mox citatus num. 69. Tum quia id munus à Concilio non tribuitur Clericis priuatiue, sed solum cumulatiuè. Tum quia Tridentinum præscribit, quod eligantur viri idonei.

℞. Solùm Clerici æligendi sunt, nullus laicus, satis enim clarè loquitur Tridentinum, ibi: *vel alij Clerici*, ea enim dictio *Alij* extendit quantatem Clericatus ad Magistros, Doctores, & Licentiatos, vt probaui sub q. 1. Vers. Prima pars; vnde respondetur opinionem illius non subsistere, cum ab eo adducta argumenta nullatenus probent. Non primum, quia ibi textus priuatiue tantum accipitur, potestas enim cumulatiua, siue iurisdictio cumulatiua in eo consistit, quod à Superiore vni conceditur sine præiudicio alterius, supponente in vtroque habilitatem ad tale negotium, *cap. Per hoc* 17. *de haret.* in 6. Sed laicus inhabilis est ad tractanda negotia ecclesiastica, maxime quæ spectant ad prouisionem Ecclesiarum vacantium, vt est examinare, prohibentur enim laici administrare in Ecclesijs, *Cap. Iudicatum* 5. *dist.* 89. *cap. Bene* 1. *dist.* 96. *cap. In nona* 22. 16. *q.* 7. Ad secundum dico Concilium velle, vt eligantur viri idonei, sed reuera laicus ex hoc capite idoneus non est, licet idoneus, quo ad scientiam, sub eo enim vocabulo *Viri magis idonei* veniunt tantum Clerici, de quibus antecedenter Tridentinum fecit mentionem, non autem laici, quos nullo modo nominauit. 20 21 22

Quæres 6. An eligi possit in examinatorem Officialis pro tempore existentes? Exempli gratia Doctor Pœnitentiarius, Lectorem Theologiæ moralis in Vniuersitatem, Guardianus S. Francisci, Prior S. Augustini, &c. non expresso nomine personæ.

℞ Negatiuè, quia vota, quibus eligendi, & probandi sunt à Synodo, dirigenda sunt in certam personam, cuius idoneitas, & sufficientia nota sit approbantibus; Officialis autem persona cum non semper sit eadem, dum mutatur, & vna succedat alteri, non potest esse nota, ergo nec eligibilis. Confirmatur, quia vota incerta, cuiusmodi essent in hoc casu, nullius sunt efficaciæ, sed electionem faciunt irritam cap. 2. de elect. in 6. Nominanda est ergo persona eius nomine proprio, vt sciat Synodus, quem approbet. Ita *Garz. cap.* 2. *num.* 339. *Salgadus cap.* 9. *num* 76. *Filliuc. tract.* 41. *cap.* 4. *num.* 157. *Masobr. Requis.* 11. *dub.* 3. *ex* 23 24

illis Barb. de Parocho cap. 2. num. 55. & in Trident. num. 84. & Alleg. 60. num. 47. Castropal. p. 2. §. 3. num. 8. verſ. Nihilominus. Qui dicunt, intelligi electum & deſignatum illum, qui tempore electionis, & approbationis erat actu officialis, vti notus Synodo quæ approbationem dirigit in illum tantum; eoſdem ſequitur *Hurtadus tract. 12. cap. 1. num. 67. qui num. 68.* ait argumenta Castrop. eſſe friuola, ſed id non demonſtrat hac ratione, dum dicit, quia licet eligantur Officia, & non perſonæ particulares, poteſt Concilium exigere, vt quotannis fiat examinatorum electio. Nihil hinc infertur, quia verum quidem eſt, quod Concilium id exigere poteſt immo exigit, non ſolum de nominatis, ſed etiam de expreſſis nomine officijs intellectis tempore approbationis, & ſic ſunt virtualiter nominati.

Quæres 7. An de neceſſitate ſint eligendi ſex ad minus, itaut omnium electio ſit nulla ſi approbentur tantum quatuor, aut quinque?

25 ℞ Nulla eſt illorum electio, cum ſex pro forma proponat Concilium, vt Epiſcopus poſſit illis alternatiue vti in examine ſi vult. Ita declaraſſe S. Congr. refert *Garz. part. 9. cap. 2. num. 64. ex eo Caſtrop. p. 2. §. 3. num. 2.* Sicut enim examinatores duo tantum nihil faciunt pro examine, ita neque approbatio trium, aut quatuor, ſeu quinque nihil eſt; quia vbi requiritur determinatus numerus, eo omiſſo nihil fit, cum certus numerus in actu requiſitus omnino adhibendus

26 ſit *Decius in cap. Prudentiam, de offic. deleg. num 39.* Moronus Reſp. 97. num. 138. obijcit ſibi, dicens, valere electionem, licet tantum quatuor eligantur, licet male fieret non eligendo ſex. Probat, quia finis Concilij eſt, vt examen fiat coram tribus, qui finis poteſt obtineri poteſt etiam ſi eligantur tantum tres; & per accidens videtur eſſe, quod alij tres adiungantur.

Contra eſt, quia cum numero ſenario tantum detur alternatiua examinatorum, quam non gratis proponit Tridentinum, licet non ſub debito ſed ſub arbitrio Epiſcopi, manifeſtè colligitur Tridentinum enixe, & efficacitter velle illum numerum. Quare ad argumentum reſpondetur, aliud eſt, quod examen fiat cum tribus, aliud quod eligantur tot examinatores, vnde ex vno non infertur ad aliud, ex vulgatis Iuribus; præterea falſum eſt, alios tres adiungi per accidens, cum ſenarius numerus à Tridentino per ſe fuerit expreſſus. Aliter ipſe reſpondet ſuis obiectis num. 140.

Quæres 8. A quonam proponendi ſint, & approbandi examinatores Synodales?

27 ℞ Ex Concilio, eſſe proponendos ab Epiſcopo, vel eius Vicario, approbandos à Synodo his verbis: Examinatores autem ſingulis annis in diæceſana Synodo ab Epiſcopo, vel eius Vicario ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur. Nomine Synodi venit vera, & formalis 28
congregata ad tractandum de his, quæ ſpectant ad curam animarum, & reformationem morum, non autem ſi congregetur ad hunc ſolum effectum, vt in ea approbentur propoſiti ſex examinatores, alias nulla eſt eorum electio, & approbatio. It *Garz. par. 9. cap. 2. num. 67. Moronus Reſp. 97. num. 137.* Approbatio autem ab habentibus vocem in Synodo facienda eſt, vel ſecretò, vel viua voce, prout Epiſcopo placuerit. Piaſecius in ſua Praxi *par. 2. cap. 2 num. 4. Barb.* 29
ad Concil. num. 88 Hurtadus tract. 12. cap. 1. reſol. 6. num. 71. Et ſufficit, ſi electus reportet dimidiam partem ſuffragiorum habentium vocem in Synodo, *Maſſobr. Requiſ. 11. dub. 7. Barb. ad Concil. num. 84. & cap. 2 num. 56.* Ad minus ſex ſunt eligendi, ergo cum non prohibeatur vlterior 30
numerus multo plures poſſunt proponi, & approbari, ſed ſolum vſque ad viginti, vt reſpondit S. Congr *in Cæſaraug. 13. Martij 1623. ex Aldano apud Barboſam ad Concilium num. 85.*

Quod Examinator dicatur approbatus ſi 31
habeat dimidiam partem ſuffragiorum, vt ſupra retuli, non videtur ſubſiſtere, tum quia in omnibus electionibus attenditur exceſſus fauorabilis non medietas, vt dixi cap. 3. num. 25. Tum quia par non agit in parem ex ibi dictis num. 32. Tum paria vota contraria nihil fauorabile operantur, ibidem num. 27. vt dixi in cauſa probandi examinatos, quorum vota debent excedere ſaltem in vno vota contraria, aliter nihil actum fuit ad fauorem, ita pari ratione videtur dicendum in præſenti caſu, vt examinator non dicatur electus, niſi excedat ſaltem vnico voto. Tum quia Synodus approbat illos, qui ei ſatisfaciunt ibi: *qui Synodo ſa-* 32
tisfaciant, ideſt, qui complaceant ei, *& ab ea probentur*, ergo Synodus tota, hoc eſt, maior pars debet illos approbare, & non ſufficit medietas, cum non ſit Synodus, factum enim à maiori parte capituli, dicitur peractum à toto capitulo, *l. Nam quod li-* 33
quidè ff. de pen. legat. cap. 1. de ijs quæ fiunt à maior. par. l. Quod maior. ff. ad municip. Alia pro nunc non occurrit reſponſio, niſi quod hæc à nobis dicta procedunt in Concurſu plurium, quorum vnus alteri contradicit poſitiuis ſuffragijs. In examinatori- 34
bus autem vnus non contradicit alteri, ſed tacet, ac proinde videtur conſentire, & ſic ſufficit medietas alijs non contradicentibus.

Quæres 9. Quandiu durent huiuſmodi ſex Examinatores in Synodo approbati?

℞ Durant quouſque celebretur noua Synodus, neque æquum eſt, nec rationabile, 35
vt

vt reijciantur à noua propositione, & approbatione, nisi adsit aliqua culpa, vel causa, adiunctis alijs, qui nunquam fuerunt, in locum mortuorum.

36 Prima pars, de duratione quosq. fiat noua synodus, probatur. Tum quia in tantum durant per annum, in quantum singulis annis supponitur celebratio synodi, ergo si non celebratur, vlterius durant. Tum quia id Clare deducitur ex responso S. Congr. in Zamorensi, his verbis: Congregatio censuit, si nulla Synodus vnquam facta fuit, non valuisse examen per Concursum; si aliqua Synodus facta fuit, & electi Examinatores, licet non singulis annis, & præsertim eo anno, quo Parochialis vacauit, non ideo vitiari examen. Extendit eam *Barbosa de Parocho cap. 2. num. 96.* Et ita docent *Garz. par. 9. cap. 2. num. 73. Massobr. Requis. 11. dub. 1. Salgado cap. 9. num. 67. Hurtadus tract. 12. cap. 1. num. 73. iterum Barb. ad Concil. num. 83. Moron. Resp. 97. num. 141. Castropal. p. 2. §. 3. num. 3.*

37 Secunda pars, quod denuo proponantur superstites, probatur, quia dum Concilium id non prohibet, sed solum dicit, quod in singulis Synodis proponantur Examinatores non limitando ad nouos, vel veteres, non interdicit veterum confirmationem, quam merentur, cum se bene gesserint, ideo Synodus debet eos recognoscere. Possunt ergo confirmari, *Barb. cap. 2. num. 67. ad Concil. num.* 100.

38 Tertia pars, quod alij adiungantur superstitibus in locum mortuorum, probatur, quia expedit id, vt Episcopus vti possit alternatiua in illis vocandis ad examen, vt præscribit Tridentinum, ibi: Adueniente que vacatione cuiuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis sex eligat. Necesse ergo est, vt semper sint ad minus sex, vt possit eligere. Quare in locum mortuorum Episcopus alios eligat cum approbatione Capituli. Ita *Garz. cap. 2. num. 8. Massobr. Requis. 12. dub. 2. Salgado cap. 9. num. 70. ex illis Barb. de Parocho cap. 2. num. 57. ad Concil. num. 91. Hurtad. cit. num. 78.* dicentes, facultatem examinandi spectare ad superstites, licet vnus eorum tantum remansisset cum Episcopo, qui debet tunc supplere numerum mortuorum, saltem quo ad numerum ternarium, *idem Hurtadus num.* 80.

Dices ex Doctoribus allatis a Barbosa Allegat. 60. num. 49. & in Tridentino num. 93. Examinatores Synodales elapso anno, si aliqui ex eis mortui fuerint, officium omnium expirat, *ex Galeto, Riccio, Garzia, & Massobrio, ex Fagnano par. 2. ad cap. Cum sit, de ætate num. 54. ex Castrop. p. 2. §. 3 num. 3.* probat, quia non est locus exequendi dispositionem Concilij requirentis, vt ordinarius ex sex designatis tres ad minus eligat, cum non adsint sex designati, inter quos possint electio fieri.

℞. Illos Doctores esse intelligendos, quando singulis annis celebrare tenetur Synodum, vt insinuat Fagnanus, & alij, & non dicitur annus elapsus, nisi à publicatione sequentis anni Synodi, in his enim moralibus annus accipitur ciuiliter, non physice. 39
Nec ratio Castropal. vrget, immo facit pro nobis, si electio est necessaria, ergo alij sunt subrogandi, aliter Concilium non prouidisset sufficienter, si omnium facultas expiraret, vno, vel altero mortuo. Dic vlterius, 40
quod Episcopus non cogatur à Tridentino eligere alternatiue, sed potest vti eisdem tribus Examinatoribus in secundo examine, quos adhibuit in primo, vt clare dicitur ibidem, cuius verba retuli supra vers. Tertia pars. 41

Quæres 10. An Examinatores pro Concursu ad Parochiales eligi possint extra Synodum.

℞. Possunt eligi, si desunt Synodales tres aut alter eorum, itaut tempore vacationis non adsint tres ex illis, vt dixi in præced. quæst. Addo Gamantum V. Examinatores num. 10. Mortuis electus potest Episcopus extra Synodum de consensu Capituli vsq. ad Synodum alios eligere ex Decreto Clemen. VIII. relato à *Garzia cap. 2. num. 72. Ricius par. 1 resol. 366.*

Quæres 11. An examinator suum Officium alteri delegare possit?

℞. Negatiue, quia cum possit se excusare cum Episcopo, qui illum vocauit, non est necessaria delegatio, præterquam quod Episcopus inuitat talem personam, & non aliam, ergo frustra delegat, cum ex electione personæ non solum ratione indiuidui, verum etiam ratione talis exercitij, censetur negare delegationem, quæ supponit in delegante iurisdictionem non solum ordinariam, sed etiam ex ea obligationem realem, qua mediante possit fieri delegatio à persona ad personam, quæ in examinatoribus est obligatio tantum personalis examinandi per se ipsum. Et id patet etiam ex Tridentino, quod Episcopo mandat, vt tres eligat, qui cum illo examen perficiant, ergo ad ipsum examinatorem non spectat delegare alium pro se ad examen, quia id esse eligere, quod, vt dixi, spectat ad solum Episcopum. Hurtadus tract. 12. *cap. 1. num. 156. & seq.* multa congerit ad id probandum. Demum Episcopus non potest delegare suam præsidentiam ad examen, *cap. 3. num.* 13. Ergo nec examinator suum exercitium, cum per delegationem neuter delegatus fiat Episcopus, vel Examinator. 42

Quæres

Quæres 12. An examinator electus, & vocatus ab Episcopo possit se excusare, & non comparere ad examinandum?

43 ℞. Affirmatiue, quia nemo cogitur acceptare electionem de se factam, dum requiritur electi consensus, *cap. Cupientes 16. de elect. in 6. §. Cæterum*. Sed vocatio ad examen est species electionis, ex Trident. ibi: *Tres ex illis eligat Episcopus*, potest ergo humiliter dissentire, excusando se. Et in hoc nulla est difficultas.

Quæres 13. An examinator possit recusari ab examinando?

44 ℞. In rigore loquendo non potest recusari, quia recusatio supponit iudicem citasse reum ad respondendum, & se tuendam in causa Ciuili, vel Criminali; sed in concursu Beneficiorum quo ad examen nullus citatur, nullus cogitur subire examen; sed id omnibus Clericis liberum relinquitur, in

45 Trident. ibi: *Liberum sit*. Et infra. Per Edictum publicum vocentur qui volent examinari. Ergo non est locus recusationi. Vnde si diffidat, aut non accedat, aut roget Episcopum, vt mutetur examinator.

Contrarium ex Gonzal. *Gloss. 9. §. 1. in Annotat. num.* 186. *Massobrius de elect. magis idonei Requis. 5. dub* 3. tenet, subiungens, quod iusta interueniente causa posset appellare, si non admitteretur recusatio, ad traditam per Abbatem *in cap. Quia propter de elect. num.* 14. *fine*. Sed Abbas ibi loquitur de recusatione Scrutatorum in electionibus ab Prælaturas, cum dubitatur de eorum fidelitate, & secretudine in perscrutatione suffragiorum, circa quod electores ius habent id faciendi, vt legitime sequatur electio; in casu autem nostro descriptus nullum ius aquisiuit contra examinatores; vnde solum rogare potest, vt mutetur examinator, qui deinde examinabit cum alijs descriptos omnes. Deinde sequitur absurdum, quod omnes possent recusari singulariter, ab hoc, vel illo examinando, & sic frustraretur electio facta ab Episcopo.

Quæres 14. An eligendus sit ab Episcopo Consanguineus, vel affinis vni eorum, qui concurrunt ad examen?

46 ℞. Negatiue, quia suspectus est propter parentelam, vt probaui in alio simili casu *cap. 2. num.* 20. De conditionibus requisitis examinatoribus Homob. *de Statib. Vitæ humanæ par. prima cap.* 13.

Quæres 15. An iuramentum dandum Examinatoribus in eorum electione sit de forma, itaut eo omisso, electio nulla sit?

47 ℞. Est de forma substantiali sub illis verbis: Iurentq. ad Sancta Dei Euangelia, se quacunq. humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Quod autem sit de forma substantiali colligitur ex sequentibus verbis: Alias prouisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur. Contra formam supradictam, quod sit iurandum, est omissio ipsius iuramenti, ac proinde, quæ dependent ab ipso electio scilicet, examen, & huius generis. Et ita docent *Homob. cap.* 13. *vers.* 2. *Filliuc. tract* 41. *cap.* 4. *num.* 158. *Massobr. Requis.* 14. *dub.* 1. *& dub.* 2. *cum Garz. part. 9 cap. 2. num.* 356. esse de forma, quod tangantur Sacrosancta Euangelia, vt insinuant supradicta verba. Sufficit, quod recipiatur a Notario Ecclesiastico extra Synodum, ex eisdem citatis à Barbosa *ad Concilium num.* 105. *& de Parocho cap. 2. num.* 76. 78. *&* 79. vbi refert ad verbum decisionem Sacræ Congregationis.

Hurtadus tenet contrarium *tract.* 12. *cap.* 1. *à num.* 94. & probat primo, quia quando Concilium requirit aliquid pro forma substantiali, id explicat grauibus verbis; ad quod adducit *cap.* 12. *sess.* 24. vbi non facientes professionem fidei, fructus non faciunt suos, nec possessio illis suffragatur; Talia 48
autem verba, nec similia sunt in Tridentino, ergo non est forma substantialis, sed accidentalis, & exemplificat in forma adhibenda ad excommunicandum, nempe cum Scriptura, & expressione causæ, quibus tamen omissis, valet lata sententia, cum sit talis forma accidentalis, *cap. 1. de sent. excom. in 6. Probat secundo*, quia lex quando præcipit aliquid faciendum, conditione non apposita, illud est tantum forma accidentalis, nisi aliud exprimat; sed in Concilio nihil aliud exprimitur, quod inferat formam substantialem, ergo eius defectus non irritat Concursum. *Probat tertio* explicando Responsum S. Congr. & Decisionem Rotæ in vna Parochiali 15. Ianuar. 1593. sub Mantica, in quibus declaratur nulla prouisio defectu iuramenti in Examinatoribus, intelligendum esse pro foro iudiciali, & externo, & secundum eorum opinionem probabilem, subiungendo propriam eius opinionem esse probabiliorem, & tutam in foro animæ. Est opinio *Castropal. p. 2. §. 4. num. 7. & probat quarto*, hoc iuramentum faciendum est ab examinatoribus electis, approbatis, & constitutis in Synodo, ergo non pertinet ad formam examinis, sed ad rectum illius vsum, sicut iuramentum, quod præstant iudices, & tabelliones, vt recte exerceant sua munera.

Ad primum respondetur formam iuramenti exprimi modo imperatiuo, & ad ipsum quoq. referri decretum irritans, de quo verba retuli in probatione, forma ergo constat verbis grauibus non minus quam illud *cap.* 4. ab eo citatum; quare Examinatores 49
Synodales constituuntur, & perficiuntur essentialiter ex tribus, electione, approbatione Synodi, & iuramento. Ad exemplum dico,

dico, ex ea Decretali constare Clare eum formam esse accidentalem, quia ea omissa dicitur in textu, quod superior, ad quem recurrit excommunicatus, debeat illum absoluere sine difficultate; cum ergo Decretalis non habeat clausulam irritatiuam, sicut Concilium, frustra ea allegatur.

50 Ad secundum patet ex prima responsione Tridentinum habere decretum irritans omnium præcedentium, ac proinde eam iuramenti formam esse substantialem, ex dictis *cap.* 1. *num.* 41. Itaq. illa verba decreti,
51 *Præter Supradictam formam*, licet in singulari expressa, tamen comprehendunt plura nimirum edictum, concursum, examen coram Episcopo, electionem, approbationem, & iuramentum examinatorum, & huius generis, singulari enim sepe numero vtimur pro plurali, vt dicitur *l. In vsu* 158. *ff.* de verb. sign. est enim notum apud Logicos quod genus, & species in singulari expressa de pluribus prædicantur, cum sint vniuersalia.

52 Ad tertium dico, forum internum non discrepare ab externo, nisi quando is fundatur in præsumptione falsa, vt multis citatis docent *Castropal. par.* 1. *disp.* 3 *p.* 2. *num.* 4. *Sayrus in Claui lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 24. *Vericellus tit.* 2. *de opin. q.* 12. *num.* 5. *Moronus Resp.* 45. *num.* 12. Certum autem est non esse locum hic præsumptioni, cum clarum sit exigi iuramentum, ergo forus conscientiæ non debet discrepare à foro externo, sed illi conformari. Hinc est, quod eius opinio est opinacio, carens scilicet probabilitate, ex quo enim certum est, quod iuramentum præscribitur pro forma, ac proinde dubitent aliqui an sit substantialis, an accidentalis, habenda est in dubio pro substantiali, vt probaui *sub cap.* 1. *num.* 42. Circa decisionem Manticæ, quam ego legi ad verbum, quæ est in eius Codice 210. impressionis Iuntæ 1618. fol. 273. ne verbum quidem de iuramento Examinatorum dicitur.

Ad quartum argumentum, quod est Castropalai dico, Iuramẽtum respicere quidem rectum vsum in examinando, non ideo rectus vsus arguit, non esse de substantia validæ electionis, & approbationis, cum hæc
53 sine Iuramento non perficiantur. Et hinc est, quod Iuramentum à iudicibus, & notarijs, dum creantur, omissum non inficit eorum acta, nec creantur inualide, quia nullibi inuenitur contra eos decretum irritans, si non iurent, vt exprimitur in Tridentino contra examinatores non iurantes.

Quæres 16. An vitium Simoniæ irritet examen, & inde omnes prouisiones, atq. ipsi examinatores perdant potestatem examinandi in alijs concursib. Item an ipsi Examinatores propter acceptum, siue multum, siue modicum, præter Simoniam, teneantur renuntiare suis Beneficijs ante declaratoriam criminis Simoniæ, cum inhabilitate ad alia?

℞. Vitium Simoniæ irritat examen, & 54
efficit inhabilem examinatum, qui dedit aliquid Examinatori vni, vel alijs; recipientes autem non perdunt officium examinandi in alijs concursibus, incurrunt tamen priuationem suorum Beneficiorum post declarationem perpetrati Criminis Simoniæ, & fiunt inhabiles ad alia etiam ante declarationem; hæc autem pœnæ supponunt receptum munus esse notabile.

Prima pars de irritatione examinis probatur ex Tridentino *cap.* 18 *sess.* 24. ibi: Caueantq. ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alij dantes incurrant, à qua absolui nequeant, nisi dimissis Beneficijs, quæ quomodocunq. etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus, non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Prouinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint. Horum explicatione præfata conclusio in suis partibus probatur.

Irritum ergo est Examen Simoniace per- 55
actum, siquidem Simonia in beneficialibus talis est efficaciæ, quod inficit omnes actus ab ea pendentes, vt colligitur ex cap. Cum detestabile 2. extrau. com. de Simon. illis verbis: Per electiones vero, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quaslibet alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, &c. aut cuiquam ius nullum aquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, &c. Confirmatur quia taliter examinatus nullum ius aquisiuit ad Beneficium interposita Simonia, ergo pro nihilo habendum est. Insuper Examinatus, qui dedit aliquid factus est inhabilis ad Beneficia obtinenda, ex Tridentino, ergo examen nullius est momenti, dum illi nihil prodesse potest ad obtinendum Beneficium; nam ex valido examine rite Examinatus, & approbatus aquirit ius saltem remotum ad Beneficium, *Barb.* 56
Alleg. 60. *num.* 54. *Hurtadus par.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 28. Sed Simoniacum examen nullum dat ius, ergo inualidum est.

Secunda pars, quod Examinator Simo- 57
niacus non perdat Ius, & Officium, examinandi in alijs Concursibus, in quibus bene vtitur officio suo, probatur, quia tunc Simoniace non examinat, ergo rectum, & validum producit Examen, quod cum approbatione est vtile concurrenti, Simonia enim

quo

quo ad hunc nullitatis effectum non excedit, nec extenditur ad alios effectus, qui carent labe Simoniæ, vnaquæq; enim causa limitata propriam non excedit effectum, sed ad illum tantum terminatur.

58 Tertia pars, quod Examinator ratione Simoniæ in causa Examinis incurrat priuationem Beneficiorum obtentorum cum inhabilitate, probatur hic ex textu claro, tam in foro conscientiæ, & coram Deo, quam externo, illa tamen dimittere non tenentur, nisi secuta declaratione criminis Simoniæ, & ita docent omnes fere Doctores cum Castropal. *de Simonia disp.3.p.* 25.*num*.4. *Thesaurus de Pœnis par.* 1. *cap.* 30. *q.* 1. Retinet ergo possessionem naturalem, & titulum vtile, quousque per sententiam declaratoriam cogatur illa dimittere, & in nostris terminis docet *Hurtadus par.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *num*.9. alios citans.

59 Quarta pars, de inhabilitate ad obtinenda Beneficia respectu recipientis, & dantis, patet tum ex Tridentino, tum ex dicta extrauag. ita quod non possunt fieri habiles, nisi prius absoluantur, ita præcitatus Hurtadus. Videtur tamen obstare clare Tridentinum, ibi: *Absolui nequeant, nisi dimissis Beneficijs*, ergo non est expectanda declaratoria. Ea verba referuntur potius ad absolutionem pro foro externo, quam pro foro conscientiæ. Vide dictum Hurtadum cit. num. 9. referentem Doctores dicentes id cum tanto rigore non fuisse receptum, nimis enim rigidum est, seipsum priuare Beneficio contra illud axioma: *Non dico vt te prodas*.

60 Quinta pars, quod requiratur quid notabile ad incurrendas dictas pœnas probatur, quia non est verisimile, quod ex leui delicto incurratur grauissima pœna, vti est priuatio; pœna enim debet esse proportionata delicto, *Deuter. cap.* 25. *cap. Non afferamus* 21. 24. *q.* 1. *cap. Felicis* §. *illud*, *de Pœnis in* 6. non proportionatur autem si quid leue recipiatur, quod non sit peccatum mortale, cuiusmodi sunt esculenta, & poculenta, quæ biduo, aut triduo consumantur ex Bulla Pauli II. incip. *Munera excecare* 3. Dixi aut triduo, quod verbum est in Summario, sed in textu sub §. 1. restringuuntur ad biduum. Dari autem paruitatem materiæ in Simonia docent citati à *Diana par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 2. & in nostris terminis Zerola *de Episcopo par.* 1. *v. Parochia dub.* 11. vbi Examinator recipiens tres iulios non esse reum Simoniæ quo ad forum conscientiæ, modo non accipiat, vt faueat examinando; ferre idem dicit Ledesma, & cum illis Hurtadus num. 37. distinguens de donatione facta ante consecutionem Beneficij, & sic prohiberi à Concilio, quia præsumitur facta pro consequendo Beneficio, & non liberaliter, & gratiose tamquam antidotale donum, & hoc modo, ait, non prohiberi à Tridentino. Certe melius est ab his abstinere.

Quæres 17. An assignari possit stipendium annuum Examinatoribus pro labore subeundo in Examinatione?

℞ Affirmatiue, quia in Tridentino id non prohibetur, vt patet ex verbis ipsius Concilij, quod prohibet solam dationem, & receptionem occasione Examinis, & Iure priuato, non verò si Iure publico assignetur illis annuum stipendium ex redditibus Ecclesiæ Catedralis, vel ex liberalitate Episcopi, exclusis semper redditibus Ecclesiæ vacantis; item si extaret legatum factum ab aliquo viro pio, deberet illis dari. Hurtadus docet id practicari in Hispania etiam ex bonis Ecclesiæ vacantis; sed hoc præcipue faciendum non est, cum sit decisum à S.Congreg. si fiat pro Concursu Parochialium, vt docent *Barb. Allegat.* 60. *num* 52. *Garz. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 368. *vbi num.*374 *apud dictum Hurtadum n.*46. refert verba Sacræ Congr. quæ sunt: Neque Episcopus, neq; Synodus possunt statuere aliquod stipendium etiam minimum Examinatoribus pro Concursu parochialium, & si secus fecerint, Decretum sit irritum, & nullum. Nostra responsio est extra hunc casum, qui loquimur pro labore, vel ex legato, non pro concursu. 61

Quæres 18. An ad hos Examinatores tantum Synodales spectet examinare ad confessiones, & ordines? Et prohibeantur in Tridentino recipere aliquid?

℞. Non solum examinatores Synodales, sed quosuis alios Sacerdotes peritos immo nondum Sacerdotes Episcopus vocare potest ad examinandum Sacerdotes pro Confessionibus, & Clericos pro Ordinibus, quia in cap.7. vbi de examine ordinandorum, & cap. 15 de Sacerdotibus examinandis ad Confessiones sess. 23. nulla fit mentio de examinatoribus neque Synodalibus, neq. extrasynodalibus, relinquitur ergo id prudenti arbitrio Episcopi, qui pro ordinibus etiam non Sacerdotes, modo sint periti vocare potest; pro confessarijs vero meo iudicio solum Sacerdotes, nec sit examinor inferior ordine. 62

Quod spectat ad Simoniam dico Tridentinum nihil super hoc decernere, vt legi potest locis citatis, & cum in odiosis, & pænalibus lex non sit extendenda de casu ad casum, *l. Factum cui* 198. §. *In pænalibus ff. de regul.iur. cap. in pænis* 49. *eod. in* 6. *Gratian. cap.* 972. *num.* 13. *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 39. *cap.* 21. Examinatores ex Tridentino solum sunt rei pænarum ibi expræssarum pro examine ad beneficia vacantia, non Confessionum, aut Ordinum. Præterea cum *in cap. cum detestabile, extr. com.* de sim. 63

sim. fiat solum mentio de collatione, sicut & in cap. 1. de reform. sess. 21. & quod pro dimissorijs nihil recipiatur &c. nulla facta mentione de examinatoribus ad ordines, nec ad Confessiones, non incurrunt, præter peccatum Simoniæ, pœnas Excommunicationis, & inhabilitatis, seu alterius generis, cum hæ incurrantur tantum ab expressis in iure, in quo nullæ exprimuntur contra examinatores ad ordines, & Confessiones.

Quæres 19. An examinatores cum Episcopo sint Iudices Ordinarij in causa examinis, & relatione facienda de examinatis?

66 ℟. Affirmatiue, quia ab ipsis coram Episcopo, & cum eodem Episcopo debent facere examen, & eos approbare, vel reprobare, iuxta responsa data, & renuntiare, ac referre Episcopo iudicando super eorum idoneitate, vt dicitur in Tridentino, quod Officium arguit illos esse Iudices in hac causa, & quidem ordinarios, tales enim
67 sunt, qui à lege dantur, cap. Cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin. Et in his terminis ita docet Hurtadus *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 353. *&* 358. probans *ex Menochio lib.* 2. *præsumpt.* 26. *num.* 31. *Sarauia de Adiunctis q.*
68 32. *num.* 7. *Mastrillo dec.* 202. quia quando iudex adiungitur. Ordinario à lege, & ipse cum eo est ordinarius, si à Principe est tunc delegatus; sed examinator non ab homine, sed à lege adiungitur Episcopo, ergo cum ipso est ordinarius, ac proinde cum eo vnum facit Tribunal, vt probaui *cap.* 3. *q.* 6. *num.* 11.

Quæres 20. An Examinatores dum absunt à Choro occupati in examine lucrentur distributiones.

69 ℟. Negatiue, etiamsi adsit consuetudo confirmata in Synodo, vt recipiantur per absentes Inquisitores, Examinatores Synodales, & Canonicos, qui non ex officio, sed voluntarie se confessionibus audiendis exponunt, hi tres occupati in suo munere non lucrantur distributiones, vt decreuit Sacra Congregatio, teste *Fagnano part.* 4. *ad cap. Licet, de Prabend. num.* 104. *Barbosa in Decis. Apostol. V. Examen num.* 14. de examinatoribus Ordinandorum, & Confessariorum. De reprobata consuetudine recipiendi distributiones per absentes *in cap. vn. de Cler. non resid. in* 6. fit mentio in *sess.* 24. *cap.* 12. vbi confirmatur. Nulli ergo dantur nisi interessentibus personaliter Choro, sunt enim merces laboris pro opere diurno.

Quæres 21. An nondum Sacerdos, immo nec in Sacris Constitutus possit eligi in examinatorem Synodalem?

70 ℟. Sic, quia Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 18. requirit eos esse Clericos siue graduatos, siue non, modo sint idonei ad id munus, tam Seculares, quam Regulares cuiuscunq. Ordinis Clerici autem nomine veniunt à Prima Tonsura ad Sacerdotium, maxime in fauorabilibus, ex allegatis à Barbosa Appellat. 51. Confirmatur, quia Vicarius Generalis potest quis esse licet sit solum Tonsuratus, & examinare, sicut facit Episcopus, vt patet ex eodem capite, ergo à fortiori Clericus potest esse examinator, cum sit quid minus, quam esse Vicarius. Is nihilominus pro sua idoneitate probanda requirit gradum Doctoratus in Sacris Canonibus, seu in Theologia. Vide supra num. 16. vbi dixi, esse rationabile, quod sint Sacerdotes, hoc tamen non infert nullitatem Electionis aliorum.

CAPVT QVINTVM

De Examine ad Ecclesias vacantes.

SVMMARIVM.

1 *Refertur textus Tridentini cap.* 18. *sess.* 24.
2 *Examinatio est actus ecclesiasticus, & Spiritualis.*
3 *Spirituale duplex, in substantia, & in se, atq. per participationem.*
4 *Examinatio est Spiritualis per participationem ad ius beneficiale.*
5 *Medium, & finis eiusdem rationis sunt, cum medium à fine sumat speciem.*
6 *Est actus iudicialis.*
7 *Sententia est interlocutoria, approbatio, vel reprobatio.*
8 *Sententia definitiua terminat totum negotium principale, interlocutoria articulum eius.*
9 *Examen est pars perfectiua concursus.*
10 *Delegari non potest examen.*
11 *Examen est de forma substantiali, ad quod tenetur etiam doctissimus.*
12 *Factum esse debet capitulariter.*
13 *Priuatum examen etiam capitulariter faciendum est.*
14 *Quatuor personæ debent concurrere ad examen.*
15 Qui cum eo *arguit copulationem vnius cum alijs.*
16 *Examen est species electionis.*
17 *Examen componitur ex interrogationibus, responsionibus, & votis capitulariter actis.*
18 *Omnibus examinatoribus simul audientibus.*
19 *Vota secreto melius danda.*
20 Capitulariter *antequam exeant à loco examinis.*
21 *Renuntiant Episcopo non solum literaturam, sed etiam ætatem, & mores.*
22 *Nisi præmissa fuerit informatio, de qua*

D in-

in cedula.

23 *Sinodalibus mixti non Sinodales inficiunt Examen, si dent vota cum illis.*

24 *Contrarium tenent alij.*

25 *Aprobatus aquirit ius certa idoneitatis.*

26 *Descripti omnes sunt examinandi.*

27 *Impeditus admittitur ad Examen post tempus.*

28 *Ante lapsum Edicti non valet Examen.*

29 *Forma non seruata omnia ruunt.*

30 *Ablatiuum indicat formam substantialem.*

31 *Examen nullum ex Edicto die affixionis non expresso.*

32 *Examen terminatur sequenti die, si non potuit absolui primo die.*

33 *Examinatores tenentur suum votum dare.*

34 *Accedere Episcopus non potest reprobatis.*

35 *Facit enim de non approbato approbatum, non de reprobato approbatum.*

36 *Reprobare est nihil velle declarare.*

37 *Examinatores debent iudicare quo ad literas, & mores.*

38 *Nisi relinquant iudicium de moribus Episcopo, vel id includatur in votis.*

39 *Examen duplex publicum ex Concursu, & priuatum sine Concursu.*

40 *Quando priuatum contingat.*

41 *Nomine Deputatorum in Tridentino quid?*

42 *Priuatum Examen fit ab Examinatoribus Synodalibus.*

43 *Admissus ad secundum Examen videtur inferior alijs primo approbatis.*

44 *Admittitur reprobatus in resignatione Beneficij.*

45 *Resignatio excludit vacationem, quia vnus alteri immediate succedit.*

46 *Examinatus, & approbatus non rexaminatur a successore conferente Beneficium.*

47 *Regularis Confessarius rexaminatur à nouo Episcopo.*

48 *Rexaminatio requirit nouam causam.*

49 *Nulliter obtinens Beneficium rexaminatur.*

50 *Vnico comparenti ex Concursu confertur Beneficium.*

51 *Negligentibus iura non subueniunt.*

52 *Negligentia vnius alijs nocere non debet.*

53 *Concursus sufficit ex proposito Edicto, licet plures non Examinentur.*

54 *Beneficium habens potest examinari ad ordines suscipiendos.*

55 *In receptione Sacramentorum non habet locum decretum irritans.*

56 *Supponere se Examini pro alio non licet.*

57 *Semel Examinatus amplius non est Examinandus.*

58 *Intellige, nisi superueniat noua causa.*

59 *Examinari potest quis pro quolibet officio.*

60 *Examinatus approbatus aliquale ius aquirit.*

61 *Parochus ad aliam Parochialem examinatur.*

62 *Vicarius, Archidiaconus, Pœnitentiarius rexaminantur.*

63 *Medicus rexaminatur.*

64 *Rexaminatur ad dissimile, vel maius officium, vel Beneficium.*

65 *Rexaminatur à Successore.*

66 *Regulares Confessarij iterum examinantur.*

67 *Noua causa dat ius iterum examinandi.*

68 *Remedio egent, quæ de nouo emergunt.*

69 *Episcopus examinat.*

70 *Respondens bene in pluribus, licet in alijs male potest approbari.*

71 *Patronalia requirunt Examen.*

72 *Siue sint curata, siue non à quocunque fiat præsentatio.*

73 *Etiam si præsentatio fiat à Cardinali.*

74 *Idoneitas probatur per Examen.*

75 *Examen in omnibus patronalibus est de substantia.*

76 *Curatum, Patronale, & Simplex sine cura, & Patrono.*

77 *Pro simplicibus non Patronalibus sufficit Examen ordinationis.*

78 *Ordinandi prius sunt examinandi.*

79 *Nisi sint noti Episcopo.*

80 *Synodales sunt adhibendi Examinatores.*

81 *Necessarij in omnibus Curatis, & patronalibus.*

82 *Examen non est delegabile.*

83 *Appellatio ad subter fugiendum Examen non datur.*

1 ELapso Edicti tempore, inchoandum est examen omnium descriptorum in actis pro Ecclesiæ vacantis prouisione, faciendum ab Episcopo cum tribus examinatoribus Synodalibus capitulanter cum eodem congregatis in loco ab eo designato, vt dicitur *sess.* 24. *cap.* 18. illis verbis: Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, siue eo impedito ab eius Vicario Generali, atq; ab alijs examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares, vel singulares fuerint accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Textus iste ex parte explicatus fuit in præcedentibus, prout infra apparebit in quæstionibus.

Quæres igitur primo, an examinatio sit actus non solum Ecclesiasticus, sed etiam Spiritualis.

℞. Ra-

2 ℟. Rationem vtriusq. participat, nam actus ecclesiasticus est ille, qui non potest legitime procedere nisi à persona ecclesiastica; sed examen hoc nonnisi ab ecclesiasticis procedit, nempe ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, & à tribus examinatoribus Clericis, & nullis Laicis, hi enim non admittuntur ad examen passiuum *cap. 2. num. 22. neq. actiuum cap. 4. num. 20.* cum sint incapaces negotiorum, & actuum Ecclesiasticorum, ibidem *num. 22.* ergo examinatio est actus ecclesiasticus, cum à solis ecclesiasticis procedat. Quod sit spiritualis, nam spiri-
3 tuale duplex est, vel de se, & substantialiter, vt gratia, & dona supernaturalia, vel causaliter vt Sacramenta ratione Collationis gratiæ in sua materia, & forma, hæc enim duo Spiritualia sunt in ordine ad spiritum, & animam, quæ per illa Spiritualizatur, & Sanctificatur; & hoc in sensu examinatio non est actus Spiritualis, quia animam non sanctificat; ergo erit Spiritualis
4 actus per participationem à spiritualibus, cum quibus habet coniunctionem, cuiusmodi sunt Calix Consecratus, Beneficia, decimæ, oblationes, Iuspatronatus, hæc enim dicuntur Spiritualia per participationem à Spiritualibus, quibus coniunguntur, de quibus dixi cap. 1. de Profess. Regul. Impressionis Venetæ num. 61. Ad rem, ille actus est Spiritualis, qui ordinatur ad rem Spiritualem, finis enim, & mediorum est eadem
5 ratio *l. Oratio 16. ff. de Sponf.* media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, *ex eadem l. Barbosa Axiom. 99. num. 2.* Vnde medium eodem modo iudicatur, quo finis, *l. Titia Seio 89. §. Seia liberis ff. de legat. 2. Bald. in l. Vn. C. de caduc. tollenda.* Et media specificantur à fine, ad quem ordinantur, secundum Philosophos, & Theologos cum D. Thoma *l. 2. q. 1. art. 3.* finis enim est de ratione eorum, quæ sunt ad finem. Certum autem est examen ordinari ad consequendum Beneficium, quod sine eo consequi non potest, ergo ab eo denominatus, & sumit speciem Spiritualitatis, cum Beneficium sit ius Spirituale ex sententia omnium *apud Castropal. de Benef. p. 1. num. 1. & 2.* Et ita colligo ex Tridentino *cap. 18. sess. 24.* vbi dantes, vel recipientes aliquid pro examine incurrunt Simoniam, quæ incurritur, quando Temporale, & Spirituale miscentur in contractu in sententia omnium cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100.

Quæres 2. An examinatio sit actus iudicialis?

6 ℟. Affirmatiue, probatur ex Tridentino, ibi: Peracto deinde examine renuntientur quodcunq. ab his iudicati fuerint, ætate, moribus, & Doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerint. Patet ex his examinationem esse actum iudicialem perficiendum renuntiatione prædictorum, vt inde Episcopus eligat digniorem ex approbatis.

Quæres 3. An sententia lata super examine siue reprobatiua, siue approbatiua sit definitiua, seu interlocutoria?

℟. Est interlocutoria, non definitiua, vt 7
colligitur ex definitione vtriusq. illa enim est definitiua, quæ terminat principale negotium, & Iudex vlterius non procedit, quia 8
in ea functus est Officio suo, ex hoc enim dicitur definitiua, quia per eam finiuit negotium; interlocutoria vero est illa, quæ in tractu negotij principalis interponitur, sine eius expeditione, vnde definitiua respicit terminationem causæ principalis; interloquutoria tangit aliquem illius articulum, *Barb. ad Rubr. tit. de sent. & re iud. num. 5. & 6.* Manifestum autem est, sententiam approbatiuam, vel reprobatiuam examinis esse non decidere principale negotium, quod est Beneficij collatio. Ita *Rota part. 1 decis. 591. num. 3.*

Quæres 4. An examen dicatur pars concursus perfectiua?

℟. Affirmatiue, quia examen fit de omnibus, qui descripti in actis, & cedulis, quæ 9
mittuntur examinatoribus cum nominibus eorum, qui volunt examinari ad Beneficium, cum ergo examen fiat concursu omnium descriptorum sequitur, quod examen sit pars Concursus, vt idem dixi *cap. 1. num. 47.*

Quæres 5. An examen à deputatis examinatoribus possit delegari alijs?

℟. Negatiue *cap. 4. num. 43.* quia hæc est 10
obligatio personalis, & simplex exercitium tentatiuum literaturæ personæ examinandæ, ac proinde indelegabile.

Quæres 6. An examen sit de forma substantiali, itaut omitti non possit e.g. respectu viri doctissimi vti Lectoris Iuris Canonici, vel Theologiæ moralis, pro tali ab omnibus doctis habiti?

℟. Est de forma substantiali, ita quod 11
nulla sit collatio Beneficij facta huic viro sine examine. Colligitur ex Tridentino, quod tale examen requirit & vocat illud formam, ibi: Præter supradictam formam, scilicet Concursus Edicti, examinis, & coram Episcopo cum tribus examinatoribus Synodalibus. Et infra, quod Beneficium non detur, nisi digniori inter examinatos, ibi: Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atq. illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eã conferre. Nota illa verba: Ex hisque Episcopus eum eligat. Idest examinatum, & approbatum. Immo & in casu, quo non expediat proponere Edictum

vel nullus compareat, adhuc Episcopus non potest conferre Beneficium Clerico, nisi subeat priuatum examen, vt dicitur prope finem dicti cap. 18. Ergo ex his manifeste patet Tridentinum pro forma requirere examen quo Clare dicitur etiam in Bulla Piana in fine, quod nullus subterfugere potest, quamuis esset monarcha inter omnes Theologos, & Canonistas. Ita docent omnes cum *Tuscb. lib. 2. de Visitat. cap. 5. num. 10. Paris. lib. 8. de Resign q. 9. num. 83. Garz. par. 9. cap. 2. num. 102. cum alijs Barb. Allegat. 60. num. 13. Riccius par 1. resol. 362. Hurtadus tract. 12. cap. 1. resol. 10. num. 115. & 140. Seraph. decis. 1323. Merlin. decis. 71. num. 1. & 2.* Nam Concilium, & Bulla Pij V. habent Decretum irritans, vt sæpius dixi in præcedentibus. Idem Barbosa ibidem sub num. 86. plures alios citat.

Quæres 7. An examen nullum sit factum singulariter ab Examinatoribus non congregatis Capitulariter coram Episcopo?

12 ℞. Nullum est, quia Tridentinum requirit Capitularem Examinationem illis verbis: Examinentur ab Episcopo, atque ab alijs Examinatoribus. Et infra Tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo Examen perficiant. Iterum infra. Peracto deinde examine renuntientur quodcumque ab his idonei iudicati fuerint. Ita quod nec priuatum Examen singulariter fieri possit ex eodem

13 ibi. Hac forma omissa scilicet Edicti, priuatum aliud Examen, cæteris tamen, vt supra seruatis adhibere. Scilicet per Examinatores simul congregatos coram Episcopo.

14 Quatuor ergo personæ sunt de forma huius Examinis in vnum simul congregatæ, Episcopus, vel eius Vicarius cum tribus Examinatoribus Synodalibus, in his enim quatuor personis Examinantibus consistit forma Examinis, vt probatum fuit in præcedenti quæstione, & Capitularis earum Congregatio in vno loco Examinantium. Ex allatis Tridentini Clausulis manifestè colligitur Capitularis Examinatio, prima habet siquidem copulatiuam *atque* coniunctionem, quæ in hac actione requirit vtrunque simul Episcopum, & Examinatores; secun-

15 da habet dictionem ibi: *Qui cum eo*, arguens copulationem vnius cum alio, & actionem reddit in diuiduam, *Surd. dec. 88. num. 11.*

16 *Rota par. 5. decis. 545. num. 7.* Ratio horum est, tum quia Examen est species electionis, quæ nonnisi Capitulariter fit, *Panorm. in cap. Cum omnes, de constit. num. 7. Abbas, & Innoc. in cap. In Genesi, de elect. Lauor. tit. 4. de elect. cap 19. num. 41.*

17 Tum quia iudicium de idoneitate ex capite literaturæ fieri non potest, nisi omnes simul audierint responsiones datæ interrogationibus singularibus Examinatorum, quia non ex auditu alieno, sed proprio iudicium ferendum est super idoneitate, ergo simul esse debent, aliter iudicium non potest esse proprium. Examen autem Capitulariter proficiendum componitur ex interrogationibus, responsionibus, & votis Examinatorum, & accessu Episcopi, aliter nullum est Examen. Et ita docent *Garz. par. 9. cap. 2. num. 60. Massobr. Requis. 4. dub. 2. ex illis Barb. cap. 2. num. 87. Repetens in Concil. num. 113.* Passerinus Ordinis S. Dominici Procurator Generalis *de elect. cap. 30. num. 103. fine, illos citans, Barb. Alleg. 60. num. 96. Hurtadus num. 214.* 18

Quæres 8. An vota, & iudicia sint danda secreto, seu viua voce, & adhuc simul Congregatis?

℞. Patet ex mox dictis prædicta omnia simul ab ipsis congregatis danda esse, & licet non determinetur modus votandi secreto, an voce, tamen melius est dare vota secreto per pillulas, & calculos vt seruatur Bononiæ, & hic Parmæ, hoc enim modo sedantur contentiones reprobatorum. Et ita docent *Ioan. Franc. de Leone par. 1. cap. 3. num. 35. Pax Iordanus lib. 10. tit. 8. num. 168. & 173. Passerin. cap. 30. de elect. num. 98* Contrarium practicatur Romæ inquit *Naldus V. Examinatores num. 5. Barb. de Parocho cap. 2. num. 86. & Alleg 60. num. 96.* quouis ergo modo dentur, modo simul Congregatis non vitiatur Examen. 19

Quæres 9. An renuntiatio, de qua in Trident. Peracto deinde Examine renuntientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint. Facienda sit Capitulariter ab Examinatoribus coram Episcopo? An vero extra Capitulum, & singulariter?

℞. Renuntiatio, relatio, seu iudicium idoneitatis facienda est ab Examinatoribus simul congregatis coram Episcopo, antequam exeant à loco Examinis, ita docent *Garz. par. 9. cap. 2. num. 58. Massobr. Requis. 4. dub. 2. Barb. ad Concilium nu. 113. & 114. & de Parocho cap. 2. num. 87.* quos citat *pro se Passer. cap. 30. de elect. num. 103.* Barbosa tamen ab eo citatus loquitur in terminis de votis, vnde ego puto, iudicium idoneitatis idem esse, quod datio votorum, si enim hæc sunt ex maiori parte approbatiua de se, & ex natura rei iudicant approbatum quēcunq; esse idoneum ad Beneficium, sicut reprobatus iudicatus est non idoneus; sed vota debent dari capitulariter, ergo & iudicium idoneitatis, cum idem omnino sint; licet præfati Doctores cum Passerino videantur illa diuersificare ex eodem Tridentino, quod iudicium idoneitatis videtur esse diuersum à votis in eo, quod vota referuntur ad examen literale tantum, renuntiatio vero iudicij respicit ætatem, mores Doctrinam, & prudentiam, vt dicitur in textu. Sed video practicari contrarium hic in Ita- 20 21

lia,

lia, nam hic Parmæ, & in alijs multis Episcopatibus solum dant sua vota quo ad Doctrinam, nam de illorum ætate, moribus, vita, & prudentia Episcopus informatur ante diem examinis, & indigni, & alios pacientes defectus non admittuntur ad examen; neque enim examinatores cognitionem ætatis vitæ, & morum examinandorum legitimam habere possunt, ideo de his nihil solent referre, vel renuntiare, immo Tridentinum ipsum videtur prærequirere Inquisitionem de describendorum ætate, & moribus, ante examen, ne ad illud indigni accedant, illis verbis: Eorum nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inqui-
22 sitio. Ab Episcopo scilicet, qui proposuit Edictum de Concursu, vnde in Cedula ad examinatores transmissa exprimitur nomen singulorum concurrentium cum eorum ætate & officijs, si sunt Curati, si ad Confessiones audiendas deputati sunt, si Beneficium simplex habent, & huius generis, signum manifestum, quod ante examen diligens eorum inquisitio circa prædicta fuit facta, vnde renuntiatio, de qua in Tridentino post examen facienda, intelligitur si ante examen omissa fuit. Quare Officium examinatorum erit interrogare concurrentes, & illos iuxta eorum responsa approbare idoneos, & inidoneos reprobare suis votis, hoc enim est iudicare illos aptos, vel inæptos ad Beneficia.

Quæres 10. An mixtura examinatorum Synodalium, & non Synodalium inficiat examen?

23 ℞. Affirmatiue, quia non seruatur forma præscripta à Tridentino, quod requirit ad minus tres examinatores Synodales, si ergo inter tres inueniatur non Synodalis, corruit concursus, idem pariter dicitur, si tribus, aut quatuor Synodalibus adiungatur non Synodalis, Tridentinum enim excludit mixturam, dum vult omnes esse Synodales, ibi: Ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Subiungens pro actu examinis: Tres ex illis eligat Episcopus, hoc est, Synodalibus. Et ita in his terminis decidit Rota coram Royas in Seguntina Parochialis 15. Iunij 1638. Sic quoq. ante decisionem prædictam docuerunt *Garz. par. 9. cap. 2. num. 83. 213. 339. & 341. Gonzal. Glos 55. num. 48 Loterius lib. 2. q. 31. num. 7. Massobr. Requis. 13. dub. 1.* Riccius, cum alijs decisionibus relatis in prædicta decisione Royas extensa *per Barb. de Parocho cap. 2. num. 73.* Quod si non Syodalis adiungatur Synodalis; sed non det votum, quamuis interrogauerit non inficit examen *Gauant. in Addit. V. Examinatores num. 2. & 3. Pax Iordanus lib. 10. tit. 8. num. 42. ex eo Passerin. cap. 30. de elect. num. 93.* Ita declarasse Sacram Congreg. 2. Septembris 1634. Nicolius *ex Gauanto part. 2. lib. 3. tit. 5. de Prabend. Vers. Amplia.*

Hurtadus *part. 2. tract. 12. de examinat. cap. 1. Resol. 9. à num.* 104. plurium placita refert, licet sequatur quod diximus ex Rota, præsertim *Filliucij tract. 41. cap. 4. num. 156. Naldus V. eod.* inquientium, valere concursum, si numerus Synodalium excedat numerum non Synodalium, cum adiungantur ad Cautelam non vitiant concursum ad leg. Testamentum C. de testam. & l. Non solent, de reg. Iuris. Neque Concilium vsus fuit taxatiua, & citatur *Rota decis. 672.* Sequitur *Homob. tract. 2. cap. 3. num. 30. Genuens. cap. 66. num. 18.*

Sed non est recedendam à prędictis, stante etiam decisione apud Royas, & pluribus alijs in eius decisione relatis; neq. vrgent in contrarium argumenta, nam adiunctio non Synodalium sub prætextu cautelæ arguit defectum in Concilio, quod numerus ternarius Synodalium sit insufficiens; nonne vlterius pro Cautela adiungi potest alter Synodalis, quod non negatur, immo conceditur in Tridentino ibi: Non paucioribus, quam tribus. Ad aliud, quod Concilium non fuerit vsus taxatiua, id verum est, sed accipiendi sunt Synodales supra numerum ternarium Synodalium. 24

Quæres 11. An examinatus aquirat aliquod ius?

℞. Examinatus rite, & approbatus aquirit ius ad Beneficium, vt asserunt *Sotus, lib. 3. de Iust. q. 6. art. 2. Couar. in Reg. Peccatum part. 2 §. 7. num 4. Vers. igitur iura, cum alijs Hurtad. tract. 13. cap. 1. num. 28. Barbosa Alleg. 60. num. 54.* Explico hoc ius Ego in eo consistere, quod approbatione dicitur legitime declaratus esse capax Beneficij non eius, ad quod concurrit, proxime, sed remote, & ad Beneficia in genere, nam proxime aquirit ius solum ille, quem Episcopus declarauit magis idoneum per electionem, cui, & nulli alteri conferendum est Beneficium, ex ipso Tridentino, ibi: Ex hisq. Episcopus cum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atq. illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Proxime ergo ius aquirit ad Peneficium priuatiue ad alios, quem Episcopus iudicauerit idoniorem, alij vero remote ius aquirunt ad Beneficia indifferenter, eo quod approbatione iudicantur idonei, non tamen magis idonei, quia hoc iudicium comparatiuum spectat ad solum Episcopum, vt colligitur ex præcitatis verbis. 25

Rota in decis. 134. coram Albergato ex Collectis per Gratium Contrium I.C. Ferrariensem, dicit, quod valide examinatus coram

coram Synodalibus examinatoribus aquirit ius aduersus examinatum coram examinatoribus alterius loci ad id non deputatis. Sub num. 5. ait, ius non esse quæsitum illi, qui fuit examinatus ad Beneficium, secus vero si vnus tantum se opponat in tempore, quia tunc illi non est ius quæsitum irresolubiliter, sed per nouum examen potest resolui. Vide ipsum. Docet Rota *par.* 11. *dec.* 231. *n.* 12. procedere in vnico oppositore, non autem vbi plures concurrant, tunc enim nullum ius est quæsitum, nisi præambulum, quod presentatione, & institutione in re perficitur, & aquiritur.

Quæres 12. An omnes descripti sint examinandi?

26 ℞. Affirmatiue, ex probatis *cap.* 2. *num.* 33. Ita quod limitari non potest numerus describendorum, nec descriptorum examen, *ex cap.* 3. *num.* 21. *Passerin. cap.* 30. *de elect. num.* 92.

Quæres 13. An tempore Edicti elapso admittatur ad examen, qui non fuit descriptus tempore durante Edicti.

27 ℞. Est admittendus, si tempore illo toto fuisse impeditum legitime probet, vt probaui *cap.* 1 *num.* 50. *cap.* 2. *num.* 31. *Riccius par.* 1. *resol.* 371.

Quæres 14. An valeat examen factum ante lapsum temporis edicti?

28 ℞. Non valet, quia Tridentinum clare loquitur, ibi: Trafacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint examinentur. Forma enim substantiali non seruata, omnia corruunt, vt docent omnes, quos magno numero refert *Rota par* 4. *tom.* 3. *dec.* 542. *num.* 58. Talis est mox prescripta per casum ablatiuum, vt docet *Glos. V. conditio, leg. A testatore ff. de condit. & dem.*

29 *Rota part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 161. *num.* 8 maxime cum Tridentinum habeat decretum irritans, *ex dictis cap.* 1. *num.* 38. *&* 53. Ita

30 *Garz part.* 9. *cap.* 2. *num.* 326. *Salgado cap.* 9. *num* 64 *Aldanus tit.* 9. *num.* 17. *apud Barb. ad Concilium num.* 71. referens decisum *in Potent.* 4. *Maij* 1619. *Idem Barb. Alleg.* 60. *num.* 46. alijs citatis, sustineri examen, si nullus postea compareat, & facit ad hoc *Seraph. decis.* 1148. *num.* 48.

Quæres 15. An nullum sit examen, quando Edictum propositum caret die suæ affixionis?

31 ℞. Nullum est examen, quia cum ignoretur an examen sit factum transacto tempore Edicti, præsumitur factum contra formam examini præscriptam, iuxta mox dicta, ideo pro nullo habendum est examen, vt docent Doctores, quos citaui *cap.* 1. *num.* 54. & colligitur *ex Seraph. decis.* 1148. *nu.* 4.

Quæres 16. An examen eodem die terminandum sit, quo fuit inchoatum?

32 ℞. Expedit, si possibile est, terminare illud eodem die, ne interrogationes, & responsiones examinatorum publicentur examinandis, si non potest finiri eodem die, continuabitur diei immediate sequenti, ad impossibile nemo tenetur, nec Tridentinum super id statuit quicquam, ideo in tali casu poterit continuari sequenti die, esto adsit periculum communicationis prioris examinis, quia hoc non inficit concursum, cum id non proueniat ab ipsis examinatoribus, nec ab Episcopo, à quibus dependet valor concursus, & examinis. *Barbosa de Parocho cap.* 2. *num.* 53. de hac continuatione, & ex eo, & *Pace Iurdano Passer. num.* 93. referentes Sacram Congr. sub die 20. Iulij 1592. si suspicio aliqua sit, quod examinandi secunda die veniant in cognitionem interrogationum precedentis examinis, noua tunc poterunt fieri interrogatoria, id enim meretur eorum curiositas.

Quæres 17. An examinatores teneantur suum dare votum qualecunq. illud sit, approbatiuum, aut reprobatiuum? 33

℞. Debent suum dare votum, vt colligitur ex Tridentino, quod non relinquit illos in sua libertate, ibi: Peracto deinde examine renuntientur quotcunque ab his iudicati fuerint .i. ab examinatoribus mediantibus eorum votis, de quibus paulo ante dixerat, nam iudicium pendet ab illis votis, vt dixi supra q. 9. Tenentur ergo per vota suum iudicium terminare approbando vel reprobando, regulando illud iuxta datas responsiones, alias nihil resoluendo faciunt iniuriam dignis, & proprio abutuntur officio, ac proinde cogi possunt. De hoc debito *Barb. ad Concilium num.* 122. *&* 123. *Passer. cap.* 3. *de elect. num* 95. *Hurt. tract.* 12. *cap.* 1. *num* 211. relinquit examinatores liberos ad reprobandum, & approbandum sub num. 220. & sub num. 222. subdit hæc verba: Ex quo fit, quod si ex tribus examinatoribus duo non declarent sua vota, non approbantes, nec reprobantes, & vnus declarat, & applicat, omnes quibus applicat, si Episcopus accedat, erunt approbati. Hoc est omnino falsum, quia Episcopus non potest accedere reprobatis, vt probaui *cap.* 3. *num.* 30. nam preterea, textus de accessu loquitur in plurali: *Quorum votis*, supponens accessum prærequirere plura vota in eo, cui vult Episcopus accedere; præterea communiter dicitur, quod Episcopus suo accessu potest facere de non approbato approbatum, non vero de reprobato approbatum, id enim repugnat, cum accessus non debeat pugnare, & aduersari votis examinatorum, sed ea concordare. Certum autem est in casu Hurtadi vnicum habente votum esse reprobatum, vt ipsemet dixerat sub num. 217. requirens plura vota. Nec ab eo hæc adducta differentia, quod 34 35

plura

plura requirantur vota, adeo quod duobus reprobantibus, & tertio reprobante, examinatus dicatur reprobatus, non vero dici reprobatus, quando duo non se declarant, tertio se declarante; potest persuadere Episcopo accessum in secundo casu, non in primo, quia in neutro potest accessus habere locum. Nam parificantur ambo casus,
36 quia nolle se declarare idem est ac reprobare, dum per hanc taciturnitatem, & negatiue se habendo ei nocet, & nullo modo prodest, dum per eam nullum ius aquiritur examinato.

Quæres 18. An ab examinatoribus faciendum sit examen super scientia tantum, an etiam super vita, & moribus?

37 ℟. Super vtrunq. vt expresse dicitur in Tridentino illis verbis: Peracto deinde examine renuntientur quotcunq. ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, & doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Tota difficultas stat in modo examinandi quo ad mores, non quo ad Scientiam, nam non videtur rationabile examinandos interrogare, an sit nati ex legitimo matrimonio, an sint irregulares, an notati infamia, an lusores, an blasphemi, quia ad hæc respondere non tenentur, cum examinatores contra ipsos non formauerint processus offensiuos, frustratoriæ ergo sunt similes interrogationes, ac proinde non intenduntur à Tridentino, vnde bene dixit Passer. in fine
38 num. 94. quod examinandi occultabunt suas culpas quantum poterunt similes ergo interrogationes relinquant officialibus curiæ, & ipsi Episcopo, qui suorum Clericorum mores perscrutantur, ipsi enim examinatores per diem ante examen habent nomina examinandorum, ac proinde nescio quo iure, & qua ratione iudicare debeant de illorum moribus. Vide *Barb. de Parocho cap. 2. num.* 84. *ad* Concil. 117. *Alleg.* 60 *num.* 84. *Passer. cap. 30. de elect. num.* 95. *Pagnan. ad cap. Eam te de ætat. à num.* 15. *Castropal. p.* 2 *§.* 4. *num.* 8. concludens examinatores tale iudicium de moribus facere, si informatio, quam curia facit ante examen, sibi bene visa fuerit, *Hurtadus cit. cap.* 1 *num.* 223. *alios citans*, & concilians cum prædictis diuersas responsiones, & decisiones. Ego autem dico, examinatores datione sui voti satisfacere Concilio, & suo muneri, in eo enim reprobatiuo examinatus excluditur ratione vtriusq. approbatione vero, ab ipsis iudicatur idoneus & quo ad scientiam, & quo ad mores. Et certe quo ad mores, & aptitudinem regendi Ecclesiam vt plurimum id ignorant, cum personas examinandas non cognoscant, & hoc sæpius mihi contigit, ideo abijt vbique in dissuetudinem, vt à pluribus audiui.

Quæres 19. An quis in aliquo casu possit subterfugere examen, & nihilominus obtinere Beneficium? Duplex examen, publicum, quod fit ex concursu edictali; & priuatum, quod fit de vno sine concursu.

℟. Nullus potest subtergere examen, vt 39
colligitur ex Tridentino, siue publicum, de quo ibi: Omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, atq; ab alijs examinatoribus. Siue priuatum, quod Triden- 40
tinum concedit in tribus casibus, illis verbis: Si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, vt totius huius examinis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere; aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile grauiores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio, ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, priuatum aliud examen, cæteris tamen vt supra seruatis adhibere. Examen ergo subeundum est, vt quis dicatur idoneus ad Ecclesiam Parochialem; aut publicum, aut priuatum, vt dictis mox casibus, hac forma omissa, hoc est omisso concursu, cæteris seruatis hoc adhibitis examinatoribus Synodalibus, qui iudicent suis votis de idoneitate examinati si ab eis 41
fuerit admissus Nomine Deputatorum veniunt Ecclesiastici periti, qui possunt quietare conscientiam Episcopi optimis rationibus, ab eo vocati, siue sint examinatores, siue non, modo sint docti in his materijs, quibus Episcopus suam conscientiam commendare possit. Cum ergo examen sit necessarium in dictis casibus, qui vult Beneficium debet se subijcere examini, aliter nulliter obtinetur Beneficium, quia examen est de forma substantiali ad obtinendum Beneficium parochiale, vt probaui quæst. 6. Vide *Gonzal. Glos. 6. num.* 139. *Riccium par.* 1. *resol.* 369. *Vers. Quinto, Barb. de Parocho cap. 2. num.* 16. *& in Trident. num.* 160. *& Allegat.* 60. *num.* 38. Vbi de tribus examinatoribus refert decisum *Galetus V. Beneficium*. Vide etiam Seraph. *dec.* 942. *num.* 6. *&* 9. *&* 10. *Hurtadum tract.* 12. *cap.* 1. *resol.* 10. requirentem tres Synodales ex declaratione apud Bellarminum super dictum caput.

Quæres 20. An reprobatus in examine admitti possit ad nouum examen prætextu timoris, & reuerentia Episcopi, & examinatorum obrutus non potuit recte respondere? 42

℟. Non esse admittendum ob rationes quas adduxi *cap. 2. q. 20. num.* 35. *ex Merlino decis.* 159. *num.* 10. *& Rota part.* 10. *dec.* 23. *num.* 9. Nihilominus si rogat Episcopum vt admittatur ea ratione, quia timore confusus nesciuit respondere, iterum admitti

potest

potest magis ad resarciendam propriam famam, quam vt talis admissio ei prosit ad Beneficium cum alijs concurrentibus, qui simpliciter sunt approbati; & certe qui timuit in primo examine, verisimile est, quod in secundo remanent tremefactus, quia eadem causà ignorantiæ periurat sub titulo timoris palliata. Nihilominus potest admitti, vt ait *Barb. ad Alleg. 60. num. 91.* Vers. Vtrum, allegatis varijs decisionibus, quibus adde *dec.* 348. *par.* 10. *num.* 17. apud Contrium *dec.* 124. *num.* 2. *Seraph. dec.* 968. *num.* 10. Hurtadus *tract.* 12. *cap.* 1. *resol.* 12. *num.* 201. *&* 208. Sed de hac re iterum infra cum de appellatione agendum erit *cap.* 8. *q.* 10.

Quæres 21. An reprobatus à parochiali sibi resignata possit iterum admitti ad examen?

44 ℞. Admittendus est infra semestre à die Datæ litterarum, esto etiam bis fuisset reprobatus. Ita decisum 2. Decembris 1628. ex Aldano *Barb. ad Concilium num.* 23 In hoc casu non est necessarius concursus quādo resignatio facta fuit in manibus Papæ, multis citatis à Barbosa ad Trident. *num.* 21. *& ex allegatis à Riccio par.* 1. *resol.* 34. quia Tridentinum concursum requirit in Parochialibus vacantibus, qualis non est Ecclesia quæ resignatur, *Cassador. decis.* 3. *de renunt. Puteus lib.* 2. *dec.* 314. *Gabriel. Vol.* 2.

45 *cons.* 199. *num.* 2. Vacatio enim tunc dicitur, cum Ecclesia caret Rectore, in resignatione autem nouus Rector immediate succedit veteri, & sic non datur vacatio, dum Ecclesia semper habet Rectorem.

Quæres 22. An rexaminandus sit electus à Episcopo successore, vel à Capitulo sede Vacante per obitum Episcopi, qui Ecclesiam non potuit conferre electo à se?

46 ℞. Negatiue, sed illi est conferendum Beneficium, quia habet omnia requisita ad collationem, ergo vlterius grauandus non est.

Dices, prouisus, & obtinens Beneficium nouus ab Episcopo pro quiete suæ conscientiæ, potest rexaminari, siue sit Rector perpetuus, siue Vicarius ad nutum amouibilis, licet ille priuari non possit, vtique iste, quando informatus fuit de illorum ignorantia; quod & in Confessarijs etiam regularibus facere potest ex Bulla Pij V. in-

47 cip. Romani Pontificis 133. Miranda *tom.* 1. *q.* 45. *art.* 7. *cum alijs Hurtadus num.* 263. Ergo a fortiori rexaminari poterit ille, qui nondum habet collationem Beneficij.

℞. Negando consequentiam, ratio dis-

48 paritatis est, quia ad rexaminationem requiritur, aliqua rationabilis causa, quæ consistit in defectu scientiæ, de quo certus esse debet esse Episcopus successor, talis autem causa improbabilis esse videtur, nec proinde dabilis in hoc casu, cum præmissum examen, & electio huius inter approbatos appareat de digniori, ergo rexaminandus non est, sed Beneficium ei conferendum. Prætera Beneficia perpetuo Rectoribus conferuntur, Vicarijs mouibilibus, & confessarijs, in quibus non datur perpetuitas, ideo possunt iterum examinari, quia examen eorum non ordinatur ad officium perpetuum, sicut examen Rectorum.

Quæres 23. An examinatus & rite approbatus, sed nulliter obtinens Beneficium debeat iterum ad idem examinari, si illud postea impetrauit à Papa?

℞. Affirmatiue ex claus. Dignum arbitramur &c. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem præfatum N. ad hoc idoneum esse repereris, super quo suam conscientiam oneramus &c. Cum ergo examen sit de forma, quo omisso, nihil fit, ex vulgatis viribus, sequitur esse rexaminandum, non obstante priori examine quamuis rite facto, quia non potuit seruire secundæ collationi, cum limitatum fuerit ad primam collationem. Ita *Riccius part.* 4. *decis.* 374. *Vide Paris. lib.* 8. *de Resign. q.* 7. prope finem, vbi de litteris in forma Dignum expeditis ad tenorem Bullæ Pij V, incip. Cogit quæ ibidem extenditur. Puto hanc examinationem faciendam esse ad formam Tridentini ab Examinatoribus coram Episcopo, vt dicitur in dicta Bulla *Cogit nos.* 49

Quæres 24. An valeat examen vnius tantum comparentis, & approbati, & alijs descriptis non comparentibus præfixo die, possit illi Beneficium conferri?

50 ℞. Potest illi Beneficium conferri, si descripti alij non comparuerunt ad præfixum diem examinis sibi per edictum notificatum licentiatis enim examinatoribus censetur 51 expeditus cōcursus, & clausus, quia descripti cēsentur renūtiasse iuri suo, prętei quā quod iura nō subueniunt negligētibus, *l. Non enim* 16. *ff. ex quibus causas maior.* & negligentiæ ignosci non debet, *l. Veluti* 7. *ff. de edendo.* 52 Conferendum ergo est illi Beneficium cum fuerit diligens, aliorum enim 53 negligentia illi obesse non debet, *Zabar. in cap. Cum nobis, de elect. q.* 4. §. 2. *Peyrin. de Priuileg. cap.* 13. *num.* 1. Neque quis dicat, illius vnius examen non fuisse per concursum, dum vnicus comparet contra naturam concursus requirentis plurium comparentiam competitorum, & contradictorum, seu oppositorum; quia concursus propositus fuit, vnde si in actu, & effectu plures non comparent, id non destruit concursum, cum iam sit propositus. Quare neq. nouum Edictum erit necessarium. Ita *Garz. cap.* 2. *num.* 215. *Massobr. Requis.* 3. *dub.* 7. *cum alijs Barbos. de*

bos. de Parocho cap. 2. num. 49. & 50. Allegat. 60. num. 51. Castropal. tract. 15. de Benef. disp. 3. p. 1. §. 4. num. 3. cum. alijs Hurtadus cap. 1. num. 257.

Quæres 25. An examinatus ad Parochialem, quam obtinuit nondum in Sacris Constitutus, vel saltem nondum Sacerdos, pro ordinibus suscipiendis sit iterum examinandus? Dixi cap. 2. non esse admittendum ad examen, qui nondum attigit vigesimum quintum annum, num. 27. & 28. vtique licet non sit Sacerdos.

54 ℞. Posse cogi ad examen, vt præscribitur in cap. 7. sess. 23. ibi: Ordinandorum genus, personam, ætatem institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet. Nec obstat, quod de eius constet doctrina quoad moralem casuum cognitionem, quia Episcopo non constat de cognitione Sacramenti Ordinis. Nihilominus cum in textu non adsit decretum irritans, nec possit intelligi, quia col-

55 latio Sacramentorum non impeditur per decretum huius generis, accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum ex Diuina Institutione, ideo pretermisso examine, quod nec verbum, nec elementum est, ordo confertur.

Quæres 26. An vnus pro alio se possit supponere examini ad Beneficium?

56 ℞. Negatiue ex Bulla Pij V. incip. Inter cæteras 12. Id enim sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ prohibetur, cum nullitate obtenti Beneficij, quod in conscientia tenetur dimittere, quam illud legitime non possideat, & cum inhabilitate ad alia; adeo quod tale Beneficium à solo Papa conferri potest. Ita colligitur ex dicta Bulla, vt docent *Gonzal. Glos.* 15. *num.* 89. *Lessius lib. 2. cap. 34. num. 36. & 37. cum alijs Thesaurus de Pœnis part. 2. V. Beneficium cap. 2.* qui cum *Garz part. 11. cap. 3. num.* 191. dicit, prædictas pœnas incurri effectu secuto prouisionis, hoc est, quod supplicatio sit signata, & gratia publica in Cancellaria, & habere locum solum in Curia Romana.

Quæres 27. An semel rite examinatus iterum examinari possit? Ratio dubitandi, quod nō debeat amplius examinari est illud commune dictum, quod semel examinatus non debet amplius examinari, si enim ap-

57 probatus fuit, nota est eius sufficientia, & idoneitas ad officium, & desumitur à Reg. 21. in 6. Quod semel placuit, amplius displicere non debet. *Facit l. Si vxor. 13. §. Sed & si ff. ad leg. Iuliam, de Adulter*: ibi Quod approbo non reprobo. Item Instit. Quibus ex causis §. penult. extremis hisce verbis: Semel autem causa approbata, siue vera sit, siue falsa, non retractatur Sermo ibi est de manumissione. Quare ex cap. cum accepimus 13. de Ætate Canonistæ, quos citat ibidem *Barbosa num. 6. & Allegat. 60. num. 89.* docent de Iure Communi semel examinatum ad vnum Beneficium non esse iterum ad simile examinandum, certioratus enim vlterius certiorari non oportet *Reg. 31. in. 6.* in terminis de Beneficijs *Rota par. 10. dec. 348. num. 5. Riccius part. 4. dec. 374. num. 2.*

℞. Rite semel examinatus iterum examinari potest, si subsit causa inducendi nouum examen, etiam respectu eiusdem Beneficij, si adijciatur in commissione, ex dictis sub. q. 23. Approbatus enim semel reprobari potest *l. Sed. & reprobari 7. ff. de excusat. tutor.* Vnde *Rodriq. tom. 1. q. 59. art. 3.* dicit, quod examinatus iterum examinari potest in omni genere officij, allegatis iuribus, & Doctoribus. Neque obstat, quod rite examinatus aquirit ius ad rem, vt colligitur *ex cap. 18. sess. 24.* ibi: *Et non alteri collatio fiat.* Quia non impedit, nouam examinationem, cum illud ius sit imperfectum, & ex tenore Bullæ Pij V. incip. *In conferendis* in causa Electionis alter prouocari possit ad nouum examen, vt dicam infra, cum de Appellatione agam. In sequentibus casibus semel examinatus iterum examinari potest, & sic alias approbatum reprobare, vt supponatur nouo examini. Vide supra *num. 25.* 58 59 60

Primò, hoc certum est ad obtinendum nouum beneficium parochiale, Parochus enim actu, si vult concurrere ad aliud Parochiale debet nouum subire Examen, quia hoc est de forma cum decreto irritante, vt nulla sit prouisio Beneficij, vt clare colligitur, ex Tridentino, & Bulla Piana, vt probaui hic sub q. 6. Dixi cap. 2. num. 14. Examen ergo ad parochiales est de forma, ex allatis à Gonzal. Glos. 4. num. 89. ad 92. vbi Vicarius Episcopi, Archidiaconus, & Pœnitentiarius Examen subterfugere non possunt *& num. 101. de Parocho.* Ratio est, quia Examen ordinatum ad publicam animarum salutem pluries fieri potest de eadem persona, sicut enim medicus corporalis reprobari potest, & denuo examinari. *l. Vt gradatim, §. Reprobari ff. de muner. & bonor. l. Sed, & reprobari, cit. ff. de excusat. tut.* A fortiori Parochus, qui est medicus animarum; *Fagn. in cap. Accepimus, de Ætate num. 45.* 61 62 63

Secundo, approbatus rexaminatur ad dissimile officium, vel maius Beneficium simplex, *Glos. V. reputare, cap. Accepimus de Ætate vbi Host. num. 12. Butrius num. 9 Innoc. in cap. Cum venerabilis, de except. alijs citatis* Gonzal. *Glos. 4. num. 88. Fagnan. in dictum cap. Accepimus, num. 39.* 64

Tertio approbatus rexaminatur à Successore, *Glos. V. Examinari dicti cap. Accepimus,*

cepimus, ibi Butr. num. 9. Felin in cap. Cum venerabilem, de except. num. 43 Fagnanus in priori cap. num 42.

66 Quarto, confessarius semel simpliciter approbatus ab Episcopo, hoc est, sine limitatione temporis, non potest ab eodem reuocari ad Examen, nisi noua subsit causa concernens materiam confessionis. Approbatus verò simpliciter ab eius Vicario, iterum ab Episcopo vocari potest ad Examen. Pariter idem Confessarius regularis simpliciter approbatus, potest à successore Episcopo vocari ad Examen, Pius V. Bulla incip. *Romani Pontificis* 133. pro quiete suæ conscientiæ. Quod si Confessarius sit approbatus cum limitatione temporis ad sex menses, ad annum, tempore elapso potest vocari ad Examen; sicut & si approbatus alias ad viros tantum, si vult audire mulieres, debet subire nouum Examen, nisi remittatur ei ab Episcopo. Demum approbatus ad beneplacitum prosequitur quousq; Episcopus reuocauerit. Ita *Fagnanus ad cap. Graue, de off. Ordin. à num.* 50. Vbi refert Responsa Sacræ Congregationis. De hac materia approbationis Confessariorum fuse egi *Resol. 36. 68. q. 11. 70. & controuers. moral. 44. seu Resol. 144. & alibi*.

67 Demum, quandocumque noua superuenit causa, approbatus reprobari potest, &

68 prouocari ad Examen, *ex cap. Pastoralis* 4. *de except. iuncta Glos. V. De noua*, quæ enim de nouo emergunt nouo indigent remedio, *l. oratione, ff. de ferijs*. Vnde Portell. *part. 1. casu 5. num.* 5. concludit, nouitium approbatum ad professionem, posse ab ea reprobari, & dimitti ad domum, si superuenit noua causa per quam sit iudicandus indignus professione.

Quæres 28. An Episcopus, qui cum Examinatoribus constituit congressum Examinatorium, debeat & ipse examinare interrogando?

69 ℞. Affirmatiuè, vt clare dicitur bis in Tridentino, primo ibi: *Examinentur ab Episcopo, siue eo impedito, ab eius Vicario Generali*. Secundo paulo inferius, illis verbis: *Tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo Examen perficiant*. Cum res sit clara, nullus contradicit. Episcopi interrogatio solet fieri super Euangelium à Clerico declarato, petentis ab eo, quid proponeret populo prædicandum super illud. Non tamen dat votum suum, nisi occasione accessu, iuxta dicta cap. 3. num. 22. ad 31. & hic num. 34. & 35.

Quæres 29. An possit approbari, qui nesciuit respondere nonnullis interrogationibus?

70 ℞. Affirmatiuè, si in pluribus bene respondit, materia enim casuum adeo ampla est in vasto gurgite, vt quandoq; etiam ipsi Examinatores interrogati ex improuiso cum magna difficultate natarent in gurgite, ideo examinandis aliquid deferendum est, maximè, quando constat, illos punctum difficultatis percipere, licet bene, & adæquatè non respondeant. Ita *Rota par. 1. decis. 234. num. 9.*

Quæres 30. An requiratur Examen in Beneficijs patronalibus siue fiat pro illis Concursus, siue non, tam in simplicibus, quam Parochialibus?

℞. S. c. ex Tridentino sess. 7. cap. 13. his verbis: Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusuis Personis ecclesiasticis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntijs ad quæuis beneficia ecclesiastica, non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinarijs Examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus Examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Vniuersitatibus, seu Collegijs generalium studiorum exceptis. 71

Idem statuitur sess. 24. cap. 18. illis verbis: Si verò ius patronatus erit Ecclesiasticus, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur. Cum vero institutio ab aliquam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem; quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si iuspatronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præsentatus fuerit ab eisdem deputatis, vt supra, Examini, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti.

Idem decernitur in sess. 25. cap. 9. his verbis: Ad hæc liceat Episcopo præsentatos à Patrono, si idonei non fuerint repellere. Quo si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, iuxta alias statuta ab hac S. Synodo examinentur alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit, & inanis.

Colligitur ex dictis Examen requiri in omnibus Beneficijs patronalibus, siue sint Curata siue simplicia, siue sint ecclesiastica, siue laicalia, à quocumq. præsententur, siue à laico, siue ab ecclesiastico, licet enim in priori capite 13. Sermo sit de personis ecclesiasticis, etiam Nuntijs præsentantibus, non idcirco sequitur Patronum laicum posse præsentare non Examinatum, & non approbatum, quia Tridentinum ibi circa id nihil disposuit, quod postea statuit dicto cap. 18. vt in omni beneficio patronali fiat Examen, à quocunq; Clericus præsentetur, 72

quod

quod etiam insinuat dictum cap. 9. Et in hoc nullam puto esse difficultatem, quia allati textus sunt satis clari.

Quæres 31. An hoc Examen requiratur, si Cardinalis, aut Episcopus, qui sunt Personæ ecclesiasticæ qua tales præsentent? Ratio dubitandi ex cap. 13. quia inter Personas ecclesiasticas repræsentantes connumerantur Nuntij, non vero Cardinales, nec Episcopi, ergo hi sub hoc capite non comprehenduntur, ita quod debeant solum præsentare approbatos.

73 ℞. Requiri Examen etiamsi non sit Beneficium curatum, sed solum simplex patronale, quia de iure communi nullus præsentari potest, qui non sit idoneus, *cap. Quod autem S. Cum autem 24. cap. Per nostras 26. de iurepatr.* Certum autem est, quod sine Examine quis non cognoscitur idoneus, er-
74 go examinandus est, vt possit præsentari, & de hoc dubitandum non est, cum deducatur ex cap. 18. quod generaliter, & indistincte loquitur, & licet ibi sermo sit de patronalibus Curatis, tamen cap. 9. illud citans quo ad Examen subeundum, verba facit de omni Patronali, siue curato, siue non à quocumque præsentando, *Ita Garz. par. 9. cap. 3. num. 19 Campan. in Diuers. iuris Canon. Rubr. 5. cap. 3. num. 7. ex illis Barb. ad cap. 9. sess. 25. num. 75. Passer. cap. 30. num. 111. Ioan. Franc. de Leone par. 2. cap. 6. num. 9.*

Quæres 32. An hoc Examen in Patronalibus sit de forma, adeo quod eius omissio irritam faciat præsentationem cum omnibus inde subsecutis?

75 ℞. Affirmatiuè, vt patet ex cit. cap. 18. & 9. in quibus exprimitur decretum irritans, quod arguit in omissis formam substantialem, quamuis de decreto irritante nulla fiat mentio in dicto cap. 13. nihilominus Rota voluit examen, de quo in hoc cap. 13. esse de forma, vt refert ibidem Barbosa *num. 3.*

76 Quæres 33. An Examen necessarium pro Beneficijs simplicibus non Patronalibus? Pono triplex genus Beneficiorum, alia sunt Parochialia tantum, alia Patronalia cum cura, vel sine cura; alia demum simplicia carentia cura, & Patronatu, quæ conferuntur sine præsentatione. Hic sermo est de his simplicibus, cum de alijs dictum sit in
77 præcedentibus.

℞. Promouendi ad Beneficia hæc simplicia alio non indigent Examine, nisi illo, quo mediante initiati fuerunt quouis ordine, etiam prima Tonsura, nullibi enim reperitur, quod nouum Examen subire teneantur, dum sufficit illud primum, cui se subiecerunt in ordinatione, vt colligitur ex cap. Accepimus 13. de Ætate, vbi omnes Canonistæ, & quod ibi sermo sit de Beneficijs simplicibus docent *Oldrad. Innoc. Ioan. Andr. & Felin. apud. Gonzal. Glos. 4. num. 84. Barb. ibidem num. 5. & 6. & ad. cap. 13. sess. 7.* Certum autem est, nullum esse capacem Beneficij etiam simplicis, nisi prius sit Clericus, & nullus fieri potest Clericus si- 78
ne Examine, *cap. Nullus 2. cap. Episcopi 4. cap. Quando 5. cap. Si quis 7. dist. 24. cap. Si qui 4. dist. 81. & in Tridentino sess. 23. cap. 5. & 7.* Verum quidem est, quod Examen omitti potest in ijs, quorum habilitas nota est Episcopo, vt *ex Glos. in cap. Nullus 1. dist. 24.* docent plerique *apud Gon-* 79
zal. cit. num. 86. & Barbosa ad hoc cap. Nullus. Ac proinde nec ipse, nec Episcopus peccant in hac ordinatione sine præuio examine scienter omisso, ab ipso Episcopo, vt docent *Maiol. lib. 4. de irregul. cap. 9. num. 6. Silu. V. Ordo 2. num. 2. ibidem Barbosa.* Et in hoc casu locum habet, quod communiter dicitur, semel examinatum non esse amplius examinandum.

Quæres 34. An in Patronalibus adhibendi sint pro examine synodales examinatores?

℞. In quibuscunq. Patronalibus adhi- 80
bendi sunt examinatores synodales siue beneficium iurispatronatus sit curatum, siue sine cura, & id probatur ex cap. 18. Sess. 24. quo ad curatum, ibi: Si vero iurispatronatus, &c. verbis relatis sub. q. 30. de vtroq. Patronali tam ecclesiastico, quam laicali, immo & mixto, iuxta illam Regulam, mixtum sapit naturam simplicium, & sequitur dignius ex illis, Barb. Axiom. 152. in casu nostro in eo existens, quod adhibeantur examinatores synodales in Patronalibus mixtis, sicut in vtroque simplici. Et licet in eo capite sit sermo de Parochialibus nihilominus cum cap. 9. Sess. 25. cuius verba retuli sub q. 30. dicat: Ab Episcopo tamen iuxta alias statuta ab hac S. Synodo examinentur. Referantur ad dictum cap. 18. sequitur, examinandos esse præsentatos solum à synodalibus coram Episcopo, sicut examinantur promouendi ad Parochiales. Et ita respectu Patronalium docent omnes, quos magno numero refert *Barb. ad cap. 2. de Parocho num. 129. & Alleg. 60. num. 18. Passerin. cap. 30. num. 119. & 124. Hurtadus tract. 12. cap. 1. num. 176.* Et idem debent tenere respectu non curatrum ob rationem adductam. Barbosa ad Tridentinum num. 151. refert ex Aldano Responsum S. C. Sed illud attendendum non est vti subreptium, & fictum, cum aduersetur Tridentino.

Quæres 35. An in aliquo casu fieri possit examen per examinatores non synodales?

℞. Non inuenio in meis codicibus ali- 81
quam exceptionem, & nullam dari probatur ex dictis præcedenti quæstione. Hurtadus tract. 12. cap. 1. num. 152. dicit, beneficium simplex, & nullo modo curam ani-

marum habens posse eius ab Episcopo delegari examen examinatori non synodali, si per literas Apostolicas eidem commissum fuerit examen, onerata etiam eius conscientia, citando Barbosam ad dictum cap. 13. sess. 7. immo addit, examen non esse de forma in beneficijs simplicibus, quia Concilium nullam posuit clausulam irritantem, sicut fecit in beneficijs Curatis cap. 18. sess. 24. & Pius V. Dico in primis, cum non sit delegabile examen ab Episco-
81 po, quando procedit iure ordinario Tridentini, vt probaui cap. 3. num. 13. multo minus, cum debet examinare tamquam sedis Apostolicæ delegatus, debet enim Episcopus se informare immediate per propriam scientiam, & non per alienam, ergo & per se, & per examinatores synodales adformam Tridentini, in quo Papa non censetur dispensare Deinde, quod subiungit, non esse necessarium examen pro obtinendis beneficijs simplicibus, certe non potest intelligi id respectu beneficiorum simplicium Patronalium, quia vt probaui q. 34. necessarium est examen per examinatores synodales, licet enim de hoc non loquatur Pius V. nisi respectu Parochialium, tamen Tridentinum sess. 25. cap. 9. statuit de omnibus Patronalibus etiam non curatis, quare intelligendum illud est de simplicibus sine præsentatione, iuxta dicta q. 33.

Quæres 36. An promouendus possit appellatione subterfugere Examen?

83 ℞. Negatiuè, nam appellatio hæc expressè prohibetur cap. 13. sess. 7. vbi verba textus rescripsi supra q. 30. Et licet ibidem disponatur, quod non sit appellandum ab Examine in præsentatione, electione, seu nominatione quoruncunque Beneficiorum, ac proinde Patronalium, idem nihilominus dicendum est respectu etiam Parochialium non patronalium, cum obstet etiam & à fortiori in his decretum irritans prouisionem Beneficij omissione examinis, cum sit de forma substantiali, non solum ex cap. 18. sess. 24. & 25. cap. 9. & Piana, vt docui hic num. 11. sed etiam ex dicto cap. 13. sess. 7. vt probaui hic num. 75. Et ita docet *Gonzal. Glos. 9. in Annot. num. 186. Garz. par. 9. cap. 2. num. 242. Massobr. Reg. 5. dub. 5. initio, cum alijs Barb. ad dictum cap. 13. num. 25.*

CAPVT SEXTVM.

De Electione dignioris ad Beneficia Parochialia.

SVMMARIVM.

1 *Verba Concilij de eligendo dignore ex approbatis.*
2 *Examinatores iudicant tantum, quinam sint digni.*
3 *Episcopus vero solus quinam ex dignis sit magis idoneus.*
4 *Consilio examinatorum in hoc vti potest.*
5 *Factum Consilio aliorum magis firmatur.*
6 *Votum tamen hoc ex consilio examinatorum non est decisiuum.*
7 *Vicarius etiam eligit digniorem.*
8 *Vicarius venit sub nomine Episcopi, quando expresse non excluditur.*
9 *Vicarius Capitularis eligit.*
10 *Vicarius pariter Apostolicus.*
11 *Prohibito vno, & ea censentur interdicta, per quæ peruenitur ad illud Explicatur.*
12 *Dignior eligitur etiam in patronalibus ecclesiasticis.*
13 *Non vero in laicalibus.*
14 *Non est necesse pro beneficijs, & dignitatibus eligere digniorem.*
15 *Minus idoneus repellendus est ad Parochiales.*
16 *Indignus præsentatus repellendus est.*
17 Liceat *non importat necessitatem.*
18 *Dignior eligitur, licet à Papa sit prouidendus.*
19 *Electio dignioris extra examen fieri potest.*
20 *Votorum ratio non habetur in electione.*
21 *Vota potissimum indicant magis, & minus literatum.*
22 *Electio quandoq. fit de habente minora vota.*
23 *Regulatur minime à numero votorum.*
24 *Electio potest protrahi post examen.*
25 *Diligentia ab omnibus laudatur.*
26 *Diligentia in alienis exactior esse debet.*
27 *Dignioris electio debita sub mortali.*
28 *Electio, & prouisio digni, omisso digniore, est valida.*
29 *In foro conscientiæ.*
30 *Nulla vero pro foro externo.*
31 *Imperitorum, & indignorum electio sustinetur.*
32 *Ac proinde abdicare à se beneficium, & fructus non tenentur.*
33 *Quamuis illicite recipiant, non tamen iniuste.*
34 *Beneficium non renuntiatur ante sententiam.*

tiam.

35 *Cum suis fructibus, nec interposita appellatione.*

36 *Appellans non dicitur condemnatus.*

37 *Integer remanet status eius, in quo erat ante.*

38 *Appellatione extinguitur iudicatum.*

39 *Collator non peccat contra Iustitia commutatiuam dans beneficium digno, vel indigno.*

40 *Distributiua de se non obligat ad restitutionem.*

41 *Commutatiua est inter personas priuatas circa obiectum possessum.*

42 *Distributiua est a persona dispensatrice boni communis nulli debiti ex se.*

43 *Cur S. Paulus vocauit dispensatorem fidelem, non iustum.*

44 *Fidelitas est obseruantia promissorum.*

45 *Obligans ad obseruantiam promissi, non tamen ad restitutionem.*

46 *Restitutio est actus, quo alicui redditur, quod suum erat.*

47 *Ius, quod habet examinatus, & approbatus est imperfectum, & remotum.*

48 *Dubius de sua idoneitate potest recipere beneficium.*

49 *Impediens ne quis aquirat beneficium ad nihil tenetur.*

50 *Licet fraude impediat.*

51 *Ius quisq. habet ne impediatur à communi bono ex iustitia tantum distributiua.*

COncluso Examine descriptorum in actis Ecclesiæ vacantis ab Examinatoribus, fit ab illis iudicium super responsis Examinatorum per vota secreta capitulariter antequam à loco discedant, Et Episcopo renuntiantur omnes, qui sunt digni ad Beneficium in ordine ad quod examinati fuerunt, vt dicitur in Tridentino his verbis:

1 Peracto deinde Examine, renuntientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, & doctrina, prudentia, & alijs rebus, ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit; atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit, eam conferre. Examinatores ergo iudicium suum per vota declarant quo ad idoneitatem in gradu positiuo, Episcopus vero, qui præsens omnia nouit eligit ex illis, quem magis idoneum iudicat, vt illi soli Beneficium conferatur. Pro dilucidatione horum.

Quæres 1. An iudicium positiuum tantum dandum sit ab Examinatoribus, & non comparatiuum, se id spectet tantum ad Episcopum, illis exclusis, & Vicario?

℞. Iudicium idoneitatis Examinati in gradu positiuo fit ab Examinatoribus, in gradu vero comparatiuo à solo Episcopo iudicatur quis sit dignior, exclusis Examinatoribus, à quibus tamen consilium petere potest, & hoc procedit, siue præsens fuerit Examini siue non.

Prima pars, de iudicio positiuo tantum ab Examinatoribus faciendo super idoneitate Examinati approbati, clare patet ex præscriptis verbis: *Ab his.* i. Examinatoribus *idonei iudicati fuerint.* Et ita docent *Garz. part. 9. Cap. 2. num. 58. Massobr. Requis. 4. dub. 2.* ex illis *Passer. cap. 30. de elect. num. 103. Ioan. Franc. de Leone part. 2. cap. 3. num. 34. Barb. ad Concil. num. 121. de Parocho cap. 2. num. 90. Hurtadus tract. 12. cap. 1. Resol. 21. num. 1305. Castropal. tract. 13. disp. 2. par. 2. §. 4. num. 9. Cardin. de Lugo disp. 35. de iust. num. 64. Vers. Episcopi*, plures citans in contrariam sententiam, quod Examinatores debeant renuntiare, quinam sint digniores, & magis idonei, pro qua vide etiam *Dianam par. 2. tract. 5. resol. 111.* Sed reuera Concilij verba adeo clara sunt, vt obligare Examinatores ad iudicium idoneitatis, sit potius opinatio, quam opinio, quo ad comparationem. 2

Secunda pars, de iudicio comparatiuo solius Episcopi, adeo clara est ex supradictis verbis: *Ex hisq; Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* Vt sentire contrarium sit nefas, nimirum debere Examinatores cum eo iudicare in gradu comparatiuo. Ita docent præcitati. 3

Tertia pars, de consilio Examinatorum petendo ab Episcopo, si vult, probatur, quia consilio gesta firmitate nituntur, *l. 3. C. de repud. Glos. V. consilio cap. 1. dist.* 84. 4
Vnde S. Bernardus lib. 4. de consider. Inquit. *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Dixi, si vult, quia nullibi hoc illi præcipitur. Ita docent Massobrius, Garzia, Viuianus, quos citat *Diana dicta resol. 111. fine de Lugo cit. num. 65.* vbi quod tale votum non est decisiuum, sed tantum consultiuum, scilicet quo ad gradum comparatiuum, vnde concludit sequenti num 66. Episcopum non obligari quærere iudicium maioris idoneitatis ab Examinatoribus, nec proinde datum sequi. Quicquid contra ipsum dicat Hurtadus cit. num. 1320. negando Examinatores esse Consultores liberos quo ad excessum idoneitatis, sed asserit, illos esse omnino necessarios, vt ex illis Episcopus dignoscat digniorem, ex vi enim sui muneris, & officij tenentur excessum idoneitatis exponere Episcopo, etiam si iste alias habeat notitiam illius excessus, & multo magis, si alia via non habeat, in quo casu tenetur. Sed audiendus non est, cum id non probet, ista enim obligatio iudicandi in gradu comparatiuo à Concilio non præcipitur, sed tan-
5
6

tum

tum in gradu positiuò, neque enim Episcopus præsumitur ignorare suarum ouium maximè Clericorum mores, & ante actam bene, vel male vitam, quorum gesta nota sunt in Cancellaria, ne actuarij otiosi maneant.

7 Quarta pars, quod Vicarius, qui examinauit, eligat digniorem, & magis idoneum, probatur, quia licet Concilium illum non nominet, sicut fecit præcedenter in examine, non ideo excluditur, cum veniat sub nomine Episcopi, quoties non excluditur,
8 ex allegatis à *Sanch.lib.3. disp. 29. num. 16. Vers. ad secundum*. Et id supponit *Mar. Anton.lib.1.resol.63.fine*, *Rota part.5.decis.* 154.*num.* 10.*&* 11. vbi ait, illi credendum, quod ex approbatis elegerit digniorem, & magis idoneum sequitur *Viuian. lib.* 10. *cap.* 1.*num.* 42.

Quæres 2. Sede Vacante, ad quem spectat iudicare idoneum in gradu comparatiuo?

9 ℞. Spectare ad Vicarium Capitularem, is enim nomine capituli succedit in omne ius ordinarium Episcopi Sede Vacante, etiam in hac materia concursus, vt dixi *cap.* 3. *q.* 9. *num.* 16. Et ita docet *Fagnan. part.*4. *ad cap. Illa, Ne Sede Vacante*, *num.* 23.

Quæres 3. An Vicarius Apostolicus cum iurisdictione tam contentiosa, quam voluntaria ad Episcopum pertinente, excepta facultate conferendi Beneficia, & literas commendatitias, & dimissorias ad Sacros Ordines concedendi, possit edictum proponere ad Ecclesias Vacantes, examinare, & magis idoneum eligere sicut potest Episcopus & Vicarius Capitularis?

10 ℞. Potest vtrunq. facere, edicere scilicet, examinare, & eligere, quia negata Collatione Beneficij non infertur ad negationem illorum trium, cum Beneficij collatio possit fieri ab aliquo habente vim conferendi, à quo quandoque non possunt procedere illa tria, edicere scilicet, examinare, & eligere, vt patet ex Tridentino verbis supracitatis, vbi quandoq. Episcopus eligit digniorem, & tamen Beneficium non confert, quod etiam constat ex Bulla Piana, vbi iudex appellationis eligit magis idoneum, & is remittitur ad collatorem, ad quem spectat conferre Beneficium; pariter Episcopus, in cuius diœcesi est Ecclesia vacans, edicit, examinat, & eligit, & collator alius ab Episcopo confert digniori electo Beneficium, *cap.*1.*q.*5.*num.*24. Ex eo ergo, quod Vicarius Apostolicus non potest conferre Beneficia, ei non censetur negatum Edictum, examen, & electio, cum enim hæc sint diuersa, à negata collatione non infertur aliorum negatio, ex quo ex diuersis non fit illatio. Ita respondit Fagnanus Innocentio X. in casu Archiepiscopi Beneuentani *part.*4.*ad cap.Illa Ne Sede Vacante*, *num.* 30. Quia exceptio prædicta de non conferendis Beneficijs firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, *l. Quæsitum §. Denique ff. de fundo instr. cap. Dominus* 32. *q.* 7.

Idem Fagnanus ibidem sub num. 37. sibi obijcit illud commune axioma: aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod peruenitur ad illud, *l. Oratio ff. de Sponsal.* Ergo est etiam prohibitus concursus, examinatio, & electio, per quæ, & immo sine quibus non peruenitur ad collationem Beneficij. Sibi respondet, axioma locum habere, vbi prohibitio est simpliciter, absolute, & perpetua; in casu autem nostro non est perpetua consequens prohibitio, nec simpliciter, & absolute facta, immo necessario debet fieri collatio ab eo, ad quem de iure pertinet. Dicito tu, nisi ex iure aliquo antecedens, & consequens ad diuersos pertineant iudices, & officiales, vt patet in hoc casu, in quo antecedens potest pertinere ad vnum, & consequens ad alterum, esto consequens necessariam habeat connexionem cum antecedenti. Dictum autem axioma est ipsamet Reg. in 6. quæ recipit dictam interpretationem, *ex ipso Fagnano, & Barbosa, de qua etiam Simon Vaz Barbosa* in suis locis communibus lit. P. num. 61. 11

Quæres 4. An in omni Beneficiorum collatione semper eligendus sit magis idoneus?

℞. In solis curatis id necessarium est, *ex cap.*18. etiam patronatis Ecclesiasticis; ibi: Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo presentare teneatur, vt ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei presentet, ad quem institutio spectat. In Ecclesiasticis ergo etiam Patronalibus electio facienda est de digniori non ab Episcopo, sed à patrono Ecclesiastico, quando ab eodem Episcopo institutio, & collatio Beneficij patronalis facienda est; si ab alio tunc Episcopus, coram quo fuit factum examen, eligat idoneorem. Et ita docent *Piasecius cap* 5. *num.* 17.*fine Gonzal.Glos.* 6. *num.* 116. *cum alijs Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 124. *ad Trident.num.*136. *& alleg.* 60. *num.* 16. In Beneficijs vero patronalibus laicis etiam Curatis examinatum, & approbatum idoneum licet non digniorem presentatum Episcopus instituere debet, vt dicitur expresse in Tridentino ibidem his verbis; Quod si ius patro- 12 13

patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examini, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. Ita docent Lambert. *part.1.lib.2.q.10.art.3.num.17. Petrus Nauarr. lib.2.de Restit. cap. 2. num. 150. cum alijs Barb.ad* Concilium *num.* 102. Siue patronus sit fundator, siue eius successor, quicquid dicant plerique, quos citat ibidem Barb. Quia in hoc non minus est patronus successor, quam fundator, Concilium enim loquitur indifferenter, & respectum habuit ad laicos, qui Ecclesiæ benefecerunt, qui semper non possunt præsentare magis idoneos de domo sua, à qua Beneficia huiusmodi non expedit alienare. Examinandi autem sunt ab Episcopo, & examinatoribus Synodalibus, vt ibidem insinuatur illis verbis: Ab eisdem deputatis, vt supra examini. Deputati autem sunt examinatores Synodales, nam Claus. *Vt supra*, reperit examinatores cum suis qualitatibus, vt scilicet sint Synodales, arg. eorum, quæ dicit Barb. super dictam dictionem 451. In alijs vero Beneficijs simplici-
14 bus, Canonicatibus, præbendis, & similibus carentibus cura animarum, sufficit gradus positiuus idoneitatis. Ita *Petrus Nauar. lib.2.cap.2. num.* 172. *Gutier. lib. 2. cap.11.num.12 Garz. part. 7. cap. 16. num. 16 ex illis Barb de Parocho cap.2. num.* 103. *Rota par 7 decis.93.num.11.& part. 10.dec. 262. num.1. Hurt.ad num.* 1540.

Quæres 5. An Episcopus Clericum approbatum idoneum quidem, sed non magis idoneum electum sibi presentatum repellere possit?

15 ℞. Debet repellere si præsentetur à patrono Ecclesiastico ad curam animarum, quia vt dictum fuit præcedenti quæstione pro iurepatronatus Ecclesiastico magis dignus eligendus est; non vero in patronatu Laico, in quo sufficit eligere idoneum, vt ibi patet. Quod si præsentetur indignus, licet E-
16 piscopo repellere illum, vt dicitur *cap.9 sess.* 25. ibi: Ad hæc liceat Episcopo præsentatos à Patrono, si idonei non fuerint, repel-
17 lere. Quamuis verbum liceat non importet necessitatem, Surd. *consil.* 98. *num.* 1. *Seraph. decis.*739.*num.* 3. *Rota. par.* 4 *tom.* 2.*dec.*35 *num.* 11. Tamen respectu Beneficiorum Curatorum, non idoneus repellendus omnino est, cum is non admittatur ad Parochiale Patronatus ex *cap.*18, *sess.* 24. vt visum fuit præcedenti quæstione, ne ergo hæc duo capita sibi aduersentur, illud verbum *licet* referatur ad Beneficia non parochialia. Reiecto ergo non idoneo, Patronus idoneum præsentare debet.

Quæres 6. An magis idoneus ab Episcopo sit eligendus etiam, quando Beneficium à Romano Pontifice conferendum est?

℞. Affirmatiue, quia Consilium simpliciter loquitur de eiusmodi Electione facienda ab Episcopo, a quocunq. deinde fiat Beneficij collatio. Ita *ex Aldano tit.9.num. 40. Barb. ad Concil.num.* 124. *refert decisum in Asculana 1. Decembris* 1618. 18

Quæres 7. Hoc iudicium idoneitatis comparatiuum & electionem an Episcopus debeat facere in congressu examinis coram examinatoribus capitulariter congregatis antequam ab eo licentientur?

℞. Negatiue, potest enim Episcopus facere iudicium de digniore, & illum eligere non solum post examen, sed etiam extra locum examinis, & separatim ab examinatoribus id nescientibus. Ita *Garz. cap.* 2. *num.*59. *Massobrius Requis.* 5. *dub.*20. *Barb. ad Concil.num.*120.*& cap.*2.*num.*93.*ex illis Passerin.cap.*30.*de elect.num.*104. 19

Quæres 8. An Electionem suam Episcopus regulare possit habito respectu ad vota, ita vt eligat illum, qui plura per alijs habet vota, quasi ex illis votis inferatur maior idoneitas in approbato?

℞. Non esse habendam solum rationem votorum, sed etiam aliarum circunstantiarum ad mores pertinentium, nam vota, vt plurimum respiciunt literaturam, ex quorum cognitione Episcopus fit certus de eorum doctrinæ sufficientia, secundum magis, & minus ex pluralitate votorum, qui enim habet duo vota, censetur inferior in 20
doctrina illo, qui tria habet, qui vero 21
vnum tantum habet, vel nullum, caret hac doctrinæ qualitate in ordine ad curam animarum. Cum ergo non attenditur solum doctrina, sed etiam alia, poterit Episcopus eligere habentem solum duo vota, si iudicabit hunc magis idoneum ad curam 22
animarum, ex alijs circunstantijs in illo repertis, quibus caret habens tria vota. Quod autem in electione dignioris Episcopus non solum vota, sed etiam alias circunstantias considerare debeant, tradunt cap. *Cum in cunctis, de elect. ipsum Trident. sess.* 24.*cap.*18 *Rot. par.*3.*decis.*521.*n.*1.*dec.*551.*n.*2.*dec.*563. *Marescotus lib.*1.*resol.*52.*n.*25. *ad* 28. *Gonzal. Glos.* 4. *num.* 113. ex illis Petrus, Franc. de Tonduti Sanlegerij *lib.* 1. *quæst. & resol. benefic. cap.* 59. *num.* 11. *Barb. ad Concil. num.* 118. Iuxta ergo numerum votorum magis idoneus non cense- 23
tur, nec in illis Episcopus regulatur, ideo omisso habente maiora vota eligit pro magis idoneo ex alijs circunstantijs resplendens, *Barb. cit. num.* 122. *Massobr. Requisito* 4. *dub.* 4. *Garz. par.* 9. *cap.* 2.*num.*109. Idem Barbosa *cap.* 2. *num.* 88. *&* 91. *Passerin. cap* 30. *de elect. num.* 104.

Quæres 9. An Episcopus teneatur facere electionem de magis idoneo statim finito Exa-

to Examine, an possit vlterius eius electionem prorogare?

24 ℞. Ordinarius collator debet infra semestre ex Bulla Pij V. incip. *In conferendis* 33. conferre Beneficium magis idoneo à se electo, ex quo videtur posse vsque ad illud tempus differre electionem; si vero Episcopus non est collator, sed ad alium spectet collatio, cum infra quadrimestre debeat admonere collatorem, etiam Pagam, ex eadem Bulla, poterit diferre vsque illuc electionem, vt docet *Viuianus lib.* 10. *de iurepatr. cap.* 1. *num.* 46. *Barb. ad Concil. num.* 125. *& de Parocho cap.* 2. *num.* 94.

25 *dec.* 154. *Rota part. num.* 8. Quod intra illud tempus electio sit significanda collatori. Sed ab omnibus diligentia laudatur, & cum quilibet in officio suo debeat esse diligens, *l. Diuus ff. de officio prætor. l.* 1. *ff. de officio pro Cæsare*, & maximè in rebus alienis, in quibus exactiorem diligentiam adhibere

26 debemus, *l. Custodiam* 3. *ff. de peric. & com. rei vendit.* Ideo peracto Examine, quamprimum, si nullum habet impedimentum eligat magis idoneum, & publicet electionem collatori, id enim videtur esse mens Tridentini.

Quæres 10. An Episcopus sub mortali, & quilibet alius teneatur eligere digniorem & magis idoneum ad Beneficium, & ad aliud quodcunq. officium siue cum cura animarum, siue sine cura?

27 ℞. Affirmatiue, nam valde necessarium est, vt Ecclesijs prouideantur de ministris, qui vtiliores, & fructuosiores sint fidelibus & cum honore, & decore regimen habeat Ecclesiarum sibi Commissarium; Quod munus sine dubio præstabunt digniores, & magis idonei, ergo deputati ad id sub mortali debent eligere meliores, aliter grauem faciunt iniuriam Ecclesijs. Ita colligunt *Canon ex cap. Licet* 15. 8 *q.* 1. *cap. Constitutis* 46 *de appellat. & cap. cũ nobis* 19. *de elect. vbi Barb. num* 4. infinitos recenset Doctores. *& de Parocho cap.* 2. *num.* 98. *in Trident. num.* 126. *& Allegat.* 60. *num.* 97 *Hurtad. tract* 12. *cap.* 1. *num.* 1512. *Passer. cap.* 30. *sub initium D. Thomas* 2. 2 *q.* 63. *art.* 1. *&* 2. *q.* 185. *art.* 3. *Quolib.* 4. *art.* 15. *Quolib.* 6. *art.* 9. *Castropal. part.* 2. *tract.* 13. *disput.* 2. *p.* 11. *§.* 2. *nu.* 8. Respondet obiectis quorundam, & antecedenter sub num. 5. dixerat esse certum, in Beneficijs etiam Curatis certis personis dandis, non esse eligendum digniorem, sed dignum præsentatum. Item ad Episcopatum eligendum esse digniorem *sess.* 24. *cap.* 1. Item Episcopus, & Patronus debent ad curam animarum eligere digniorem, vt dixi hic *q.* 4.

Quæres 11. An electio, & collatio facta Benefici siue cum Cura, siue sine Cura sit nulla facta digno tantum, prætermisso digniore, & magis idoneorum in vtroq. foro?

℞. Electionem, & subsecutam prouisionem collatione Beneficij etiam Curati in personam tantum dignam, & idoneam, omissa digniore, & idoneore etiã in concursu facto, esse validam de iure communi, Tridentini, & Pij V. in foro conscientiæ, & sustineri, quousq. per appellationem, & sententiam Iudicis appellationis remoueatur dignus prouisus, cuius electio, & prouisio nulla proinde ac irrita dicitur solum pro foro externo. 28

Prima pars de valore eius in foro conscientiæ probatur, quia non caret suis naturalibus, & substantialibus, cum collator voluntarie contulerit Beneficium apto consentienti in ipsum. Et ita colligitur *ex cap. Monasterium* 33. 16. *q.* 7. *cap. cum nobis* 19. *de elect. cap. constitutis* 46. *de appellat. D. Thoma* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. *Prosper Pagnanus ad cap. Eam te, de Ætate* de iure communi, *num.* 23. de iure Tridentini, *num.* 24. de iure Bullæ Pij V. *num.* 27. *Hurtadus tract.* 12. *cap.* 1. *resol.* 23. *num.* 1820. *& seq. Passer. cap.* 30. *num.* 85. 29

Secunda pars de nullitate pro foro externo probatur respectu tantum concursuum parochialium, quia Tridentinum, & Piana habent decretum irritans electionem, & prouisionem de digno, omisso digniore; cum autem Concilium, & Piana non derogent iuri communi, sed solum dent nouam formam pro foro externo, sequitur, eorum decretum esse referendum ad nullitatem fori externi, discordant enim fori duo isti, cum externum fundatur in presumptione fraudis, *Sayrus lib.* 1. *Clauis. cap.* 13. *num.* 24. *Sanch. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Ita Rota in pluribus apud Beltram *ad Ludouis. dec.* 11. *concl.* 2. *Rota part.* 5. *decis.* 154. *num.* 15. Vbi, quod Tridentinum, & Piana non annullant ipso iure digni electionem dum concedunt oppositorem per viam appellationis. Et ita intelligendi sunt Doctores, quos citant *Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 95. *&* 98. *Allegat.* 60. *num.* 97. *Antonellus lib.* 3. *cap.* 5 *§.* 3. *num.* 31. Et ita intelligendi sunt etiam *de Lugo disp.* 35. *sect.* 5. *num.* 71. *vsq. ad finem*, & Hurtadus *dicta resol.* 23. *num.* 1822. licet modo sit pro Castropalao, modo cum de Lugo. Confirmatur id, quia 30

Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 6. Illiteratos, & 31 imperitos, ac proinde indignos ad Parochiales Ecclesias non priuat Tridentinum, sed mandat dari eis Coadiutores, si ergo electio, & prouisio indignorum non est irrita, multo minus promotio dignorum etiam in concursu, cum ibi sermo potissimum de Parochialibus, quæ sine concursu non conferuntur, ergo signum est, quod decretum Tridentini, & Pianæ refertur ad inualiditatem respectu fori externi, dum in foro

laro, interim tales prouisiones subsistunt donec infirmentur. Sequitur hanc distinctionem *Passer. cap. 30. de elect. num.* 207.

Quæres 12. An indignus, vel dignus contra digniorem in Concursu Beneficij, Beneficium obtentum teneatur in conscientia renuntiare cum omnibus fructibus perceptis?

32 ℞. Nec Beneficium, nec fructus cuiquam restituere tenetur, nisi per sententiam Iudicis ecclesiastici instante contra eum appellatore, cui tamen nec fructus restituere debet perceptos ante sententiam, nec alteri.

33 Prima pars, quod renuntiare non teneatur Beneficium, nec fructus perceptos ante sententiam, probatur, quia quamuis illicitè acceperit, non tamen iniustè, & inualidè, ergo cum iuste possideat, retinet Beneficium, & fructus facit suos, ex iusto titulo collationis. Confirmatur, quia nemo tenetur abdicare à se Beneficium ante senten-

34 tiam. Ita ex *Filliu. in Append. tract.* 41. *cap. 4. num. 54. de Lugo disp. 35. num. 71. Passerin. cap. 3. de elect. num.* 207.

35 Secunda pars de restitutione fructuum perceptorum post primam sententiam probatur, quia non amplius iuste possidet deiectus per sententiam, nisi sequatur appellatio, per quam restituitur in pristinum statum, in quo erat ante sententiam, & sic intelligendus est Filliuc. citatus iuste possidere vsque ad primam sententiam, nisi scilicet sequatur appellatio contra sententiam, quia appellans non dicitur condemnatus,

36 *Glos. V. sententia, fine, cap. Sæpè* 44. *de appell.* Et integer est status eius, vt fungatur

37 suo officio, *l. Interposita. ff. de appellat. l. Vn. §. Integer ff. nihil nouan.* quia appel-

38 latione extinguitur iudicatum, *l.* 1. *§. fin. C. ad sen. conf. Turpill.* Vnde si appellans deserit appellationem, possidens Beneficium remanet in eo securius.

Quæres 13. An collator instituens indignum, vel minus dignum, omisso digniore in officijs distribuendis, & Beneficijs etiam curatis peccet contra iustitiam, teneatur ad restitutionem? & cuinam sit ab illo facienda?

39 ℞. Collator non peccat contra iustitiam commutatiuam, licet contra distributiuam, ac proinde ad nullam tenetur restitutionem, neque proinde consulens, & impediens, ne detur digniori. Probatur, quia iustitia distributiua de se non obligat ad restitutionem, nisi sit coniuncta cum commutatiua, ex *D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 1. ad 3.*

40 iuncta doctrina Caietani super art. 2. Vers. Existentibus, ibi: *Et propterea distribut. tenetur secundum formam iustitiæ commutatiuæ mihi, cui debebat distribuere &c. Passerin. cap. 30. de elect. num. 189. de Lugo disp. 1. de iust. num. 51. & disp. 35. num.* 78. *Bonac. de Restit. disp. 1. q. 1. p. 1. num.* 10. Sed in casu nostro non coniungitur, vt 41 probatur ex differentia vtriusque, nam commutatiua habet pro obiecto debitum in actu, vel in spe, inter personas priuatas, dico in actu, vt ego habeo debitum in actu restituendi equum mihi locatum, in spe vero, quia seminata prædia damnificaui; ideo debitum in spe, seu in potentia restituendi fructus rei alienæ alterius propriæ partim in actu, partim in potentia. Distributiua vero non habet pro obiecto proprium, sed commune bonum distribuendum à persona publica personis priuatis, quæ ad tale bonum distribuendum nullum ius habent in re, cum nondum sibi collatum sit, nec ad rem, cum prætendum non sit, maxi- 42 me Beneficium, iuxta illud Pauli ad Hebr. cap. 5. num. 4 *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*, vnde si examinatus, approbatus, & electus quoque sibi nondum habet collatum Beneficium, nescio quomodo dicatur damnificatus, si Beneficium confertur alteri, dum ei nihil ablatum fuit, quod habuerit in se actu, vel potentia? Ergo collator ad nihil tenetur, nec Beneficium recipiens, vt diximus etiam supra. Vide cap. 12. q. 5.

Deinde Paulus Apostolus 1. ad Corinth. 43 cap. 4. inquit. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei. Hic iam quæritur inter Dispensatores, vt fidelis quis inueniatur?* Vocatur hic dispensator fidelis, non iustus, insinuans per hoc Apostolus Collatorem Beneficiorum debere esse fidelem, hoc est distribuere, & conferre Beneficia fideliter iuxta approbatorum merita, ad euitandum acceptionis vitium, quo minus idoneus præponitur magis idoneo, qui enim hoc facit non est fidelis, sed infidelis, & sicut fidelitas est obseruatio promissorum seruanda 44 in distributione bonorum Ecclesiæ, ita infidelitas est violatio, & in obseruantia promissorum, Ministri enim Ecclesiarum promittunt Deo se fideliter gesturos negotia suarum Ecclesiarum, inter quæ connumeratur collatio Beneficiorum; cum ergo Apostolus dixerit dispensatores fideles debere esse, & nihil expresserit de iustitia, insinuauit illos non facere contra iustitiam obligantem ad restitutionem, sed solum contra fidelitatem obligantem ad rectam collationem Beneficij illi, qui præcæteris dignior est; virtus autem fidelitatis non obligat ad restitutionem, sed solum ad seruandam fidem, ex allatis à *Bonac. de contr.* 45 *disp. 3. q. 11. p. 2. num. 11. Castropal. de iust. tract. 32. disp. 2. p. 8.* qui licet dicant, promissorem teneri stare promissis, non solum ex virtute fidelitatis, sed etiam ex iustitia, non tamen presse sumpta, tamen in

casu nostro nihil tenetur dare ei, cui non contulit Beneficium, quia illud ei non promisit, adeo quod nec peccauit contra fidelitatem respectu illius, sed tantum infidelis fuit, non iniustus, respectu sui officij, quod fideliter exercere promisit.

46 Præterea obligatio restitutionis supponit ablationem rei possessæ actu, vel potentia à domino, vt probatur ex definitione, tum iustitiæ quæ est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. *Instit. de iust. & iure*, initio. Tum restitutionis, quæ est actus iustitiæ, quo vnicuique restituitur ablatum, quod iam suum erat, *ex D. Thoma. 2.2. q. 62. art. 1. & 2. Scoto in 4. dist. 15. q. 2. num. 30. apud Vadingum.* Manifestum autem est, quod collator conferens beneficium digno, immo & indigno, relictis digno, aut digniore, nihil abstulit digno, vel digniori, cum nihil haberent de illo Beneficio, nisi quoddam ius imperfec-

47 tum, & remotum, consistens in sola approbatione Examinatorum, qui nullum ius dant ad Beneficium, vt ex eo possit colligi aliquis actus iniustitiæ commutatiuæ inter competitores, & ipsum collatorem.

Hanc sententiam docent *Sotus*, *Lessius*, *Valentia*, *Nauarra*, *Siluius*, *Filliucius*, *Layman*, quos, & alios recenset *Barb. ad cap. Cum nobis 19. de elect. num. 5. & Alleg. 60. num. 98.* & sequitur *Diana part. 3. tract. 6. Miscell. resol. 34.* adducens rationem ex Gutier. quia in tali collatione nulli fit iniuria; limitant id procedere, si sine vi, & fraude, solis persuasionibus, & precibus conferatur minus digno, digniori enim nihil restituendum. Sequitur *Passer. cap. 30. de elect. num. 189.* quia iustitia distributiua per se non obligat ad restitutionem. Et ex his patet ad rationes contrarium opinantium.

Quæres 14. An dubitans de sua idoneitate possit se præsentare Examini, & si approbetur vlterius ambiguus de maiori idoneitate, quam Tridentinum requirit, possit procurare vijs licitis sui electionem, & collationem Beneficij, esto credat alios esse magis se idoneos?

48 ℞. Vtique, quia approbatio facit illum excludere à dubitatione non solum quo ad gradum positiuum, vt notum est, sed etiam quo ad comparatiuum, posita etiam Episcopi electione magis abijcit à se, & omnino destruit dubitationem, adeo quod probabiliter ex his putat se esse magis idoneum, vel saltem æque idoneum alijs, in his enim comparatio satis se reddit obscuram, & difficilem, itaut quælibet circunstantia honesta possit iustificare maiorem idoneitatem in illo. Pro qua re lege *Cardinalem de Lugo disp. 3. de iust. num. 90. & 91. Sanchez lib. 2. opusc. cap. 1. dub. 48. Dianam part. 3. tract. 5. Miscell. resol. 110. Passerin. cap. 30. de elect. num. 211.*

Quæres 15. An impediens aliquem à consecutione Beneficij teneatur ad restitutionem?

℞. Impediens dignum, vel digniorem ad consecutionem Beneficij, etiam fraudulenter, ne aliquis ex approbatis eligatur, ad nihil tenetur, quia simpliciter approbatus nullum ius, nec in re, nec ad rem Beneficij habet, ergo sic impediens nihil tenetur restituere, cum illum non damnificauerit. Idem quoque dicitur, si iam electum impedit à collatione Beneficij, quia collatio Beneficij non pendet à iustitia commutatiua, cuius transgressio sola inducit obligationem restitutionis, sed à iustitia distributiua, per quam collator Beneficium confert digniori non ex iustitia, sed ex gratia, iuxta superius dicta sub q. 13. Ideo si collator iniustus non est, licet peccet, nec impediens iniustitiam committit, dum eodem peccato Deum offendit, quo ipse collator irretitur, ergo ambo sunt sine læsione iustitiæ. Demum solum tenetur, quando impeditur ne Beneficiarius mittatur in possessionem, cum tunc habeat ius in re, super qua læditur, ideo tenetur ad restitutionem. Vide præcitatos in præcedentibus cum Passerino *n. 219. & 220. & seq.* quia rem satis clare disputat in multis casibus, cui tamen in omnibus non adhæreo. 49

Dixi etiam fraudulenter, quia si sine fraude impediens quicquam restituere non tenetur, nec cum fraude, & dolo, siquidem cum Beneficia nulli etiam dignissimo debeantur ex iustitia commutatiua, sed tantum ex distributiua, quæ in se non obligat ex iustitia, sed tantum ad rectam, & fidelem distributionem ex dictis q. 13. & docet ipse Passer. ibidem, & num. 222. sequitur, fraudem, & dolum non adijcere ipsi iustitiæ distributiuæ talem obligationem restituendi, cum per fraudem nihil abstulerit procuranti Beneficium, dum ad illud nullum ius habebat, neque illum damnificauerit, cum in suis bonis nullum passus sit damnum. Nec his obstat quod quisque habeat ius, ne vi, dolo, vel fraude impediatur ad consequendum commune bonum. 50

Nam hoc ius licet naturale non obligat ad restitutionem, cum non fundetur in iustitia commutatiua, sed tantum in distributiua, quæ bona communia ex gratia, & non ex debito dispensat per fidelem dispensatorem. 51

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Quinam sit dignior ad Beneficia Parochialia?

SVMMARIVM.

1 *Electio dignioris est valde difficilis.*
2 *Ac proinde litibus subiecta.*
3 *Iudicium hoc regulatur per inquisitionem, & approbationem.*
4 *Comparatiuum supponit positiuum.*
5 *Dignus ille est, qui est aptus ad regendam Ecclesiam.*
6 *Qui ætate, scientia, moribus, & prudentia prædictus est.*
7 *Ætas est 25. annorum captorum necessaria.*
8 *Dignus ergo ille censetur, cui nihil opponi potest.*
9 *Idoneitas in magnis ciuitatibus præsumitur.*
10 *Parma magna ciuitas.*
11 *Dignus ad vnum officium vtiq. dignus.*
12 *Approbatus ad curam animarum idoneus est ad Parochialem.*
13 *Idoneitas probatur per examinatores, seu literis Episcopi.*
14 *Digniores semper præferendi.*
15 *Quod seruatur etiam in negotijs secularibus.*
16 *Æqualitas concurrentium dat gratificationem collatori.*
17 *Qualitas positiue spectata non ponit inæqualitatem.*
18 *Nec personarum acceptionem.*
19 *Dignior qui alijs magis aptus est ad regendam Ecclesiam.*
20 *Doctor præfertur non Doctori.*
21 *Illis facilius conferuntur Beneficia.*
22 *Ignobiles non obstante consuetudine admittuntur ad dignitates*
23 *Non omnis doctoratus est Doctor.*
24 *Gradum indoctus assumit inualide, & peccat mortaliter.*
25 *Theologi morales cæteris omnibus graduatis præferuntur.*
26 *Vtriusq. iuris Doctor præfertur Doctori vnius tantum.*
27 *Doctus præfertur Doctori.*
28 *Sacerdos præfertur Doctori.*
29 *Promotus ad Doctoratum lite pendente nihil iuuatur.*
30 *Scientia à Sacris Canonibus præfertur Sanctitati.*
31 *Hæc enim est conditio, illa de substantia.*
32 *Sanctitas non facit doctum.*
33 *Ætate maior præfertur.*
34 *Beneficio carens præfertur.*
35 *Pauper diuiti anteponitur.*
36 *Nobiles præferuntur.*
37 *Sacerdos non Sacerdoti præfertur.*
38 *Dispensatione egens postponitur non indigenti.*
39 *Approbatus ad Confessiones præfertur.*
40 *Originarius præfertur.*
41 *Senior potens verbo, & opere.*
42 *Admissus pluries præfertur.*
43 *Vota plura habens præfertur.*
44 *Criminosus licet pænitens, & correctus non est præferendus.*
45 *Parochus alias ex hoc non dicitur dignior.*
46 *Pluries probatus præfertur alias reprobato.*
47 *Originarius præfertur, & qui seruiuit Ecclesiæ.*
48 *Beneficiatus pluribus ornatus præfertur non Beneficiato.*
49 *Sacerdotij qualitas præfertur.*

ELectio dignioris, & magis idonei ad 1
Ecclesias Parochiales, cui conferen-
dum est Beneficium *ex.cap.* 18. *seß.* 24. Ex
hisq. Episcopum eum eligat, quem cæteris
magis idoneum iud cauerit, atq. illi, & non
alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem
spectabit eam conferre. Adeo ardua, &
difficilis est in praxi, vt nonnulli ex Domi-
nis de Rota dixerint, sufficere, quod eli-
gatur idoneus, & dignus, quia alias omnes
electiones essent litibus, & controuersijs
suppositæ, vt legitur apud Rotam *part.* 1.
*dec.*40 *num.*4. *part.*4. *tom.* 2.*dec.* 164. *num.*
4. *Ludou. dec.* 11. *cuius est num.* 8. emanata 2
anno 1600. vbi Beltraminus consil. 1. & 2.
dicit, in vtroq. foro Episcopum teneri eli-
gere magis idoneum, vt dixi in præced.
capite, *num.* 27. *ad* 30. *& docet Tondutus
lib.* 1. *cap.* 59. *num.* 5. *in suis quæst. & resol.
Canon. & Ciuilib.* & Pius V. in sua incip.
In conferendis dictum decretum confirma-
uit, concedendo appellationem contra ma-
lam electionem ab Episcopo factum de mi-
nus idoneo, ideo Episcopus, cui soli com-
petit hoc iudicium comparatiuum, ex num.
3. præced. cap. & examinatoribus iudicium
positiuum, sub peccato mortali debet eli-
gere digniorem, vt dixi ibidem num. 27.
ad euitandum autem hoc peccatum sufficit
in hac electione procedere cum prudenti
circumspectione; hoc autem iudicium Epis-
copus regulare debet potissimum ex duobus
ex Inquisitione facta de ipsis concurrenti- 3
bus ante examen, & ex tenore approba-
tionis factæ illorum per examinatores. Pro
qua re in hoc Capite videndum est, quod
sit esse dignum, seu idoneum tam in gradu
positiuo, quam in comparatiuo, & quia
comparatiuum supponit positiuum, *Arist.* 4
in Prædic. Qualitatis, & 2. Topic. loco 41. *Ro-
ta par.* 3. *dec.* 548. *num.* 3. *Part.* 5. *dec.* 154.

 num. 13.

num. 13. in nostris terminis, prius de positiuo, deinde de comparatiuo agam, prætermissis quæstionibus.

5 Dignus ergo ille dicitur, qui aptus est ad exercendum Officium, habensq. requisita necessaria ad illud consequendum. Requisita autem in terminis nostris sunt, quod sit Clericus attingens annum vigesimum quintum, vt sit dignus Beneficio parochiali, ex cap. 2. num. 26. examinatus, & approbatus, ex cap. 5. num. 37. & hæ qualitates, atq. aliæ debent inesse tempore collationis Beneficij, ex cap. 2. num. 23. & seq.

6 Dignus ergo, & idoneus ad curam animarum ille censetur, qui ætate, Religione, scientia, vita, & moribus præditus est, vt dicitur, *cap. In Parochia* 31. 16. *q.* 1. *cap. in cunctis* 7. *de elect. cap. Eam te* 4. *de Ætate, cap. Graue* 29. *de prabend. cap. Licet. canon*
7 14 *de elect in* 6. Vbi ætas vigintiquinq. annorum inceptorum necessaria est, vt fieri possit collatio Beneficij parochialis, plures citat *Barb Alleg.* 60. *num.* 81.

8 Quare ille censetur dignus, & idoneus, quod idem est, cui nihil opponi potest, iuxta quod illi testes dicuntur idonei, quibus nihil opponi potest, cum sint omni exceptione maiores, Glos. V. Idoneos §. Si impossibilis, instit. de inutil. stipul.

9 Idoneitas personarum in magna ciuitate præsumitur. *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 91. *num.* 9. *Rota part.* 7. *decis.* 222. *num.* 24. Vbi sermo est de Ciuitate Neapolitana. Et si
10 Ciuitas Parmæ illi in omnibus non sit comparanda, tamen cum ipsa habeat publicum Studium in omni genere studiorum, & scientiarum inter magnas connumeranda est, ac proinde idoneos in ea esse ad omne officium præsumendum est.

11 Indignus dici non potest in vna Ciuitate qui in alia censetur dignus, intellige respectu eiusdem officij, *arg. cap. Accepimus* 13. *de ætat. iunct.* a *Glos. V. Reputara.*

12 Approbatus ad curam animarum censetur idoneus ad Parochialem, *Ottob. dec.* 58. *num.* 10. Ad talem Parochialem si vult concurrere eget examine, vt patet ex verbis Tridentini, supra relatis.

13 Idoneitas autem, & habilitas probatur ex approbatione examinatorum, Ottob. *dec.* 187. *num.* 2. & etiam ex literis ordinarij, *dec.* 246. *num.* 5.

14 Certum autem est, quod dignus non præfertur magis digno, ex ipso Tridentino, id enim est abusus, & corruptela, *Ludouis. decis.* 310. *num.* 5. *Rota par.* 4. *tom.* 3. *dec.* 647. *num.* 10. Digniores enim in omnibus sunt præferendi, *cap. cum dilectus* 32. *de*
15 *elect. ibidem Glos.* V. Digniores. Hoc etiam seruatur in officijs, & negotijs secularibus nam in melioratione rei communis magis idoneus præfertur minus digno, *l. in reficiendo* 41. *ff. de damno infecto.* In satisfationibus similiter, *l. Quod si* 18. *ff. de testam. tutela.*

Notandum autem est, quod est differen- 16
tia in gradu positiuo, & comparatiuo in eo consistens, quod positiuus gradus tam in vno, quam in pluribus reperiri potest, dicimus enim, quod hic homo est idoneus ad tale officium, & quod plures homines sunt æque idonei ad tale officium; in casu huius pluralitatis æqualis datur gratificatio, in quantum scilicet superior pro suo arbitrio dat officium vni, & non alteri, & in
hoc nulla est exceptio personarum, quia 17
qualitas positiue spectata non ponit excessum, nec defectum, ex quibus possit oriri 18
acceptio personarum, & illarum præiudicium. In gradu vero comparatiuo, vnus alio dignor, & magis idoneus est, qui scilicet alterum excedit in aliqua qualitate, qua alter caret, & sic ille præferendus in Officijs, & Beneficijs præsentim Parochialibus, omisso minus idoneo.

Ille ergo dicitur dignior, & magis idone- 19
us, & aptus ad regimen Ecclesiæ, qui ætate, literatura, moribus, & prudentia speratur bene gubernaturus esse Ecclesiam sibi committendam alio carente vna ex illis qualitatibus. *Rota part.* 3. *dec.* 551. *num.* 2. *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 149. 3. Et qui illi potest esse magis vtilis, & aptus, *part.* 10. *decis.* 105. *num.* 12. *Riccius part.* 3. *resol.* 521. *Barb. Alleg.* 60. *num* 97. *de* Parocho *cap.* 2. *a num.* 110.

Doctor præfertur non doctori, magna 20
enim est eius qualitas, vt etiam in Concursu præferatur Beneficiorum, *Ludouis. dec.* 11. *num.* 4. *Rota par.* 2. *dec.* 36. *num.* 2. *Riccius par.* 4. *dec.* 135. *num.* 2. *Barb. ad Concil. num.* 131. *et de Parocho cap.* 2. *num.*
114. Vnde Papa istis facilius concedit Be- 21
neficia, *ex cap. Cum in cunctis*, §. *inferiora*, *de elect. cap. de Multa*, *de Prabend. cap. Quanto de Magistris*, *Verallus part.* 1. *dec.* 277. *num.* 4. Hinc fit, quod Doctores licet ignobiles, consuetudine etiam non
obstante admittuntur ad prebendas, & di- 22
gnitates in Catedralibus, *cap. Venerabilis* 37. *de Prabend. Riccius part.* 6. *Collect.* 2451. *Barb. de Canon. cap.* 13. *num.* 3. Dicta procedunt, quando Doctor vere est doctus, inquit enim Carena *de S. officio part.*
1. *tit.* 5. *num.* 22. quod omnis doctus est 23
Doctor, sed non omnis Doctor est doctus; alij aiunt, quod non omnis doctoratus est Doctor, & *l. Si Vxor* 13. §. *Iudex ff. ad leg. Iul. de adulter.* Mastrius in Scoto expurgato fol. 67. inquit. *Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Et Doctor indoctus
irrite gradum recipit, *Sanch. lib.* 8. *disp.* 34 24
num. 10. Vnde illum assumens peccat mortaliter, *Glos. V. Honorem*, *Clem. Cum sit, de Mag.*

de Mag. Nauar. cap. 25. num. 55. Et Doctor ignarus non habetur pro Doctore, nec Doctor est. *Felin. in cap. Clerici, de iudic. apud Fagnanum in cap. Inter cæteras, de Rescr. extremis verbis.*

25 Obseruandum præterea est, quod in materia Concursus ad Beneficia Curata magna est differentia inter Doctores vtriusque iuris, & Theologos, atque inter hos vti speculatiuos, & Morales, quos vulgus appellat Casistas, nam peritiores sunt Theologi morales speculatiuis, vt plurimum, & vterque istorum præcellit Doctores vtriusque iuris, quorum professio non est regulares actiones humanas in materia conscientiæ, quod proprium est Doctorum Theologiæ moralis, ac proinde meo iudicio præferendi sunt in Concursu Beneficiorum Curatorum. Quandoque enim Doctores vtriusque iuris, imo & Lectores Theologi mere speculatiui non dedignantur edoceri à Peritis Casistis pro talibus habitis licet non laureatis, vnicuique enim in propria arte experto credendum magis, quam alteri, *l. Septimo 12. de Statu hom.*

26 Doctor vtriusque iuris præfertur Doctori vnius tantum. *Decian. tom. 1. Resp. 21 num. 50. Barb. de Parocho cap. 2. num. 115.* Et iuris Canonici præfertur Ciuilis, is enim in nullo medetur conscientiæ, incumbens tantum bonis temporalibus, ille etiam Spiritualibus, *Barb. ad Concil. num. 131.*

Doctus licet careat gradu hoc præfertur
27 Doctori, cuius vita, & mores ignorantur, quando ille notus est, & probatus moribus. Ita *Piasec. cap. 5. num. 19. Gonzal. Glos. 4. num. 112. Riccius part. 4. decis. 362. Burat. dec. 22. Barb. ad Concil. num. 131. de Parocho num. 115. Alleg. 60. num. 102.* Electio ergo non graduati, omisso Doctore non est irrationabilis, *Rota par. 3. dec. 551. num. 4. Tondutus lib. 1. cap. 59. num. 6.*

28 Sacerdos præfertur Doctori, cum dignitas Sacerdotalis longe præstantior sit Doctoratu, *ex Valenz. consil. 142. num. 111. ad 122. Rota part. 10. dec. 171. num. 15. ad 18.* vbi, quod nec illi præfertur Theologus nondum Sacerdos, *ex Gutier. consil. 2. Vers. Non obstat.*

29 Pendente lite si quis promouetur ad lauream Doctoratus illi non suffragatur in ordine ad negotium, quod pendet, in causa Beneficij. *Rota par. 10. dec. 171. num. 19.*

30 Scientia doctrinæ moralis regulatiuæ actionum humanarum ad discernendum inter bonitatem, & malitiam earum actuum, adeo est necessaria ad curam animarum, vt à Sacris Canonibus præferatur sanctitati, & moribus, vt legitur *cap. Vilissimus 1. q. 1. c. 17. Licet ergo 8. q. 1. Trident. Sess. 24. cap. 12. §. Nemo igitur.* Scientia enim est de substantia bonæ gubernationis animarum

iuxta illud Psalmi. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Sanctitas vero, & boni mores 31
exiguntur, vt conditio sine qua non confertur cura animarum, *ex S. Thoma 2. 2. q. 185. art. 3. Quolib. 6. art. 9.* Rem hanc fuse prosequitur *Fagnan. part. 2. ad cap. Eam te, de ætate à num. 9.* Quandoque præfertur minus literatus, si appareat magis aptus prudentia, & moribus ad gubernandam Ecclesiam. *Rota part. 1. dec. 537. num. 14.*

Non placet hoc, cum obstet præcedentibus, 32
& integritas vitæ ignarum non facit doctum. Itaque ego magnam vim facio in doctrina valde necessaria ad regendas animas.

Ætate maior præfertur, *cap. Cum in* 33
cunctis, de elect. ibi Glos. V. ætatis maturitas, Innoc. in cap. 1. de maior. num. 1. Rota par. 10. dec. 262. num. 16. Nihilominus quandoque cui deest ætas potest esse magis idoneus, si alios in cæteris præcellit, *Mantica dec. 275. num. 4. Sigism. Capucinus de elect. dub. 32. num. 3, Rota par. 10. dec. 262. num. 5.*

Beneficio carens præfertur habenti, mo- 34
do huic sufficiat ad honestam sustentationem, *cap. 15. cui, 19. de Prebend. in 6. Rota in Nouis decis. 26. de Prebend. & part. 1. dec. 171. num. 12. & 13. Barb. ad Concil. num. 133. & de Parocho cap. 2. num. 116. ad Concil. num. 134. Rota par. 11. dec. 210. num. 22.*

Pauper Sacerdos præfertur diuiti, *Host.* 35
in cap. Cum sit, de ætate num. 5. Gutier. cons. 13. num. 3. Gratian. cap. 211. num. 23. Rota part. 10 dec. 23 num. 12. Non placet alijs *apud. Barb. de Parocho num. 118.* Volentibus præferendum esse Ecclesiæ pauperi, vt sit illi vtilis. Quandoque magis est vtilis pauper. Vide *Passer. cap. 30. de elect. num. 26.*

Nobiles præferuntur ignobilibus. *Barb.* 36
ad Concil. 134. de Parocho cap. 2. num. 218. & 220. Si tamen nobilis sit minus doctus ignobili, is præfertur, *ex cap. penult. de Prebend.* vt dixi hic num. 22.

Sacerdos præfertur alijs Clericis. *Rota* 37
par. 4. tom. 2. dec. 149. num. 3. Passer. cap. 30. num. 23. Rota apud Dianam par. 9. decis. 16.

Dispensatione egens postponitur non 38
indigenti, *Decius consil. 542. num. 14 Seraph. dec. 767. num. 2. Barb. ad Concil. num. 132. de Parocho num. 121. Passer. num. 24.*

Approbatus ad Confessiones est magis 39
idoneus non approbato, *Rota part. 10. decis. 262. num. 14. præfertur part. 11. dec. 295. num. 7.*

Originarius præfertur extraneo, *Barb.* 40
ad Concil. num. 130. de Parocho num. 110. 111. & 112. Passerin. cap. 30. num. 34.

Senior

41 Senior potens verbo, & opere præfertur iuueni, *Barb. cap. 2. de Parocho num.* 109. *Lesser. num.* 31.

42 Admissus pluries præferendus est semel admisso. Inter concurrentes si repulsus iterum admittatur ad examen, & approbetur iudicandus est inferior alijs competitoribus simpliciter approbatis, vt dixi cap. 5. num. 43.

43 Vota plura habens præfertur habenti pauciora. *Rota part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 164. *num.* 6. Quamuis ex hoc ille non sit iudicatus idoneus, quia non Examinatores, sed Episcopus hoc iudicat, vt dixit Alciatus *apud Fagn. part.* 2. *ad cap. Cum sit ars de Ætate num.* 52.

44 Criminosus pœnitens, & correctus non debet præferri illi, qui notatus non fuit, is enim est omni exceptione maior illo patiente eam exceptionem, contra quem præsumi semper potest ex Reg. Semper malus, in 6. non vero contra nondum notatum. Loterius lib. 2. quæst. 31. num. 153.

45 Dignior non censetur, qui alias habuit curam animarum, quia id probat solum sufficientiam non dignoritatem, vt ex Orano docet Ludou. dec. 11. num. 7. addo eam rationem, quia facienda est comparatio personarum in eodem Concursu, & Examine.

46 Sacerdos pluries approbatus censetur dignior illo, qui aliquando fuit reprobatus. *Rota part.* 11. *dec.* 210. *num.* 3.

47 Originarius ex loco Beneficij præfertur alijs. Rota cit. num. 20. Pariter ille, qui ibidem curam exercuit, vt allegatis alijs decisionibus dicitur, & sic æconomus præfertur.

48 Beneficiatus, qui est præditus maioribus qualitatibus præfertur non Beneficiato. *Ibidem, in fine, & decis.* 231. *num.* 15.

49 Dignior censetur Sacerdos, esto Beneficium non requirat hanc qualitatem, quia hæc Sacerdotij qualitas semper Clericum reddit digniorem alijs Clericis. Gutierez *cons.* 2. *num.* 22. *Rota par.* 11. *dec.* 232. *num.* 7. *decis.* 295. *num.* 5.

CAPVT OCTAVVM

De Appellatione à Reprobatione Examinatorum.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio est prouocatio à minori iudice ad maiorem vtriusque Superiorem ad tollendum grauamen.*
2 *Prouocatio est eius genus, quod communicatur alijs speciebus.*
3 *A minori ad maiorem.*
4 *Inferior enim non habet potestatem in superiorem.*
5 *A Vicario non appellatur ad Episcopum.*
6 *Persona vna ambo reputantur.*
7 *Vicarij potestas est ordinaria.*
8 *In tota diœcesi.*
9 *A Vicario ad Episcopum quando appelletur.*
10 *Iudex maior est superior vtriusque appellantis, & à quo fit appellatio.*
11 *Iudex tantum subditos suos iudicat.*
12 *Grauamen vbi non est, non datur appellatio.*
13 *Grauamen est obiectum appellationis.*
14 *Appellans fit actor docens de iniustitia sententiæ.*
15 *Grauamina etiam parua admittunt appellationem.*
16 *Grauamen non præsumitur, sed probandum est.*
17 *Appellationis effectus duplex deuolutiuus, & suspensiuus.*
18 *Appellatio in dubio censetur iusta.*
19 *Admittitur vbi expresse non prohibetur.*
20 *Iura prohibentia appellationem stricte sunt interpretanda.*
21 Si, & in quantum possum. *Quid operetur in appellatione.*
22 *Appellatio à reprobatione Examinatorum est tantum deuolutiua.*
23 *In Tridentino Sess.* 24. *cap.* 18. *in Concursibus.*
24 *Inclusio vnius est exclusio alterius.*
25 *Responsum S. Congr. ad Episcopum Parmensem.*
26 *In Concursu Parochialium datur appellatio tantum deuolutiua.*
27 *In Calaguritanis datur quo ad vtrunq; effectu.*
28 *Causa in appellatione exprimenda.*
29 *Appellare ab Examinatoribus simul congregatis non est necesse.*
30 *A Vicario appellatur ad Episcopum in interlocutorijs.*
31 *Consentire, & non contradicere paria sunt.*
32 Examinatorum *sub nomine venit etiam Vicarius.*
33 *Ab Episcopo ad Metropolitanum appellatur.*
34 *Capitulum totum dicitur facere; quod maior pars facit.*
35 *Appellatio à Vicario ad Episcopum fit, quando ille interfuit Examini.*
36 *Ad Metropolitanum, quando interfuit Episcopus.*
37 *Metropolitanus est immediatus iudex appellationum subditorum suffraganei.*
38 *Appellatio non datur eiusdem ad seipsum.*

39 Gra-

39 *Grauamen vbi separari non potest in beneficialibus per definitiuam, datur appellatio.*
40 *Appellatio, omisso medio valet, si non excipiatur.*
41 *Metropolitanus adhibet Examinatores Synodales.*
42 *Appellatio licet, siue omnes, siue non, sint reprobati.*
43 *Officialis præsumitur semper bene egisse officium suum.*
44 *Grauaminis fumus sufficit.*
45 *Scientia enim nouo examine probatur.*
46 *Reprobatio alias approbati est suspecta.*
47 *Rexaminatus, & approbatus non redintegratur, nisi boni sit examinatus.*
48 *Itaut colligatur fuisse ab initio doctum.*
49 *Breue tempus est quindecim mensium.*
50 *Examen nouum, & appellatione prodest ad recuperandum honorem.*
51 *Non prodest ad obtentionem Beneficij.*
52 *Causa limitata producit effectum limitatum.*
53 *Reprobatus non potest dici grauatus in ordine ad Beneficium.*
54 *Reprobatus fit deterioris conditionis.*
55 *Reprobatus, qui postea appellatione approbatus fuit Beneficium consequi non potest, nisi tertio examinetur ab Ordinario saltem priuato Examine.*
56 Poterit *indicat arbitrium in agente.*
57 Seruatis seruandis *refertur ad substantialia.*
58 *Acta contra attentata non sunt; in appellatione tantum deuolutiua.*
59 *Appellatio per Ordinarium à Metropolitano est plena.*
60 *A votorum non publicatione non datur appellatio suspensiua.*

1 Appelatio est prouocatio à minori Iudice facta ad maiorem Iudicem, grauantis, & grauati superiorem vtriusque ad tollendum grauamen illatum.

2 Dixi Primo, *Prouocatio*, quod est genus, cum de alijs prouocationibus prædicetur, quæ non sunt appellationes, vt cum vnus alium prouocat ad pugnam, excitat ad alio aliud, in quibus prouocatio resoluitur inter duos, appellatio autem inter tres personas, quarum media est priuata, aliæ duæ publicæ, & in officio, aliæ vero prouocationes fere inter priuatas.

3 Dixi 2. *A minori Iudice ad maiorem,* quia absurdum est adire inferiorem contra Superiorem, quia ille non habet potestatem in hunc, *cap. Inferior* 4. *dist.* 21. *cap. Cum inferior* 16. *de maior. l. Formam C. de offic.* 4 *perfecti Prætor.* Quod etiam arguit non dari appellationem à Vicario Generali ad Epi-5 scopum, *cap. Non putamus* 2. *de consu. in 6.* Vbi, quod non valet consuetudo, quod appelletur ab Officiali Episcopi ad Episcopum; quod repetitur, *cap. Romana* 3. *de Appellat. in 6.* quia sunt idem tribunal, ac proinde non datur inter vtrunque minor, & maior, cum reputentur vna, & eadem persona, *Sbrozius lib.* 1. *q.* 23. *num.* 7. vnde eius potestas est ordinaria cum Episcopi 6 iurisdictione, *ibidem num.* 5. & quidem in 7 tota diæcesi, *ex eod. lib.* 2. *q.* 55. *num.* 9. *Basil. Poncius lib.* 5. *de Matrim. cap.* 11. 8 *Bossius de Iubileo sect.* 3. *casu* 2. *num.* 60. Examinat etiam simul cum Episcopo, & cum eo facit vnum tribunal, vt probaui cap. 3. num. 8. 9. & 10.

Quamuis non detur appellatio à Vicario Generali ad Episcopum, tamen datur in aliquibus casibus. Primo ab interlocutoria 9 per viam recursus à grauamine, *Glos. V. officiali dicti cap.* 2. *consuet. Barb. hic num.* 6. Secundo, Episcopos cognoscere potest de nullitate sententiæ sui Vicarij definitiuę, *ibidem Domin. num.* 3. *Franc. num.* 10. *Barb. num.* 7. Tertio non prouocatur in ijs, in quibus Vicarius habet iurisdictionem ordinariam, vtique in ijs, quæ specialiter ab Episcopo illi committuntur, vt dicit *Glos. V. Officialem cap.* 2. *de officio Vicar. in 6.* ibidem Canonistæ, *& Barb. in dicto cap.* 2. *num.* 11.

Dixi 3. *Ad Iudicem superiorem vtriusq;* 10 cum enim Iudex appellationis nempe maior debeat iudicare in causa appellationis necesse est, quod Iudex à quo, & appellans sint ambo subditi in ea causa Iudicis appellationis, Iudex enim iudicat tantum sub- 11 ditos, *cap. Iudicare de subditis* 61. 11. *q.* 3.

Dixi 4. *Ad tollendum grauamen illatum,* 12 quia ab eo qui nullum intulit grauamen, nec molestiam, appellandum non est, cum non nocuerit. Grauamen ergo est fundamentum appellationis, quæ sine illo subsi- 13 stere non potest, alias ipso iure corruit, *cap.* 3. 4. *&* 5. 2. *q.* 6. *cap. Cum sit* 5. *cap. Suggestum* 15. *cap. Vt debitus* 59. *cap. Cum speciali* 61. §. *Porro, de appellat.* Obiectum ergo appellationis est grauamen, *Sur-* 14 *dus consil.* 398. *num.* 4. *&* 5. *vol.* 5. *Rota par.* 3. *dec.* 551. vbi quod appellans sit actor, qui tenetur docere de iniustitia sententiæ, adeo quod appellatio, cum sit species defensionis aduersum oppressionem, iniustitiam, & iniquitatem iudicij, ex cit. cap. 61. ibi Barbosa num. 14. citatis Doctoribus, etiam in paruis grauaminibus datur sine iniuria Iudicis, l. Et in maioribus 2. C. 15 de appell. Qui enim vtitur iure suo nulli facit iniuriam, cap. Cum Ecclesia 31. de elect.

Grauamen autem huiusmodi non præ- 16 sumitur, sed probandum est ab allegante illud, cum sit quid facti, ac proinde probandum, *l. in bello* 12. §. *Facta ff. de cap. & post-*

& postlim. l. Si emancipati 9. C. de collat. l. 1. C. de probat. cap. Cum Ioannes 10. §. Verum de fide instr.

17 Est autem duplex appellationis species, vna deuolutiua, altera suspensiua, ac proinde Doctores dicunt, quod appellatio, duplicem habet effectum, suspendendi acta Iudicis inferioris, & deuoluendi illa ad Iudicem meliorem, qui de illis cognoscat. Admissa suspensiua, admittitur etiam deuolutiua, illa enim vti potentior absorbet etiam deuolutiuam; quandoque tamen à Iure conceditur deuolutiua, & prohibetur suspensiua. Iste duplex effectus colligitur ex l. Vn. C. Si de mom. possess. vbi in iudicio possessorio Adipiscendæ, vel Recuperandæ admittitur appellatio quo ad effectum deuolutiuum, non quo ad suspensiuum, loquendo de iure ciuili, non vero de iure Canonico. *Et ex cap. Pastoralis 28. §. Præterea, de offic. deleg. vbi* reijcitur appellatio quo ad effectum suspensiuum. De qua re late Couar. cap. 23. num. 7. quæst. Practicab. Vbi probat attentata à Iudice minori non dici talia, nec reuocari posse per Iudicem appellationis, quoties appellatio est tantum deuolutiua, in hoc enim casu non fit iniuria Iudici Superiori, qui talis non est, nisi quando appellatio est suspensiua, vt dicit *Rota par. 5. tom. 2. decis. 426. num. 13.*

Appellatio in ijs, quæ ad Visitationem, & morum correctionem spectant admittitur quo ad effectum deuolutiuum tantum, *Fagnan. p. 3. ad cap. Ad nostram, de Appellat. num. 5.* Item appellatio suspensiua non admittitur à sententia lata in causa decimarum, sed tantum deuolutiua, in cuius admissione debet exprimi Clausula hæc sine retardatione solutionis decimarum; & id procedit, vbi appellatio fundatur in sola consuetudine, si vero appellatio nitatur priuilegio Apostolico tunc admittitur etiam suspensiua, *Canon. in cap. Tua nobis 26. de decimis*, ibidem *Barb. num. 9. Tambur. tom. 1. de iure Abbat. disp. 15. q. 18. à num. 59.*

18 In dubio, an appellatio sit iusta, ac proinde an sit admittenda, præsumenda est iusta, ac proinde admittenda, est communis apud *Barb. ad cap.* Vt *debitus 59. de Appel-*

19 *lat. num. 12.* Est enim permissa in omni casu, nisi expresse reperiatur prohibita, *Glos. V. Restituere l. Et in maioribus ff. de rei vendic. Tira uel. de priuil. causa piæ 153. cum alijs Barb. cit. num. 13. Subdens* iura, quæ prohibent appellationem, esse odio-

20 sa, ac proinde stricte interpretanda, *Surd. dec. 102. num. 1. Melchior. Phebot tom. 1. Aresto 62. fine.* In casu autem dubitationis Iudex eam admittat cum hac clau-

21 sula: *Si & in quantum possum.* Non errabit, quæ importat admissionem in ijs, quæ sunt admittenda, & negationem appellationis respectu eorum, quæ non sunt admittenda, *Theodos. Rubeus clau. 91. & 741. Barb. claus. 149.* Hæc præmisi, quia multum conducunt ad ea, quæ resoluturus sum in hoc capite, in quo agam de appellatione à reprobatione Examinatorum, pro cuius intelligentia refero textum Tridentini Sess. 24. cap. 18.

In omnibusq. supradictis casibus non cuiquam alteri, quam vni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam de Ecclesia prouideatur. Nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, vlla deuolutio, aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam, siue eiusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas, interposita impediat, aut suspendat. 22

Patet ex textu satis claro appellantem non posse impedire, nec suspendere relationem Examinatorum, quo minus habeat suam executionem, hoc est, impedire prosecutionem, ne prouideatur Ecclesiæ Vacanti, conferendo Ecclesiam vni ex approbatis, vel si omnes sint reiecti, & reprobati interposita appellatio non potest impedire nouum Concursum, & Examen, vt prouideatur Ecclesiæ. Vt magis patebit in sequentium quæstionum resolutionibus.

Quæres igitur 1. An Tridentinum permittat reprobatis appellationem? & qualem? De his enim tantum hic agendum, nam in sequenti agendum erit de appellatione approbatorum ex mala Episcopi electione. Videtur, quod non, quia textus expresse loquitur de approbatis.

℞. Permittitur hic appellatio à reprobatione Examinatorum tantum deuolutiua, non autem suspensiua, in concursu Beneficiorum Parochialium. Probatur ex ipso textu Vlla deuolutio, aut appellatio suspendat. Cum ergo neget appellationem suspensiuam, admittit deuolutiuam, negatio enim vnius est alterius concessio, *cap. Nonne, de præsumpt Glos. V. Negatur, cap. Qualis hinc 4. dist. 25. Glos. V. Colligitur cap. ex eo quod 2. 15 q 3.* Nec facienda est vis in illis verbis. *Deuolutio aut appellatio*, quasi prohibeatur vtraq. appellatio, cum solum prohibeatur efficacior, quæ est suspensiua, ad quam restringitur deuolutiua, in quantum posset retardare prouisionem Ecclesiæ. Et ita respondit S Congr. vt refert Cardin. Alciatus apud Fagnanum *par. 2. in cap. Cum sit ars, de ætate num. 53. Rota par. 5. decis. 197. num. 9. part. 9. dec. 60. num. 3. & 4. part. 10. dec. 48 num. 13. ad 15. dec. 94. num. 5. dec. 155. num. 3. Ludouicum Beltr. dec. 515. Gonz. Glos. 9. in Annot. n. 185.* 23 24

Et in

Et in hoc non est dubitandum, quia sequens emanauit responsio Sacræ Congregationis sub die 5. Febr. 1667 quo hæc scribo eius tenoris: Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini
25 interpretum censuit, D. Episcopum Parmensem posse nouum Concursum instituere, seruatis seruandis; & Vicarium Generalem Bononiensem debere suam inhibitionem moderari quo ad effectum suspensiuum. Ille enim Vicarius appellatione visa inhibuerat nostro Episcopo, & omnibus eius Officialibus, & etiam examinatoribus sub pœna nullitatis attentatorum, & alijs pœnis, ne quis auderet se ingerere, aut ad aliquem actum etiam minimum in huiusmodi causa præfati concursus, & examinis, vel alicuius alterius prouisionis Parochialis Ecclesiæ vacantis Nuceti procedere &c. sub datum 18. Ianuarij 1667. Appellauerat autem Doctor Pellegrinus Fusarius, cui demum Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Carolus Nembrinus Episcopus noster vigilantissimus contulit dictam Ecclesiam. Itaque certum est, quod Vicarius Bononiensis in vim acceptæ appellationis aliud agere non poterat, nisi admittere illum ad nouum examen, vt fecit per Synodales examinatores illum approbantes, vnde suum gloriose recuperauit honorem ab illis benignis examinatoribus, nihil aliud ergo potuit illi tribuere ea appellatio nisi honoris recuperationem, in quo se tenebat grauatum, & læsum, hoc enim solum importat appellatio deuolutiua in hac causa, vt insinuat dicta Responsio, dum mandauit Vicario Bononiensi, vt suam inhibitionem moderaretur, hoc est, reuocaret in ordine ad omnes actus, qui tenderent ad prouisionem Ecclesiæ, cum velit Tridentinum id spectare ad Episcopum, non ad Iudicem appellationis, cuius est solum rexaminare reprobatum vt suum honorem recuperet.

26 Dixi in Concursu Parochialium dari appellationem deuolutiuam tantum. Nam in alijs datur etiam quo ad effectum suspensiuum, *Rota par. 4. tom. 2. dec. 379. num. 4.*
27 *par. 1. dec. 656. part. 10. dec. 48. num. 13. ad 15. & dec. 94. num 6.* In Calaguritanis Beneficijs pariter quo ad vtrunq. effectum datur, *Rota par. 1. dec. 351. num. 1. part. 3. dec. 488. num. 3. part. 6. decis. 148. num. 8. part. 10. dec. 155. Ludou dec. 515 538. 527. Ottob. dec. 209. 218. 232. 241. & 260.*

Ad rationem dubitandi, esto loquatur Concilium de approbatis non tamen excludit reprobatos ab appellatione deuolutiua, & quidem à fortiori, cum possint allegare grauamen proueniens ex reprobatione, quod non allegant approbati.

Quæres 2. An in hac appellatione tantum deuolutiua sit exprimenda causa, adeo quod non sufficiat appellare in genere.

℞. Exprimenda est causa dicendo se appellare à reprobatione examinatorum, quia in sententijs interlocutorijs causa est exprimenda in appellatione, aliter hæc est nulla, *Puteus lib. 3. dec. 400. Rota part. 1. dec. 591. num. 3.* in his terminis, Sed reprobatio examinatorum est interlocutoria, *ex dictis cap. 5. num. 8.* Ergo in appellatione exprimenda est causa reprobationis, quod etiam deducitur *ex. cap. Quod ad consultationem 15. de sent. & re iud. cap. vt debitus 59. cap. Dilecto 63. de Appellat.* ad eum finem, vt iudex sciat, quid iudicare debeat. 28

Quæres 3. An appellatio à reprobatis facienda sit coram examinatoribus simul congregatis, an sufficiat eam facere coram eis disgregatis, & separatis à Capitulo, & congressu examinatorio?

℞. Appellatio quouis modo facta tenet. 29
Ratio est, quia huiusmodi vnio, & congregatio est impossibilis, nemo enim est, qui possit eos in vnum cogere. Confirmatur, quia sufficit, vt examinatoribus constet de appellatione, cuius cognitio haberi potest ab examinatoribus etiam separatis existentibus. Et in hoc nulla est difficultas, dum de ea sufficienter constat eisdem.

Quæres 4. An appellandum sit à Vicario Generali, qui præsens fuit Concursui examinatorio?

℞. Affirmatiue, quia ab ipso fuit pariter 30
examinatus, ergo & ab eo procedit grauamen, esto non dederit votum reprobatiuum quia saltem tacite examinatum reprobauit, dum tacuit, cum posset aliquid dicere pro 31
examinato, siquidem paria sunt consentire, & non contradicere, *l. In adoptionibus ff. de adopt. & facit. Reg. 43. in 6.* consentire vi- 32
detur, qui tacet. Confirmatur, tum quia venit sub illis verbis. *Examinatorum relationem*, ipse enim est examinator ex quo examinauit. Tum quia appellatio fit ad Episcopum, ergo ab eo, & examinatoribus.

Quæres 5. An appellandum sit ab Episcopo, si interfuit examini?

℞. Pari ratione esse ab eo appellandum 33
quia ab eo censetur grauatus, cum ab eo fuerit examinatus, iuxta dicta de Vicario. Confirmatur, quia Episcopus, sicut Vicarius cum examinatoribus facit vnum auditorium, & Tribunal, ex probatis cap. 3. num. 11. ergo ab eo, vt à toto corpore est appellandum, quod enim facit maior pars Capituli à toto Capitulo dicitur factum, *l. Quod 19. ff. ad munic. & de incolis, cap. 1.* 34
de his quæ fiunt à maiori. Barb. de Canon. cap. 38 num. 3. Item *Castropal disp. 3. p. 2. §. 6. num. 6.* contra Garziam ab eo citatum asserentem, appellare posse ad proprium ordinarium, si suo voto non accessit examinatorum votis.

Quæres 6. An appellatio facienda sit
ad Episcopum, quando examini interfuit
Vicarius Generalis?

35 ℞. Affirmatiue, nam in textu nomina-
tur etiam Episcopus ad quem fit appellatio,
ergo potissimum habet locum in hoc casu,
Confirmatur, quia supra Vers. Quamuis,
dictum fuit, à Vicario ad Episcopum dari
recursum ad Episcopum in interlocutorijs,
vt docet Puteus lib. 2. dec. 403. ex eo Ric-
cius part. 1. decis. 212. num. 2. Ergo & in hac
causa, cum sit interlocutoria, ex dictis *cap.*
5. *num.* 8.

Quæres 7. An appellatio facienda sit ad
Metropolitanum, quando Episcopus præ-
fuit examini?

36 ℞. Affirmatiue, & id deducitur ex ver-
bis Tridentini, vbi inter eos, ad quos fit
appellatio, nominatur Metropolitanus,
qui est iudex ordinarius, & immediatus
suffraganeorum in causis appellationis hu-
37 ius subditorum, *cap.* Romana §. in alium,
de Appellat. in 6. Quaranta V. Archiepis-
copi auctoritas, auctor. 18. Confirmatur,
quia eiusdem ad se ipsum non datur appel-
38 latio, cap. Romana, de appell. in 6. destrui-
tur enim per hoc substantia appellationis,
quæ essentialiter est à minori ad maiorem
vt dicit ibi *Glos. V. ad seipsos*, & supra dixi
initio huius capitis, Vers. Dixi 2. sed exa-
minatores cum Episcopo faciunt vnum
Tribunal, vt probaui *cap.* 3. *num.* 11. *cap.* 4.
num. 68. simul enim agunt, & examinant,
ita quod diuisim, & separatim nihil opera-
ri possunt in Concursu Examinis. *Rota par.*
10. *dec.* 348. *num.* 15.

Dices *cap.* 20. *sess.* 24. dicitur, appellatio-
nes esse faciendas coram Episcopo his ver-
bis: Causæ omnes ad forum ecclesiasti-
cum quomodolibet pertinentes etiamsi Be-
neficiales sint, in prima instantia coram
Ordinarijs locorum duntaxat cognoscan-
tur. Ergo reprobatus non ab Episcopo,
sed solum ab Examinatoribus ab Episco-
pum appellare debet.

39 ℞. Habere locum vbi grauamen repa-
rari potest per definitiuam, vt dicitur ibi-
dem his verbis: Neque appellationes ab
eisdem interpositæ per superiores quos-
cunq. recipiantur, eorumue commissio, aut
inibitio fiat, nisi à definitiua, vel à defini-
tiuæ vim habente, & cuius grauamen per
appellationem reparari nequeat. Graua-
men autem reprobationis alio modo repa-
rari non potest, nisi per appellationem ad
Metropolitanum, nisi Episcopus extraiudi-
cialiter reprobatum admittat ad nouum
examen, iuxta dicta cap. 5. num. 42. Quod
40 si fiat appellatio à Vicario immediate ad
Metropolitanum valet, quia omissio medij
non vitiat, nisi excipiatur, *cap. Dilecti* 3.
de appellat.

Quæres 8. Quosnam examinatores Me-
tropolitanus debet eligere ad examinan-
dum appellantem?

℞. Synodales tres ad formam Tridenti- 41
ni, reprobatio enim respicit causam Bene-
ficialem, ergo & approbatio speranda est à
similibus examinatoribus, ne fiat nescio
quid iniuriæ primis examinatoribus *Rota*
part. 10. *dec.* 348. *num.* 15. Cautiones quoq.
debent esse examinatores posteriores, &
diligentiores in interogando ne præiudi-
cent prioribus leuibus interrogationibus.
Quod autem debeant esse tres Synodales
docet *Rota cit. & Castropal. de Benefic.*
disp. 3 *p.* 2. §. 6. *num.* 10. qui licet loquatur
in appellatione ex electione mala tamen
idem dicendum de appellatione à reproba-
tione examinatorum, cum vtrobiq. aga-
tur de insufficientia examinati, vel reiecti.

Quæres 9. An liceat appellatio à repro-
batione, siue vnus, siue omnes sint repro-
bati?

℞. Licet, quia vbi est reprobatio, ibi 42
est grauamen, ergo locus appellationi,
grauamen enim non ponitur, nec tolli-
tur aliorum approbatione, cum proueniat
vel ab examinatoribus cum relatione ad
responsa interrogatorum. Ita supponitur
à Rota part. 1. *dec.* 351. *part.* 3. *dec.* 488. *Ot-*
tob. dec. 209. in quibus locis fit mentio de
mixtura approbatorum, & reprobatorum.

Quæres 10. Cur admittatur appellatio
à relatione, & reprobatione examinatorum 43
cum semper præsumatur pro Officiali? Nam
præsumitur habere bonam mentem, & fi-
deliter fungi officio suo, cap. in præsentia 6.
de renunt. cap. cum inter 13. cap. Sicut no-
bis 16. de sent. & re iud.

℞. Ad appellationem huius generis suf- 44
ficit fumus grauaminis, siquidem per ap-
pellationem se subijcit nouo examini, in
quo si bene respondet probat se in priori
examine fuisse grauatum, nouum enim exa-
men est verus modus probandi scientiam
reprobati, Merlin. dec. 159. num. 9. Otto- 45
bon. dec. 209. Noua ergo approbatio do-
cet de grauamine illato à prioribus exami-
natoribus, vt docet Ludou. dec. 527. & 538.
Ottob. dec. 187. 209. 210. & 241. Rota part. 46
10. dec. 155. num. 7. Reprobatio etiam ha-
betur pro suspecta quando alias fuit proba-
tus, Seraph. dec. 968. num. 9. Rota part. 9.
dec. 69. num. 12. & 13. & part. 10. dec. 348.
Similiter suspecta est media reiectio, si ante
& postmodum fuit approbatus, non enim
verisimile est, quod medio tempore sit in-
habilis, Seraph. cit. dec. 968. num. 8. qui
dec. 1148. num. 5. dicit vnius approbatio-
nem alijs reiectis, vel non expectatis esse
suspectam. Rota apud Merlinum dec. 159.
num. 10. ait, semel in examine reiectus, si
denuo examinatus sit repertus habilis non
redin-

redintegratus ex dicta reiectione tamquam iniuste reiectus, vbi subditur hoc fallere,
47 quando interuenit breue spatium temporis, ita ut superuenire potuerit minime scientia. Intellige nisi adsint alij simpliciter approbati, qui prævalere debent, vt dixi cap. 5. q. 20. num. 43.

48 Ad rationem dubitandi dico semper præsumi pro officiali, nihilominus in hoc casu, vt locum habeat appellatio, sicut in alijs, sufficit appellantem paratum esse ad probandum grauamen quod quamprimum facere debet subijciendo se examini, aliter potest dubitari didicisse post reprobationem si notabile tempus intercedat inter
49 vtrunq. examen, inter quod *Ludon. dec.* 527. & 538. censuit tempus quindecim mensium esse breue ad effectum, vt reprobatus in examine possit medio tempore ita eruditus fieri, vt postea in alio examine approbationem meruerit, vt docet ex eodem *Merlin. cit. dec.* 159. *num.* 11. quod probo in ordine ad aliud Beneficium.

Quæres 11. An appellans non solum recuperet suum honorem, si approbetur coram Metropolitano iudice appellationis, verum etiam talis approbatio illi prosit, vt non egeat alio examine coram ordinario, à quo appellauit?

50 ℞. Prodest illi tantum ad reparationem honoris, non ad consequendum Beneficium, adeo quod tumultu etiam extante Episcopus, nec colator potest illi conferre Beneficium Curatum, nisi se subijciat denuo examini saltem priuato coram eodem ordinario, à quo appellauit.

Prima pars de honore recuperando, est communis, & probatur, quia grauamen est circa honorem, ergo tollendum, & honor reparandus per nouum examen; & non alia ratione appellare potest, cum alio modo non sit grauatus. Ita *Garz. part. 9. cap. 2. num.* 242. *eneo Castropal. disp. 3. p. 2. §. 6. num. 6.* dicentes, dari ad effectum tollendi infamiam, & notam, non autem ad effectum infringendi electionem, & prouisionem factam alteri de Beneficio. Nouum ergo examen detegit scientiam alias reprobati, & iniustitiam examinatorum ostendit Rota par. 11. decis. 295. num. 13. sed non semper, quia accidere potest, quod casus propositi in secundo examine sint faciliores.

51 Secunda pars, quod nouum examen cum approbatione non prosit appellanti ad consequendum Beneficium, probatur, quia appellatio ex hactenus probatis non fuit adæquata, & suspensiua, sed tantum deuolutiua, quæ non potuit impedire, nec suspendere prouisionem Beneficij pro eo, quem Episcopus elegit ex approbatis, & si nullus fuit ex concurrentibus approbatus, omnibus reprobatis, per appellationem eandem deuolutiuam non potest suspendi, nec impediri nouus concursus ad conferendum Beneficium vni ex approbatis, quem magis idoneum elegerit Episcopus, & id ita Clare deducitur ex Tridentino, ibi: Nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat; vlla deuolutio, aut appellatio impediat, aut suspendat. Huiusmodi autem executio in eo consistit, vt prouideatur Ecclesiæ Vacanti per vnum ex approbatis, vt dicitur ibi paulo ante his verbis: Cuiquam alteri, quam vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis de Ecclesia prouideatur. Ergo non potest dari Ecclesia post modum approbato ex vi appellationis, cum appellatio deuolutiua non possit impedire, nec suspendere acta, quæ facit Episcopus post ipsam appellationem, ergo illi illud nouum examen prodesse non potest ad consequendam Ecclesiam, quia impediretur, & suspenderetur prouisio facienda ab Episcopo cum cæteris actibus, quod fieri non potest, vt Clare colligitur ex Responso S. Congregationis supra relato sub q. 1. in quo non obstante inhibitione maioris iudicis appellationis, quæ nulla est, Episcopus potest vlterius procedere, & nouum Concursum proponere, & prouidere Ecclesiæ ac si nulla fuisset interposita appellatio, nec subsecuta inhibitio Iudicis appellationis contra Episcopum.

Confirmatur, Tum quia omnibus con- 52
currentibus proponitur ijdem casus ab examinatoribus, reprobato vero diuersus, infra *cap.* 10. *num.* 3. ergo illi prodesse non potest in concurrentia in præiudicium admissorum. Tum quia causa limitata producit effectum
limitatum, *l. Age* 3. *C. de transact. l. In* 53
agris 16. *ff. de aquir. rer. dom.* Sed appellatio hæc limitatur tantum ad effectum deuolutionis, vt scilicet, abstergatur, & tollatur grauamen literaturæ, & scientiæ inhabilitatis, ergo vlterius procedere non potest. Tum quia non potest dici grauatus in Beneficio, cum ad illud nullum ius habeat nec remotissimum, ergo reprobatus fuit solum circa scientiam, ergo appellatio cum non respiciat grauamen in ordine ad Beneficium, sed solum in ordine ad reprobationem, non potest producere nisi nouum examen ad reparandam bonam opinionem
de literatura. Tum quia per reprobatio- 54
nem eius conditio deterior facta fuit, cum de habili presumto iudicatus fuerit inhabilis ad curam animarum, vnde per nouum examen ex vi appellationis factum non debet præiudicare alijs, qui simpliciter sunt approbati, vel subsequenter approbantur
ex nouo Concursu, qui illo reputantur di- 55
gniores, vt dixi cap. 5. num. 43.

Tertia pars, in casu quo nullus fuerit approbatus, aut in nouo Concursu proposito nullus comparuerit ob timorem, appellans non potest consequi Beneficium, nisi iterum subeat examen coram eodem Episcopo, a quo appellauit, probatur, quia Tridentinum examen cum approbatione coram ordinario, & tribus examinatoribus Synodalibus proposuit pro forma substantiali, vt docent omnes quos citaui *cap. 5. q. 6. num.* 11. etiam in casu rixæ, & tumultus, licet tunc possit omitti nouus Concursus, vt expresse dicitur in eodem Trident. prope finem, ibi: Ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile grauiores rixæ, ac tumultus excitari possint, poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, priuatum aliud examen cæteris tamen, vt supra, seruatis adhibere. Priuatum examen est illud, quod fit sine Concursu, publicum vero censetur factum ex præuio edicto pluribus concurrentibus ad examen, de quib. dixi *cap. 5. q.* 19. *à num.* 39. Confirmatur id ex Responso S. Congr. extenso sub quæst. 1. his verbis: Censuit D. Episcopum Parmensem posse nouum Concursum instituere, seruatis seruandis. Nouum Concursum relinquit arbitrio Episcopi ad for-
56 mam Tridentini ibi: Poterit Ordinarius, est enim verbum facultatiuum indicans voluntatem liberam non necessariam ad agendum, ex allatis *a Barb. dict. hac* 268. *num.* 1. Ergo in tali casu est in arbitrio Episcopi nouum Concursum propponere; non sic examen, quod subire tenetur volens Beneficium, vt colligitur expræsse ex textu, & ex illis verbis. Seruatis seruandis, quæ referuntur ad substantialia examinis, *ex*
57 *Menoch. consil.* 180. *num.* 13.

Subdit S. Congreg. Et Vicarium Generalem Bonon. deberet suam inhibitionem moderari quo ad effectum suspensiuum. Est enim contra Tridentinum prohibens appellationem suspensiuam, ac proinde cum appellatio vt tantum deuolutiua non potuerit efficere, quod Metropolitanus agere valuerit contra Episcopum, præcepit Vicario, vt reuocaret suam inhibitionem tamquam nullam, vt quæ erat contra Tridentinum; consequenter acta ab Episcopo ante, & post moderationem non dicuntur attentata, quia appellatio quando datur ad effectum deuolutiuum, non potest dari de attentatis, vt reuocentur, *Rota par. 5.*
58 *dec.* 426. *num.* 13. *ex Lancell. de Attentatis par. 2. cap. 12. limit.* 10. *num.* 1. *&* 9.

Quæres 12. An appellatio interposita per Episcopum à Metropolitano ad sedem Apostolicam sit facienda adæquate, quo ad vtrumq; scilicet effectum tam deuolutiuum, quam suspensiuum?

R. Affirmatiue, aliter appellatio esset 59
frustratoria, & inanis, quæ in tali casu ordinatur, ne Metropolitanus se ingerat in prouisione Ecclesiæ Vacantis per quoscunque actus, quibus peruenire ad eius prouisionem potest. Et si enim à Tridentino prohibetur plena appellatio concurrentis ab ordinario ad Metropolitanum, non tamen interdicitur à Metropolitano ad Sedem Apostolicam, cum liceat Episcopo ab eo appellare quo ad vtrunq; effectum, vt docet *Rota par. 1. dec.* 537. *num.* 2. *&* 3. *Beltr. ad Ludou. dec.* 538. *num.* 7. *&* 8. *Barb. Alleg.* 60. *num.* 104 *Nicolius part. 2. lib. 2. tit.* 28. *num.* 25. Episcopus ergo sic appellat, quia eius grauam illatum à Metropolitano non potest tolli nisi per appellationem suspensiuam, vt possit vlterius procedere in causa prouisionis Ecclesiæ iam ab eo cæpta, impedita per inhibitionem iniustam.

Quæres 13. An detur appellatio, quando examinatores retardant à publicatione votorum?

R. Negatiue, aut enim petens publica- 60
tionem est approbatus, & sic non est opus appellatione, cum non sit grauatus, nec potest appellare ante electionem prætextu malæ electionis, cum nondum de ea constet. Aut est reprobatus, tunc cum ei notificabitur appellabit, quod illi tantum proderit in ordine ad reparationem honoris.

CAPVT NONVM

De Appellatione à mala electione Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Extenditur ex parte* Bulla *Pij V. de huiusmodi appellatione*.
2 *In Concursu tantum Parochialium.*
3 *Appellatio hæc est tantum deuolutiua.*
4 *Etiam suspensiua si postea fiat à Iudice appellationis.*
5 *Facienda in eo casu ad Papam.*
6 *Ab Examinatoribus non datur.*
7 *Nisi cum Episcopo elegerint digniorem.*
8 *Appellatio ex mala electione ordinatur ad Beneficium, non appellatio à reprobatione.*
9 *Æque idoneis non datur appellatio, cum sit locus gratificationi.*
10 *Paritas desumitur non solum à votis, sed etiam ab alijs qualitatibus.*
11 *Appellatio hæc deuolutiua ex Bulla est tantum pro Concursu* Parochialium?
12 *Mala electio concludenter probanda, alias nulla est appellatio.*
13 *Clauf.* Consisto *petit probationes concluden-*

DE præcedenti capite actum est de appellatione à reprobatione Examinatorum; in præsenti tractandum est de appellatione à mala Episcopi electione, quæ facit, & seruetur Tridentini Decretum sess. 24. cap. 18. eligendi in Concursu Parochialium magis idoneum, prout super ea disposuit Pius V. in sua Bulla 33. incip. *In conferendis*. Cuius verba ad præsens negotium refero sub eius §. 7. & 8. tenoris sequentis.

Vt autem non solum dignis, sed magis dignis repertis iuxta eiusmodi Concilii Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, 1 volumus, & eadem auctoritate decernimus, 2 quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ij, qui reiecti fuerint, à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, vti nostræ, & Sedis Apostolicæ delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare; ac prælectum ad nouum Examen coram ipso appellationis Iudice, & eius Examinatoribus prouocare; & constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque reuocato Parochialis magis idoneo per eundem Iudicem appellationis auctoritate nostra, quatenus collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret, conferatur; alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato, conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, prouisio, vel institutio spectabit.

Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, nec suspendat, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta, interim demandetur executioni, & prouisus ab eadem Ecclesia, causa appellatio- 3

nis

4 nis huiusmodi pendente, non remoueatur. Et si quis à sententia per Iudicem appellationis lata duxerit appelandum, is tunc ad Sedem Apostolicam appellabit. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, &
5 inane. Pro cuius intelligentia proponendæ sunt quæstiones, & resoluendæ.

Quæres 1. An in mala electione ab Episcopo facta detur appellatio ab examinatoribus, qui idoneos retulerunt Episcopo, ex quibus vnum magis sibi idoneum visum elegit?

6 ℞. Non datur, quia illi non grauarunt quemquam, immo benefecerunt, dum illos approbarunt idoneos ad curam animarum, non ergo appellare possunt, cum Examinatores non dederint iudicium comparatiuum, à quo pendet appellatio sed tantum positiuum, de quo non loquitur Bulla Pij, quæ tantum concedit appellationem super mala electione ab Episcopo facta. Et ita respondit S. Congr. *in Vrbinat. 4. Maij 1592. vt ex Garz. part. 9. cap. 2. num. 245.* re-
7 fert *Barb. in decis. Apost. V. Appellare num. 9. Tondutus lib. 1. cap. 59. num. 2.* Quod autem in contrarium refert *Fagnan. part. 2. ad cap. Cum sit ars, de Ætat. num. 53.* & appellari etiam a iudicio examinatorum, intelligendum est, vel in casu reprobationis, vel quando simul cum Episcopo dederunt causam malæ electionis, nam vrget allata à nobis ratio, vnde ex Bellarmino refert *Hurtadus tract. 12. cap. 1. num. 1801.* declarationem S. Congr. datam 7. Augusti 1600. in hæc verba: Non datur appellatio à reprobatione examinatorum, sed à mala electione Episcopi ex Bulla Pij V. Quare cum agitur de mala Episcopi electione, appellatio habet locum solum respectu illius, non respectu examinatorum, qui siue reprobauerint, siue approbauerint non sunt prouocandi in ordine ad malam electionem, licet reprobati ex alio capite possint appellare, scilicet, ad recuperandum honorem, non in ordine ad consequendum Beneficium, sicut possunt appellantes ex mala electione, & in hoc differt appellatio a reprobatione examinatorum, & a mala electione.

Quæres 2. An à mala electione Episcopi detur appellatio quo ad vtrunq. effectum?

8 ℞. Tantum quo ad effectum deuolutiuum, non autem quo ad suspensiuum. Clare id colligitur ex verbis Bullæ Pianæ supra num. 3. vbi sic dicitur: Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, nec suspendat quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim demandetur executioni. Summus autem Pontifex concessam appellationem restrinxit ad effectum deuolutiuum, ne aduersaretur Tridentino, quod prohibet appellationem suspensiuam, & concedit tantum deuolutiuam. Et ita docet *Rota part. 4. dec. 656. num. 2. part. 4. tom. 2. dec. 379. num. 6. part. 10. num. 13. dec. 94. num. 5. Fagnan. par. 2. ad cap. Eam te, de Ætate num. 28. & seq. & part. 6. ad cap. Mandato, de Sim. num. 18. & 28. Hurtadus par. 2. tract. 12. num. 1795. Passer cap. 32. de elect. num. 14. Parolet. fol. 152. lit. K.*

Quæres 3. An dubius sit appellatio, quando omnes approbati æque idonei renuntiati fuerunt ab examinatoribus; & Episcopus elegit vnum ex illis pro suo arbitrio?

℞. Non datur, quia nullus illorum est 9
grauatus, vnde est locus gratificationi, qua Episcopus potest iuste conferre Beneficium, cui vult, vnde nec electio mala dici potest. Ita *cap. cum autem 24. de iurepatr. vbi Barb. num. 8. citat Doctores, Rota par. 1. dec. 591. num. 1. & part. 4. tom. 2. dec. 379. num. 10. ad 12.* Paritas autem non de- 10
sumitur tantum à votis, sed etiam ab alijs circunstantijs, vt docent Imola in Clem. plures, de iurepatr. num. 6. Lambert. part. 3. lib. 2. art. 1. q. 15. princip. num. 8. Rocchus de Curte V. Honorificum num. 40. Vers. Sed bonus, ex illis Campanillis in diuers. Iuris Rubr. 11. cap. 13. num. 446. ibidem Barbosa extremis verbis, & cap. 2. num. 140. & Allegat. 72. num. 200. vbi num. 201. quod potest appellare idoneos prætermissus.

Quæres 4. An appellatio, de qua in Bulla Pij V. habeat tantum locum in concursu Parochialium, quo ad effectum solum deuolutiuum?

℞. Affirmatiue, vt deducitur ex illius 11
verbis: Iuxta eiusmodi Concilij Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur &c. appellare, ac prælectum ad nouum examen prouocare. Pontifex ergo supponit Concursum in examine ad Parochiales, ergo vbi non datur concursus, nec illic restringitur appellatio, vbi locum habere potest extra Concursum, & sic plena erit appellatio quo ad vtrunque effectum.

Quæres 5. An mala electio in primis probanda sit, vt appellatio sortiatur suum effectum, vt scilicet appellans possit consequi Beneficium contra prælectum.

℞. Mala electio in primis probanda est clare, plene, & concludenter, aliter ap- 12
pellatio nulla est, & nihil prodest. Probatur ex textu Pianæ sub num. 2. his verbis. *Et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque reuocato Parochialis magis idoneo conferatur.* Appellatio ergo nihil prodest ad beneficium consequendum, nisi prius probetur mala electio. Huiusmodi autem probatio debet esse concludens, vt colligitur ex ea claus. *Constito*; quæ requirit 13
veras, & concludentes probationes, & non

præ-

præsumptas *l. Lucius ff. de condit. & dem.*
Bald. in l. In bona fidei C. de reb. cred. num.
8. cum alijs Theodos. clauſ. 216. *num.* 10. In
his terminis *Ludouiſ. dec.* 11. *num.* 2. *& de-*
ciſ. 538. *ibi Beltram. Mareſcot. lib.* 1. *Var.*
cap. 52. *num.* 24. *Tondutus lib.* 1. *cap.* 59.
num. 6. *Riccius part.* 3. *reſol.* 520. *num.* 3.
Et non ſufficit probatio præſumpta de irra-
tionabili electione, quia non poteſt elidere
præſumptionem Epiſcopi, pro quo præſu-
14 mitur bene elegiſſe, *ex cap. In preſentia de*
renunt. ex cit. dec. 11. *num.* 3. *Achil. dec.* 1.
de confeſſ. Rota part. 4. *tom.* 2. *dec.* 379.
num. 13. Debet ergo conſtare de irrationa-
bili Iudicio per rem iudicatam, ex eadem
15 Bulla ibi *Eoque reuocato* item rationabili iu-
dicio, vt dicit *Rota p.* 1. *dec.* 537. *num.* 4. *&*
part. 4. *tom.* 2. *dec.* 379. *num.* 17. *& praced.*
deciſ. 164.

Quæres 6. An citandus ſit præelectus, &
promotus ad Beneficium?

16 ℞. Citandus eſt, quia agitur de eius in-
tereſſe, quod, & indicat clauſula prædicta
17 *Conſtito*, quæ requirit citationem, vt mul-
tis citatis docet *Rubeus clauſ. hac.* 216. *num.*
1. Intelligo autem hanc citationem in eo
ſenſu, quod prouocandus eſt ad nouum
Examen, vt habet textus Pianæ, illis ver-
bis: *Ac præelectum ad nouum Examen pro-*
uocare. In quo ſi ſuccumbat, denuo vocan-
dus eſt, ad reſpondendum, quare non de-
beat præcedens Iudicium de eo factum re-
uocari ibi: *eoque reuocato*, ex quo conſtat,
cum non eſſe magis idoneum, neque enim
quis eſt priuandus ſine citatione.

Quæres 7. Quomodo probatur mala ele-
ctio ab Epiſcopo facta?

18 ℞. Tribus modis. Primo prouocando
electum ad nouum Examen, vt dicitur in
textu Bullæ, ibi: *Ac præelectum ad nouum*
Examen coram ipſo appellationis Iudice, &
eius Examinatoribus prouocare. Is enim eſt
modus probandi, vtrum, ſit dignior appel-
19 lante, qui proinde & ipſe debet nouum Exa-
men ſubire, vt ex collatione reſponſionum
vtriuſque facta colligatur, quis eorum ex
hoc capite ſit magis idoneus, vterque ergo
nouum Examen ſubire tenetur, eſto ſolum
20 dicatur in Bulla, quod præelectus ad no-
uum prouocetur Examen, quia correlatiua
non iudicantur ad imparia, maxime in hoc
caſu, in quo Competitores tendunt ad eun-
dem finem, *arg. eorum quæ refert Barb.*
21 *hoc Axiom.* 61. *num.* 3. in his terminis *ex*
Garzia part. 9. *cap.* 2. *num.* 254. *Pax Ior-*
danus lib. 10. *tit.* 8. *num.* 227. *& Paſſerin.*
cap. 32. *num.* 15. *late Fagn. part.* 2. *ad cap.*
Eam te, de Ætat. à num. 31. Secundo, op-
ponendo illi aliquos defectus notos, quos
probare concludenter debet, ex quibus po-
tiſſimum probatur vnum alio eſſe magis ido-
neum, iuxta dicta ſuperius cap. 7. Tertio
probatur irrationabile iudicium, ſi præele-
ctus eſt familiaris Epiſcopi eligentis, vt mul-
tis citatis probat *Ricius part.* 4. *dec.* 96. *num.*
19. *vſque ad finem, Barb. de Parocho cap.*
2. *num.* 144. *Pax Iordan. cit. num.* 235. *Paſ-*
ſerin. num. 16. *Gonzal. Gloſ.* 4. *num.* 140.
& ſeq.

Quæres 8. An proponendus ſit nouus
Concurſus à Iudice ad quem, hoc eſt, à
Metropolitano?

℞. Affirmatiuè, ſunt enim appellans, & 22
appellatus competitores in cauſa Beneficij
ergo ambo vocandi ſunt ad nouum exa-
men, iuxta quod dixi in præced. quæſt. ita
Ludouiſ. deciſ. 11. ſupponit in caſu ibi ex-
preſſo. Verum quidem eſt, quod ille con-
curſus reſtringitur ad vtrunq. tantum, cum
dependeat ab appellatione. Ita *ex S. Con-*
gr. Fagn. par. 2. *ad cap. Eam te, de ætate*
num. 31. *&* 32.

Quæres 9. Coram quibus appellans, &
appellatus debeant examinari?

℞. Coram Metropolitano, ſeu eius Vi- 23
cario Generali, & tribus examinatoribus
Synodalibus. Ratio eſt, quia ita exigit
Concilium, vt fiat coram iſtis, à cuius De-
creto non recedit Pius V. eſto non expreſ-
ſerit hoc, quod debeant eſſe Synodales, non
enim ita facile danda eſt iurium correctio,
ſed concordanda ſunt, *cap. cum expediat* 24
29. *de elect. in* 6. quod enim non mutatur
Stare non prohibetur, *l. Sancimus, C. de*
teſtam. l. Præcipimus, de appellat. Ita *Rota*
part. 10. *deciſ.* 348. *num.* 15. *Hurtadus tract.*
12. *cap.* 1. *reſolut.* 26. *num.* 1799.

Quæres 9. Quid facior appellans, ſi præ-
electus moriatur, aut renuntiet Beneficio?

℞. Neceſſe eſt, quod ſe iterum ſubij- 25
ciat examini, & alijs qualitatibus probatis
ſe exhibeat magis idoneum præelecto, cum
enim ex alterius præelectione reiectus ha-
beatur pro minus idoneo, neceſſe eſt, vt ſe
probet magis idoneum, vt poſſit eligi vti
dignior ad conſequendum Beneficium, vt
exigit Tridentinum, & ad hunc effectum
reiectus appellauit, vt per ſuam probatio-
nem oſtenderet, ſe iniuſte fuiſſe reiectum
tamquam minus idoneum. Et ita docet *ex*
Garzia par. 9. *cap.* 2. *num.* 254. *Pax Iordanus*
lib. 10. *tit.* 8. *num.* 227. *& Paſſerin. cap.* 32. *de*
elect. num. 15.

Quæres 10. An præelectus debeat pro-
bare, ſe tempore præelectionis habuiſſe re-
quiſita ſcientiæ, & aliarum qualitatum,
quæ illorum faciunt digniorem?

℞. Qualitates omnes debent ineſſe tem- 26
pore examinis, & præelectionis, vt clare
colligitur ex Tridentino ibi: *Peracto deinde*
examine renuntientur quotcunque ab his ido-
nei iudicati fuerint, ætate, moribus, & do-
ctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacan-
tem Eccleſiam gubernandam opportunis; ex-
biſque

bisque Episcopus eum eligat , quem cæteris magis idoneum iudicauerit . Certam enim est Examinatores non posse examinatum renuntiare idoneum , si eo tempore examinis careat ætate 25. annorum cæptorum , vt notaui *cap. 2. num. 26. cap. 7. num. 7. & 33.* doctrina , & cæteris requisitis , neque Episcopus iudicare poterit aliquem ex approbatis esse magis idoneum , si careat aliquo requisito , qualitas enim debet inesse subiecto eius tempore , vt dixi etiam *cap. 2. num. 23. & 24. vbi Doctores citaui.*

Quæres 11. intra quod tempus reiectus ex alterius electione debeat interponere appellationem à mala electione?

27 ℞. Appellatio facienda est intra decendium à die scientiæ excluso eius sententiæ, à qua prouocans intendit appellare , & sic in re nostra à notitia præelectionis ad Beneficium . Deducitur ex Auth. Hodie , sub l. *6.* C. de appellat. ibi : *A sententia recitatione.* Cap. Concertationi 8. de appellat. in 6. ibi: *Infra decem dies postquam sciuerit.* Doctores de hoc tempore , & scientia citat ibidem de more Barbosa . Quare putans se grauatum ex præelectione , quam putat irrationabilem , cum fuerit prohabitur minus digno habet tempus appellandus infra decendium numerandum à die scientiæ factæ electionis .

Quæres 12. An à Metropolitano conferendum sit Beneficium , si appellantem inuenerit magis idoneum præelecto , huius reuocata electione irrationabili ?

28 ℞. Pius V. his verbis : *Parochialis magis idoneo per eundem Iudicem appellationis auctoritate nostra , quatenus collatio ad Episcopum , à quo appellatum fuit spectaret . Alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda , remittatur ad eum , ad quem collatio , prouisio , vel institutio spectabit* . Vides differentiam rationabilem pro Iudicium ex irrationabili Iudicio contra Episcopum collatorem, non contra alium collatorem, ad quem prouocans remittitur , quia is nihil male egit , sicut Episcopus , ad quem solum spectat electio dignioris , licet ab eo non sit conferendum Beneficium , mortificatur ergo ex suo irrationabili iudicio , quia priuatur collatione Beneficij , quod contulisset, si bene elegisset. Dicit textus , *Per eundem Iudicem appellationis* non exprimendo Metropolitanum , quia cum is possit , & ipse male eligere , in tali casu Episcopus vicinior ad quem postpositus appellauit, vti Sedis Apostolicæ delegatus , & sic in hoc maior Metropolitano poterit conferre Beneficium ap-
29 pellanti reperto digniore præelecto , hoc enim fit in eius mortificationem, nec inconuenit , quod suffraganeus id faciat contra suum Metropolitanum , siquidem in hoc casu neuter consideratur tunc sub illis qualitatibus , sed iudex appellationis vt delegatus Apostolicus, vt dicitur in textu , & Metropolitanus non vt talis , sed vt alter Episcopus , & in tali casu vt inferior iudice appellationis .

Quæres 13. An appellatio , quæ fit à Metropolitano , vel alio iudice appellationis, qui tulit sententiam reuocatoriam electionis factæ ab ordinario , sit plena , & quo ad vtrunq. effectum ?

℞. Affirmatiue , & id patet ex ipsa Bulla 30
Piana , quæ dum loquitur de appellatione a mala Episcopi electione , subiungit hanc non posse suspendere , nec impedire acta ordinata ad prouisionem Beneficij Parochialis , ex quo patet , eam appellationem esse tantum deuolutiuam ; loquens vero de appellatione , quæ per grauatum potest fieri à iudice appellationis, non repetit eam clausulam suspensiuam , sed solum designat eam esse faciendam ad Sedem Apostolicam ergo intendit , quod sit plena , & habeat vtrunque effectum . Lege textum supra extensum sub num. 2. Et ita docet *Rota par.* 31
1 dec. 537. num. 2. & 3. vbi reddit rationem differentiæ inter iudicem à quo , & ad quem à quo secundo appellatur , inquit enim nu. 8. quod electio ordinarii celeriter est expedienda , non Metropolitani, cum vacatio ecclesiæ sit damnosa , proinde ei præsto est prouidendum ab Episcopo , & rem hanc prosequitur in sequentibus ; prouidere autem regulariter non spectat ad iudicem appellationis , & ideo appellatio ab hoc facto, est quod ad vtrunq. æffectum , non enim conuenit vt in hoc casu imperfecte deferatur ad Summum Pontificem . Et ita docent 32
Gutier. Canon. lib. 2. cap. 11. num. 25. Garz. cap. 2. num. 247. Beltram ad Ludo. dec. 538. num. 8. ex illis Barb. de Parocho cap. 2. num. 146. Passer. cap. 32. de elect. num. 18.

Quæres 14. An præelectus ab Episcopo, reuocato irrationabili iudicio Episcopi per iudicem appellationis, ipso iure sit priuatus Beneficio , non obstante appellatione ... facta à tali reuocatione ad Sedem Apostolicam ?

℞. Posita appellatione adhuc remanet in possessione Beneficij , donec per tres sententias conformes fuerit reiectus , siue fiat in Curia , siue extra . Probatur non esse priuatum , quia appellatio subsecuta extin- 33
guit iudicatum, *l. 1. §. fin. C. ad Senat Turpil.* Vel saltem suspenditur *l. Furti 6. §. 1. ff. de his , qui not. infam. l. Si quis ff. de reb. cred.* Vnde appellans non dicitur condemnatus, *Glos. V sententia , ad finem cap. Sæpe 44. de appell. per l. 2. § fin. ff. de pœnis* , & integer est status eius , vt interim fungatur muneribus, & honoribus suis , *l. Vn. ff. Nibil* 35
nouari. l. Appellatione 3. C de appellat. Procedit

36 cedit siue fuerit recepta, siue reiecta appellatio, vt dicitur in hoc eodem textu posteriori. Quare remanet in eo statu virtute
37 appellationis, in quo erat ante dictam sententiam reuocatoriam, & sic non potest pri-
38 uari Beneficio donec per tres sententias fuerit reiectus, *Garz. part. 9. cap. 2. num. 246. Gratian. decis. 96. num. 23. Ventriglia tom. 2. Annot. 5. §. 2 num 49. Nicolius lib. 3. tit. 5. de Praebend. Passer. cap. 32. de elect. num. 18.* Vnde collatio facta huic praelecto non obstante appellatione reiecti fructus facit illius vsque ad sententiam reuocatoriam collationis, vt *ex Garz. cit. num. 238.* docet *Ventriglia cit. num. 46.*

Quaeres 15. An solus Papa conferat Parochialem, quando ad ipsum appellatum fuit mediate, vel immediate à mala electione?

39 ℞. Affirmatiue, quia sicut in Bulla dicitur, quod iudex appellationis conferat beneficium, quando constat de mala electione Episcopi, cuius est conferre Beneficium, vt dixi q. 12. ita & à fortiori conferendum est à Papa, ad quem fuit appellatum, non enim est inferioris conditionis, sed immo longe maioris, adeo quod confert etiam illud, si collatio spectaret ad alium collato-
40 rem, & non ad Episcopum male eligentem, dominium enim habet absolutum super omnes res ecclesiasticas, & Beneficia, *Abbas in cap. constitutus, de reliq. domibus, num. 15. Æneas Falconius de Reseru. it. Prelud. 2. num. 2. Paris. de Resign. lib. 2. q. 4. num. 34. apud Rotam part. 5. dec. 81. num. 10 & 11. In terminis eadem Rota dec. 354. num. 12.* deuoluit collationem ad Papam.

Quaeres 16. An ex sola minori scientia arguatur mala electio?

41 ℞. Negatiue, sed etiam ex alijs qualitatibus, vt insinuat Tridentinum, cuius verba retuli hic sub q. 10. Comparantur ergo ad inuicem omnes qualitates, & qui in eis excedit alterum, ille magis idoneus est censendus, ac proinde eligendus. Ita *Beltram. ad dec. 11. Beltram. alijs citatis lit. D.*

Quaeres 17. An Episcopus possit non admittere appellationem illam reijciendo, vt suam tuentur electionem tamquam legitimam, & rationabilem?

42 ℞. Ex vi Pianae id illi non conceditur, immo ex ea deducitur Episcopũ no posse reijcere appellationẽ, dum reiectis ab electione cõcedit appellationẽ à mala eius electione, ibi: Possint ij, qui reiecti fuerint à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum prouocare. Esto praesumatur pro Episcopo, quod bonam fecerit electionem, nihilominus, quia haec illius praesumptio elidi potest per aliam efficaciorem ab appellante, ideo admittenda est, illi tamen non proderit, nisi concludenter probauerit malam electionem & talem iudicandam à Iudice appellationis, vt probaui *hic q. 5. à num. 12. ad 16.* Praeterea esto reijceretur ab Episcopo, inutilis esset reiectio, quia adhuc appellans vtitur iure illius siue accepta, siue reiecta fuerit, *l. Ap- 43 pellatione 3. C. de appellat.* Deinde in dubio pronuntiandum est, appellationem esse 44 admittendam licet notoria sit iniustitia, *Gratian. cap. 41. num. 7.* appellatio enim re- 45 gulariter in omni casu permissa est, nisi expresse sit prohibita, *ex allegatis a Barb. ad cap. Vt debitus 59 num. 12. & 15.* Non enim 46 per appellationem fit alicui iniuria, *l. Et in maioribus 20. C. de appellat.* Quare Episcopus non potest reijcere illam praetextu iniuriae.

Quaeres 18. An appellatio locum habeat solum in Beneficijs curatis & liberis, an etiam in Patronalibus Ecclesiasticis, Laicalibus, & mixtis?

℞. In omnibus praedictis, in quibus ac- 47 cidere potest mala electio, ac proinde ex praeuio Concursu datur appellatio. Vbi vero non est Concursus, sicut non potest dari electio, cum sit assumptio vnius ex pluribus, ita nec dari mala electio, prius enim est simpliciter esse rei, quã secundum quid, & 48 qualiter qualitas enim supponit substantiam rei, cui subsequenter accidens inhaeret, prius enim est res, quam quod operetur, operari enim sequitur ad esse, *S. August. 1. de Tri- 49 nit. cap. 2.* Proinde nec appellatio ex hoc capite.

Probatur responsum, quia in Tridentino cap. 18. sess. 24. cui conformatur Bulla Piana fit mentio de electione tantum respectu concurrentium, ac proinde de Parochialibus non solum liberis, sed etiam Patronalibus ex concursu, ergo appellatio habet locum in his tantum, ac proinde erit tantum deuolutiua, non suspensiua. Ita *Rota par. 1. dec. 656. & par 4 tom. 2. dec. 379. num. 5.*

Quaeres 19. An & qualis appellatio detur inter Patronos contendentes super competentiam praesentandi, seu nominandi Clericum ad Beneficium Patronale?

℞. Datur plena appellatio, hoc est, & 50 quo ad effectum deuolutiuum, & suspensiuum, vt docent communiter Doctores cum *Rota tom. 1. dec. 656 num. 2. part. 4. tom. 2. dec. 197. num. 10 dec. 534. num. 7. & 8. part. 10. dec. 94. num. 6. Merlin. dec. 818. num. 1.* Gesta autem pendente appellatione dicun- 51 tur attentata, ac proinde nulla, & inualida, *cap. non solum 7. de appellat. in 6. & cap. 1. & 2. Vt lite pend. in 6.* Et in eisdem terminis *Rota cit. dec. 175. num. 2. par. 5. tom. 1. dec. 197. num. 11. part. 10. dec. 94. num. 8. Ottob. dec. 260. num. 3. ad 6. Merlin. dec. 818. num. 2.* In quo casu sequestrum est statim faciendum, vt docent locis citatis. Intellige haec 52 locum habere vbi non datur concursus exa-

 minis,

minis, in casu enim Concursus appellatio plena dabilis non est, sed tantum deuolutiua, quia altercatio non est super præsentatione, sed super mala electione, in illa ergo
53 datur appellatio plena, in hac tantum suspensiua, vt patet in præcedentibus quæstionibus, vt docent præcitati *con Loterio lib. 2.*
54 *q. 31. num. 131. Ludouis dec.* 494. Attentata ergo dicuntur, vbi non est Concursus, vt docent etiam citati *à Passer. cap. 32. de elect. num. 20. Rota par. 9. dec. 306. num. 9. & 10. & par. 10. dec. 287. num. 2.*

Quæres 20. An liceat appellare ab indicto Concursu, quando is locum non habet in Patronalibus?

55 R. Affirmatiue, quia sine causa grauatur Patronus, cuius est solius præsentare examinandum, & non ad alios, concursus enim admittit omnes comparentes, & sic videntur dependere magis ab alio, quam ab ipso, qui ius habet ad præsentandum. Ita *Rota part. 10. dec.* 48. *num.* 3. Appellatio autem huiusmodi est plena quo ad vtrunq. effectum, & sic gesta contra illam dicuntur attentata, *ibidem num.* 17. *& infra dec.* 104. *num. 2. & 3.*

Quæres 21. An Patronus appellare possit, si Episcopus reijciat præsentatum?

56 R. Potest, expresse *cap. Pastoralis 29. de Iurepatr. vbi Barb num.* 3. citat Doctores Hęc
57 autem appellatio euanescit, si Patronus pręsentet alium clericum ab Episcopo institutum, cum enim is sit melioris conditionis quia est in possessione Beneficij, nihil dicitur attentatum contra appellationem, cui cessit Patronus per nouam præsentationem, variare enim licuit Patrono. Et ita docet *ex Spino & Perez ibidem Barbosa num. 6.*

58 Nota autem, quod præsentatus aquirit ius non in re, sed ad rem tantum, si præsentatio facta fuit coram collatore, licet eam nondum acceptauerit, debet autem esse vnus, alias plures præsentati nullum ius aquirunt, vt dicunt citati à Barbosa ad cap. Quod autem 5. de Iurepatr. num. 3. Sed tale ius parui est momenti, dum enim reicij potest ab Episcopo, vt supra dixi, euanescit in fumum tale ius.

59 Prædictis Tridentinum videtur obstare sess. 25. cap. 9. vbi Episcopus potest præsentatum repellere, ergo negatur appellatio præsentanti. Non obstat, quia repellere potest non idoneum, vtique admittere debet idoneum, vt colligitur ex verbis Tridentini relatis *cap. 5. q. 30. num 71. Vasq. de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 6. num. 73. apud Barb. ad dictum cap 9. num.* 74. Hoc idem colligitur *ex cap. 18 sess. 24. verbis relatis dicto cap. 5. num. 71. ibi* Et non nisi idoneus repertus admitti. Patronus ergo appellat, quia credit Episcopum reiecisse suum Clericum quamuis idoneum, quia appelatio etiam in dubio admittitur *ex allatis à Barb. ad cap. vt debitus 59. de appellat. num. 12.*

Quæres 22. Qualis appellatio detur in Beneficijs Calaguritanis?

R. Si sunt curata datur tantum deuolutiua iuxta dicta de alijs Parochialibus beneficijs in hac, & præcedenti cap. In simplicibus vero datur appellatio plena, quo ad vtrunque scilicet effectum. Ita omnes *cum Ottobono dec. 260. num. 2. Ludouis. decis. 515. ibi Beltram. Gonzal. Glos. 9. in Annot. num. 185. Loterius lib. 2. q. 31. num.* 123. Dixi *cap. 8. num.* 24. 60

CAPVT DECIMVM

In quibusnam Ecclesijs detur, vel non detur Concursus!

SVMMARIVM.

1 *Concursus est motus plurium per examen tendentium ad vnum finem,*
2 Omnes currunt, sed vnus accipit brauium 1. *Corinth.* 9. 24.
3 *Idem examen proponitur omnibus concurrentibus.*
4 *Concursus non infert Ecclesiam esse Parochialem:*
5 *Calaguritana etiam simplicia conferuntur per Concursum.*
6 *Simplicia autem sunt Calaguritana.*
7 *Præsumitur pro ordinario.*
8 *Concursus est fauor Ecclesiæ, & Clericorum.*
9 *Concursus finis est vt Episcopus eligat digniorem.*
10 *Odiossus Patronis.*
11 *Etiam in mixtis Patronalibus.*
12 *Beneficium liberum quod non est patronale.*
13 *Parochialia libera requirunt concursum.*
14 *Pluralitas Clericorum arguit concursum.*
15 *Prouisus de Parochiali sine concursu, & examine non potest eam retinere.*
16 *Iuspatronatus ecclesiasticum petit concursum.*
17 *Vbi dignor est eligendus, ibi supponitur concursus.*
18 *Patronale laicale non requirit concursum.*
19 *Concursus tamen fit, cum deuoluitur ad Episcopum.*
20 *Si plures præsententur æqualiter fit concursus.*
21 *Non vero si inæquales sint in vocibus, nam excedens solus examinatur.*
22 *In lite requiritur concursus.*
23 *Si Patronus exclusit concursum fit examen*

men sine concursu.
24 *In mixtis non est necessarius concursus.*
25 *Mixtum non sequitur dispositionem simplicis panalem, seu praeiudicialem.*
26 *Concursus fauor Ecclesia, & Clericorum, odiosus Patrono.*
27 *Qui non potest tunc efficaciter praesentare*
28 *Communio operatur vt non priuilegiatum trahatur ad priuilegiati naturam.*
29 *Dignus trahit ad se minus dignum, si hoc sit accessorium. 31.*
30 *Laicale ex origine factum ecclesiasticum regulatur vt laicale.*
31 *Trahens melioris est conditionis tracto licet hoc sit alias dignius. 29.*
32 *Parochiale deuolutum ad Papam non eget concursu.*
33 *In mensibus Papa requiritur concursus.*
34 *In vnitis Catedrali, & Collegiatis non est necessarius.*
35 *Neque Canonicatui.*
36 *Parochialis vere dignitas non eget concursu.*
37 *Neque in vnitis Monasterijs.*
38 *Neque in Prioratu solito commendari.*
39 *Nec Vicaria perpetua vnita.*
40 *Neque Mansionaria.*
41 *Neque litigiosa Parochiales.*
42 *Neque cum Beneficium est exigui valoris.*
43 *Neque in permutationibus.*
44 *Neque resignationibus ad fauorem tertij.*
45 *Neque quando Parochialis vacat in Curia Papa.*
46 *Neque ex causa pensionis.*
47 *Neque in Beneficijs simplicibus, exceptis Calagurit anis.*
48 *In horum examine licet sine concursu accipiuntur Synodales.*
49 *Parochus amouibilis fit solo examine etiam non Synodalium.*
50 *Concursus omittitur ad euitandum scandalum.*
51 *Cum scandalo nihil faciendum.*
52 *Ecclesia Equitum Maltensium Conferuntur cum solo examine coram Episcopo.*

1 Concursus est motus plurium per idem examen tendentium ad eundem finem consequendi Beneficium; quod tamen vni eorum electo digniori confertur, quia Ecclesia vna vnius tantum est sponsa, non plurium. Facit ad hoc illud Pauli I. Co-
2 rith. cap. 9. num. 24. Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Nimirum ille, qui inter currentes melius se gessit. Sic in materia beneficiorum qui melius currit ornatus scilicet vita, moribus, & scientia, prae
3 alijs accipit beneficium. Dixi per idem examen, quia eaedem omnino interrogationes aequalitas fiunt omnibus, ne vnus plus alio grauetur, licet vt plurimum responsiones illorum inter se comparatae diuersae sint, vtiles, vel inutiles secundum magis & minus. Sed videamus pro quibusnam Beneficijs faciendus sit, vel non sit indicendus concursus.

Praemitto autem tria. Primo, concur- 4
sum non inferre Parochialitatem, quia, vt ait Ludou. dec. 387. num. 15. Romae quandoq. Vicarius Papae prouidet de Beneficijs non Curatis per concursum; sicut & alij ordinarij; & id patet etiam in Beneficijs Calaguritanis, quae licet simplicia, & sine cura conferuntur tamen per concursum, vt patet ex allatis decisionibus à Passer. cap. 32. 5
de elect. num. 23. Et esse simplicia notum est, vt indicat saepius Rota par. 9. dec. 60. 6
num. 4. & part. 10. dec. 262. Vers. Nuperrime. Secundo, in concursibus semper praesumitur pro ordinario, cap. in praesentia, de 7
renunt. Ludou. dec. 11. num. 3. Tertio, concursus examinandorum est valde vtilis, ac proinde fauorabilis Ecclesiae, quia inter 8
plures eligendus est dignor, & qui magis speratur profuturus eidem, & is fuit finis principalis Tridentini, vt ab Episcopo pos- 9
set fieri electio magis idonei ad regendam Ecclesiam. Idem quoque est fauorabile Clericis, dum plures concurrere possunt, 10
vel praesentari à Patronis. Odiosum vero esse Patronis, quia eorum libertas restrin- 11
gitur, inquit *Fagn. par. 5. ad cap. Cum propter, de iurepatr. num.* 34. loquendo de iurepatronatu mixto. Sed accedamus ad quaestiones.

Quaeres igitur 1. An in Beneficijs Parochialibus liberis sit necessarius concursus? Libera voco Beneficia, quae sub nullius 12
sunt praesentatione, sed ab ordinarijs conferuntur nullis instantibus tamquam Patronis.

℞. Affirmatiue ex Trident. sess. 24. cap. 13
18. ibi: Idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputatis examinatoribus nominet. Et infra. Ex hisq. Episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum iudicauerit. Pluralitas enim Clericorum, vt dixi initio, ad examen arguit 14
concursum. Et in hoc nullus contradicit. Examen ergo per concursum est de substantia, ita ut altero, aut vtroq. omisso, nulla sit Beneficij collatio, adeo quod nec per aequipolens adimpleri possit. *Paris. de Resignat. lib. 8. q. 9. num. 86. Massobr. Requis. 17. dub. 4. apud Barb. de Parocho cap. 2. num.* 134. Nulla ergo est collatio facta sine concursu, & examine. *Ita Zerola part. 1. V. Parochia §. 2. dub. 2. cum alijs ibidem num.* 135. In foro conscientiae non potest accep- 15
tari, nec retineri, & eius collatio spectat ad Papam, multis ibidem allegatis, & nullus

Ius excipitur ab hoc Concursu, nec Vicarius Episcopi. *Riccius part. 1. resol. 362.* iterum infra cap. 12. q. 9.

Quæres 2. An in Parochialia Iurispatronatus Ecclesiastici requiratur concursus?

16 ℞. Affirmatiue ex Tridentino, ibi: Si vero Iurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo in-
17 stituatur. Ex his infertur examen per concursum, dum ex approbatis eligendus est dignior Barb. ad Trident. cit. Doctores sub num. 136. & de Parocho num. 124. Riccius part. 1. resol. 362. vers. Amplia 6.

Quæres 3. An in Iurepatronatus Laicalis requiratur Concursus?

18 ℞. Non, regulariter loquendo ex Trident. sess. 24. cap. 18. illis verbis: Quod si Iuspatronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examini, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. Hic non est sermo de pluribus, sed de vno tantum, ergo sine Concursu. Est communis, *Gonzal. Glos. 6. num. 134. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 58. & 81. Garz. part. 9. cap. 2. num 255. Barb. de Parocho num. 129. Allegat. 60. num. 18. cum alijs Passerin. cap. 30. de elect. num. 119. Riccius part. 1. resol.* 368.

Quæres 4. An fiat Concursus, quando Parochialis Patronalis prouisio deuoluta est ad Episcopum?

19 ℞. Faciendus est, quia per eam deuolutionem Ecclesia habetur pro libera, quando præsentatio non habuit suum effectum tempore debito, & pro ea tantum vice, ita *Galetus V. iuspatronatus, Naldus num. 14. Barb. ad Trident. num. 149. de Parocho num. 131. Allegat. 60. num. 18. fine, Passerin. num. 120.* iterum *infra q. 7.*

Quæres 5. An si ex institutione plures sint præsentandi debeat fieri Concursus?

20 ℞. Sic, si omnes sunt æquales vocibus, quia talem Concursum arguit illorum competentia, & in hoc casu Episcopus debet eligere digniorem ex præsentatis approbatis, id enim necessarium est in omni Concursu Parochiali. Ita docent *Garz. part. 9. cap. 2. num 256. ex Burato decis. 25. Gonzal. Glos. 6. num. 138. Barb. de Parocho num 130. ad Trident. num. 146. cum alijs Passer. cap 30. num 121. Viuian. lib. 10. de Iurepatr. cap. 1. num. 59.* Si duo sunt præsentati debent per concursum examinari, & Episcopus facere electionem de digniori, *ex Ludou. decis. 494. num. 2. Gonzal. num. 134.* & alijs.

Quæres 6. Quid si plures præsentati æquales non sunt in iure præsentationis? E. g. vnus habet duas voces, alter tres &c.

℞. In hoc casu Concursus non habet lo- 21
cum, sed qui præ ceteris plures habet voces ille solus est examinandus, & si approbatur idoneus, ei Beneficiũ est conferendum, cum ergo alij sint inferioris iuris ex inæqualitate reijciuntur. Ita *Burat. dec. 952. num. 2. Garz. num. 257. Barb. ad cap. 18. num. 146. fine, Passer. cit. num. 121.*

Quæres 7. existente lite si Episcopus manutenendus sit in possessione conferendi, an in hoc casu vtatur Concursu?

℞. Vtique, quia in hoc casu spectatur 22
Parochialis vt libera, non vt iuspatronatus. Ita Rota *Coram Corduba in Portugal. litis præsentandi apud Garz. num 259. Iacem Iordanum lib. 10. tit. 8. num. 58. quos pro se citat Passer. num. 122. Fagn. part. 5. ad cap. Cumpropter, de iurepatr. num. 9.*

Quæres 8. An Concursus sit adhibendus non obstante, quod Patronus in fundatione Parochialis excluserit Concursum, volens expresse, quod conferatur sine Concursu, esto sit iuspatronatus Ecclesiasticus?

℞. Standum est conditioni appositæ à Pa- 23
trono siue cum, siue sine Concursu, quia quisque iustam conditionem, seu modum rei suæ apponere potest, *l. In traditionibus 49. ff. de Pactis*, & in his terminis *Viuian. lib. 2. cap. 8.* Ita ex Iordano *num. 59. Passer. num.* 123.

Quæres 9. An necessarius sit Concursus, quando iuspatronatus miscetur ex Ecclesiastico, & laico? Videtur, quod sic. Tum quia dignius trahit ad se minus dignum, *cap. Per tuas, de arbitr. l. 1. ff. de verbor. sign.* Barb. Axiom. 72. Tum quia Papa sæpe indistincte derogat Patronatui mixto in totum, quod non faceret nisi pro medietate, si iudicaretur laicale, vt docet *Æneas de Falcon. in tract. de Reseruat. q. 4. Effectu* 14. Et ita cum eo tenent *Felin. Staphileus, & Ferretus, & Diana part. 9. tract. 8. resol. 16. Vers. Notandum*, quos impugnant communiter alij Doctores mox citandi, cum quibus.

℞. Non est necessarius Concursus, quia 24
mixtum Patronatum regulandum est ac si esset tantum laicali maxime in odiosis, mixtum enim non regulatur quando dispositio in simplici est potius pœnalis, & restrictiua libertatis, *Bertazol. cons. 126. num. 13. fine, Tuschus lit. M. concl 294 num. 2. & 45.* 25
cum alijs Barb. Axiom. 152. num. 11. Nec locum habet in respicientibus præiudicium tertij, *Ruin. lib. 5. cons. 167. num. 20. Craueta cons. 491. num. 3. Surd. dec. 174 num. 16. cum alijs idem Barbosa ibidem.* Concur- 26
sus autem esto sit fauorabilis Ecclesiæ, vt ex eo eligi possit dignior, & Clericis, qui possunt comparere indifferenter, est tamen odiosus, & præiudicialis Patrono, qui quandoque

doque non poterit obtinere suum effectum; dum ex pluribus eligere debet digniorem, quem ipse vult. Causa autem Patronatus est fauorabilis, & priuilegiata respectu laicalis, *Feder. de Senis consf.* 65. *num.* 2. & ideo ea attendenda, vnde Glos. V. Ecclesiasticus, de iurepatr. cap. 1. in 6. dicit, quod propter communionem non priuilegiatum sortitur naturam priuilegiati, per tex. *in l. Si communem ff. Quemad. seruit. amittatur;* notum autem quod laicali est priuilegiatum, non ecclesiasticum, ex quo is subditum concursui, non illud, cum sit exemptum, ex q. 3. ita docet *Fagn. part.* 5. *ad cap. Cum propter, de Iurepatr. num.* 26. vbi rem hanc ipse probat vsque ad num. 39. *Viuian. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 34. *Castrop. de Benef. disp.* 3. *p.* 2. §. 5. *num.* 3. *cum alijs Barbosa de Parocho cap.* 2. *num.* 126. *& ad Trident. num.* 144. vbi quod procedit, licet ecclesiasticum maiorem habeat partem vocum. Vbi quoque refert plures tenentes, Patronatum mixtum esse conferendum ex Concursu ac si esset Ecclesiasticum, quos refert Barb. Alleg. 60. num. 17. qui docet ex Viuiano ita respondisse S. Congr. in vna Pisana 3. Febr. 1628.

27

28

29 Ad rationem dubitandi primam respondeo, dignius trahere ad se minus dignum cum illi dicitur accessorium, non autem si ambo in suo genere habent rationem principalis, quia principale non trahit aliud principale, sed tantum accessorium, ad quod facit *Sanchez lib.* 3. *disp* 29. *num.* 8. *Vers. item*. Ad secundum respondet *Fagn. num.* 38. *ex Puteo lib.* 3. *dec.* 157. *num.* 4. Papam derogare Patronatui mere laico semper pro medietate, in mixto vero non admittit, nec pro parte Clerici derogatio est necessaria; & num. 3. dixit maius dignum trahere ad se minus dignũ cum ad fauorẽ ipsius magis digni spectat minus dignum ad se trahere; non est autem fauor huiusmodi tractio, dum restringitur libertas in vtroque, ergo hic non habet locum Concursus, qui magis nocet, quam quod faueat vtrique.

Quæres 10. An requiratur Concursus in Parochiali ex sua origine laicali, quod pro duabus tertijs partibus ex donatione laicorum effectum fuit postea Ecclesiasticum?

30 ℞. Negatiue, quia Patronus non intendit sibi præiudicare, sed tantum honorare Clericos, vt secum concurrant ad Præsentationem, vnde cum Patronus ad se trahat Ecclesiasticos, & non isti laicum, merito regulatur secundum Priuilegium simplicis laicalis, quod consequitur examinatus sine

31 Concursu. Confirmatur, quia maior fauor est in trahente, quam in tracto, cum illud sit agens, hoc patiens, ac proinde inferioris conditionis, hic enim non consideratur qualitas personæ, sed conditio operationis.

Rem hanc fuse tractat *Fagn. part.* 5. *ad cap. Cum propter, de iurepatr. à num.* 39. *ad* 75. respondens obiectis contrariæ opinionis.

Quæres 11. An Concursus requiratur in Parochialibus ad Sedem Apostol. cum deuolutis ob lapsum temporis Episcopo ad prouidendum præfixi.

℞. Negatiuè, vt colligitur ex Bulla Pij V. *In conferendis*, & quando non fuit seruata forma Tridentini, vt docet *Viuian. lib.* 10. *cap.* 1. *num* 55. 56. & 57. 32

Quæres 12. An Concursus requiratur in mensibus Papæ, & in alijs Beneficijs, quæ à solo Papa conferuntur?

℞. Affirmatiuè ex Trident. Sess. 24. cap. 18. ibi *Etiamsi ipsa Parochialis reseruata, vel affecta fuerit &c.* Et tunc Episcopus edicit concursum, & digniorem ex approbatis eligit, vt ei Ecclesia à Papa conferri possit. Ita alijs citatis Barb. *ad Trident. num.* 140. *Pax Iordanus lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 61. *Passer. cap.* 30. *num.* 113. *Rota part.* 11. *dec.* 126. *fine*. 33

Quæres 13. An Concursus requiratur in Beneficijs vnitis Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis, Abbatijs, seu dignitatibus.

℞. Negatiue, in Cathedralibus, *Burat. dec.* 593. *Caualer. dec.* 595. *num.* 4. *&* 5. cum alijs decisionibus *Rota part.* 10. *dec.* 48. *num* 2. Collegiatis, *Maffobr. Pradio* 3. *dub.* 3. *num.* 38. *Garz. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 195. *Gonzal. glos.* 6. *num.* 162. *Barb. Alleg.* 60. *num.* 29. *de Parocho cap.* 2. *num* 27. *Fagnan. part.* 2. *ad cap. Cum sit ars, de Ætate num.* 27. Dignitati, *Gonzal glos.* 5. § 7. *num.* 2. *Rota part.* 2. *Recent. dec.* 323. *num* 8. Barb. alleg. 60. num. 26. 34

Quæres 14. An Parochia vnita Canonicatui Concursu conferatur?

℞. Negatiuè, consequitur enim Canonicatui, ac proinde sequitur illius naturam, scilicet, vt sicut ex pluribus non eligitur Canonicus, ita nec fit Parochus ex pluribus. Ita *Galetus V. Parochus*, *Riccius part.* 1. *resol.* 365. *Castropal. disp.* 3 *de Benef. part.* 2. §. 5. *num.* 6. *Barb. Alleg.* 60 *num.* 26. *vbi num.* 27. *ex Garz. part.* 12 *cap.* 2. *num.* 23. residet in Canonicatu, non in Parochia. 35

Quæres 15. An Beneficium curatum vere dignitas per Concursum conferatur? 36

℞. Negatiuè, *Barb. cit. num.* 28. *ex Gallet. V. Beneficium, & V. Canonicus*. Intellige si sit dignitas in actu, nam in habitu tantum requiritur Concursus, Fagn. mox citandus num. 29.

Quæres 16. An in Parochialibus vnitis Monasterijs Regularium Monachorum, seu Mendicantium detur Concursus?

℞. Negatiuè, sed superior regularis præsentat examini Religiosum, vel alium Clericum secularem, vt ab Episcopo probetur ad curam animarum. *Rota dec.* 102. *part.* 1. 37

apud

apud Barb. de Parocho num. 20. 21. *&* 22. *Allegat.* 60. *num.* 31. *Fagnan. part.* 2. *ad cap. Cum sit ars, de Ætate num.* 28. *Riccius part.* 1. *resol.* 369. *num.* 1. *Ottob. dec.* 179. *num.* 6. vbi, quod non est necessarium examen Synodalium, & ratio potest esse, quia examinantur vt Vicarij, & simplices confessarij cum cura animarum.

Quæres 17. An requiratur Concursus in Prioratu solito commendari?

38 ℞. Non, vt rescripsit S. Congr. & Sanctissimus approbauit, vt refert *Fagn. part.* 2. *ad cap. Cum sit ars de Ætate à num.* 37. *ad* 41. *Barb. de Parocho cap.* 2. *num.* 22. *& Alleg.* 60. *num.* 34.

Quæres 18. An Vicaria perpetua vnita conferatur sine Concursu ad præsentationem eius, cuius Ecclesiæ, siue Beneficio est vnita?

39 ℞. Negatiuè, modo cura totalis in actu, & habitu non transferatur in ipsum Vicarium, quia tunc necessarius est Concursus. Ita *Rota par.* 2. *dec.* 579. *&* 710. *Loter. q.* 31. *num.* 22. *Barb. de Parocho num.* 19. *vers. Verum. & Alleg.* 60. *num.* 32. *Burat. dec.* 214. *num.* 2.

Quæres 19. An Mansionariæ conferantur per Concursum?

40 ℞. Negatiuè, quia Tridentinũ non loquitur de Cathedralibus, nec collegiatis, neq; dignitatibus, nec Ecclesia dicitur vacare. Ita Sacra Congregatio *apud Fagnan. part.* 2. *ad cap. Cum sit ars, de Ætate num.* 19. *ad* 24. vbi sermo est de Hebdomadarijs, seu Mansionarijs in Cathedralibus, & Collegiatis curam habentibus in Ecclesia Parmensi, in Collegiatis Montis Solicis diœcesis Patauinæ, & Præposituræ Papiensis. *Riccius part.* 1. *resol* 369. *vers. quarto*, *Barb. de Parocho num.* 26. *Alleg.* 60. *num.* 30. *Viuian. lib.* 10. *cap.* 1. *num* 62.

Quæres 20. An Parochiales litigiosæ conferantur per Concursum?

41 ℞. Non ex Trident. Sess. 24. cap. 18. prope finem: Aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile grauiores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit ordinarius, si pro conscientiæ suæ cum deputatorum consilio, ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa priuatum aliud examen, cæteris tamen vt supraferuntur, adhibere. De qua dixi cap. 5. q. 19. num. 39. ad 41. Conferuntur ergo præuio examine tantum priuato, quod excludit Concursum. Ita alijs citatis *Barb. de Parocho num.* 15. *& Allegat.* 60. *num.* 37.

Quæres 21. An Beneficia exigui valoris conferantur per Concursum?

42 ℞. Id non est necessarium ex eodem Trident. ibi: Si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint; aut nemo sit, &c. relata in præcedenti quæstione. Et ita docent *Gonzal. Glos.* 6. *num.* 139. *cum alijs Barb. de Parocho num.* 16. *& Alleg.* 60. *num.* 48. *Riccius part.* 1. *resol.* 369. *fine Viuian. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 60.

Quæres 22. An in permutatione Ecclesiarum siue ambarum Parochialium, siue non fiat Concursus?

℞. Negatiue, quia Concursus fit inter plures respectu eiusdem Beneficij. Ita *Paris. lib.* 8. *q.* 9. *num.* 95. *Riccius part.* 1. *resol.* 367. *Barb. de Parocho num.* 23. *Alleg.* 60. *num.* 23. *Tondutus lib.* 2. *cap.* 4. *§.* 10. *nu.* 9. 43

Quæres 23. An requiratur Concursus, quando resignatur Parochialis in fauorem tertij?

℞. Negatiue, quia per resignationem fauorabilem vnius se præsentat examini. *Paris. lib.* 1. *q.* 7. *num.* 7. *Gutier. Canon. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 11. *Gonzal. Glos.* 6. *num.* 121. *Barb. de Parocho num.* 24. *& Alleg.* 60. *num.* 21. *Viuian. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 55. *Riccius cit. resol.* 364. 44

Quæres 24. An requiratur Concursus, quando Parochialis vacat in curia Papali, siue per obitum, siue per simplicem resignationem, &c.

℞. Negatiuè, quia ita se habet vsus in Dataria, vt sine Concursu, sed solo examine prouideatur. Ita *Gonzal. glos.* 6. *num.* 15. *Garz. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 153. *Barb. de Parocho num.* 25. 45

Quæres 25. An requiratur Concursus pro conferendo Beneficio, eo reiecto qui noluit consentire pensioni?

℞. Negatiue, sic enim *practicatur à Papa*, qui solum facit examinare sine Concursu alterum consentienti pensioni sibi reseruatæ contra iam electum nolentem admittere pensionem. Ita *Riccius part.* 1. *resol.* 170. *Barb. Allegat.* 60. *num.* 39. 46

Quæres 26. An in Beneficijs simplicibus detur Concursus?

℞. Negatiuè de iure communi, quia vbi non est necessarium examen, nec Concursus, cum is ordinetur ad examen; sed examen speciale non datur in Beneficijs simplicibus, ex probatis cap. 5. q. 33. num. 77. ergo multo minus Concursus. Et ita docet *Riccius part.* 1. *resol.* 363. Dixi de iure communi, quia in aliquibus Beneficijs simplicibus requiritur Concursus, vt in Calaguritanis, refert decisiones duas Rotæ Passer. cap. 32. num. 22. 47

Quæres 27. An in prædictis omnibus, in quibus non est necessarius Concursus, sed solum examen, id fieri possit à non Synodalibus? Affirmat Ottobon. dec. 179. num. 6. citans pro se *Garz. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 289. *& Caualer. dec.* 595. *num.* 4. *&* 5. *Passer. cap.* 32. *de elect. num.* 22. *citans duas dec. primam in Calagur. Benef.* 24. *Nouembris*

bris coram Panzirolo *1636. & secundam in Calaguritana Benefic. 14. Febr. 1650. Coram Arguelles.*

48 ℞. In omnibus Parochialibus siue fiat examen per Concursum, & publicum, siue sine Concursu, & priuatum, necessario adhibendi sunt Synodales examinatores, probatur ex ipso Tridentino in fine sepe citati cap. 18. ibi; *Si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, priuatum aliud examen, cæteris tamen seruatis, adhibere.* Hic sermo est de examine sine Concursu, nam id proprie dicitur examen priuatum ad differentiam examinis publici consurgentis ex Concursu; vnde ea verba, *Hac forma omissa* referuntur ad Concursum, qui omitti potest non solum in casibus ibi expressis, sed etiam in supradictis à nobis allatis, subditur alia clausula, *Cæteris tamen seruatis*. Sub quibus verbis non potest comprehendi, vt eligatur dignior, quia vnus tantum examinatur, quando non fit Concursus, ergo comprehenduntur Examinatores Synodales, quod quoque confirmatur per illa verba, *Cum Deputatorum Consilio*, quæ referuntur ad examinatores Synodales, de quibus superius facta fuit mentio sub his verbis, *Ab eisdem deputatis examini*. In toto enim illo capite nulla fit mentio de alijs examinatoribus, sed solum de Synodalibus, ergo ab his tantum faciendum est examen priuatum; nec obstat, quod ibi fiat mentio solum de illis casibus exigui redditus, vel non comparentium ad examen, vel ex dissidijs, quia propter hos non excluduntur alij non requirentes Concursum, sed examen per Synodales licet priuatum nonquam omittitur. Et ita multis citatis tenet *Diana par. 9. tract. 8. resol. 16.* Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam Rota loquitur de Beneficijs simplicibus. Vide cap. 5. q. 34. & 35.

Quæres 28. An Parochus amouibilis egeat Concursu?

49 ℞. Negatiuè, quia de eo non fit mentio in Tridentino, ideo & potest examinari à non Synodalibus, est enim impropriè Parochus. Ita fuisse decisum refert *Nicolius part. 2. lib. 3. tit. v. de collat. num.* 19 *Vers. Qua autem.*

Quæres 29. An omittatur Concursus ad euitandum scandalum, & tumultum?

50 ℞. Affirmatiue, sed solum examen priuatum exercetur expræsse cap. 18. Trident. Sess. 24. cuius verba retuli hic q. 20. Nihil enim cum scandalo faciendum est *cap. 2. de præscript. cap. Ad aures 5. de tempore ordin.* Multa enim omittuntur propter scandalum,

51 *cap. 2. & 3. de Cler. ægrot.* Et ad euitandum scandalum receditur à regulis iuris, *ex allegatis à Grass. tom. 1. consil. conf. 7. de Pœnit. num. 9.* Ideo Tridentinum excepit etiam hunc casum.

Quæres 30. An Concursus requiratur in Ecclesijs vacantibus vnitis religioni Maltensi cum examine, & approbatione faciendis coram eius Generali magno Magistro?

℞. Concursus non est necessarius, sed solum examen cum approbatione coram Episcopo, loquitur enim Tridentinum de omnibus Ecclesijs quomodocunque reseruatis, & affectis. Ita ex *Bonfadino in Thesauro Eccles. decis. resol. 43. num. 74. refert Barb. in decis. Apost. V. Examen. num 8. decisum 4. Decembris 1631. in Augustana.* Non est necessarius Concursus, iuxta dicta sub q. 16. quia Ecclesiæ regulari dicitur vnita Parochia. 52

CAPVT VNDECIMVM.

De Vicario Ecclesiæ Parochiali vacanti deputando.

SVMMARIVM.

1 *Tridentini verba rescribuntur.*
2 Episcopi *nomine quinam hic veniant.*
3 *Vicarij deputatio necessaria.*
4 *Verbum* debet *importat necessitatem.*
5 *Omissio Vicarij non infringit acta Concursus.*
6 *Vicarius datur, licet examen fiat sine Concursu.*
7 *Non constituitur à Collatore, sed ab Episcopo Ecclesiæ.*
8 *Intra triduum importat* Statim.
9 *In quacunque vacatione datur Vicarius.*
10 *Etiam vicinus Parochus.*
11 *In Baptismalibus.*
12 *Non datur, quando Ecclesia de manu ad manum immediate transit.*
13 *Examine non eget, si est iam confessarius.*
14 *Habentibus plures Curatos non datur per mortem vnius.*
15 *Ecclesia enim non dicitur vacare.*
16 *Congrua portio regulatur ex fructibus* Beneficij, *& praxi.*
17 *Datur Vicarius licet* Beneficium *sit sub lite.*
18 Remouetur *solum ex causa.*
19 *De nouo emergentia nouum petunt remedium.*
20 *Vicarius potest concurrere ad examen* Beneficij, *cui præest.*
21 *Nec per hoc tenetur recedere ab administratione.*
22 *Verbum* Non amoueatur *duplicem habet sensum.*

Defun-

1 DEfuncto Rectore Parochialis Ecclesiæ, Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ debet statim illi constituere Vicarium, vt statuit Tridentinum sess. 24. cap. 18. his verbis: Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Pro illius explicatione pono quæstiones.

Quæres 1. Quis veniat nomine Episcopi, qui possit Vicarium dare Ecclesiæ Vacanti?

2 ℞. Non solum venire Episcopum ipsum vt nomen demonstrat sine restrictione; sed etiam illius Vicarium Generalem, licet non nominetur expresse, vt infra in examine, sufficit enim quod virtualiter comprehendatur sub nomine Episcopi, cum eo vnum siquidem censetur in iurisdictione ordinaria, ita quod quicquid facit Vicarius censetur ipse Episcopus facere in ordine ad hoc cap. 18. sess. 24. Et illo defuncto Capitulum Catedralis, cum etiam in hoc succedat Episcopo, vt dixi cap. 3. num 16. Et demum quilibet alius Ordinarius exemptus, qui territorium habet, & examinatores in sua Synodo deputatos, is enim exercere potest ea, quæ in hoc capite proponuntur, vt dixi cap. 1. num. 20. Et ita docent *Barb. Alleg. 60. num.* 3. de Episcopo, & alio Ordinario Synodum faciente, *Castropal. disp. 3. p. 2. de Benef.* §. 1. *num.* 1. de Vicario Generali, & Capitulo Sede Vacante.

Quæres 2. An necessaria sit constitutio Vicarij Ecclesiæ Parochiali vacanti? Ratio dubitandi est ex illis verbis: *Si opus fuerit* non enim semper opus est, ergo non necessaria.

3 ℞. Est necessaria Vicarij constitutio, vt habet ipse textus ex illo verbo, Debeat,
4 quod importat necessitatem, *Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 36. Rota par. 1. dec. 79. num. 1. & dec. 276. num. 2.* Nec obstat dicta clausula, *Si opus est*, quæ Episcopum non relinquit liberum, sed solum denotat illum habere arbitrium circa modum constituendi Vicarium, si enim Ecclesia viduata Rectore, habet Capellanum, vel alium Sacerdotem idoneum, non est opus alium deputare, sed potest relinquere vnum ex illis, qui antea Ecclesiæ seruiebant. Ita *ex Loterio lib. 2. de Benefic. q. 31. num. 14. Barb. Alleg. 60. num. 2. & in Trid. num. 39.*

Quæres 3. An omissio huius Vicarij infringat acta ordinata ad prouisionem Ecclesiæ Vacantis? Ita videtur sentire *Barb. ad Trident. num. 30. & Alleg. 60. num. 2.* dicens: Deputationem Vicarij cum congrua esse de forma Concursus. Ergo eius omissio infringit Concursum.

℞. Negatiue, quia huiusmodi actus non ordinatur ad prouisionem Rectoris eligendi ad Ecclesiam, sed refertur tantum ad occurrendum indigentijs spiritualibus fidelium Parochianorum, & vt habeat Vicarius curam redituum Ecclesiæ. Nec vrget dictum Barbosæ, quia deputatio non est de forma nisi accidentali, & quædam præuia dispositio, donec prouideatur Ecclesiæ, Dixi etiam *cap. 1. num. 46.* Ita *Castropal. disp. 3. p. 2. §. 1 fine.* 5

Quæres 4. An constituendus Vicarius, quando Ecclesia confertur sine concursu, cum solo examine?

℞. Sic, quia Parochialis vacans quomodocunq. prouideatur siue cum concursu, & examine, siue solo examine, semper eget Sacerdote, qui curam habeat fidelium *barb. de parocho num. 31.* videtur sentire Vicarij constitutionem non esse necessariam, quando prouidetur sine concursu, illis verbis. In alijs Parochialibus, præter istas exceptuatas, quibus scilicet prouidetur sine Concursu ab eo paulo ante enumeratis, habita notitia vacationis Ecclesiæ deputat Episcopus Vicarium. Sed in hoc omnes Parochiales debent esse pares, cum fideles in omnibus egeant Sacerdotes, qui vices Pastoris gerat dum vacat Ecclesia. 6

Quæres 5. An huiusmodi munus quandoq. spectet ad collatorem Beneficij quando conferens est inferior Episcopo non conferente Beneficium?

℞. Non, sed id munus solius Episcopi indicentis Concursum, cum Vicarij deputatio sit præuia dispositio ad sequentia, quæ *nullus tractare potest, nisi Episcopus, Vicarius illius*, vel capitulum Sede Vacante, Vel Abbas Synodum habens ex probatis q. 1. ergo alij excluduntur. Ita Armend. In Addit. ad Recopil. Legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. leg. 7. de Episcopo num. 86. Ioan. Franc. Leo part. 2. cap. 3. num. 52. Garz. part. 9. cap. 2. num. 8. cum alijs Barb. de Parocho num. 33. ad Concil. num. 31. & Alleg. 60. num. 3. & 4. Castropal. p. 2. §. 1. n. 1. 7

Quæres 6. An ipso die notitiæ Rectoris mortui Episcopus debeat dare Vicarium?

℞. Infra triduum à notitia mortis, hoc enim exigit periculum animarum, quæ nesciunt diem, neq. horam mortis. Ita Massobr. Requis. 1. dub. 13. ex eo Barbosa de Parocho num. 34. & ad Trident. num. 37. 8

Quæres 7. An in quacunq. vacatione Ecclesiæ Parochialis sit dandus Vicarius?

℞. Affirmatiue, siue vacet de iure siue de facto, siue per resignationem simplicem, siue morte naturali, siue ciuili, & per priuationem, in omnibus enim vacationibus fideles egent Spirituali pabulo. Ita Massob. cit. dub. 2. Barb. de Parocho num. 31. & in Concil. 38. 9

Quæres

Quæres 8. An alter Parochus constitui possit Vicarius Ecclesiæ Vacanti.

10 ℟. Vtique, si sit vicinior, & vtrique commode seruire possit. Ita Garz. & Massobr. mox allegati à Barb. de Parocho num. 31. & in Trident. num. 30. Moron. Resp. 97. num. 5.

Quæres 9. An in Baptismalibus Ecclesijs licet non curatis sit deputandus?

11 ℟. Affirmatiue, quia in illis infantes quotidie egere possunt Sacro Baptismate, talis quoq. Ecclesiæ licet ad vsum solius Baptismatis habent tamen nescio quid parochialitatis. Ita *Massobr. Requis.* 1. *dub.* 14. *Barb. ad Trident. num.* 41.

Quæres 10. An deputandus sit Vicarius Ecclesiæ resignatæ in manibus Papæ?

12 ℟. Non, quia hæc resignatio non statim importat vacationem, vnde expectandum est tempus vacationis, quod quandoq; non adest, cum de manu ad manum transit. *barbosa ad Concil. num.* 22. *ex Garz. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 159. vbi nec requiri examen in resignatario, cum sufficiat factum coram ordinario, & examinatoribus sine transmissa Romam.

Quæres 11. An constituendus in Vicarium debeat examinari?

13 ℟. Negatiue, si est iam approbatus ad audiendas confessiones vtriusq. sexus fideles, pro idoneo enim cognoscitur ex præcedenti examine, licet non ad hunc effectum examinatus fuerit. Ita *Massobr. requis.* 1. *dub.* 12. *Barb. ad concil. num.* 40.

Quæres 12. An dandus sit Ecclesijs Catedralibus, & Collegiatis, atq. alijs vbi sunt plures Sacerdotes, & mansionarij ex officio habentes curam animarum?

14 ℟. Non esse id necessarium, vt videtur colligi ex illis verbis Tridentini: *Si opus fuerit*, sed non est opus, cum superstites confessarij possint supplere vices prædefuncti. Confirmatur, quia Episcopus potest Eccesiæ Vacanti assignare viciniorem Parochum ergo à fortiori alium eiusdem Ecclesiæ, cu-

15 ius vnus est mortuus. Adde, quod Ecclesia non dicitur simpliciter vacare. Contrarium docet *Castropal. de Benef. disp.* 3. *p.* 2. *§.* 1. *num.* 4. Ea ratione, quia quæcunq. sit, indiget Vicario, qui sacra ministret, dum de Rectore prouidetur. Sed hæc ratio non vrget, quia indigentia suppletur per alios Sacerdotes iam in Ecclesia eadem existentes.

Quæres 13. Qualis debeat esse congrua portio, & ex quibus bonis danda Vicario?

16 ℟. Relinquitur arbitrio Episcopi, qui consideratis redditibus Beneficij ex quibus capienda est, arbitrabitur, quid illi assignandum sit. *Ex alijs Barb. de Parocho num.* 35. *& in concil. num.* 42. Esse duorum aureorum pro quolibet mense dicunt ibidem *Galetus V. Vicarius num.* 8. *Campan. in Diuersorio Iur. Can. Rub.* 7. *cap.* 6. *num.* 116. *fine* Standum est arbitrio Episcopi, *vt alijs citatis dicit Castropal. num.* 3. Praxis vniuscuiusq. ciuitatis seruanda est.

Quæres 14. An dandus sit Vicarius si Beneficium vacans sit sub lite?

℟. Sic, quia fideles egent administratione Sacramentorum, quod nec lis nec litigantes possunt impedire. Ita *ex Barb. Alleg* 69. *num.* 2. *Castropal. disp.* 3. *p.* 2. *§.* 1. *num.* 49. Sed apud Barbosam locum ibi non inueni. 17

Quæres 15. An Vicarius iam deputatus possit remoueri, & in eius loco ponere alium Episcopus?

℟. Negatiue, nisi subsit aliqua causa superueniens ex parte ipsius Vicarij, quia nemo remouendus est, nisi subsit causa, *ex Reg.* 23. *in* 6. & quod semel placuit, amplius displicere non debet *ex Reg.* 21. *in* 6. nisi noua superueniat causa, *Glos. V. de nouo, cap. Pastoralis* 4. *in except.* Quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *l. oratione ff. de ferijs* Ita *ex Massobr. Requis.* 1. *dub.* 26. *Barb. de Parocho num.* 36. *in Trident. num.* 44. *& Allegat.* 60. *num.* 2. Confirmatur quia si occurrat appellatio ob reprobationem, vel malam electionem, Vicarius debet remanere quousq. prouideatur de Rectore, vt dicitur in Tridentino eo capite 18. ibi: Alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputauit, vel forsan postea deputabit, ab eius Ecclesiæ custodia, & administratione non amoueatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, vt supra, sit prouisum. Quare propter appellationem amouendus non est, sed ibi manere debet, donec Rector ponatur in possessione Beneficij. 18 [sic: margin "1"]

Quæres 16. An ipse Vicarius existens possit cum alijs concurrere ad examen, vel præsentari à Patrono?

℟. Affirmatiue, vt deducitur ex præfatis mox verbis textus ibi, *Donec aut eidem, aut alteri &c.* Hoc eidem latius probaui cap. 2. q. 9. num. 17. 20

Quæres 17. An volens concurrere ad Beneficium, cui deputatus fuit, debeat ab eius administratione recedere?

℟. Negatiue, sed potest prosequi vices suas, & ex Vicario fieri immediate successiue Rector, non enim repugnat conuersio Vicarij in Rectorem, immo id videtur rationabile, quia de munere censetur alijs magis informatus. Nec supradicta verba Concilij Non amoueatur, donec eidem, aut alteri, qui probatus & electus fuerit, vt supra, sit prouisum. Obstant nostro responso, sed magis illud confirmant, illud enim verbum Amoueatur facit hunc sensum res- 21

pectu Vicarij approbati, & electi, quod
22 Amoueatur à Vicariatu per immediatum transitum ad Rectoratum. Respectu vero non concurrentis importat simpliciter amotionem à Vicariatu, cum enim ibi sermo sit de diuersis scilicet de concurrente, & non concurrente, diuersum quoq. sensum debet habere illud verbum Amoueatur cum transitu scilicet, vel sine transitu. Et huius sententiæ est Castropal. disp. 3. de Benef. p. 2. §. 1. num. 5. contra Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 25. & 34. Cuius argumentis ipse respondet; & ego dixi cap. 2. q. 9.

CAPVT DVODECIMVM.

De Collatione Beneficij Vacantis.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quid sit definitur, & explicatur.*
2 *Ius est facultas scilicet percipiendi fructus.*
3 *Spirituale ius est* Beneficium *à tribus Spiritualizatum.*
4 *Ex bonis Deo dicatis, dona sunt Dei, Patrimonium Christi.*
5 *Spiritualizatum ex officio ministerij Spiritualis.*
6 *Officium autem hoc est in se spirituale.*
7 *Propter illud datur beneficium.*
8 *Beneficij natura est quod sit perpetuum in se, & respectu Clerici.*
9 Altari *seruiens de altari viuere debet.*
10 *Impotens non remouetur, sed datur illi coadiutor.*
11 *Beneficium est perpetuum etiam in Rectore, nisi deficiat.*
12 *Fructuum beneficiarius dominus est.*
13 *Etiam tempore mortis sed exactorum tantum, & à solo separatorum.*
14 *Clericus æquiparatur vsufructuario quo ad suos fructus.*
15 Bona *beneficiorum dicuntur esse Ecclesiæ, quæ illorum domina est cum Christo.*
16 *Christus quidem immediate, Ecclesia mediate.*
17 *Possessio est penes Ecclesiam non* Rectorem.
18 *Ideo successor sequitur, & continuat possessionem sine noua apprehensione.*
19 *Bona Ecclesiæ debent esse stabilia, cum seruitus spiritualis sit perpetua.*
20 *Nullus ponit hoc bonum debere esse stabile in definitione beneficij.*
21 *Debent esse frugifera.*
22 *Clericus solus, non laicus capax beneficij.*
23 *A Prima etiam Tonsura tantum.*
24 *Tonsura perficitur in Clerico receptione Ordinum.*
25 *Collatio dat ius clerico beneficiato, & possessione firmatur.*
26 *Electio dat ius ad rem posita acceptatione.*
27 *Collatio habet vim sententiæ, possessio dicitur illius executio.*
28 *Beneficium erigitur, & confertur per solam potestatem ecclesiasticam.*
29 *Laicus beneficia conferre non potest.*
30 *Sine pacto conferuntur ad euitandam Simoniam.*
31 *Nec cum pacto pensionis.*
32 *Substantia quinque ad cognoscendum quid sit beneficium.*
33 Regularia *beneficia non sunt in propria significatione.*
34 *Diuisiones variæ beneficiorum.*
35 Papatus *est beneficium.*
36 *Parochia Papæ est totus mundus.*
37 *Beneficium liberum, &* Patronale *scilicet Iuspatronatus.*
38 *Diuisio hæc vagatur per omnia beneficia.*
39 Beneficij *nomine quænam veniant.*
40 *Genus prædicatur de omnibus suis speciebus in quibus est.*
41 *Nisi ex aliqua spetialitate impediatur.*
42 *Collatio est actus iurisdictionis ecclesiasticæ.*
43 Gratis accepistis, gratis date *Math.* 10. 8. *sic conferuntur beneficia.*
44 *Collatio est actus iurisdictionis.*
45 *Non ordinis, ideo potest fieri collatio ante consecrationem.*
46 *Causa & effectus in collatione est semper vniuoca.*
47 *Collatio fit solum de beneficio vacante.*
48 *Beneficium confertur Clerico solum idoneo.*
49 *Collatio non dat ius in re, nisi acceptatur beneficium collatum.*
50 *Collatio triplex, Libera, Institutio, & Confirmatio.*
51 *Collatio libera quæ fit de beneficio non patronali.*
52 *Institutio est collatio beneficij patronalis.*
53 *Confirmatio est collatio beneficij electiui.*
54 *Electio solum canonica confirmatur.*
55 *Confirmatio habet pro termino quid existens.*
56 *Electio ad beneficia contingit tripliciter.*
57 *Ius in iure, & ad rem quando aquiratur in beneficijs.*
58 *Electio, & præsentatio acceptata dat ius, ad rem.*
59 *Collatio delegari potest.*
60 *Collatio de iure competit Episcopis, priuilegio alijs.*
61 *Collatio aliquando fit ab vno, & concursus*

cursus ab alio.

62 *Concursus exercitur ab Episcopo, in cuius diæcesi est Ecclesia.*

63 *Diæceses cum suis iurisdictionibus diuisa inter Episcopos.*

64 *Examine nullo collata ecclesia est nulliter prouisa.*

65 *Decretum irritans in Tridentino, & Bulla Piana refertur.*

66 *Papa prouidet sine concursu.*

67 *Peccat recipiens Parochiale sine examine.*

68 *Obtinet tamen valide in conscientia, infirmandum.*

69 *Sententia iudicis reuocatoria.*

70 *Idoneus quis præsumitur quo ad mores, non quo ad literaturam.*

71 *Deuolutio Beneficij naturam non mutat.*

72 *Nec eius statum mutat.*

73 *Clericus debet attingere 25. annum, cum ei confertur Parochiale.*

74 *In vltimo die potest resignare beneficium.*

75 *Fructus non facit suos, si illud recepit cum voluntate non recipiendi Sacerdotium.*

76 *Beneficium non tenetur relinquere nisi post sententiam.*

77 Priuatus sit *est lata sententia*,

78 *Requirit tamen declaratoriam.*

79 *Intra quantum tempus collator teneatur conferre beneficium.*

80 *Aliter deuoluitur collatio ad superiorem supplentem negligentiam.*

81 *Menses quomodo computentur.*

82 *Parochialis patronalis infra bimestre à die præsentationis.*

83 *Pensionem soluere recusanti non confertur beneficium à Papa.*

84 *In alijs non habet locum.*

85 *Beneficium fundari potest super Montem Castrensem.*

86 *Census & Mons æquiparantur.*

87 *Tutius fundatur super Montem.*

88 *Obligationem non recipit, quod non est.*

EXpeditis ijs, quæ ad materiam Edicti, Concursus, Examinis, & electionis vi..., ...approbatis ab Examinatoribus, restat, vt Collator Beneficium conferat electo, ideo hic nonnulla dicenda sunt de collatione non in vniuersum, sed tantum in ordine ad dicta in præcedentibus, pro absolutione huius opusculi, præmittendo definitionem Beneficij exactam.

1 Beneficium est ius spirituale perpetuum percipiendi annuos fructus ex bonis Ecclesiæ stabilibus, & frugiferis hoc iure perpetuo affectis per Clericum sibi sine pacto, & conditione, sed pure collatum propter spirituale officium ab eo exercendum, auctoritate ecclesiastica iam fundatum, & erectum. Singulæ particulæ sunt explicandæ.

2 Dixi primo, quod est *ius*, quod hic non importat legem, sed facultatem, & potestatem, quam habet Beneficiatus percipiendi fructus ex fundo sui Beneficij, hoc autem ius Clericus aquirit per iustam, & validam collationem sibi factam à collatore persona ecclesiastica habente potestatem conferendi.

Dixi 2. hoc ius esse *Spirituale*, spiritualizatur enĩ à tribus. Primo à titulo inuocationis illius sancti, quo Beneficium intitulatur, & denominatur in sua erectione, vt Beneficium S. Petri, S. Agnetis, &c. de quare *Glos. V intitulatam cap. Dudum 54. de elect.* Secundo ex bonis ipsis diuina dedicatione affectis, cum enim sint Deo dicatæ spiritualitatem hanc refundunt in ipsum ius Beneficij, quod autem res beneficiales sint Deo dicatæ patet *ex cap. De rebus 22. 12. q. 2. & seqq.* ideo dicuntur illius dona, *cap. Sancimus 31. ead.* Et patrimonium Christi, *cap. Expedit 13. 12. q. 1. cap. Cum ex eo 34. de elect. in 6. ibi Glos. V. Christi, cap. Saluator 5. extrau. com. de Prabend.* Tertio hoc ius Beneficij spiritualizatur ab officio spirituali in seipso tali, officium autem hoc, propter quod datur Clerico Beneficium, est ministerium, & seruitus simpliciter, & in se spirituale, vt recitatio Horarum Canonicarum, celebratio Missæ, administratio Sacramentorum, prædicatio verbi diuini &c. Certum ergo est hæc officia, & ministeria esse spiritualia in se, propter quæ datur Beneficium, *cap. fin. de Rescr.* ac proinde ex illis potissimum spiritualizatur Beneficium, quod & vocant Doctores effectum ipsius officij productiui illius, vt videri potest *apud Azor. part. 2. lib. 3. cap. 1. q. 2. Lessium lib. 2. cap. 34. sub initium cum alijs Barb. lib. 3. de iure Eccles. cap. 4. num. 8.* 3 4 5 6 7

Dixi 3. Hoc ius spirituale esse *perpetuum*, Beneficium enim de sua natura taliter institutum fuit, sicut enim officium, propter quod illud datur, est perpetuum in suo exercitio, quotidie enim, & perpetuo Deus colitur per suos Ministros, qui Sacramenta fidelibus administrant sine intermissione vsque ad finem seculi; ita necesse est, quod Beneficium vti merces laborum ex ministerio officij, qui enim altari seruit, de altari viuere debet, *ex Paulo 1. Corinth. q. 13. cap. Ex his 22. 12. q. 1.* perpetuo seruiat Clerico dum viuit in functione sui ministerij, Beneficium ergo de sui natura perpetuum est, ac proinde perpetuo tribuitur Clerico *cap. Sanctorum 2. dist. 70.* Vnde infirmus, vel alias impotens ad exercendum munus, suum non remouetur, sed illi datur coadiutor, *ex tit. de Cler. ægrot.* Dixi, *de sui natura*, quia licet fundari possit Beneficium, cui perficiatur Clericus ad tempus determinatum, vel amouibilis adnutum superioris, quod fieri posse colligitur *ex cap. Gratiose*, 8 9 10

pectu Vicarij approbati, & electi, quod
22 Amoueatur à Vicariatu per immediatum transitum ad Rectoratum. Respectu vero non concurrentis importat simpliciter amotionem à Vicariatu, cum enim ibi sermo sit de diuersis scilicet de concurrente, & non concurrente, diuersum quoq. sensum debet habere illud verbum Amoueatur cum transitu scilicet, vel sine transitu. Et huius sententiæ est Castropal. disp. 3. de Benef. p. 2. §. 1. num. 5. contra Guz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 25. & 34. Cuius argumentis ipse respondet; & ego dixi cap. 2. q. 9.

CAPVT DVODECIMVM.

De Collatione Beneficij Vacantis.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quid sit definitur, & explicatur.*
2 *Ius est facultas scilicet percipiendi fructus.*
3 *Spirituale ius est Beneficium à tribus Spiritualizatum.*
4 *Ex bonis Deo dicatis, dona sunt Dei, Patrimonium Christi.*
5 *Spiritualizatum ex officio ministerij Spiritualis.*
6 *Officium autem hoc est in se spirituale.*
7 *Propter illud datur beneficium.*
8 *Beneficij natura est quod sit perpetuum in se, & respectu Clerici.*
9 *Altari seruiens de altari viuere debet.*
10 *Impotens non remouetur, sed datur illi coadiutor.*
11 *Beneficium est perpetuum etiam in Rectore, nisi deficiat.*
12 *Fructuum beneficiarius dominus est.*
13 *Etiam tempore mortis sed exactorum tantum, & à solo separatorum.*
14 *Clericus æquiparatur vsufructuario quo ad suos fructus.*
15 *Bona beneficiorum dicuntur esse Ecclesiæ, quæ illorum domina est cum Christo.*
16 *Christus quidem immediate, Ecclesia mediate.*
17 *Possessio est penes Ecclesiam non Rectorem.*
18 *Ideo successor sequitur, & continuat possessionem sine noua apprehensione.*
19 *Bona Ecclesiæ debent esse stabilia, cum seruitus spiritualis sit perpetua.*
20 *Nullus ponit hoc bonum debere esse stabile in definitione beneficij.*
21 *Debent esse frugifera.*
22 *Clericus solus, non laicus capax beneficij.*
23 *A Prima etiam Tonsura tantum.*
24 *Tonsura perficitur in Clerico receptione Ordinum.*
25 *Collatio dat ius clerico beneficiato, & possessione firmatur.*
26 *Electio dat ius ad rem posita acceptatione.*
27 *Collatio habet vim sententiæ, possessio dicitur illius executio.*
28 *Beneficium erigitur, & confertur per solam potestatem ecclesiasticam.*
29 *Laicus beneficia conferre non potest.*
30 *Sine pacto conferuntur ad euitandam Simoniam.*
31 *Nec cum pacto pensionis.*
32 *Substantia quinque ad cognoscendum quid sit beneficium.*
33 Regularia *beneficia non sunt in propria significatione.*
34 *Diuisiones variæ beneficiorum.*
35 *Papatus est beneficium.*
36 *Parochia Papæ est totus mundus.*
37 *Beneficium liberum, &* Patronale *scilicet Iuspatronatus.*
38 *Diuisio hæc vagatur per omnia beneficia.*
39 Beneficij *nomine quænam veniant.*
40 *Genus prædicatur de omnibus suis speciebus in quibus est.*
41 *Nisi ex aliqua specialitate impediatur.*
42 *Collatio est actus iurisdictionis ecclesiasticæ.*
43 Gratis accepistis, gratis date *Math. 10. 8. sic conferuntur beneficia.*
44 *Collatio est actus iurisdictionis.*
45 *Non ordinis, ideo potest fieri collatio ante consecrationem.*
46 *Causa & effectus in collatione est semper vniuoca.*
47 *Collatio fit solum de beneficio vacante.*
48 Beneficium *confertur Clerico solum idoneo.*
49 *Collatio non dat ius in re, nisi acceptatur beneficium collatum.*
50 *Collatio triplex, Libera, Institutio, & Confirmatio.*
51 *Collatio libera quæ fit de beneficio non patronali.*
52 *Institutio est collatio beneficij patronalis.*
53 *Confirmatio est collatio beneficij electiui.*
54 E*lectio solum canonica confirmatur.*
55 *Confirmatio habet pro termino quid existens.*
56 *Electio ad beneficia contingit tripliciter.*
57 *Ius in iure & ad rem quando aquiratur in beneficijs.*
58 *Electio, & præsentatio acceptata dat ius, ad rem.*
59 *Collatio delegari potest.*
60 *Collatio de iure competit Episcopis, priuilegio alijs.*
61 *Collatio aliquando fit ab vno, & concursus*

cursus ab alio.
62 *Concursus edicitur ab Episcopo, in cuius diœcesi est Ecclesia.*
63 *Diœceses cum suis iurisdictionibus diuisæ inter Episcopos.*
64 *Examine nullo collata ecclesia est nulliter prouisa.*
65 *Decretum irritans in Tridentino, & Bulla Piana refertur.*
66 *Papa prouidet sine concursu.*
67 *Peccat recipiens Parochiale sine examine.*
68 *Obtinet tamen valide in conscientia, infirmandum.*
69 *Sententia iudicis reuocatoria.*
70 *Idoneus quis præsumitur quo ad mores, non quo ad literaturam.*
71 *Deuolutio Beneficij naturam non mutat.*
72 *Nec eius statum mutat.*
73 *Clericus debet attingere 25. annum, cum ei confertur Parochiale.*
74 *In vltimo die potest resignare beneficium.*
75 *Fructus non facit suos, si illud recepit cum voluntate non recipiendi Sacerdotium.*
76 *Beneficium non tenetur relinquere nisi post sententiam.*
77 Priuatus sit *est lata sententia,*
78 R*equirit tamen declaratoriam.*
79 *Intra quantum tempus collator teneatur conferre beneficium.*
80 *Aliter deuoluitur collatio ad superiorem supplentem negligentiam.*
81 *Menses quomodo computentur.*
82 *Parochialis patronalis infra bimestre à die præsentationis.*
83 *Pensionem soluere recusanti non confertur beneficium à Papa.*
84 *In alijs non habet locum.*
85 *Beneficium fundari potest super Montem Castrensem.*
86 *Census & Mons æquiparantur.*
87 *Tutius fundatur super Montem.*
88 *Obligationem non recipit, quod non est.*

EXpeditis ijs, quæ ad materiam Edicti, Concursus, Examinis, & electionis viri, ex approbatis ab Examinatoribus, restat, vt Collator Beneficium conferat electo, ideo hic nonnulla dicenda sunt de collatione non in vniuersum, sed tantum in ordine ad dicta in præcedentibus, pro absolutione huius opusculi, præmittendo definitionem Beneficij exactam.

1 Beneficium est ius spirituale perpetuum percipiendi annuos fructus ex bonis Ecclesiæ stabilibus, & frugiferis hoc iure perpetuo affectis per Clericum sibi sine pacto, & conditione, sed pure collatum propter spirituale officium ab eo exercendum, auctoritate ecclesiastica iam fundatum, & erectum. Singulæ particulæ sunt explicandæ.

2 Dixi primo, quod est *ius*, quod hic non importat legem, sed facultatem, & potestatem, quam habet Beneficiatus percipiendi fructus ex fundo sui Beneficij, hoc autem ius Clericus aquirit per iustam, & validam collationem sibi factam à collatore persona ecclesiastica habente potestatem conferendi.

Dixi 2. hoc ius esse *Spirituale* spiritualizatur enī à tribus. Primo à titulo inuocationis 3
illius sancti, quo Beneficium intitulatur, & denominatur in sua erectione, vt Beneficium S. Petri, S. Agnetis, &c. de quare
Glos. V intitulatam cap. Dudum 54. de elect. 4
Secundo ex bonis ipsis diuina dedicatione affectis, cum enim sint Deo dicatæ spiritualitatem hanc refundunt in ipsum ius Beneficij, quod autem res beneficiales sint Deo dicatæ patet *ex cap. De rebus 22. 12. q. 2. & seqq.* ideo dicuntur illius dona, *cap. Sancimus 31. ead.* Et patrimonium Christi, *cap.* 5
Expedit 13. 12. q. 1. cap. Cum ex eo 34. de elect. in 6. ibi Glos. V Christi, cap. Saluator 5. extrau com. de Prabend. Tertio hoc ius 6
Beneficij spiritualizatur ab officio spirituali in seipso tali, officium autem hoc, propter quod datur Clerico Beneficium, est ministerium, & seruitus simpliciter, & in se spirituale, vt recitatio Horarum Canonicarum, celebratio Missæ, administratio Sacramentorum, prædicatio verbi diuini &c. Certum ergo est hæc officia, & ministeria esse spiritualia in se, propter quæ datur Beneficium,
cap. fin. de Rescr. ac proinde ex illis potissimum spiritualizatur Beneficium, quod & vocant Doctores effectum ipsius officij productiui illius, vt videri potest *apud Azor. part. 2. lib. 3. cap. 1. q. 2. Lessium lib. 2. cap. 34. sub initium cum alijs Barb. lib. 3. de iure Eccles. cap. 4. num. 8.* 7

Dixi 3. Hoc ius spirituale esse *perpetuum*, 8
Beneficium enim de sua natura taliter institutum fuit, sicut enim officium, propter quod illud datur, est perpetuum in suo exercitio, quotidie enim, & perpetuo Deus colitur per suos Ministros, qui Sacramenta fidelibus administrant sine intermissione vsque ad finem seculi; ita necesse est, quod Beneficium vti merces laborum ex ministerio officij, qui enim altari seruit, de altari
viuere debet, *ex Paulo 1. Corinth. q. 13.* 9
cap. Ex his 22. 12. q. 1. perpetuo seruiat Clerico dum viuit in functione sui ministerij, Beneficium ergo de sui natura perpetuum est, ac proinde perpetuo tribuitur Clerico *cap. Sanctorum 2. dist. 70.* Vnde infirmus, vel alias impotens ad exercendum munus, suum non remouetur, sed illi datur coadiu-
tor, *ex tit. de Cler. ægrot.* Dixi, *de sui na-* 10
tura, quia licet fundari possit Beneficium, cui perficiatur Clericus ad tempus determinatum, vel amouibilis ad nutum superioris, quod fieri posse colligitur *ex cap. Gratiose,*

de rescript. in 6. & docent Lapus Allegat. 9. Cassadorus decis. 12. de Prabend. num. 9. ex
11 *illis Rota par. 5. dec. 379. num. 4. Barb. lib. 3. de iure cap. 4. num. 12.* Tamen propter hoc Beneficium non amittit perpetuitatem sibi intrinsecam, vt ita loquar, sed est ipse Beneficiatus, qui desinit esse talis, remanente Beneficio, quod ad alium Clericum transfertur, & huius generis Beneficia appellantur Manualia, quia de manu ad manum ministerio superioris transeunt sine priuatione, sed sola temporis cessatione, & finitione possessionis eius.

12 Dixi 4. *Percipiendi annuos fructus*, nam Clericus à die collati Beneficij incipit fructus Beneficij sui valide collati facere suos, quorum dominium absolutum habet de illis disponendi pro suo libito, vt docent omnes ex opinione probabilissima, quam re-
13 fert *Barb. lib. 3. de iure cap. 17. num. 10. & sequitur num. 12. Castropal. disp. Vn. de Iust. p. 7. §. 3. num. 2. de Lugo disp. 4. de iust. sect. 1.* Inspecto autem tempore Clericus est solum dominus iam exactorum ante mortem, non vero exigendorum, licet petiti fuerint diligenter, & non exacti, ex Bul-
14 la Iulij III. incip. *Cum sicut* 7. Quare collecti spectant ad moribundum Clericum, quos transfert ad suos hæredes, colligendi vero ad Ecclesiam, & eius successorem, Clericus enim in vita æquiparatur vsufructuario, qui fructus collectos, & à solo separatos tamquam suos transfert ad hæredes suos, *Glos. V. Primi anni, in cap. Si propter, de rescr. in 6. ibi Canon. cum Barbos. & lib. 3. de iure cap. 17. num. 77. & Allegat. 117. Sperell. dec. 82. num. 10. & 11. Ottobon. dec. 231.*

15 Dixi 5. *ex bonis Ecclesiæ*, nam bona, ex quibus fiunt Beneficia, Deo dedicantur, & quidem perpetuo, adeo quod nonquam conuerti possunt in profanos vsus, *cap. 3. de*
16 *rerum permut. cap. Ecclesia 9. de immun. Reg. 51. in 6.* & ideo illorum dominus est Christus, & Ecclesia, Christus quidem illorum dominium habet proxime, immediate, & principaliter, Ecclesiæ vero aquiritur mediate, & ministerialiter, *Rota par. 6.*
17 *dec. 139. num. 20.* Vnde possessio non dicitur esse apud Rectorem, sed apud ipsam Ecclesiam, cuius nomine Rector possidet, *ex eadem Rota decis. 291. num. 8.* Vnde dominium bonorum Beneficij transit in eam ipso iure, *Rota par. 7. dec. 212. num. 4. dec. 254. num. 23.* Cum ergo Ecclesia possideat, & non Rector, qui moritur, & illa semper vi-
18 uit, *cap. Liberti 63. 12. q. 2.* ideo successor prosequitur illius possessionem sine apprehensione bonorum, *Rota par. 6. dec. 139. num. 25.* Et sic possessio semper continuatur sine interruptione, cum Ecclesia suis rebus semper insistat, ex quo non potest mori, neq rem à se abdicare, *decis. 224. num. 5.*

Dixi 6. *ex bonis stabilibus*, cum enim 19
hoc ius Beneficij fructus annuos percipiendi sit perpetuum, necesse est, quod bonum illos reddens sit perpetuum & stabile, & huius generis sunt domus, prædia, decimæ, primitiæ &c. quæ fundantur in prædijs, & agris frugiferis *Azor. part. 2. lib. 3. cap. 1. q. 2. Vers. Ex his.* Et deducitur ex capitibus plurib. 12. q. 1. *Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 1. num. 2 Barb. lib. 3. de iure cap. 17. num. 2.*

Obseruaui, nullum ex Modernis, nec ex 20
Antiquis specificare, qualia debeant esse huiusmodi bona ecclesiastica, mobiliane, an stabilia; Azorius, Lessius, Layman, & Castropalaus, nihil horum ponunt in suis definitionibus, licet postmodum exemplificent in prædijs, agris, domibus, & possessionibus, ex quibus colligendi sunt prouentus pro sustentatione beneficiatorum.

Dixi 7. ex bonis non solum stabilibus, 21
sed etiam *frugiferis*, quia cum Clerico dentur singulis annis pro exercitio sui officij, necesse est, quod Beneficium fundetur super re frugifera, quæ singulis annis suos fructus reddere possit, sicut enim quotidie suum exercet officium, ita & huic exercitio debet respondere condigna merces.

Dixi 8. quod per *Clericum* huiusmodi fru- 22
ctus Beneficij sunt percipiendi, quia nullus alius est capax Beneficij nisi Clericus etiam Primæ Tonsuræ, vt docent communiter, cum laicus nullatenus sit capax Beneficij, 23
cap. Cum adeo 17. de Rescript. cap. Ex literis 6. de transact. cap. 2. de decim. Doctores citat Barb. in dictum cap. Cum adeo, num. 11. & Allegat. 72. num. 73. Nomine 24
Clerici veniunt omnes initiati à Prima Tonsura, à qua laicus incipit esse Clericus abiecto statu laicali, vsque ad Sacerdotium, Clericatus per ordines non destruitur, sed magis perficitur. Tonsuratus enim ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem est proprie Clericus cap. Ex literis 6. de translact. cap. Cum contingat 11. de Ætate, Glos. V. eodem de Vita, & honest. Capax Beneficij, ex citatis à Barbosa Allegat. 72. num. 78. Viuian. lib. 6. cap. 1. num. 26. Qui hoc negant in Clerico Coniugato etiam cum vnica, & virgine, ex t. t. de Cler. coniug.

Dixi 9. *Sibi collatum*, nam vt Clericus dicatur beneficiatus, & habere Beneficium, 25
debet habere illius validam collationem sibi factam à Superiore potente illud conferre, collatio enim illi dat ius in Beneficio, quod solidatur, & confirmatur per ipsius possessio- 26
nem capiendam auctoritate Superioris conferentis Beneficium, Rccius part. 3. dec. 78. collatio ergo dat ius in re, expresse cap. fin. extremis verbis de concess. præbend. in 6. Vbi sub initium dixerat, quod in Beneficijs datur ius ad rem, & in re, & quidem in

re,

re, per collationem, ad rem vero cum alicui iam approbato promittitur Beneficiũ, quod illi postea confertur, requiritur tamen acceptatio promissionis oblatæ, Parif.lib.2. de Resign. q. 23. num. 15. Cassador. dec. 3. de Præbend. num. 3. cum alijs Barb. ad dictum cap. fin. num. 3. Ante possessionem cum sola collatione beneficiatus non potest administrare, nisi capta prius possessione sui Beneficij, quia collatio habet vim sententiæ, possessio est illius executio, Vgolin. de potest Episc. par. 2. cap. 50. §. 15. num. 3. Nec obstat Doctores, quos pro se citat Couar. lib. 3. cap. 16. num. 6. quia loquun-
27 tur de eo, qui administrat in Beneficio ab alio iam possesso, videtur enim per administrationem spoliare propria auctoritate possessorem anteriorem.

28 Dixi 10. *Potestate ecclesiastica*, hæc verba referuntur tum ad fundationem Beneficij, quod non potest erigi, nec denominari ecclasiasticum, nisi per auctoritatem personæ ecclesiasticæ, qui est Episcopus, nisi enim eius accedat auctoritas quæcunque sit ea res siue parua, siue magna, siue magni valoris, nonquam habebit rationem Beneficij ecclesiastici, nisi per Episcopum tale denominetur, esto sit Ecclesiæ donata, & per eam acceptata. Est communis apud *Barb. lib. 3. de iure cap. 4. num.* 15.

Refertur tum ad collationem Beneficij iam erecti, quod vacans confertur ab habente potestatem ecclesiasticam, qualis est
29 Papa, & Episcopus, & alij ab illis habentes facultatem delegatam, vel ex priuilegio, cap. Nullus 11. 16. q. 7. cap. Nemo 7. de consecr. dist. 1. Nullus enim laicus Beneficia conferre potest., cap. Si quis 12. cap. Nullus 18. ead. 16. q. 7. cap. Messana 56. de elect. Castropal. de Benef. disp. 1. p. 1. num. 3. Viuian. lib. 1. cap. 1. num. 64. Barbosa l.b. 3. de iure cap. 4. num. 25.

30 Dixi demum, pure, sine pacto & conditione collatum, nam prohibetur collatio Simoniaca, *cap. Si quis 2. cap. Si quis obie-*
31 *cerit* 7. 1. q. 3. *cap. fin de Pactis*, ita quod nec apponi potest pensio, cap. Cum Clerici 6. de Pactis, cap. Vn. Vt Eccles. Benef. sine dimin. Adeo quod solus Papa illa diminuere potest, alicui assignando pensionem.

32 Quinque substantialia constituunt, & dant cognoscere Beneficium proprie acceptum. *Primo*, illius erectio, ex Dixi 10. *Secundo* ex parte prouisi, quod sit Clericus. *Tertio* ex parte Officij, & Sacri ministerij exercendi à recipiente Beneficium. *Quarto*
33 ex parte iuris, nam Beneficiarius est proprietarius respectu fructuum, quorum dominium habet. *Quinto* demum perpetuitas. Hæc notificant quale sit Beneficium, ecclesiasticum; quale deducitur ex 4. Regulare non esse proprie Beneficium, nisi similitudinarie. Vnde eo relicto de seculari tantum sermo erit. Vide Barb. lib. 3. de iure cap. 4. num. 25. ad 31. vbi sub num. 33. & sequentibus refert varias diuisiones Beneficij præsertim de secularibus à num. 47. & sequentibus.

Variæ autem sunt diuisiones Beneficiorum, quas quisque videre poterit apud Barbosam loco citato, & Viuianum lib. 1. cap. 34
1. à num. 75. Ego autem Beneficium sic diuido in duas quasi species ratione ministerij, nempe in Curatum, & Simplex. Curatum est illud, quod exercetur cum cura animarum; subdiuisum in qualificatum per dignitatem cum iurisdictione fori etiam externi; huius generis sunt Papatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Archidiaconatus, &c. Papa enim ipse Parochiale habet Beneficium, cum sit primus omnium Pastor ouium, vnde eius Parochia 35
est totus mundus, Barbatia de præstant. Cardin. part. 1. q. 2. num. 14. Gonzal. §. 1. Proæm. num. 7. Papatus ergo est Beneficium, vt dicitur cap. 1. de Maled. Barb. lib. 1. cap. 4. num. 47. Et in illud, quod est 36
cum cura quidem sed sine dignitate, cum sola iurisdictione fori interni, & conscientiæ, & hi appellantur Rectores, cap. fin. de Præbend. cap. 3. de Cler. ægrot. regunt enim animas populi sibi commissi.

Simplex vero est illud, quod caret cura animarum. Subdiuisum in illud, quod habet adiunctum administrationem rerum ecclesiasticarum, vt Thesauriatus, Sacristatus, &c. Et in illud, cui adnexum est tantum ministerium, aut recitandi Horas Canonicas in Choro, siue extra, aut celebrandi missam, & sub hoc continentur Beneficia Canonicorum, quia is non est annexa iurisdictio, nec administratio, vt docent Barbosa de Canon. cap. 19. num. 2. Viuian. lib. 1. cap. 1. num. 80. sed eorum officium est canere in Choro, de quorum officio plura Thædosius Rubeus in suis singular. part. 4. in tit. de præced.

Placet referre aliam diuisionem, qua Beneficium subdiuiditur in Liberum, quod scilicet à superiore confertur sine alterius instantia, & requisitione, Et electiuum, quo Clericus eligitur, & à superiore confertur, vnde nec dicitur libere, & immediate conferri. Et Patronale, scilicet, Iuspatronatus nuncupatur, quod à Collatore confertur ad præsentationem Clerici sibi factam. Iuspatronatus triplex est, Ecclesiasticum, quod confertur ad præsentationem Patroni qua est persona ecclesiastica. Laicale, quod confertur ad præsentationem personæ sæcularis. Mixtum ex Patronis partim Ecclesiasticis, & partim secularibus. De quibus Viuian. lib. 1. cap. 2. num. 8. Gonzal. Glos. 18. à num. 4. Barb. de Episcopo Alleg. 72. num. 38
128. 37

128. Hæc autem diuisio vagatur per Beneficia tam Curata, quam simplicia, nam Patronalia, alia sunt Curata cum dignitate, & sine dignitate, & alia simplicia.

39 An nomine *Beneficij* in rescriptis, priuilegijs, & dispensationibus veniat quodlibet Beneficium in specie, e. g. Curatum, simplex, duplex, electiuum, collatiuum Iuspatronatus, manuale, &c. Videtur quod sic, quia genus inest omnibus suis speciebus, ac proinde de illis prædicatur, Auth. Hoc Sacramentum C. de iureiur. siue Benefici-
40 um late, siue stricte sumitur, Glos. V. Beneficia in cap. si gratiose 5. de Rescript. & in cap. 1. V. eodem de rer. permut. in 6. Castropal. disp. 1. p. 2. num. 7. Barb. Appellat. 32. num. 1.

41 Quamuis id verum sit quo ad substantiam, & definitionem, quod omnis species Beneficij sit proprie Beneficium, in quantum quælibet eius species participat substantialia Beneficij in genere accepti, tamen quia quælibet species propriam habet differentiam, proprietates, & passiones, ad positionem speciei ponitur genus, cum hoc in illis imbibatur, non è contra ad positionem generis ponitur species hæc vel illa, cum possit esse alia, saluatur enim in vna specie, l. Si quid 45. ff. de legat 3. Vnde concessa alicui facultate; vt ei prouideatur de primo Beneficio vacaturo, hic nomine *Beneficij* non venit Beneficium curatum, nec qualificatum dignitate, nec Canonicatus, ob eorum speciales qualitates, & sic venit solum simplex carens illis, ac proinde ab existentia Beneficij in genere accepti non infertur ad omnes species indifferenter, sed tantum ad eas, quæ carent qualitate, ex Gonz. Castropal. cit. num. 10. Alia ibi vide, & apud Barbosam. Sed accedamus ad quæstiones in materia Collationis Beneficiorum ad formam præsentis negotijs Ecclesiarum vacantium ad Completam intelligentiam cap. 18. Sess. 24.

Quæres 1. Quid sit collatio, qua conferuntur Beneficia Ecclesiastica?

42 ℞. Est actus iurisdictionis ecclesiasticæ, per quam collator gratis concedit Beneficium vacans alicui Clerico idoneo reperto, acceptanti illud sibi oblatum. Ita colligo ex cap. Proposuit 4. cap. Quia diuersitatem 5. cap. Cum nostris 6. de concess. præbend. in quibus locis collatio appellatur donatio Beneficij vacantis, ac proinde dixi, quod est gratuita concessio, quod enim donatur, gratis datur, collator autem nihil de suo do-
43 nat, ideo gratis concedere debet iuxta illud Domini Matth. 10. 8 *Gratis accepistis gratis date*. Et id est fundamentum, quod nihil recipi potest in collatione Beneficiorum.

44 Dixi 1. quod collatio *est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ* Glos. Beneficia conferre *in cap. Transmissam 15. de elect.* ac proin-
de ab Episcopo conferri potest Beneficium 45
post confirmationem ante consecrationem, cum non sit actus potestatis ordinis, quæ
per consecrationem, datur, *Gonzal.* §. 4. 46
Proæm. num. 27. Barbosa in eo cap. num. 6. Hæc autem iurisdictio debet esse ecclesiastica, in his enim causa semper est vniuoca scilicet producens effectum sibi similem; consequenter ab hoc actu excluditur persona laica, quæ est incapax collationis tam actiuæ, quam passiuæ, vt est communis sententia omnium.

Dixi 2. *Beneficium vacans*, nam obten- 47
tum iam, nulli potest concedi, nisi inualide, & cum iniuria illud possidentis pacifice, & iuste, vt colligitur ex citatis iuribus.

Dixi 3. *Clerico idoneo reperto*, solus enim 48
Clericus est capax, vt patet ex supradictis sub num. 22. Idoneus autem probatur per examen, vt dictum fuit *cap. 5. per totum, præsertim num 74. item cap. 7. num. 13.*

Dixi 4. *Acceptanti illud*, nam collatio non 49
dat ius in re, nisi sequatur acceptatio ex parte Clerici, sola ergo collatio dat tantum ius ad rem. Ita dicit *Castrop. de Benef. disp. 2. p. 13. num. 1.* infra q. 5.

Notandum autem est, quod Collatio ha- 50
ctenus explicata diuiditur in tres species, quibus Beneficia dicuntur aquiri, nimirum collatione libera, institutione, & confirmatione electi, colligitur per *Glos. V. Conferantur, fine, de rerum permut. in Clem. Vn. Barb. Appellat. 54. & lib. 3. de iure, cap. 13. num. 2.* Quarum specierum explicatio fit in sequentibus.

Quæres 2. Quid sit Collatio in specie libera?

℞. Est illa, per quam libere confertur Be- 51
neficium Clerico nullo petente, nec ex officio requirente, & sic carens præsentatione; & electione. Colligitur *ex cap. fin. de offic. Vicar. in 6. cap. Relatum 9. de Prabend. Viuian. lib. 5. cap. 1. num. 95. & lib. 6 cap. 10. num. 28. Gonz. Glos. 16. num. 8. Castropal. disp. 2. p. 1. num. 2.* Collatio autem huius generis est libera, & gratiosa in eo, quod collator non tenetur magis vni concedere Beneficium, quam alteri, vt dicit *Glos. V. Liberalitas in cit. cap. Relatum Gonzal.* §. 4. *Proemiali num 46. apud Viuian. cit. num. 49.* Appellant etiam liberam, qui fit collatio sine alterius consilio, *Curt Iun. consil. 2. num. 3. cum dicto Gonzal. Barb. ad cap. 2. de Arbitr. in 6. num. 4.*

Quæres 3. Quid sit institutio?

℞. Et est concessio Beneficij patronalis à 52
collatore facta ex obligatione iustitiæ Clerico præsentato à Patrono, si est idoneus Clericus, ita quod non est in libertate collatoris conferre Beneficium huic, vel illi, sed coarctatur illud conferre præsentato ab ha-

beate

bente ius præsentandi. Ita colligitur *ex cap.*
Decernimus 16. *q.* 7. *cap.* Pastoralis, *cap.*
quod autem, de iurepatr. Azor. part. 2. *lib.*
6. *cap.* 22. *quæst.* 1. *Abbas in cap. Auctori-*
tate, de instit. num. 7. *Barb. Alleg.* 72. *num.*
175. *Viuian. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 31. *Cas-*
tropal. disp. 2. *p.* 1. *num.* 2. *Vers. Restitutio.*
Vnde differt à Collatione specifica, quam
appellant liberam, vt dictum fuit, quia con-
fert Beneficium, cui vult, institutionem ve-
ro dicunt necessitatis, & obligationis, atque
ex iustitia, quia collator debet conferre Be-
neficium patronale Clerico præsentato, si
est idoneus, vt clare colligitur hoc debitum
ex cap. 18. sess. 24. respectu Beneficij cura-
ti iurispatronatus laicalis, & de non curatis
sess. 25. cap. 9. & hoc de iustitiæ debito, *Ro-*
ta part. 5. *dec.* 387. *num* 5. *& part.* 10. *dec.*
252. *num.* 11. *& supracitati.*

Quæres 4. Quid sit confirmatio tertia spe-
cies collationis?

53 ℞. Est concessio Beneficij facta Clerico
canonice electo. Dixi *Canonice electo*, quia
electio non canonica confirmanda non est,
54 *cap. Nihil* 44. §. *Cæterum, de elect. Rota*
par. 4. *tom.* 3. *dec.* 574. *num.* 1. Supponitur
enim illud esse, quod confirmandum est,
55 *Decius in Rubr. de confirm. num.* 3. actio
enim non habet pro termino nihil, sed ali-
quid circa quod agit. Electio autem huius-
modi est via, & dispositio ad concessionem
Beneficij electo, & contingere potest tribus
56 modis. *Primo* per Episcopum, qui vnum ex
approbatis ab Examinatoribus Synodali-
bus eligit ad Beneficium conferendum illi
iuxta cap. 18. Tridentini sess. 24. & hæc col-
latio quando Beneficium est liberum, item
sine præsentatione est sub prima specie. *Se-*
cundo, per Episcopum pariter eligitur vnus
ex pluribus præsentatis à Patrono Ecclesia-
stico, quando collatio spectat ad alium,
quam ad ipsum Episcopum eligentem, vt
ibidem dicitur; & quando collatio spectat
ad Episcopum, tunc electio pertinet ad Pa-
tronum. Hæc autem vtraque collatio appel-
latur institutio secunda species collationis,
cum agatur de Patronatu. *Tertio* electio fit
ab vniuersitate, ad quam sequitur, si ca-
nonica fuit, Confirmatio, & approbatio
electi ad Beneficium, seu ad Prælatu-
ram. De qua *Castropal. disp.* 2. *p.* 1. *num.* 2.
Ex his patet electionem vagari per tres su-
pradictas species collationis, per eam enim
peruenitur ad collationem.

Quæres 5. Quandonam Clericus dicatur
habere ius ad rem, vel in re beneficiaria per
electionem, præsentationem, & collatio-
nem? Ius autem est facultas agendi aliquid.
57 Duplex. Ad rem, & in re. Ius ad rem dat
actionem personalem ad agendum. Ius in
re dat actionem realem, cum enim rem ha-
bet iusto titulo potest actione reali se defen-
dere à quolibet opponente se contra rem
suam. Nec ad hoc ius in re est necessarium,
quod immissus sit in possessionem rei. *Gon-*
zal. Glos 15. §. 1. *num.* 1. *&* 33. *Tambur.*
tom. 1. *de iure Abbat. disp.* 10. *q.* 4. *num.* 2.

℞. Electio, & Præsentatio acceptata ab 58
electo, seu præsentato dant ius ad Benefi-
cium, non autem in Beneficio, quod poste-
rius aquiritur per collationem canonice fa-
ctam Clerico eam acceptante, & in illam
consentiente, etiam ante possessionis, & Be-
neficij apprehensionem. Consensus ergo
requiritur ex parte Clerici tam in electione,
seu præsentatione, quam in collatione, vt
clare deducitur ex cap. *Cum inter.* 21. *de*
elect. cap. Cum sit 6. *eod. in* 6. *Glos. V. Rela-*
tio cap. quarto 10. *dist.* 63. *cap. fin. de con-*
cess. præbend. Riccius par. 2. *dec.* 41. *num.* 4.
Tambur. tom. 1. *disp.* 10. *q.* 4. *num.* 1. qui
praced. disp. 6. *q.* 1. *num.* 22. ait, aquiri ius
in re etiam terminata electione, quando
confirmator simul cum alijs eligit, *ex Gon-*
zal. glos. 15. §. 2. *num.* 2. *Garz. par.* 4. *cap.*
3. *num.* 9. Ius in re beneficiaria aquiritur
ante possessionem per solam collationem,
non enim opus est apprehensione, nec as-
securatione possessionis *Rota par.* 2. *dec.*
498. *num.* 1. *Rota apud Tambur. tom.* 3. *de-*
cis. 25. *num.* 5. vbi num. 7. quod electio non
dat nisi ius ad rem, & prosequendum, vt
sibi Beneficium conferatur, *cap. Si eo tempo-*
re 4. *de elect. cap. Vt quis duas, de elect. in* 6.
Item ius ad rem aquiritur ab eo, qui etiam
ante collationem acceptauit gratiam expe-
ctatiuam Beneficij vacaturi, *ex allegatis à*
Barb. ad citatum cap fin. de concess. præben.
in 6. *num.* 3. Nota autem, quod collatio non
tribuit ius rei, nisi doceatur de effectuatio-
ne, *part.* 1. *dec.* 646. *num.* 5. ex Calderino
cons. 12. *de iurepatr.*

Quæres 6. An collatio delegari possit?

℞. Affirmatiuè, quia collator habet hanc 59
potestatem iure ordinario, & ex officio suo,
ergo eam delegare potest, cum ergo hæc sit
potestas ordinaria in Episcopo *cap. Ex fre-*
quentibus, de Institut. & in Trident. cap. 18.
sess. 24. poterit delegare. Etiam in casu quo
collatio sit institutio ex citatis capitibus,
Gratian. cap. 303. *num.* 15.

Quæres 7. Ad quem Superiorem spectat
collatio?

℞. Iure communi spectat ad Episcopum, 60
cap. Omnes Basilicæ cap. Nullus omnino, 16.
q. 7. *cap. Conquerente, de offic. Ordin. Gon-*
zal. §. 1. *Proœm. num.* 21. *&* 22. *glos.* 11.
num. 38. *Barb. Alleg.* 57. *initio, Castropal.*
disp. 2. *p.* 27. *Rota par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 731.
num. 5. Iure vero priuilegij spectat ad alios
inferiores Prælatos, Abbates, Priores, &
alios habentes priuilegium, *cap. fin. de in-*
stit. Clem. 1. *de supplend. negl.* Canonico-
rum capitulum, *cap. Proposuit, de concess.*
Prabend.

Præbend. in 6. quibus non derogat Trident. Rota cit. num. 11. Etiam consuetudine legitime præscripta aquiritur ius conferendi Beneficia, *Azor. part. 2. lib. 6. cap. 25. q. 8. Castropal. disp. 2. p. 27. num. 1.* Quandoq; Episcopus, & Capitulum simul conferunt Beneficia, & in hoc attenditur magis consuetudo, quam ius commune, quod id commendat Episcopis. Et in Tridentino notum est, Episcopum conferre parochialia non solum libera, sed etiam patronalia, non tamen sustulit priuilegia conferendi alijs.

Quæres 8. An ab eodem conferendum sit Beneficium, à quo concursus fuit propositus? An inter hos actus cadat diuisio?

61 ℞. Cadit diuisio, quando ad vnum spectat collatio, qui non potest Synodum congregare, nec vnquam congregauit illam, ac proinde ad alium pertinet propositio concursus cum suo examine. Item vnus proponit edictum, & alter confert, quando ambo sunt diuersarum diœcesum Episcopi. Probatur vtrunq. simul, ad illum pertinet proponere concursum, sub cuius diœcesi est

62 Ecclesia vacans, propositio enim huiusmodi est actus iurisdictionis, quam quisque in suis terminis seruare debet hæret enim personis, & loco suæ diæcesis, *cap. omnes basilicæ 10. cap. nullus 11. 16. q. 7. cap. con querente*

63 *te 16. de officio ordinar.* Etiam quo ad Ecclesias, & loca existentia intra fines diæcesis, esto sint Nullius, vt dixit Rota *par. 2. dec. 501. num. 1. Barb. Alleg. 127. num. 23.* Concursus ergo edicendus est ab Episcopo, in cuius diæcesi est Ecclesia, & non à Collatore extraneo, peruertitur enim ordo, si vnicuiq. propria iurisdictio non seruatur Episcopo, *cap. Peruenit 39. 11. q. 1.* Ita Gonzal. *Glos. 10. num. 31. Barb. ad cap. 18. sess. 24 num. 52. Riccius par. 4. resol. 76. num. 3. Dixi cap. 1. q. 5.* Episcopus ergo, qui sub se habet Ecclesiam vacantem vnum ex probatis à se, & suis examinatoribus digniorem eligit, & mittit ad collatorem per patronum, siue sit Episcopus, siue aliter Abbas, aut Prælatus, vt ab eo recipiat beneficium per collationem, seu institutionem, vt dicitur in dicto *cap.* 18. ibi: Collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eum conferre *Rota par. 4. tom. 3. dec. 640 per totam & apud Viuian. dec. 88. num. 1.* Vnde collator eum reijcere non potest, dum est dignior, & quia verbum *Fiat* inducit necessitatem agendi cum sit imperatiuum à lege prolatum; Episcopus enim, qui eligit, virtute legis imperat.

Quæres 9. An collatio facta nullo examine facto valeat?

64 ℞. Est nulla non præmisso concursu cum examine ad formam Tridentini, quia ibidem irritatur illis verbis: Alias prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur. Quod clarius enuntiatur in Bulla Pij V. incip. In conferendis 33. extremis hisce 65
verbis. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane. Et supra clarioribus hisce verbis dixerat: Omnes & singulas collationes, prouisiones institutiones, & quascunq. dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibusuis alijs collatoribus tam Ordinarijs, quam delegatis, etiam S.R.E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nuntijs, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumq. ius prouisis, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere; & Parochiales Ecclesias huiusmodi vt prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus; easq. omnes pro tempore sit vacantes nostræ, & Sedis Apostolicæ, seu eorum, quibus ius conferendi, eos, præterquam Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum eiusdem Concilij habere debent, competet, dispositioni reseruamus De hac nullitate Barb. de Parocho citat Doctores cap. 2. num. 135. Vbi ait, quod Ecclesia vacat in eo casu, & ei prouidetur per Papam; sed adde prouideri etiam per collatorem, qui non fuit in culpa omissionis examinis. Sed quomodo in hoc casu procedendum erit ab his collatoribus, qui non habent potestatem proponendi edictum, nec examinatores Synodales? Dico, sicut procedit Papa, qui sine Concursu cum solo exa- 66
mine prouidet Ecclesiæ Vacāti, ex probatis cap. 10. num. 32. nam deuolutio in hoc casu pariter statuitur respectu omnium, ad quos deuoluitur, cum nulla in textu fiat diuersitas inter Papam, & alios collatores, ergo quod seruatur à Papa, idem quoq. seruandum est ab inferioribus collatoribus carentibus Synodo, alij seruare debent Synodum.

Sed numquid peccat recipiens beneficium Parochiale sine examine? Et si de facto illud recipiat possit retinere in foro conscientiæ faciendo fructus suos.

℞. Peccat recipiendo beneficium, quia 67
cooperatur peccato collatoris, qui non seruauit formam examinis. Receptum vero beneficium retinere potest, quia respectu fori conscientiæ sibi valide collatum fuit, nō obstante omissione formæ solemnitatis, quæ solum pro foro externo inualidat prouisionem electionis, & collationis officij, seu

68 seu Beneficij, cuius tamen obtentio est debilis, & infirma in eo, quod prouisus per sententiam remoueri potest à Beneficio, & tunc in eo amplius insistere potest, sed cedere debet, cum non sit illius adeptio stabilis, sed mobilis, & reuocatoria per sententiam.
69 Ita docent quam plures *apud Passer. cap. 9. de elect. num. 33. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 16. num. 9.* sequentes illos. Et id docui cap. 6. num. 29. vbi electio digni omisso digniore sustinetur in foro conscientiæ, donec per sententiam reuocatur, & seq. num. 31. prouisio facta de indignis sustinetur, donec rescindatur, ergo à fortiori idem dicendum est in casu nostro, licet non constet, esse indignum, vel dignum, eo quod quisque præsumitur idoneus, nisi probetur contrarium, *Rota vol. 4. Diuers. dec. 672. per cap. Dudum 16. & fin. de præsumpt. ibidem Glos. fin. alijs iuribus citatis, ibidem Barb.* num.
70 2. quod præsumitur idoneus ad Beneficia, scilicet de idoneitate intrinseca personæ, non vero scientiæ, & literaturæ, quæ cum sit quid extrinsecum, & accidentale non præsumitur inesse homini, vt docet ibidem *ex Viuiano lib. 6. cap. 10 num. 13. & Allegat. 10 num. 17.* Et licet proinde in casu hoc non præsumatur idoneitas quo ad literaturam, non ideo infirmatur responsum, quia adhuc sustinetur valida collatio, donec infirmetur per sententiam.

Dices, decretum irritans in Bulla Piana, vt patet ex illis verbis: *Nullius roboris vel momenti fore, & esse, nullumq; ius prouisis, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere.* Efficaciter operatur, vt neque in foro conscientiæ collatio fortiori possit titulus enim reprobatur à iure habetur pro non titulo, *ex cap. Grauis, de restit. spoliat.*

Sed hæc non obstant pro foro conscientiæ, quia titulus facit pro foro externo, vt prouisus cum opus erit, possit probare se fuisse legitime prouisum de Beneficio, cap. *Ex insinuatione, de procurat.*

Quæres 10. An deuolutio collationis ad maiorem superiorem, vt ad Papam mutet statum Beneficij præcedentem?

71 ℟. Nequaquam, cum incidenter fiat, & quasi ad pœnam eius, qui male Beneficium contulit, vnde cum deuolutio sit in pœnam collatoris, non debet extendi contra naturam ipsius Beneficij: Regula ergo est, quod collatio Papæ non immutat statum præce-
72 dentem Beneficij. Ita *Achil. decis. 13 de iurepatr. Caputaquens par. 3. dec. 189. Rota coram Caualer. dec. 21. apud Viuian. num. 3.* Prosequentibus ergo vicibus Beneficium confertur ab illis, à quibus de iure competit collatio.

Quæres 11. Quot annos debeat habere Clericus, vt sit capax collationis Beneficij Parochialis? Et si non est ordinatus Sacerdos infra quotum tempus debet promoueri ad Sacerdotium?

℟. Debet attingere annum vigesimum 73
quintum, & monitus si debito tempore non receperit Sacerdotium, remouetur à Beneficio, & alteri confertur, nulla obstante appellatione, expressè *cap. Cum in cunctis 7. de elect.* quod confirmatur *per cap. Licet canon. 14. eod. in 6.* vbi decernitur aliter factam collationem irritam viribus, subiungens, quod infra annum à die collationis Beneficij promoueatur ad Sacerdotium, aliter non promotus sit ipso iure absque monitione priuatus Beneficio. Ita omnes *cum Barb. ad hoc cap. 14. num. 7. vbi num. 8. ex Paris. lib. 3. de Resign. q. 2. & 5. num.* 4. ait, vltimo die anni non dum promotum 74
posse renuntiare Beneficium in fauorem tertij. Toto autem anno elapso, si non fuerit ante legitime impeditus, nondum promotus ipso iure vacat Beneficium, adeo quod pro illa vice non potest illud obtinere; & si recipit Beneficium sine animo non promo- 75
uendi ad Sacerdotium non facit fructus suos, ac proinde non potest illos sibi retinere, nisi mutata voluntate fiat Sacerdos, *ex cap. Commissa 35. de elect. in 6.* Vbi late Barbosa citans Doctores. Secluso eo inordinato animo recipiendi ordines licet non ordinetur infra annum, sed post non inde tenetur relinquere Beneficium nisi post sententiam, vt docent *Henriq. lib. 10. cap. 23 § vlt. fine,* 76
Zerola V. Benefi. sum §. 4. dicto 4. apud Thesaurum de Pænis V. Beneficium cap. 5. contra alios asserentes teneri in conscientia ante sententiam, quia non est pœna, sed conditio resolutiua. Sed mihi magis placet prior sententia, quia immo est pœna incurrenda per sententiam expressè cit. cap. In cunctis ibi: *Ab illo remoueantur*, & hoc dicit etiam *Glos. V. Priuatus cap. Licet canon. 14. de elect. in 6.* vbi textus vtitur his verbis: *Priuatus sit*. Esto autem hæc clausula importet 77
priuationem ipso iure, *ex Gemin. in cap. 1. § fin. de elect. in 6. Tiraquel. in l. Si vnquam V. Reuertatur, num. 13. Say. lib. 1. de cons. cap. 11. num. 9.* tamen non ligat ante sententiam declaratoriam, secundum veriorem, & receptiorem opinionem, 78
apud eandem Thesaurum V. Vsurpati cap. 1. vers. item pæna. Nec verba in cap. Commissa 35. cit. *Iam priuatus existis* amplius probant, quam supradicta in eo cap. 14. *Priuatus sit*, cum idem importent vtrobique. Deinde verum non est, quod sit tantum conditio resolutiua, sed pœna inflicta contra non promotum fundata in ea negligentia culpabili. Demum, id infertur ex diuerso modo loquendi in textu citati cap. 35. nam promotus ad Beneficium cum voluntate percipiendi fructus per annum, & postea illud dimittendi in foro conscientiæ tenetur

K fructus

fructus restituere, quia illos non fecit suos; negligens verò initiari Sacerdotio non priuatur fructibus, sed tantum Beneficio sine illa adiectione *Non faciat fructus suos*, ergo is modus loquendi obligat in conscientia, non ille, nisi post sententiam.

Quæres 12. infra quorum tempus Collator quicumque ille sit teneatur conferre Beneficium parochiale liberum? De Patronali dicam infra.

79 ℞. Infra sex menses numerandos à die vacationis Beneficij, aliter elapso semestri collatio deuoluitur ad Papam, & Sedem Apostolicam, vt expresse dicitur in Bulla Piana incip. *In conferendis* 33. Quando autem Parochiales vacant in mensibus Papæ, tunc Ordinarij intra quadrimestre à die vacationis tenentur acta examinis cum nomine Clerici dignioris ex approbatis Romam transmittere ad Datarium Papæ pro collatione obtinenda, vt expresse dicitur in eadem Bulla, de qua agunt *Seraph. decis.* 702. *Barb. Allegat.* 60. *num.* 12. vbi extenditur, & præced. Allegat. 58. per totam de tempore conferendi Ecclesias vacantes, *Antonellus lib.* 3. *cap. à num.* 16. Hic dum tantum noto. Primum, quod tempus à die vacationis non incipit à die obitus, sed à die notitiæ mortis Clerici Curati, & cessante quolibet legitimo impedimento, quia deuolutio ad Papam, vel alium collatorem fit tantum ad supplendam negligentiam Ordi-
80 narij, *cap. Statutum* 3. *de Prabend. in* 6. *iunct. Glos. V. numerandum, Garz. part.* 10. *ex illis Thesaurus* V. *Beneficium cap.* 9. *vers. Intra. Barb. Alleg.* 58. *num.* 5. quamplures citans. Secundum, quod illud semestre, siue quadrimestre debet computari se-
81 cundum quod currit in Calendario Romano, vt doceat omnes *cum Barbosa ad cap.* 6. *de elect. in* 6. & *Allegat.* 58. *num.* 8. & 9. Ac proinde si moritur Clericus curatus, & notitia eius mortis habeatur die 24. Iunij completur primus mensis 26. Iulij, nam primus dies notitiæ excluditur, quia dictio A. est exlusiua, Barbosa hac dictione, & mensis licet cæptus à Iunio, cum absoluatur in pluribus mense Iulio, appellatur primus mensis sub Iulio, & cum sequens Augustus habeat 31. is finitur die 26. sui ipsius, & tertius absoluitur pariter 26. Septembris, & sic de reliquis.

Quæres 13. Intra quod tempus conferendum sit Beneficium patronale, ne ordinarius perdat ius collationis pro ea vice negligentiæ?

82 ℞. Collatio Beneficij Parochialis iurispatronatus tam ecclesiastici, quam laicalis facienda est ab Ordinario intra duos menses à die præsentationis, alias institutio deuoluitur ad Metropolitanum, seu viciniorem ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam, arbitrio Patronorum, qui possunt recurrere ad vnum ex illis tribus, vt expresse dicitur in eadem Bulla Pij V.

Quæres 14. Ad quemnam spectat collatio, quando quis appellat ad Superiorem? e. g. ab Episcopo ad Metropolitanum, vel ad alium, ad quem potest appellari ad formam Bullæ Pianæ?

℞. Si examinatus, & reprobatus appellauit ad Metropolitanum, collatio spectabit adhuc ad Episcopum, quia appellatio fuit tantum quo ad effectum deuolutiuum, vt recuperaret suum honorem, non vt ei conferetur Beneficium, ideo debet redire ad suum ordinarium, & se subijcere nouo examini. Ita multis probaui cap. 8. q. 11. à num. 50. Quod si approbatus appellauit à mala electione, cum tunc appellatio sit plena quo ad vtrunque effectum, tunc collatio, si mala electio probata fuit, fit per Iudicem appellationis, ex eo, quod ordinarius male egit præponendo minus dignum digniori contra Tridentinum, & Bullam Pianam, ideo in hoc punitur pro ea vice priuatus à collatione Beneficij. Si vero collatio spectat ad alium, ad quem non spectabat electio, tunc appellans remittitur à Iudice appellationis ad collatorem innocentem, vt conferat Beneficium. Ita expresse statuitur in eadem Bulla, cuius verba retuli cap. 8. sub initium, ideo illuc remitto Lectorem. 83

Quæres 15. An detur casus, in quo approbatus, & electus, vt dignior, & tamen illi non conferatur Beneficium, ad quod fuit electus?

℞. Datur casus in eo, qui recusat consentire in pensionem, quæ à Papa imponitur de tempore prouisionis, tunc enim Papa Beneficium priuato examine confert consentienti in solutione pensionis. Et id procedit in Beneficijs Papæ reseruatis, per illam enim electionem electus non acquisiuit aliquod ius considerabile, vt dixit *Rota coram Penia, & Seraphino, referente Riccio part.* 1. *resol.* 370. Alijs vero Ordinarijs præter Papam id non licet, quia cum ipsi non habeant potestatem imponendi pensiones, non possunt reijcere recusantem soluere pensionem, quæ obligatio supponit impositionem pensionis, & illius acceptationem. 84

Quæres 16. incidenter. An Beneficium ecclesiasticum possit fundari, & auctoritate Episcopi fieri ecclesiasticum, siue simplex, siue curatum, aut duplex, seu dignitas, super Montem pro recuperatione Castri erectum à Serenissimo Duce nostro Ranutio Farnesio anno 1665.

℞. Affirmatiuè, quia ius Montis non repugnat iuri Beneficij Ecclesiastici, si quidem ius Montis in eo consistit, quod tradens pecuniam aquirit ius percipiendi singulis annis sex pro quolibet centenario 85 naratum

raturum perpetuo quousque pecunia restituatur tradenti, vel eius successoribus, seu cui voluerit; ius ergo est stabile, & perpetuum, sicut loca aliorum Montium veniunt sub nomine stabilium *Rota part. 6. dec. 83. num. 15. part. 8. dec. 144. num. 12.* & dicuntur, ibidem, esse bona illius vrbis, in qua Mons est fundatus, *part 9 dec. 184.* vbi sub num. 1. dicitur, esse bona stabilia, & si pertineant ad aliquam Ecclesiam non posse alienari sine beneplacito Apostolico, *num. 15 & 16.* Cum ergo iste Mons quo ad materiale, & temporale habeat conditiones Beneficij ecclesiastici, quod scilicet debet fundari super re stabili, & frugifera, ex qua singulis annis percipi possint fructus ad sustentationem Clerici, iuxta dicta initio huius capitis, sequitur, quod Episcopus assignatum sibi ius Montis sufficient pro sustentatione Clerici inspecto spirituali onere, potest erigere in Beneficium ecclesiasticum, dum habet conditiones aliorum Beneficiorum ecclesiasticorum. Confirmatur, quia loca Montium, & census comparantur, *Rota part. 8. dec. 144. num. 2.* Sed super censibus potest fundari Beneficium, *Rota part. 7. dec. 283. num. 21.* vbi Beneficij dos Ecclesiae in Collegiatã erectae data super censibus in casu redemptionis pretium illorum inuestiendum est in alijs censibus, vel in stabilibus, ad effectum vt dos & Beneficium ipsum habeat, & retineat suam perpetuitatem; sed ergo & super Montem hunc fundari potest Beneficium ecclesiasticum. Confirmatur iterum, quia Rota *coram Ottob. decis. 38. num. 6. ex Marchesano de sign. Gratiae part. 1. cap. 2. num. 116 & seq. tom. 1. fol. 61.* dixit, tutius esse inuestire pecuniam in emptione locorum Montium, quam censuum; & licet non loquatur in his terminis, valet tamen argumentum, quia fundus census possibile est, quod sit alijs obligatus, non autem illud Montis ius, quod tunc incipit esse in rerum natura, cum pecunia traditur, & sic antecedenter non potuit alijs obligari, dum non praeesset, quod enim non est obligari non potest, *l. Qui filios 6. C. Quae res pign.* Non entis enim non sunt affectiones, nec proprietates, ex vulgatis iuribus.

86

87

88

F I N I S.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Primus Numerus indicat Caput; Secundus Marginalem.

Iurament[um] Exa-
minatoris unde [illegible]
cap. 4. n. 47
munera accepta ab
examinatore an
simoniaca, ut [illegible]
dant concursum, ac
[illegible], et exa-
minandus &c. [illegible]

Iudex,

Qualitas

FINIS.